

Estante 34 Pluteo 3
Burgos.

MHSI 11º

MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS JESU

HISTORIA SOCIETATIS JESU

7500-6

VITA

IGNATII LOIOLAE

ET

RERUM SOCIETATIS JESU

HISTORIA

AUCTORE JOANNE ALPHONSO DE POLANCO

EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE

TOMUS SEXTUS

(1556)

COMUNIDAD DE JESUITAS
BIBLIOTECA
BURGOS

COLEGIO
DE LA MERCED
BURGOS

MATRITI
EXCUDEBAT AUGUSTINUS AVRIAL
via S. Bernardi, 92.
1898

VITA
IGNATII LOIOLAE
AC
RERUM SOCIETATIS JESU
HISTORIA
AUCTORE JOANNE ALFONSO DE POLANCO
EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE

TOMUS SEXTUS

BIBLIOTECA

MATRITI

JHS

CHRONICON SOCIETATIS JESU [1]

Annus 1556

DE DOMO ROMANA

COLLEGIO NOSTRO ET GERMANICO

1. Prius de rebus Domus Professorum et Collegii Romani ac Germanici; deinde de ipso P. Praeposito Generali, missionibus et aliis universalioribus agetur.

2. Hoc anno ineunte sexaginta fere Domi nostrae, in Collegiis vero praedictis centum circiter versabantur ex nostris, quamvis a Septembri proximo centum et eo amplius ad varia loca extra Urbem missi fuissent [2]; sed vix locum aliqui reliquerant, cum alii eis succedentes admittebantur; multi enim id expetebant, et cum primum commoditas offerebatur, admittebantur.

3. Primo die hujus anni ingressus est Domum Dominus Hieronymus de Choloredo [3] cum Josepho Fabricio [4], quamvis sub finem anni praecedentis admissi fuerant.

4. Inter alios [5] etiam accessit Dominus Joannes de Mendoza [6], qui jam fere duos annos magno desiderio hoc postulabat;

---

[1] Sexto hoc tomo, qui dimidia pars est tertii voluminis ms. hujusce *Chronici*, absolvitur opus a Polanco confectum, quod vitam Sti. Ignatii ac res gestas ab ipso et ab ejus fundata Societate persequitur, ab anno 1491 ad 1556.—Vide supra, t. v, pag. 5, annot. 1; et t. i, pag. 6 et 7.

[2] Vide supra, t. v, pag. 31, n. 51; pag. 42, n. 77; et pag. 44, n. 84.

[3] De Hieronymo de Choloredo egit Polancus anno superiore. Vide ejus elogium supra, t. v, pag. 43, n. 82.

[4] Vide supra, t. v, pag. 44, n. 83.

[5] Qui nempe prioribus hujus anni mensibus Societati nomen dederunt.

[6] Saepissime de hoc juvene mentio facta est in Polanci *Chronico* et in opere *Cartas de San Ignacio*. Ne dicta repetamus, vide sis supra, t. iv, pag. 176, n. 371; pag. 187, n. 400;

sed quia Praefectus erat arcis Castelli Novi Neapoli, videbatur P. Ignatio admittendus non esse sine Imperatoris [1] aut Regis Philippi facultate, quae in illa curia diligenter per varia media curabatur. Sed cum propter occupationes illorum Principum hoc negotium diutius extraheretur, impatiens tam diuturnae morae, Dominus Joannes arcem reliquit fideli ministro commendatam, et ad Collegium Neapolitanum primo se contulit.

5. Patri autem Ignatio non videbatur rationi consonum ut sine Regis consensu domi nostrae retineretur; et ita ejus fuit sententia ut in Castellum rediret. Ille autem, quamvis gravissime id ferret, cum, si humani honoris ratio esset habenda, non sine magno illius detrimento id fieri posset; quia tamen suam ille voluntatem dicebat se exuisse, suum honorem Deo sacrificare constituerat et ad Castellum redire.

6. Sed visum est Pro-regi, Domino Bernardino de Mendoza, id non convenire, cum innotuisset ei civitati quod domum Societatis nostrae ingressus fuerat; militaribus enim hominibus, non religiosis praefectis, Castellum illud egebat. Et ita, quamvis ille paratus erat obedire Patri Ignatio, meritum ejus [obedientiae] sine reditu consequutus est; immo Romam statim venit, ubi tamquam hospitem eum P. Ignatius admisit, et Regi Philippo interim scripsit [2] ut ipsius voluntatem intelligeret, sine qua Dominum Joannem non erat admissurus.

7. Rex autem non solum consensum praestitit, sed et Domino Alvaro, ejus fratri, praefecturam ejus Castelli, prout petebatur a Domino Joanne, concessit.

8. Quamvis autem reditus Praefecti [3] non ultra duo millia ducatorum ascendat, quia tamen id officium magnae auctoritatis est et jurisdictionem habet a Pro-rege, cui non subjacet, magni fit, usque adeo, ut Domino Joanni dotem septuaginta millia ducatorum eo tempore, quo Societatem ingredi deliberaverat,

---

pag. 188, n. 402; pag. 595, n. 1265.—Etiam t. v, pag. 177, n. 510; pag. 313, n. 851. Idem Polancus rem paucis sed plene complexus est in epistola, quam ex *commissione* S. Ignatii scripsit Francisco Borgiae *(Cartas de San Ignacio,* t. VI, pag. 171.) De eodem argumento agitur ibi, pag. 120-127, 167, 169, 174, 180...; et in *Apend. II* ejusdem voluminis nn. 37-41.—Prae caeteris autem vide infra in hoc tomo, nn. 943-959, cum agitur de Collegio Neapolitano.—Sed hic bonae spei juvenis diem supremum hoc ipso anno clausit, 21 Septembris. Vide infra, nn. 143-145.

[1] Caroli V.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio,* t. VI, pag. 167.

[3] Scil., reditus, qui Dno. Joanni de Mendoza, ut Castelli Novi Praefecto, solvebantur.

obtulerint cum nobili quadam virgine, quamvis ille praeter praefecturam alios etiam reditus a Marchione Vallis, patre suo, acceperat. Et alioqui magnae expectationis in re militari habebatur.

9. Fuit autem ejus ingressus neapolitanis magnae aedificationis [et] his etiam qui Romae versabantur; et ita Comes Montorii, qui tunc etiam Paliani Dux [1] dicebatur, ad eum invisendum Domum nostram venit cum aliis nobilibus, qui eum nepotem Pontificis comitabantur. Inserviebat eo tempore culinae Dominus Joannes; et ita, evocatus ad praedictum Ducem Paliani, prout erat praecinctus linteo egressus est; et ita Dux in ejus amplexum irruit cum summa aedificatione, praeferens ejus statum, etiam cum culinae inserviebat, quorumvis Principum dignitatibus [2].

10. Admissi etiam inter alios hoc anno fuerunt duo fratres Domini Fulvii Androtii, Hortensius et Curtius [3], et alii plurimi [4], ex quibus Mag. Joannes Tristanus opportune ad aedificia Societatis promovenda Romae admissus est [5]; et ita mense Majo ultra septuaginta in Domo Probationis erant.

11. Concionabatur autem mane in templo nostro P. Benedictus Palmius; et a prandio Scripturae lectionem interpretabatur P. Laynez ex Actibus Apostolorum, cum magno et concursu et applausu primariorum virorum, inter quos erant aliqui Cardinales; et quia confessariis ac poenitentibus locus non

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 24, n. 38. Hinc discimus hunc Pontificis nepotem esse Joannem Caraffam, Ducem *di Palliano* hocce anno creatum. Confer *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 110, annot. 3.

[2] De Joanne haec scribebat Ignatius P. Salmeroni: "Don Juan anda muy negociado, sirviendo en la cocina despues de haber sido examinado, y leído y predicado, y hecho lo demas que se usa, y anda muy derecho y edificativo. Dios le lleve adelante.„ *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 225.

[3] Vide supra, t. v, pag. 43, n. 80. De Hortensio et Curtio haec scribit Oliverius Manareus *De Rebus Societatis Jesu Commentarius*, cap. ix, § 8: "Secuti sunt ipsum (P. Fulvium) duo ipsius fratres, Hortensius et Curtius Androtii, qui in ministerio domestico multis annis versati sunt, ille Tiburi, hic Mediolani, omnibus virtutibus spectabiles.„

[4] Quae sequuntur verba: "*Ex quibus... erant*„, ea idem librarius adjecit ad oram paginae.

[5] Erat hic "inter Ferrarienses aedificiorum magistros facile primus... Inita Societate, ut Architectura quoque egregie pollebat... assidue per Italiam ac Siciliam discurrens, ad habitandum et tractanda divina, aedes... in religiosum usum concinnans; quocumque pergeret multo praeclariora humilitatis suae, mansuetudinis, obedientiae, orationis ac caeterarum virtutum exemplis quam fabricandi architectandique scientia aedificia excitabat.„ *Historiae S. J.*, p. iv, lib. iii, n. 14.—Obiit Romae in Domo Professorum, anno 1575.

relinquebatur, quaedam pars Domus nostrae, quae inter hortum et ecclesiam erat, addita fuit ecclesiae, et poenitentiariorum locus vocatus est, ubi sex vel septem vacare poterant audiendis confessionibus, et corpus ecclesiae liberum auditoribus concionum et lectionum relinquebant.

12. Rogatu autem Marchionis de Sarria [1], idem P. Laynez in ecclesia S.ti Jacobi hispanice bis in hebdomada concionatus est; et qui eum italice concionantem audire soliti erant, quod se ipsum longe superaret in materna illa lingua judicabant: nec poenitendus ex concionibus ejus fructus consequebatur; multi enim affectum beneficia ecclesiastica cumulandi deposuerunt; aliqui etiam in ejus manibus habitos jam reditus relinquebant.

13. Fuit inter hos qui quinque millia annui reditus vel relinquere vel retinere, pro ejus arbitrio, paratus erat. Alius eodem modo duo millia ducatorum ejus judicio submisit. Aliorum etiam corda tetigit Dominus ut a peccatis recederent, in quibus diu perseveraverant.

14. Ipso die Mercurii Sancti in ecclesia nostra officium, quod ea hebdomada fieri solet, cantari coeptum est: et primo die Paschae sequentis vespertinum officium decantari etiam coeptum est. Et id P. Ignatius sic constituisse videtur, partim quod Constitutiones id faciendum insinuant [2], partim in gratiam Summi Pontificis, qui, cum propensus esset ad hujusmodi cantum nostrae Societati injungendum, hac ratione videbatur conquieturus.

15. Cum autem tractaret P. Ignatius hac de re cum his sacerdotibus Domus nostrae, quos adhibendos censuit ad hujusmodi consultationem, tantum ab eis decerni voluit, an esset cantu vespertinum officium hac Hebdomada Sancta inchoandum (numquam enim in templo nostro fuerat decantatum [3]). Si

---

[1] Erat is Orator ordinarius Imperatoris, ut dictum est supra, t. v, pag. 23, annot. 2.

[2] Part. VI, c. 3. Decl. B.

[3] Haec non omnino cohaerere videntur cum iis, quae ipsemet Polancus supra dixerat, t. v, pag. 33, n. 58. Nisi mavis intelligere anno superiore deliberatum quidem ac *constitutum* fuisse cantum, sed non reipsa habitum: hoc vero anno denuo rem agitatam in executionem esse deductam. Et Orlandinus, qui anno 1555 de cantu a nostris inducto nihil dixerat, illum ad praesentem 1556 refert: "Hoc ineunte anno, tametsi aequum sc ac propitium nostris rebus praebebat Romae Pontifex (Paulus IV), tamen Ignatius, ut causam ei quidpiam innovandi praeriperet, diebus Dominicis Sacrum ac vespertinas preces in Professorum templo cum cantu peragi jussit; hac re Paulum, qui chorum maxime videbatur in Societate requirere, ratus fore contentum.„ *Hist. Soc.*, p. I, lib. XVI, n. 1.

autem decerneretur inchoari debere, tum ipse formam cantus [sibi] reservavit; et ita constituit ut non illo simplici cantu uterentur, sed potius in figurato simpliciori, quem *falsum bordonem* vocant [1], ut populus ad sacra officia alliceretur. Nec propterea ullus ex confessariis vel concionatoribus ea in re occupabatur, sed ex collegialibus nostris et Collegii Germanici aliquos cantus peritos adhibuit; et cum multorum aedificatione et consolatione spirituali res inchoata ac deinde continuata fuit.

16. Agebat tunc Pontifex de officio Datariae reformando, et, inter alios, duos Societatis nostrae theologos ad Congregationes de reformatione institutas adhiberi voluit. Hi autem fuerunt Patres Laynez et Olave [2]; et demum res eo progressa est, ut compositiones omnino tollerentur, et quamdiu Pontifex Paulus IV vixit, cum magna orbis christiani aedificatione cessarunt [3].

17. Praeerant his Congregationibus primus Episcopus qui erat Cardinalis Bellaius [4], et primus Sacerdos, qui erat Cardinalis Moronus [5], ac primus Diaconus, qui erat Cardinalis Farnesius [6]; et unicuique octo Episcopos [Pontifex] assignavit, et ut quisque uteretur opera theologorum pro suo arbitrio permisit, ut de tota labe simoniaca extirpanda ageretur.

18. Misit autem Pontifex ad P. Ignatium ut curaret sanitatem, et confortaretur in Domino, et vocaret theologos, qui ipsi viderentur, ut ipsum Summum Pontificem in hoc sancto opere juvarent; et ita duos praedictos P. Ignatius elegit statim, qui in rebus ad simoniam pertinentibus, studio adhibito, Congregationibus praedictis multum lucis adhibuerunt [7].

---

[1] Hanc cantus formam sive figuram explicatam supra invenies, t. v, pag. 33, n. 58, annot. 2.

[2] PP. Jacobus Laynez et Martinus de Olave.

[3] Ms. *cessavit*.—De hac Datariae reformatione vide J. PALATII, *Gesta Pontificum Romanorum*, vol. IV, col. 213, n. 12; PAGI, *Breviarum... Pontificum romanorum gesta... complectens*, t. VI, pag. 354 et 361.

[4] Joannes du Bellay, Episcopus Cardinalis Portuensis et Sanctae Rufinae. Vide supra, t. v, pag. 23, n. 36; t. IV, pag. 321, n. 687, annot. 1.

[5] Joannes Baptista Moronus, de quo saepe in *Chronico* et *Cartas de San Ignacio*. Vide supra, t. IV, pag. 18, n. 17, annot. 3; t. III, pag. 11, n. 14; pag. 17, n. 23; pag. 51, n. 90; pag. 156, n. 312, annot. 1.

[6] Alexander Farnesius (ad quem plures exstant Sti. Ignatii epistolae) Cardinalis Sti. Laurentii in Damaso S. R. E. Vicecancellarius. CIACONII. De eo facta saepe est mentio in *Chronico*. Alius est a Rainuccio Farnesio, Cardinale Sti. Angeli, de quo etiam haud semel dictum est.

[7] In aureo opusculo a P. Petro Rivadeneira scripto, cui titulus: "*Tratado del modo*

19. Quod ad temporalia attinet, Domus nostra ex eleemosynis consuetis alebatur; sed Dr. Gaspar de Doctis [1] auxilium nostris non minimum hoc anno tulit. Cum enim Romae versaretur et augendam esse ecclesiam, ut superius diximus, videret, et alia Societati necessaria esse, sexcentos et quinquaginta aureos nummos libere ex charitate donavit. Quamvis P. Ignatius ex gratitudine constituit ut singulis annis ad modum census sexaginta aurei ipsi, dum viveret, et fratri ejus, Balthasari de Doctis, post eum solverentur; quod tamen exsequi opus non fuit.

20. Pater etiam Natalis ex Hispania subsidia non mediocria curavit; et P. Bartholomaeus Bustamante quingentos aureos, Pater vero Franciscus Borgia duo fere millia et quingentos [2] mittenda dedit; et ita non solum Domus, sed et Collegium nostrum fuit sublevatum, et duo millia aureorum [3] aeris alieni, quod molestius erat, dissoluta fuerunt, et [4] census, qui propter ea solvebatur, extinctus est.

21. Collegium nostrum Romanum etiam hoc anno usque ad mensem Augustum in conductitia domo Marii Capocii Romani, quam ad quinque annos conduxerat, mansit. Sed praedicto mense aliam, quae erat Domini Joannis Baptistae Salviati, e regione arcus, quem vocant Chamiliani [5], quae melior et capacior erat, conduxit.

---

de gobierno que nuestro Santo P. Ignacio tenia„ haec leguntur ad P. Lainium in hoc negotio spectantia: "En tiempo del Papa Paulo IV, predicando el P. Maestro Laynez en Roma, en Santiago de los españoles, dijo unas palabras, hablando de la simonía, que, puesto caso que en su intencion no se podian reprender por ser llanas, ciertas y verdaderas, pero, porque algunos las podian interpretar mal, como dichas para reprender las consultas que hacia Su Santidad sobre aquella materia, para reformar la Datería sobre aquella materia, nuestro bienaventurado Padre ordenó al P. Laynez que hiciese una disciplina para que el Papa, si lo supiese, no tuviese ocasion de enojarse contra él ni contra la Compañía.„ Pontifex vero nullam in hac re offensionem a Lainio accepit; quin potius eum patrum Cardinalium purpura decorare voluit; quod, ut odoratus est Lainius, simulata necessitate consulendi libros, nescio quos, ex aedibus sese proripuit a Pontifice ad habitandum designatis: hic autem, Lainio indulgens, severo nihilominus obedientiae jussu, illum exire urbe vetuit.

[1] De hoc Lauretanae Domus Gubernatore vide supra, t. IV, pag. 45-49, n. 72 et seqq.; t. V, pag. 43, n. 79, annot. 1; pag. 93, n. 242, et passim ubi agitur de Collegio Lauretano. —Infra etiam de eodem viro redibit sermo.

[2] *Et quingentos* inseruit inter lineas sua manu Polancus.

[3] *Duo millia aureorum*, deletis quae prius scripta fuerant, correxit Polancus.

[4] Membrum hoc ab ipso Polanco additum est. Caeterum de hoc subsidio ab hispanis Collegio Romano praestito, infra, cum agitur de rebus a PP. Natali, Borgia et Bustamante actis, plura tradit Polancus.

[5] Sic; *l' arco di Ciambella?*

22. Sub initium autem hujus anni in festis Natalitiis variae orationes et carmina a collegialibus nostro in templo recitata fuerunt, et demum dialogus a P. Andrea Frusio, magna cum eruditione et spiritu compositus, et ad auditorum spiritualem profectum faciens, *de modo*, scilicet, *renascendi cum Christo*, actus est [1] frequentissimo auditorio; et inter alios doctores illi parisienses, qui cum Cardinale Lotharingo Romam venerant, cum spirituali consolatione sua interfuerunt [2].

23. Ipso die Circumcisionis P. Benedictus Palmius in Sacro Sacello, coram Cardinalibus et ipso Summo Pontifice, orationem habuit; et quamvis profestis diebus litteraria exercitia vigebant, dominicis ac festis multis in locis collegiales concionabantur; et tempore Quadragesimae duodecim electi sunt, qui statis diebus in variis monasteriis et custodiis publicis, ut satisfieret praelatorum id postulantium devotioni, vacabant.

24. Eisdem etiam festis diebus confessarios Domus nostrae juvabant; et quamvis in templo S.tae Catharinae, vicino Domui nostrae, cum fructu verbum Dei praedicaretur, tamen in carceribus uberior tum ex verbo Dei, tum ex sacramentis perceptus est; nam aliquando viginti et triginta ex his hominibus, qui ab hujusmodi sacramentis alieni esse videbantur, ad confessionem accedebant, et in ejus frequentatione perseverabant.

25. Fuit autem mos inductus mane et vespere litanias dicendi in custodia, quam vocant Turris Nonae: Missa etiam aliquando ibi dicta fuit ut Sanctissimum Sacramentum eis hominibus communicaretur. Fuit inter hos quidam extremo supplicio afficiendus, qui obstinate recusabat confiteri, nec imaginem Crucifixi videre volebat, quamvis alii capitali poena puniendi confessi nostris essent. Semel ergo in Collegio pro illo oratum

---

[1] Non meminit hujus dialogi SOMMERVOGEL, nec enim, ut videtur, in lucem prodiit, quemadmodum ille, qui *de scientiarum honestate ac utilitate*, Romae pro instaurandorum studiorum auspiciis, actus fuerat 1554, quinto Cal. Novemb.; nisi forte alio titulo evulgatus est. Anno MDXCIX, Turnoni typis mandata sunt varia poëmata Frusii, uno volumine comprehensa: *Epigrammata in haereticos,—Epigrammata sacra,—de Agno Dei;* quod carmen in alia idiomata translatum quoque est,—*de praesenti christianae religionis calamitate,—de simplicitate christiana,*—et quod supra memoravimus, *de scientiarum honestate ac utilitate.* SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, t. III, col. 1046-1049.

[2] Supra, t. V, pag. 11-12, n. 12, annot. 1, dicitur quinam fuerint hi doctores et quae eorum nomina. Carolus autem de Guise, Cardinalis Lotharingiae, Romam venerat ad Pontificis electionem. *Ibid.*

est; et observarunt nostri quod eadem hora compunctus ille judicibus suum facinus integre confessus est, quod prius facere noluerat; et cum postridie nostri ad eum accessissent, in alium hominem mutatum invenerunt, et veniam ab eis de sua obstinatione postulavit; et uni ex nostris confessus est cum magna sua satisfactione. Cum autem ei mors significata fuisset, id nuncium libenter amplexus [est], et se mortem promereri dicebat, quodque se divinae voluntati omnino submittebat; et imaginem Crucifixi postulans, numquam se tam laetum fuisse quam tunc fassus est; et cum exhortati eum fuissent nostri ut bono exemplo mortis aliis aedificationi esse curaret, quibus mala sua vita offendiculo fuerat, id diligenter est exsequutus, libenter ad mortem se conferens et veniam petens suorum errorum, et omnibus condonans quidquid contra ipsum egissent; adeo ut Praefectus carceris jam pridem sic bene affectum hominem ad mortem subeundam se non vidisse testaretur. Alia multa hujusmodi pietatis opera ibidem fiebant, quae cum Praefectus et ministri publicae custodiae observassent, per quemdam Cardinalem P. Ignatium rogarunt ut in tali pietatis officio nostros progredi juberet.

26. Magnus etiam ex praedicatione in hospitalibus fructus capiebatur; et tam aegrotantes quam ministri ad confessionem singulis mensibus faciendam commoti sunt.

27. Cum in octava Corporis Christi, ante Collegii nostri fores, S.ti Marcelli processio transiret, praeter ornatum reliquum, altare erectum fuit, et duo ex pueris scholasticis, angelorum vestibus, prout [1] depingi solent, induti, quosdam latinos versus de Sanctissimo Sacramento et de morum reformatione tam devote recitarunt, et sic corda commoverunt, ut praeter alios aliqui etiam Cardinales deflere visi palam fuerint. Multa etiam carmina graeca, hebraica et etiam italica de eodem Sacramento parietibus, aut potius tapetibus, affixa sunt. Et in festis Pentecostes in templo nostro orationes latinae habitae, et dialogus etiam moralis fuit actus [2].

28. Ex Helvetiorum regionibus, quos *Cantones* vocant, septem haeretici erant, quinque autem eorum catholici; duo

[1] Ms. *quae*.

[2] Quae in hac sententia, a verbis *Et in festis Pentecostes*, continentur, adjecta sunt manu Polanci ad oram paginae.

autem velut medii unumquemque pro suo arbitratu vivere permittebant, sive catholico sive haeretico more vivere liberet. Duo ex septem praedictis et duo illi medii cum quinque catholicis conjuncti sunt, et Romam miserant ad obedientiam Sedi Apostolicae offerendam [1]. Legati autem Helvetiorum, qui venerant, aliquos ex nostris ad se mitti postulabant; et sane, si ejus linguae plures operarios Societas habuisset, eorum opera egregie apud eos collocari posse videbatur. Triginta autem ex his helvetiis et germanis cuidam ex nostris Romae confessi sunt, et, eleemosyna aliqua eis curata, ad patriam remissi fuerunt. Inter hos sex vel septem haeretici erant, qui ad catholicam fidem redierunt. Aliqui etiam numquam fuerant confessi.

29. Viginti quinque aut plures pauperes, cum frigora Romae vigerent, in caverna quadam, ubi modicum erat paleae, dormiendi gratia, se recipiebant; sed nostrorum opera in duo hospitalia excepti fuerunt, et a praesenti admodum vitae periculo liberati; nam antrum illud ex foetore et immunditia aërem infectum habebat, et aliqui etiam mortui in eo sine confessione fuerant. Immo cum unus mediocriter sanus ingressus eo fuisset, die sequenti post prandium mortuus eductus est.

30. Duo libri, a P. Andrea Frusio scripti, alter de verborum copia, alter de syntaxi, impressi hoc primo anno et ad varia loca missi sunt: elegantibus et perspicuis versibus praecepta grammaticorum Pater ille complexus est, et quidem exacte; et ipsemet auctori syntaxis prae aliis ab ipso scriptis placebat; quam tamen experientia obscuriorem aliquantum, quam ferret puerorum captus, esse docuit [2].

31. Cum ad collegia Pragam et in alia Germaniae loca mittenda aliqui doctores in sacra theologia expeterentur, supplicatum est Summo Pontifici ut tam nostri quam hi, qui in Collegio Germanico versarentur et Collegii nostri lectiones ac

---

[1] "Hoc ineunte anno Joannes Lusitaniae Rex, decreto amplissimo Oratore, obsequia Regia Paulo IV Pontifici solemni ritu detulit... Ejusdem mensis (Januarii) Florentiae Dux, trigesima Martii Helvetii, vigesima Maii Genuenses Paulo IV pium idem officium praestitere . RAYNALDI, *Annales ecclesiastici*, ad ann. 1556, nn. XXI et XXII.

[2] *Summa latinae syntaxeos* bis ex SOMMERVOGEL excusa est: Romae apud Antonium Bladum, 1556.—Viennae Austriae, 1561.—Alterum vero opus *De utraque copia, verborum et rerum, praecepta, una cum exemplis dilucido brevique carmine comprehensa*, saepe typis mandatum fuit: Romae 1556; Coloniae 1558; Viennae Austriae 1561; Antuerpiae 1568; Ibid., 1574; Duaci 1577. SOMMERVOGEL, l. c.

litteraria exercitia frequentarent, ad gradus quoscumque etiam theologiae promoveri possent, et id benigne concessit. Primi autem, qui hunc gradum susceperunt a P. D.re Olave, postquam positiones triduo ex Novo et Veteri Testamento et theologiae scholasticae tenuissent, ac lectiones in eisdem facultatibus praelegissent, fuerunt Mag. Henricus Blissemius ac Mag. Joannes de Tilia, alter germanus, alter ex Gheldria, qui in doctores theologiae promoti sunt et Pragam missi [1]. Deinde alii tam in theologia quam in philosophia, prout occasio sese offerebat, promoti fuerunt [2].

32. Cum quinquennium, ad quod locata fuerat domus Collegii, jam ad finem vergeret, obtulit occasionem loci proprii habendi Domina Julia Columna, quae domum habebat vicinam nostrae, prope aliam, quam Margani vocant [3], et centum aureis annui census, quos redimere licebat duobus millibus, Societati eam vendere voluit.

33. Erant autem aliae domus vicinae, quae temporis successu erant emendae, ut situs sufficiens ad Collegium et scholas haberemus, et fortassis septem vel octo millibus ducatorum vix emi potuissent; sed interim conduci quaedam ex illis domibus poterant; et ita Societas convenit cum Domina Julia Columna [4]; et emptione transacta, jam necessaria comportari coeperant, ad aedes illas nostris usibus accommodandas; sed, Deo aliquid melius providente, quidam litem intendit, et ne domus illius dominae Juliae emptio valida esset [5], magno conatu impedivit; et ita ad domum, quam praediximus Domini Joannis Baptistae Salviati [6], etiam conductitiam, collegium migravit; et paucis post annis situm meliorem atque ampliorem donavit

---

1 "Fecit (Paulus IV) potestatem in Collegio Romano tum Societatis scholasticos tum germanicos alumnos ad quoscumque litterarios gradus promovendi. Primique omnium in eo Gymnasio cum rite triduo disputasssent, scholasque theologicas habuissent, sacrae theologiae Doctores a Doctore Olavio Henricus Blissemius et Joannes Tilia creati sunt.„ ORLANDINI, *Historiae Soc. Jesu*, p. I, lib. XVI, n. 2.

2 Vide infra, n. 71.

3 Sic; existimamus tamen scribendum esse *prope aream, quam Margani vocant;* scil. *Piazza Margana.*

4 Quae sequuntur usque ad verbum *accommodandas* adjecit ad oram paginae Polancus.

5 Cum scriptum prius esset *emeretur,* Polancus verbum delevit correxitque manu sua scribens *emptio valida esset.*

6 Supra, pag. 10, n. 21.

Dominus ad usum collegii, et quidem gratis, ut suo tempore videbitur.

34. Quod ad reditus attinet, nullos habebat Collegium; sed P. Franciscus [1] cum P. Natali id agebat, ut ex Hispania ad octoginta collegiales Romae sustentandos [suppeditarentur], nec displicebat ut eo in regno reditus applicarentur, in quo [non] minus stabiles, immo magis quam Romae, futuri videbantur.

35. Quod ad Collegium Germanicum attinet, quia paulatim a Cardinalibus id temporis destituebatur et totum onus propemodum Societati subeundum erat, imminui coepit germanorum numerus, et quibusdam Cardinalibus et primariis viris id postulantibus, admitti convictores aliarum nationum coeperunt, qui suis sumptibus non solum ipsi sustentabantur, sed etiam ad conductae domus pretium solvendum et externos famulos sustentandos aliquid supererat, ut sic paulo plures germani possent sustentari ex Cardinalium quorumdam eleemosynis [2].

---

[1] Borgia. Vide quae fusius infra dicentur, nn. 2737 et seqq.
[2] Vide supra, t. v, pag. 13, n. 14; et pag. 36, nn. 64 et 65.

DE REBUS UNIVERSALIORIBUS

AC PRIMO

DE MISSIONIBUS A P. IGNATIO FACTIS

36. Renovavit hoc anno P. Ignatius decretum illud de lingua ejus provinciae, in qua quisque versaretur, addiscenda, ad unionem mutuam et benevolentiam conferre existimans si eodem idiomate omnes uterentur; et Romae quotidie grammaticae italae lectionem praelegi jussit [1].

37. De exercitiis etiam spiritualibus proponendis ad plurima loca scriptum est, usque ad primam hebdomadam et confessionem generalem ut conjugatis etiam hominibus utriusque sexus proponerentur, et ut ulterius cum nostris hi progrederentur, qui ad profectum majorem, et praecipue ad statum perfectionis, idonei viderentur [2].

38. Jubilaeum etiam, a Paulo IV pro pace inter principes christianos concessum, ad varia loca missum est [3].

39. Cum P. Ludovicum Gonzalez in Portugalliam misisset [4] P. Ignatius, liberum ei reliquit an sub obedientia P. Francisci Commissarii esse vellet necne; cum enim Collateralis factus esset Provincialis Portugalliae, ejus obedientiae non subjace-

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 439, n. 11, ubi editur exemplar italicum epistolae, cujus translationem hispanicam invenies ibi, pag. 94. Dicit autem Polancus *renovatum* hoc anno decretum de lingua vernacula perdiscenda, quia jam id anno superiore fuerat "injunctum P. Ignatii nomine." Vide supra, t. V, pag. 49, n. 98.

[2] Vide ISTRUZIONE per il Collegio di Praga, *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 516, et hispanice pag. 140; et INSTRUZIONE pel Collegio che si manda ad Ingolstadio, *opere citato*, pag. 508, 4, hispanice pag. 312.—Quibus Instructionibus jam pridem praecesserant litterae *ex commis.* Sti. Ignatii, datae 18 Junii 1554 ad universam Societatem *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 460 et 199.

[3] Hujus jubilaei, seu indulgentiae, a Paulo IV pro obtinenda pace concessi, non hoc anno 1556 meminit RAYNALDI, l. c., sed sequenti, n. XXVII.

[4] "Hujus initio anni Natalis et Ludovicus Consalvius in Hispaniam navigarunt." ORLANDINI, *Histor. Soc.*, p. I, lib XVI, n. 38.

bat. Suam autem propensionem significavit P. Ignatius in initio, ut sibi soli subjectus esset et Regi Portugalliae; sed ad ipsius consolationem permisit ut subesse posset Patri Francisco [1].

40. Cum P. Victoria, mortuo ipsius patre, ad componenda negotia domestica in Hispaniam missus esset, permissum ei fuit ut vel in Collegio nostro, vel domi paternae, propter causas quasdam honestas, commorari posset, quamvis ejus socius non extra Collegium pernoctaret; et quia ad breve tempus eo mittebatur, nullius obedientiae in eis regnis voluit subjacere. Et quia facultatem ille postulaverat ad quatuordecim vel quindecim juvenes Romam adducendos vel mittendos, responsum est ei, ex sibi conjunctis sanguine ut quotquot vellet adduceret; ex aliis tamen non nisi in litteris provectos et qui his regionibus communi bono inservire possent [2].

41. Cum ampla facultas a Summo Pontifice petita fuisset pro Patriarcha Aethiopiae [3], amplissimam ille concessit, et ejus concessionis viva voce factum testimonium P. Ignatius misit et declaravit, quod ad omnia sese extendebat facultas, quae ad majus Dei obsequium et animarum salutem in omnibus occurrerent [4]. Et ita declaravit clausulam Litterarum Apostolicarum Julii III [5], quam alioqui sufficere idem Cardinalis Puteus [6] censebat.

42. Ex hac concessione P. Ignatius declaravit quod facultatibus nostrae Societatis tam Patriarcha quam Episcopus uti posset [7]; nec ipse mutavit scribendi modum cum Patriarcha et Episcopis, donec possessionem caperent Patriarchatus; nam

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 34-41, in quibus cumulatissimum de P. Ludovico Consalvo de Camara factum a Sto. Ignatio elogium invenies.—Confer etiam POLANCI *Chronicon*, supra, t. V, pag. 40, n. 72 et annotationes ibi appositas. Porro de P. Gonzalez de Camara redibit sermo suo loco, infra, nn. 3113 et seq., cum agetur de Provincia Portugalliae, praecipue vero a n. 3206, ubi *De rebus P. Ludovici Gonzalez...* caput inscribitur.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 195-196, et annot. 2. De P. Joanne de Victoria fusius agit ipse POLANCUS infra a n. 2516.

[3] Vide supra, t. V, pag. 605, n. 1669, ubi explicatius continentur postulationis capita.

[4] Ms. *occurrent*.

[5] Sermo est de clausula Litterarum Apostolicarum Julii III, Romae 17.ª Januarii 1555 datarum, quam sic vertit TELLEZ: "nam obstando as Constituçoēs, e ordenaçoēs Apostolicas reservatorias, *ainda das Igrejas Cathedrays*.„ L. c., lib. II, cap. 21.

[6] Jacobus Puteus, Cardinalis et Archiepiscopus Barensis (Vide supra, t. IV, pag. 14, annot. 1 ad n. 14) erat Rotae Decanus, cujus consilium in rebus juris magni faciebat Ignatius.

[7] Vide supra, t. V, pag. 610, sub finem n. 1676.

perinde atque si essent de Societate cum eis agendum [1]; et omnia dubia, quae sigillatim postulata fuerant a Patriarcha et Episcopis [2], ex illa concessione generali latissima dissolvit; ut quod possent admittere aethiopes ad divina officia, immo etiam Professos Societatis ad aliquam dignitatem in Aethiopia excipiendam obligare possent, quamvis hac facultate parce admodum et cum magna cautela utendum suasit.

43. Et quia optabantur Litterae Apostolicae hujus Pontificis, quae confirmarent et approbarent quae a praedecessore Julio III facta fuerant, meliori quodam modo a Paulo IV impetratae fuerunt; nam scripsit Pontifex Regi Aethiopiae, ipsi commendans Patriarcham Joannem Nugnez et ad ei obediendum paterne eum hortabatur [3]: et quod ad illud dubium attinet, an vinum, quod ex passis conficeretur, materia sacramentorum idonea esset, non est visum P. Ignatio expedire ut in Consistorio, sicut petebatur, tractandum proponeretur; sed re cum theologis communicata et cum Cardinali Puteo, scripsit nos pro comperto habere quod vinum ex passis pressum speciem [4] vini retineat, et ita materia idonea sacramenti esset; nec consuetudinem tot saeculorum, praesertim rationi consonam (quia aliud vinum ibi non invenitur), condemnandam arbitrabatur.

44. Quia vero multi de Societati in Aethiopiam destinati erant, injunxit P. Ignatius Provinciali Portugalliae ut (re collata cum Patriarcha, Episcopo et suis consultoribus [5]) ex eis aliquem eligeret, qui Praepositi Provincialis officio in Aethiopia fungeretur, quamvis tam ipsum Praepositum Provincialem, quam subditos ipsi, obedientiae Patriarchae subjacere voluit, non solum propter eam auctoritatem, quam a Pontifice acceperat, sed propter illam, quam ipsemet P. Ignatius eidem Patriar-

---

[1] Vide in *Cartas de San Ignacio*, t. praesertim v, passim, quas scripsit Ignatius et *ex ejus commissione* Polancus Patribus Joanni Nuñez, Melchiori Carneiro et Andreae de Oviedo.

[2] Vide supra, t. v, pag. 605, n. 1669.

[3] Has Pauli IV litteras affert RAYNALDI, l. c., ann. 1556, n. XLII.

[4] Vox haec *spectem* sumenda hic est non quidem pro *forma, figura, eo quod primo aspectu appareat*, sed pro eo, quod apud philosophos appellari jam consuevit *natura specifica;* quem sensum apud latinos etiam habet. "Genus est id quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur.„ CIC., I *de Oratore*, c. 42

[5] Quae parenthesi includuntur, ea ad oram paginae addita sunt.

chae in hac parte communicaverat [1]. Scrupulum autem ademit Episcopo Hierapolis, Patri Andreae, de illa civitate adeunda [2]; quia haec mens fuerat Summi Pontificis, ut inde titulum sumeret, sed in vinea Aethiopiae latissima, ut coadjutor et successor Patriarchae, talentum a Domino acceptum exerceret.

45. Quod attinet ad officium illud Inquisitionis, quod in Portugallia nostris committere Rex volebat, censuit P. Ignatius admitti non debere, quandoquidem Praefectum hunc eximi ab obedientia Superiorum Societatis volebant [3].

46. Quod ad curam attinet convictorum suscipiendam in Collegio Conimbricensi, ita eam assumi posse sentiebat, ut in separata domo illi habitarent, et externum aliquem oeconomum haberent, qui temporalia curaret, spiritualium cura nostris relicta, quibus [4] ministri etiam externi parerent, quod ad ipsorum gubernationem attinet [5]. Nostros autem, qui residerent in Collegio convictorum, ali posse in eodem judicabat; nam [6] aequum esse ut nostri Collegii expensis viverent, quod exemplo convictorum Collegii Germanici comprobavit [7].

47. Doctori Vergarae quatuor privilegia hoc anno P. Ignatius concessit. Primum, ut nullus admitteretur sine ipsius voluntate ad Collegium Complutense, cui bona ex parte necessaria ipse subministrabat. Secundum, ne ex collegialibus, qui in eodem essent, quisquam sine ejus consensu et probatione alio mitteretur. Tertium, in aedificio ejusdem Collegii, ut ratio haberetur ipsius, nec contra ipsius sententiam quidquam ea in parte fieret. Quartum, ut ex pecunia, quae collegialibus subministrabatur, ad ipsorum sustentationem (siquidem scholastici Compluti in Collegium admissi essent) non disponeretur, nisi juxta ejusdem Doctoris voluntatem; et si quis eorum Simancas ad probationem mitteretur, quod superesset, deductis ne-

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 82.

[2] Vide supra, t. v, pag. 610, n. 1678.

[3] Vide supra, t. v, pag. 603, n. 1662, et citatas ibi *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 255-259, ex quibus omnibus luce meridiana clarius apparet Ignatium refugisse Inquisitoris officium, idemque a Nostris removisse, non quia illud suapte natura Instituto Societatis adversetur, sed quia Inquisitorem *eximi ab obedientia Superiorum Societatis volebant*.—Ubi nos legimus *Praefectum*, ms. perspicue habet *profectum*.

[4] Ms. *cui*.

[5] Vide supra, t. v, pag. 593, n. 1633.

[6] Ubi nos scribimus *nam*, ms. habet obscure satis *nec;* verum hoc excludit, illud requirit totius sententiae nexus.

[7] Vide supra, t. v, pag. 9, n. 10.

cessariis ad ejus expensas, id etiam arbitrio Doctoris Vergarae expendi voluit [1]. Hoc tamen non de patrimonio intelligendum erat; nam, quod ad haec attinet, Patri Natali facultas data erat ut de his disponeret, quae libere in Societatis usum a nostris relinquebantur [2].

48. Misit hoc anno Commissarii amplam facultatem P. Ignatius, per instrumentum a notario stipulatum, P. Francisco Borgiae, et ad Indiam Orientalem et Occidentalem, Regibus Portugalliae et Hispaniae subditam, eam extendit [3].

49. Acceperat dono Societas nostra Romae a quodam amico magnam vim voluminum Novi Testamenti, in linguam aethiopum conversi [4], quae Romae superioribus annis excusa fuerant; et omnem eam librorum multitudinem duabus arcis inclusam in Portugalliam misit, ut in Aethiopiam mitti possent; et ut nos gratis acceperamus Romae, ita sine ullo pretio illis donati sunt.

50. Probavit P. Ignatius ut Probationis Domus Granatae instituereturet etiam Hispali, si Collegium ibi instituereturnec enim videbatur eidem Patri Ignatio solam Probationis Domum Hispali tenendam esse; nec displicebat eidem ut in singulis collegiis majoribus hujusmodi Probationis Domus haberentur [5]. Permisit etiam Provinciali Baeticae [6] ut Cordubae legere et scribere nostri docerent; sed si Patri Francisco, Commisario, id non probaretur, executionem hujus concessionis ab eo suspendi posse voluit, donec scriberet Romam et responsum acciperet.

---

1 De hoc viro, Doctore Alfonso Ramirez de Vergara, saepe facta est et adhuc fiet mentio in hoc *Chronico*, cum de Collegio Complutensi et Conchensi agetur. Vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 340, annot. 7, sed maxime t. IV, pag. 194-198 cum annotat. adjunctis. Scitu etiam digna sunt quae, demortuo Ignatio, scripserat Doctori Ramirez de Vergara ipse Polancus: "Cuanto á la persona de Vuestra merced, es verdad que ha mucho tiempo que deseamos verla en la Compañía enteramente, como lo está no solamente en la hacienda pero con el ánimo tanto tiempo ha, pareciéndonos que sería de ello más servido Dios Nuestro Señor; pero si otro más agradare á la Divina Majestad, todos deseamos lo mismo.„ *Op. cit.*, t. VI, pag. 396.—Caeterum privilegia, quae hic memorat Polancus, non omnibus e NN. probabantur. Vide infra, n. 2758.

2 Continetur haec facultas in n. 13.°, in *Memoria de las cosas que ha de hacer en su viaje á España*. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 31.

3 Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 436 et 58, et in hoc *Chronico* supra, t. V, pag. 556, n. 1526.

4 Ms. habet *conversis*.

5 Vide supra, t. V, pag. 537, n. 1469.

6 P. Bartholomaeo Bustamante.

51. Collegium Siguntinum non existimavit P. Ignatius admittendum esse, eo quod totum Capitulum Decano adversaretur; nec placebat eidem Patri ut extra muros ejus urbis (nam extra illos erat situs, quem offerebant), sed intra muros et cum benevolentia omnium collegium esse inchoandum censebat, cum admittendum esset [1].

52. Judicabat P. Ignatius expedire ut in Inferiori Germania Provincialis constitueretur, cum Coloniae, Lovanii et Tornaci nostri residerent. Jussit autem ut in quolibet horum trium locorum duo vel tres nominarentur, qui idonei ad curam Praepositi Provincialis viderentur, et post Sacrum celebratum et rem Domino commendatam, ut scriberet quisque quem existimaret prae caeteris ad hoc Praepositi munus idoneum; et haec singulorum suffragia, aliis insciis, a quolibet signata, ad se mitti voluit, ut, eorum sententiis visis, statueret P. Ignatius quem deberet aliis praeficere. Exclusit tamen P. Petrum de Ribadeneyra, eo quod Romam esset rediturus [2].

53. Missus fuerat P. Nicolaus de Bobadilla ad reformationem cujusdam ordinis religiosi, Sylvestrinorum nomine [3], qui viginti tria monasteria in ditione Ecclesiae habent; et cum prospero successu officio suo, Deo adjuvante, functus est, quamvis non facile illud munus sit existimatum.

54. Missus fuerat anno praeterito P. Salmeron ad Nuncium Lipomanum ad Poloniae Regem; et magnis cum laboribus Vilnam, Lituaniae caput, pervenerant, ubi curia Regis erat. Sani tamen eo pervenerant, sed non eam faciem rerum in negotio religionis, quam optabant, invenerunt; et fructus admodum exiguus ex opera P. Salmeronis vel cujusvis theologi sperabatur. Et ita visum est Nuncio expedire, ut eumdem P. Salmeronem Romam remitteret, ut Summum Pontificem verbo certiorem de illius regni negotiis faceret [4].

55. Et cum Viennam in reditu pervenissent [5], Auditor Nun-

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 423, n. 913, et t. V, pag. 556, n. 1527.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 448, n. 17; 487, n. 40 atque in annot. 2.ª, pag. 266-267, judicium P. Rivadeneirae de PP. Adriano Adriaenssens et Bernardo Oliverio.

[3] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 437 et 82, 469 et 190.

[4] Vide supra, t. V, pag. 36, n. 66; et pag. 274, nn. 758 et 759. Labores hujus itineris et exiguum aut nullum legationis fructum narrat uberius Polancus, infra, a n. 1478 ad 1513.

[5] Scil., P. Salmeron cum suo socio Giofredo et Auditore Nuncii Lipomani. Vide infra, nn. 1506, 1507.

cii, ex itinere defatigatus, Viennae voluit subsistere; quod cum intellexisset Summus Pontifex, statim eumdem P. Salmeronem pergere Romam versus jussit. Ex litteris tamen ejus satis intellectum est, quod ipse etiam Nuncius Apostolicus nihil nisi facultatem ab eodem Pontifice expectaret ad suum reditum.

56. Venit ergo in Italiam P. Salmeron, quamvis Senis, ex praescripto P. Ignatii, substitit aliquantulum; et suis concionibus afflictam illam civitatem, ex bello valde exhaustam, consolatus est. Et Cardinalis quidem Burgensis [1], qui Regis Philippi nomine Gubernator ejus urbis erat, aliquot menses ibi eum retinere optabat, et ita Summo Pontifici ipsius nomine supplicatum est. Sed non permisit Pontifex, praeferendum esse dicens universale bonum particulari [2]. Cum enim missurus esset duos Legatos ad pacis negotia cum primis Principibus christianorum tractanda, ad Imperatorem et Regem Philippum mittebatur Cardinalis de Motula [3], postea Pisanus nuncupatus; ad Regem Galliae Cardinalis Caraffa [4], Pontificis nepos.

57. Postulavit ergo Summus Pontifex a Patre Ignatio duos theologos ut duos Legatos praedictos comitarentur; et P. Ignatius P. Salmeronem designavit ut priorem Legatum in Belgium, et Doctorem Olavem ut posteriorem in Galliam comitaretur. Et cum nominatio Pontifici placuisset, non permisit P. Salmeronem diutius Senis haerere, nam propediem profecturi erant Legati; et ita Cardinalis de Trana [5], ad quem Burgensis Cardinalis scripserat, eidem significavit Pontificis voluntatem; et P. Ignatius intra triduum vel quatriduum post acceptas litteras Romam proficisci jussit; et ita P. Salmeron, qui anno praecedenti in Germaniam, et inde in Lituaniam, longissimum iter confecerat, ac Romam his ipsis mensibus redierat,

---

[1] Franciscus de Mendoza et Bobadilla, de quo supra fuit sermo t. IV, pag. 139, n. 278; pag. 403, n. 870 ac saepe alias; et infra, n. 61. Plura autem, ubi agetur de Collegio Senensi, suo loco.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 221-225.

[3] Scipio Rebiba, Siculus. Natus 3 Non. Februarii 1504, Vicarius Archiep. Neapolitani Joannis Petri Caraffa (qui postea Paulus IV Pontifex creatus); Episcopus Motulensis, Romae Gubernator, presb. Cardinalis S. Pudentianae, tit. Pastoris, Archiepiscopus Pisanus... Vixit annos 73, obiit 24 Julii 1577. CIACCONIUS. Vide supra, t. V, pag. 175, n. 503.

[4] Carolus Caraffa, qui unus creatus Cardinalis fuit 7 idus Junii 1555.

[5] Joannes Bernardinus Scotti, Ordinis Theatinorum.—Transumptum litterarum Cardinalis Tranensis misit Ignatius Cardinali Burgensi una cum litteris, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 221-223.

vix tempus habens ad respirandum, in Brabantiam cum Legato missus est [1]; et hoc eodem anno cum Legato inde Romam rediit, quamvis inferius quid in hac legatione sit actum referetur [2].

58. Patris Olavii designatio, quamvis non parum placuerat Summo Pontifici, ab eodem nihilominus ejus designatio revocata fuit; nam, cum ageretur Romae de rebus ad reformationem pertinentibus [3] et ejusdem Patris opera ac Patris Laynez in Congregationibus, quae coram Pontifice fiebant, valde probaretur, retinere ipsum Romae maluit quam cum nepote mittere.

59. Eodem tempore, cum Diaeta Augustae celebraretur et ad eam Cardinalis Augustanus [4] missus esset, theologum postulavit idem Pontifex, praedicto Cardinale suggerente; et ad id designatus est P. Canisius; et quamdiu Diaeta duravit, suam operam, ut alibi dicetur [5], praestitit.

60. Sub initium Februarii cum Summus Pontifex, litteris Ferdinandi, Romanorum Regis, admonitus, Patri Ignatio injunxisset ut duodecim ad Collegium Pragense inchoandum mitteret, horum caput designatus est P. Ursmarus Goysonius [6], qui decima die Februarii simul cum P. Cornelio Brogelmans, in Bohemiam etiam mittendo, professionem solemnem quatuor votorum in manibus Patris Laynez emisit. Omnes autem, qui profecturi erant, ad Summum Pontificem, ut benedictionem acciperent, missi sunt, qui praeclara exhortatione eos animavit ut, tamquam oves in medio luporum missi, non solum operam suam, sed, si opus esset, etiam vitam ad Dei honorem et commune bonum exponerent; et viatico accepto, circa medium Februarii Roma profecti sunt, et Viennam primo, deinde Pragam pervenerunt, de quibus inferius suo loco agetur [7].

61. Praeter alios, qui Neapolim missi fuerant, partim ad sacerdotalia, partim ad scholarum ministeria, hoc anno colle-

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 241-244: *Recuerdos en la ida de la corte Flandes*.

[2] Vide infra, n. 85; et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 350, annot. 4.

[3] Vide supra, pag. 9, n. 16 et 17.

[4] Otto Trutchsess von Waldburg. Saepissime de hoc viro superius actum est: vide etiam infra, n. 656.

[5] Inferius, a n. 1707.

[6] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 452-454 et 132-136.

[7] N. 1514 et seq.

gio Senensi initium datum est. Post confectum enim bellum senense, ea urbe ac dominio in potestatem Philippi Regis redacto, cum Gubernator ibidem missus, Dominus, Franciscus de Toledo, mortem obiisset [1], missus est ad hujus dominii administrationem Dominus Franciscus de Mendoza, Cardinalis et Episcopus Burgensis, interim dum Rex alii hanc curam demandabat [2].

62. Ille autem, spirituali consolatione afflictae civitati consulere cupiens, P. Ignatio scripsit, cupere se aliquos suae Societatis operarios, qui partim concionando, praesertim in carceribus et hujusmodi piis locis, partim etiam doctrinam christianam et grammaticam docendo, benemereri de illa civitate juxta Instituti nostri formulam studerent. Et quatuor initio mitti postulabat, quibus ipse et domum, et ecclesiam, et alia necessaria ad victum se prospecturum scripsit. Pater itaque Ignatius, quod hoc opus magnae charitatis esse intelligeret, non solum quod petebat Cardinalis se facturum recepit, sed Patri Salmeroni, qui tunc veniebat ex Polonia, Bononiam litteras misit ut Senis iter haberet, ut concionibus aliquot civitatem illam et Cardinalem consolaretur, ac simul dispiceret quomodo res ad collegium inchoandum essent paratae.

63. Hoc autem, quamvis auctoritatem Societati conciliavit, mittendis tamen statim post Pascha non multum ad benevolentiam et existimationem contulit; cum enim ejus [3] doctrinam et Cardinalis et alii gustassent, aegre admodum tulerunt quod inde tam cito auctoritate Summi Pontificis removeretur; et ita Cardinalis scripsit decimo quinto Aprilis molestissime se tulisse quod avulsus inde fuisset praedictus Pater [4].

64. Quaedam enim ad seipsum pertinentia cum eo tractaturus erat, et ita omnimode expetebat Senas eumdem Patrem Salmeronem remitti; alioqui plus quam mediocres esse oportere alios, qui Senas mitterentur, ut existimationi Societatis satisfacerent, admonuit. Et ejus confessarius, Societati amicissimus, Licentiatus Marchiante, postea Episcopus, scripsit eodem

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 104, n. 284.

[2] Vide supra, n. 56; et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 197-200, praesertim annot. 2.

[3] Scil., Patris Salmeron.

[4] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 221-225.

die, id est, decimo quinto Aprilis, mediocres operarios satisfacere potuisse Cardinali ac civitatis desideriis, si prius ibi non fuisset concionatus P. Salmeron; sed postquam ejus conciones audivissent, paucos futuros esse, dum earum gustus duraret, qui satisfacerent eorum expectationi, affirmabat. Sed eodem die decimo quinto Roma profectus est P. Hieronymus Rubiola cum duobus sociis; scilicet, Petro Regio et Hectore Leonello, quorum uterque humaniores litteras, prior etiam graecas docere poterat [1]; Florentia vero evocatus est alter sacerdos, scilicet P. Dominicus Palancha, Fermensis; qui ad conciones in templo nostris deputato, et in custodia publica, et ad christianam doctrinam et confessiones audiendas, et in hospitalibus ac monasteriis verbum Dei praedicandum, potius quam in templo cathedrali, erant idonei.

65. Cum autem postea Cardinalis litteras P. Ignatius accepit, quibus ad collegium inchoandum similes aliquot Patri Salmeroni mittendos sibi videri scribit, unde non ipsius desiderio satisfactum esse insinuabat; rescripsit P. Ignatius se prorsus missurum non fuisse praedictos quatuor, si has litteras acce pisset [2]. Postea nihilominus, ut res ipsa docuit, quamvis curiosis non ita satisfacerent, non sine egregio fructu in ea Domini vinea nostri versati sunt, ut suo loco dicetur [3].

66. Tertium collegium, hoc anno inchoatum, fuit Ingolstadiense, de quo jam litteris ultro citroque missis actum erat; et demum Bavariae Dux Patri Ignatio scripsit, et quibusdam cum conditionibus collegium ad se mitti postulabat. Offerebat autem ipse domum et hortum cum ecclesia, et octingentos florenos rhenenses [4] annui reditus, et tantum praeterea frumenti, quantum viginti personis sufficeret. Et hic numerus abunde sustentari hujusmodi reditibus poterat. Visum est autem Patri Ignatio cum Duce Bavariae de conditionibus ac pactis agendum non esse, nec Societatem obligandam censuit ad theologiae lectores dandos, quod [cum] Societatis nostrae Constitutio-

---

[1] De his sociis mentio fit in loco nuper citato, pag. 222, annot. 2 et in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 482. Rubiola autem in Hispania natus fuit, quo die et anno incertum: Gandiae Societatem est amplexus: obiit Senis 21 Augusti 1577. Vide ejus elogium apud SACCHINI, *Histor. S. J.* p. IV, lib. VII, n. 20.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag 237-240, 244-245.

[3] Cum scil. agetur de Collegio Senensi, infra, a n. 448.

[4] Vide BRAUNSBERGER, *Epistulae et acta B. P. Petri Canisii*, t. I, pag. 671, annot. 6.

nibus pugnabat (et exemplum hujus particulae Constitutionis ad Henricum, Ducis Secretarium et Collegii promotorem, misit [1]) sed praestaturum se ea, quae Dux petebat, libere, scripsit [2]. Nec etiam Societatem a Duce obligationem ullam requirere, nisi quae ipsimet placeret. Sperare se tamen scripsit, fructu Collegii perspecto, libenter quae ad stabiliendum Collegium pertinerent, Principem esse facturum; nolle se in Societatem hanc consuetudinem inducere, collegia cum pactis aut obligationibus admittendi, quod nec cum Rege Romanorum nec cum alio Principe aut fundatore alicujus collegii factum fuerat. Considerari quidem fundatorum intentionem, ut ei se Societas accommodet, sed nos nolle obligare ad ea ministeria, quae gratis, propter solum Christi amorem, exercere volumus, quamvis sustentatio nostris necessaria admittatur; et quia Societas libertatem retinere vult ut, si fructum divini obsequii ex aliquo loco non capiat, suum ministerium in alium transferat.

67. Fundatores etiam, licet reditus perpetuos relinquant (praesertim si sint Principes), si videant id non observari, quod in fundationibus intendebant ipsi aut eorum antecessores, facile posse dissolvere quod ab eis institutum fuerat. Et has causas addidit, propter quas nollet cum pactis ullis Collegium admittere. Obtulit autem se eos missurum, quos Princeps expetebat, scilicet, duos doctores theologiae, et linguarum magistros, qui scholasticis juvandis in litteris ac moribus vacarent, inter quos etiam concionator futurus erat.

68. Mense ergo Januario hujus anni haec scripsit P. Ignatius praedicto Henrico; nam Duci breviter responsum est. Et addidit, si ecclesia nostris non daretur libera ad sacramenta ministranda et verbum Dei proponendum, minorem fructum

---

[1] Colligitur ex his ad Henricum Schweicker, Ducis Bavariae Secretarium, missam fuisse cum litteris, quas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 443-445 et pag. 103-107, particulam, quae continetur in *Const. Soc. Jes.*, part. IV, cap. 7, § ult. et E., ubi agitur de obligationibus, quae in fundatione Collegiorum suscipi non debent. Verum ad ipsum Henricum, una cum Ignatii ad Bavariae Ducem litteris (*Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 441-443 et pag. 99-103) missum est, ut Duci exhiberetur, transumptum capitis primi quartae partis earumdem *Constitutionum*, quod est *De memoria habenda Fundatorum et bene de Collegiis meritorum* Id enim expresse asseritur in *Historia* ms. *Collegii Ingolstadiensis*, ubi, post exemplum litterarum Ignatii ad Ducem, habetur illius capitis transumptum, sic superscriptum: *Puncta, quatenus obligetur Societas Jesu fundatoribus ac benefactoribus suis, etiam absque ullo pacto et stipulatione.— Transmissa una cum litteris Rdi. Patris Ignatii, Generalis, 20. Jan.i a. 1556.*

[2] Nimirum, praestaturum se libere quod Dux petebat.

ex nostrorum laboribus sperandum esse; quod enim offerebatur templum, scholis publicis commune nobiscum futurum erat.

69. Adjecit etiam non idoneos futuros esse auditores theologiae, nisi prius in philosophicis exercitati essent; et ideo rationem esse habendam tam praeceptorum quam scholasticorum, qui liberalibus artibus darent operam.

70. Placuit Duci Bavariae haec Patris Ignatii liberalitas, et sic collegium amplexus est, prout ipse proponebat. Misit etiam viaticum, et arbitrio Patris Ignatii reliquit ut vel ante majores aestus collegium mitteret, vel post finem aestatis [1]; sed P. Ignatius sub initium aestatis potius mittendos esse nostros censuit, et octodecim elegit Romae, quibus in Germania aliqui coadjutores erant adjungendi.

71. Rectorem autem constituit Patrem Thomam, noviomagensem [2], qui theologus quidem erat, sed non theologiam docturus. Professores autem hujus facultatis duo missi sunt; Dr. scilicet Joannes Coviglion, et Dr. Hermannus Tyreus [3] in Romano Collegio promotus: et simul cum eo sex alii, quamvis non ituri in Germaniam, ad magisterium philosophiae promoti fuerunt, inter quos fuerunt Patres Benedictus Palmius, et Benedictus Perera [4], et P. Paulus Offaeus [5], ac Hurtadus [6]. Alii etiam, humaniorum litterarum in tribus linguis professores futuri, electi sunt [7].

72. Properavit autem ad hos mittendos P. Ignatius, tum ut Duci ea in re gratificaretur, tum ut quidam rumores sinistri, qui post Augustanam Diaetam Romae increbuerant inter homines non vulgares, contrario veritatis experimento sopiren-

---

1 Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 627.

2 Magister Thomas Lentulus, noviomagensis, ex Gueldria.

3 Saepius scribitur *Thyraeus*, ex germanico vel flandrico *Dorkens*, ut habet HANSEN, *Rheinische Akten*, pag. 205, annot. 2.

4 Saepius et rectius *Pereira*.

5 Semper fere *Hoffaeus*.

6 Hurtadus Perez, hispanus.

7 Vide in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 497 et 293, Catalogum *eorum, quos Ingolstadium mittendos decernebat R. P. Ignatius de Societate Jesu*, ubi singulorum non solum nomina, sed et dotes, et eruditio, etc., describuntur. Vide etiam AGRICOLA, *Historia Provinciae Germaniae Superioris Societatis Jesu*, Dec. II, n. 26; VERDIÈRE, *Histoire de l' Université d' Ingolstadt*, t. I, pag. 303; et PACHTLER, *Monumenta Germanie Pedagogica*, vol. II, *Ratio studiorum, etc.*, t. I, pag. 349.

tur, dum evocari a Principe Bavariae collegium viderent [1]. Deducti fuerunt ad Summum Pontificem, qui larga benedictione Apostolica eos prosecutus est; et multa percunctatus de his, qui mittebantur, et paternas exhortationes adhibens, demum viaticum eis dari jussit. Sed responsum ipsi fuit nullo alio viatico quam ipsius benedictione opus habere, nam de pecuniario jam Dux Bavariae proviserat.

73. Multum laetitiae et aedificationis cum omnibus circumstantibus ostendit, quemadmodum et aliqui ex primoribus Cardinalibus, quos illi ante recessum salutaverunt; et ita nona die Junii, partim pedites, partim equites, itineri se dederunt; nam trecentos aureos in viaticum miserat, ex quibus aliquot equi adhibiti fuerunt pro more, quo tunc Societas utebatur, ita [ut] per vices equitare possent, et in equis sarcinae deferrentur.

74. Quartum collegium, scilicet Amerinum, hoc etiam anno inchoatum est. Missus fuerat P. Michaël Botellus [2] valetudinis gratia Ameriam et, conciones aliquas habens, populum illum vehementer inflammavit; et ita amicus Societatis, Dominus Doimus Nascius [3], facultatem a P. Ignatio postulavit ad quamdam ecclesiam et domum accipiendam, ubi collegium institueretur [4], quod hujus Romani quasi membrum esset, sine ulla obligatione: et ita res transacta fuit. Et tamen succedente paulo post migratione P. Ignatii, duo tantum ex nostris Ameriae hoc anno versati sunt.

75. Quamvis aliqui ex nostris jam multos annos [Coloniae] residerent, nullus tamen ex nostris publice docebat, nec in locis celebrioribus concionabatur. Optabat autem P. Gerardus, Prior Carthusiae, et Dr. Groperus [5] Collegium institui Coloniae more aliorum collegiorum Societatis, cui de domo et

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 493-512 et 287-318, ubi non modo consilia Sancti Parentis de properata horum sodalium missione explicata invenies (suspicabantur enim nonnulli haereticis Ducem favere, sed etiam illius *Instructionem* sive documenta ad communem utilitatem ex Collegio promovendam.—De Pontificis autem sollicitudine, ne lutheranis nimium Dux Bavariae faveret, vide RAYNALDI, l. c., ann. 1556, a n. XIX ad XXI.

[2] Botellus, Botteglius, Botelho, scriptum reperitur. Gratus hic auditoribus concionator: factus est Sacerdos anno 1554. Vide supra, t. IV, pag. 211, n. 470, et infra, n. 193 et seqq.

[3] Vide supra, t. V, pag 43, n. 81; et infra, ubi agitur de Collegio Amerino, a n. 193.

[4] Clausula haec adjecta est orae paginae ab ipsomet Polanco.

[5] Erant hi Societatis amicissimi, ut videre est in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 218, annot. 4. Eorum laudes cumulatissime prosequitur Polancus infra, a n. 1780.

de reditibus se velle prospicere affirmabant; et aliquos a P. Ignatio mitti, qui publice docerent et concionarentur, postulabant.

76. Quamvis autem constituerat P. Ignatius collegium non admittere, ubi quatuordecim vel quindecim ali non possent [1], dispensandum tamen in gratiam civitatis coloniensis et horum amicorum existimavit; et prout promiserat, ita undecima die Maji quatuor ex nostris Coloniam destinavit, quorum unus erat Pater Henricus Dionysius, qui concionatoris munere ubique fungi egregie poterat, et magistros Franciscum Costerum, qui aliquid ex sacra theologia, et Mag. Joannem Rezium, qui et concionari et humaniores ac philosophicas etiam litteras docere potuit. Quartus fuit Henricus Dionantensis ad humaniores litteras docendas idoneus, quibus additus est quintus, Gullielmus, Cameracum progressurus. Vienna etiam Mag. Joachimum et alios quosdam mitti voluit, ut, si collegium cum scholis praeparatum esset, nostrae juventutis instituendae curam a primis rudimentis grammatices usque ad superiores facultates susciperent. Et hoc initium scholis coloniensibus datum est [2].

77. Cum anno superiori Billomum missi essent Pater Hieronymus Bassius cum P. Petro Chanali ut cum P. Roberto Claysonio conjungerentur [3], oblata fuit nostris Universitas ejus urbis; et Episcopus Claramontanus quatuor vel quinque praeceptores a P. Ignatio per litteras postulavit; et tamen collegii dotationem ad duodecim tantum ex nostris tunc pollicebatur [4]. Ut autem aedificio collegii, quod a fundamentis extruere volebat, praeesset, Patrem Baptistam Violaeum, ipsi Parisiis familiariter notum, remitti in Galliam postulabat.

---

[1] Vide supra, t. III, IV et V passim; praesertim vero t. III, pag. 78, n. 145; et t. VI, pag. 386, n. 831.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 477, et annot. 2 ad pag. 217, ubi de Henrico Denys, Francisco Coster et Joanne Reid vel Reit est sermo.—Quartus magister, qui hic Henricus dicitur Dionantensis, vocatur infra, n. 1786, Henricus Formalius. Est autem Henricus Somalius, nondum sacerdos, natus in urbe Dinant (vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 551).—De Gullielmo, qui hic quinto loco nominatur, infra nulla fit mentio; sed pro eo alius, Franciscus Emerulus, inducitur Vienna missus: vide n. 1791, et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 615.—Joachimum, quem nos sequentes P. DELPLACE, *(L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas*, p. 3*) cognomine *Christiaens* appellavimus et Brugensem fecimus, appellat HANSEN (l. c., pag. 206) Anthonium, Antonii, Ultrajectensem.

[3] Vide supra, t. V, pag. 346, n. 935.

[4] Vide supra, t. V, pag. 348, n. 941; et *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 589, ubi Episcopi Claramontani litterae ad Sanctum Ignatium reperiuntur.

78. Optabat quidem P. Ignatius lucem majorem habere, ex quibus facultatibus ea Universitas constaret, et ad quas lectiones nostros teneri vellet, et alia quaedam. Voluit nihilominus Episcopo gratificari; quamvis significavit, nisi augeretur dotatio, fieri posse ut successores [1] aegre ferrent Billomi Societatem nostram tam grave onus sustinere, nisi plures ibidem scholastici ali possent, ex quibus et praeceptores assumi et operarii etiam per dioecesim egredi ad juvandum commune bonum possent.

79. Confecerant instrumentum Episcopus et Canonici de Universitate praedicta nostris tradenda, et ad festum divi Joannis, pro more ejus Universitatis, lectiones erant inchoandae; et ita duodecima die Maji Roma missi fuerunt P. Nicolaus Paredensis, Mag. Leonardus Maserus et Mag. Ludovicus Gierardinus, ad graecas et latinas litteras et rhetoricam docendam idonei. Quartus etiam adjunctus est, Lambertus Leodiensis, ut in inferiori aliqua classe doceret. Et Parmam versus missi sunt ut ibi Patri Baptistae Violaeo occurrerent, a quo Billomum deducti sunt. Suadebat nihilominus Pater Ignatius ut prius auditores in humanioribus litteris bene informarentur, quam ad philosophiae cursum praelegendum ascenderent [2].

80. Meldulam etiam, Domini Leonelli [3] oppidum, P. Fulvius Androtius cum alio socio in gratiam Cardinalis Carpensis, protectoris, missus fuit; et ibidem collegium aliquod inchoari tam pater Leonellus quam filius Cardinalis optabat; et quamvis id factum non fuerit, mirum tamen in modum et illi et populus illorum, opera duorum praedictorum, aedificati sunt, et forte inferius aliquid dicetur [4]. Et quamvis hi et alii complures Roma hoc anno missi fuerint, nihilominus centum et sexaginta plus minus ex nostris Romae manebant; et tam multi admittebantur ut aliquo mense supra viginti numerarentur admissi; et totidem aut plures urgebant ut admitterentur ex variis Italiae locis.

---

[1] Scil., Ignatii.

[2] Vide infra, n. 2127.

[3] De D.no Leonello Pio de Carpi, viro clarissimo, patre Cardinalis Rodulphi Pii, vide supra, t. II, pag. 21, n. 36, annot. 1; et pag. 57, n. 127.—De ejus autem filio Cardinale, Societatis protectore, tum in *Chronico* tum in *Cartas de San Ignacio* mentio saepe facta est.

[4] Vide a n. 224.

81. In Sicilia in urbe Catana, quae studiorum Universitatem habet, hoc anno collegium admissum est, et tamen nullus in illud missus fuit ex Urbe; sed ex ipsa Provincia Siciliae aliqui eo destinati fuerunt, cum Episcopus et civitas domum, ecclesiam et reditus offerrent [1].

82. Multo plura collegia quam quae admissa diximus, hoc anno vel dilata vel non admissa sunt. Hujusmodi fuit unum Anconae, alterum Maceratae, tertium Aretii in Etruria, in quo ad consuetum eo tempore numerum quatuordecim vel quindecim pervenissent, si ibi admitti debere visum esset. Quartum Asculi, quae civitas satis magna in confinibus Regni Neapolis et ditionis Ecclesiae sita est, et propter seditiones civiles hoc auxilio magnopere egere videbatur. Quintum Brixiae Dominus Abbas Martinengus, qui apud Romanorum Regem nuncius fuerat, applicata sua abbatia, quae duo millia ducatorum annuis reditibus valebat, erigere volebat [2]. Sextum Genuae apud Carignanum familia Saulorum [3]. De septimo, Avenione, Cardinalis Fernesius agebat, quo etiam hoc anno duo vel tres destinati sunt [4]. De octavo Archiepiscopus Ragusiae [5]. De nono Noviomagenses in Geldria [6]. Ut omittam aliud, de quo Madridii erigendo ac dotando Dominus Didacus Lasso de Castilla serio agebat [7]. Et prope Urbem, id est, Narnii civitas, quodam ex nostris concionante, aliud expetebat [8]: et varia loca, ex quibus unum Societas eligeret, offerebat. Sed partim decretum illud de non admittendis collegiis, ubi minimum quatuordecim vel quinlecim ali non possent [9], partim penuria operariorum, nos ab hujusmodi postulationibus excusabat [10].

83. Cum facultas a Provinciali Siciliae postulata esset ad

---

1 Vide infra, n. 1357.

2 Vide supra, t. III, pag. 239, n. 535 et t. V, pag. 44, n. 83.

3 Vide supra, t. V, pag. 118, n. 328.

4 Vide *ibid.*, pag. 349 et seqq.—Verba autem "quo etiam hoc anno duo vel tres destinati sunt„ ad oram paginae Polancus apposuit.

5 *Ibid.*, pag. 91, n. 245.

6 *Ibid.*, pag. 288, n. 787.

7 Vide supra, praesertim t. V, pag. 23, annot. 2, ad n. 35, ubi erratum est, dum hic Regis Romanorum Legatus appellatur Didacus Lasso de *la Vega*. Matriti etiam Collegium institui in suis domibus volebat Dnus. Gutierre Vargas de Carvajal, Placentinus Episcopus Vide *ibid.*, pag. 483, n. 1313.

8 Vide infra, n. 207.

9 Vide supra, pag. 29, n. 76.

10 Quae praecedentibus nn. 81 et 82 continentur, omnia manu propria inscruit Polancus.

vespertinum officium Messanae decantandum, prout Romae coeptum fuerat [1], et etiam Hebdomadae Sanctae, concessum ipsi non est, quod nondum constitutum esset in quo numero collegialium officia hujusmodi sic decantanda permitterentur [2].

84. Postquam Collegium Ingolstadiense missum est, litteras patentes accepit P. Petrus Canisius, quibus Provincialis Praepositus Superioris Germaniae instituebatur [3]. Prius quidem officium sine nomine commissum ei fuerat [4]. Sed postquam tria collegia, Viennense scilicet, Pragense et Ingolstadiense instituta fuerunt, titulus etiam et plena auctoritas addita fuit. Et si quae alia collegia in eisdem Provinciis Austriae, Bohemiae, Bavariae et aliis Superioris Germaniae instituerentur, sub eadem Provincia idem Pater [5] esse voluit.

85. In Inferiori etiam Germania Provinciam constituendam esse idem Pater decreverat, et ad id suffragia Patrum, qui Lovanii, Tornaci et Coloniae versabantur, habere voluerat [6]. Et cum Pater Salmeron in Flandriam cum Legato Apostolico proficisceretur [7], commisit eidem Pater Ignatius ut Praepositum Provincialem ibi Patrem Bernardum Oliverium constitueret; quamvis enim tantum trium votorum emiserat professionem [8], jusserat idem P. Ignatius ut quatuor votorum professionem emitteret. Sed cum propere ex Belgio P. Salmeron cum eodem Legato rediisset, misit litteras, quibus declarabat Provincialem P. Bernardum; nam eo etiam propendebat Patrum illorum, qui in Belgio erant, sententia; et ita litterae illi tamquam Provinciali scribi coeperunt [9].

86. Placuit tamen divinae Bonitati ut, antequam declararetur, vitam hanc cum aeterna commutaverit [10]; et ita scriptum est Patri Ribadeneirae, in cujus manus litterae P. Salmeronis devenerant, ut ipsius electionem in Provincialem honestas ob

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 33, n. 58.

[2] Meminisse oportet ad hoc officium Romae decantandum collegiales, praecipue ex Germanico, fuisse ab Ignatio adhibitos. Vide supra, pag. 8, n. 15.

[3] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 492.

[4] Vide supra, t. v, pag. 224, annot. 1 ad n. 649.

[5] Scil., Ignatius.

[6] Vide supra, pag. 21, n. 52, et *Cartas de San Ignacio*, t. v et VI.

[7] Vide supra, pag. 22, n. 56.

[8] Vide supra, t. III, pag. 367, n. 806.

[9] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 266.

[10] Tornaci, "XI Kal. Septembris Bernardus Oliverius ereptus est.„ ORLANDINI *Histor. Societ.* p. I, lib. XVI, n. 35, ubi ejus virtutes celebrantur.

causas publicaret. Et ita Provincia quidem illa Inferioris Germaniae instituta est, sed Provincialem nullum habuit.

87. Cum Summo Pontifici per Cardinalem Moronum propositum esset ut applicaret auctoritate Apostolica Monasterium Oybiniense in Bohemia Collegio nostro Pragensi, prout Romanorum Rex destinaverat, libenter id fecit et suam addidit benedictionem. Litterae autem Apostolicae non fuerunt expeditae, quod illis in locis parum necessariae viderentur; erat enim Monasterium in provinciis haereticorum, apud quos regia auctoritas efficacior quam Apostolica videbatur [1].

88. Hoc anno in Collegio nostro prelum cum typis necessariis ad librorum impressionem institui coeptum est [2].

89. Quo tempore in Galliam Cardinalis Caraffa mittebatur, et in Belgium Cardinalis de Motula, nostris id petentibus, Summus Pontifex utrique collegia Societatis commendanda recepit. Et Pater quidem Salmeron quae cum Imperatore et Rege Philippo tractanda erant, Polae autem Episcopus [3] quae cum Rege Galliae suo loco et tempore suggerenda et urgenda ceperunt, et nominatim de decreto Parisiensis Universitatis [4], vel novo edendo, agendum erat; et ipsemet Legatus Caraffa suam ad id operam et cum Rege et cum aliis perlibenter obtulit.

90. Obtulerat etiam suam Cardinalis Lotharingius: nihil tamen theologica facultas innovavit; maluerunt fortassis ut oblivione res sopiretur, quam, quod semel decreverant, revocare, quamvis sapientium sit suo loco et tempore mutare consilium, cum praesertim vera facti informatio intelligitur.

91. Quod P. Ignatius cum Duce Bavariae fecerat, ut [5] cum aliis fundatoribus fieret, exempla litterarum illarum [6] ad P. Franciscum Borgiam transmisit, ut cum obligationibus fundationes non admitterentur; sed ipsi fundatores animi sui propo-

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 519; et in hoc *Chronico*, t. IV, pag. 265, n. 570.

[2] De hac Romani Collegii typographia, quae prima, ut videtur, fuit in tota Societate, dabit plura *Nova series litterarum Sancti Ignatii*. Alia paulo post in Viennensi Collegio instituta fuit. Vide SOMMERVOGEL, *Les Jésuites de Rome et de Vienne en MDLXI*.

[3] Antonius Elio, qui in comitatu erat Cardinalis Carafa.

[4] Sic; at videntur hic sequentia aut his similia verba desiderari: *vel revocando* Vide n. sequentem.

[5] Ms. habet *quod*.

[6] Illarum, scil., quarum meminimus supra, pag. 26, annot. 1 ad n. 66.

situm ac intentionem declararent, quae in scriptis retineretur in ipsorum collegiis, ne illa exequi obliviscerentur; quamvis ad id non se obligarent ulla stipulatione, ad quod nostri Instituti et Constitutionum obligatio ac gratitudinis et charitatis sufficeret [1].

92. Eidem autem Patri Francisco, quem intellexerat asperius quam par esset corpus suum castigare, serio injunxit ut [ab] hujusmodi laboribus ac poenitentiae functionibus abstineret, quae corpus debilitare et ad [2] Dei majus obsequium impedire possent [3].

---

[1] Infra, suo loco, nn. 2757, 2815 et 2816, videbimus quas prudens haec Sti. Ignatii sententia difficultates experta in Hispania est.

[2] Sic in ms., nec sensui officit hoc *ad;* rectius tamen, ut nobis quidem videtur, omitteretur.

[3] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 64.

DE PATRIS IGNATII OBITU [1]

93. Cum jam pridem satis afflicta corporis valetudine P. Ignatius uteretur, initio tamen hujus anni prae solito debilis fuit, et stomachi sui doloribus vexatus; quamvis ultimis mensibus deprehensum sit quod ejus aegritudo non ex stomacho sed ex jecore proveniebat, et ita triginta annos et amplius curationem morbo contrariam medici adhibuerant, et qui stomachum multis rebus interius et exterius admotis calefacere nitebantur, in extrema vitae parte animadverterunt contrario modo faciendum fuisse; et ita thorace simplicissimo et aquae frigidae potu interdum utebatur, ac meliuscule habebat [2].

94. Undecima die Junii non bene habere coepit; et mense Julio, simul cum stomachi molestia, febris aliquid in eo deprehendebatur; et cum non posset negotiis gubernationis propter adversam valetudinem vacare (quamvis nullo modo sibi parceret, si vel tantillum virium a prandio vel quovis tempore experiretur) integram suam potestatem Secretario Societatis [3] simul cum P. Madridio [4] dedit, ne quid detrimenti propter ipsius languorem Societas pateretur, quamvis in Hispaniam hoc ipso anno satis plenam miserat Patri Commissario facultatem [5], nec revocaverat quam Patri Natali anno superiori dederat [6], sed, dum esset in Hispania, honestas ob causas suspenderat.

95. Recessit autem in domum (quam in Aventino conficien-

---

[1] Hic ab ipso Polanci librario scriptum fuerat *et aliorum quorumdam;* sed linea, quam manus certo antiqua superduxit, deletum est.

[2] Vide Luis Gonçales da Camara, *Algũas cousas que o P. Luis Gonzalez notou na vida de nosso Padre Ignacio*, n. 4, paragrapho, quae incipit *Obedecia N. P. aos medicos;* et Bartoli, *Della Vita di S. Ignazio*, lib. IV, § 6.

[3] Erat is ipse auctor hujus *Chronici*, P. Joannes de Polanco.

[4] Christophoro de Madrid.

[5] Vide supra, pag. 20, n. 48.

[6] Vide supra, t. V, pag. 30, n. 53.

dam, Collegio donatam, curaverat [1]). Admonitus tamen fuit aërem illum aestivo tempore insalubrem esse, domus etiam muros non plene exsiccatos esse, quod facile illi sentiebant, qui exterius cubiculum clausum ingrediebantur. Quamvis autem ipse vitae temporalis amator non esset, immo magnis desideriis ad aeternam continuo aspiraret, placuit ei tamen quod medicus consuleretur, et Dr. Alexander de Civita [2] in domum illam veniens, omnibus perlustratis, permittendum censuit Patri Ignatio ut ibidem maneret, cum ea solitudine eum delectari videret; sed cum in dies debilior redderetur, Romam ad Domum nostram rediit: et quamvis debilis erat nec liber omnino a febri videbatur, die trigesima Julii post meridiem, mortem sibi vicinam admodum sentiens, Secretarium praedictum ad se vocavit, et sine arbitris [3] ei dixit se ad extremum hujus peregrinationis diem accedere, et injunxit ut Summum Pontificem statim adiret et ab eo benedictionem suo nomine peteret et indulgentiam, ut cui ex hac vita brevi migrandum esset, addens Societatis nostrae commendationem; et si a Domino, ut sperabat, ad eum locum deduceretur, in quo possent ipsius orationes aliquid apud divinam pietatem, se, quod in hac vita fecerat, pro ipso Pontifice impensius facturum.

96. Tum Secretarius, qui saepissime in simili statu jam a multis annis sibi videbatur P. Ignatium vidisse: "Tam malene, inquit, Pater, te habes ut migrationem ex hac vita vicinam sentias?„ Nam meliora de ipsius valetudine sperabat. Tunc aperte dixit P. Ignatius parum sibi admodum deesse ad ultimum spiritum emittendum; et addidit ut a Summo Pontifice etiam pro alio ex nostris similem benedictionem et indulgentiam peteret.

97. Laborabat enim in extremis eodem tempore P. Laynez, et post biduum Extremae Unctionis sacramentum ipsi ministratum est; et ita Secretarius existimabat de illo P. Igna-

---

1 "nella vigna, di cui avea poco prima proveduto il Collegio, dentro il ricinto delle mura, fra le Terme Antoniane e S. Balbina.„ BARTOLI, l. c., lib. IV, § 81.

2 "Alexander Petronius, vir praestans et scientia medendi clarissimus.„ ORLANDINI, *Historiae Soc. Jesu*, p. I, lib. XVI, n. 95.—Cur autem hic appelletur de Civita *(de Civitâ)* ignoramus; forte quia oriundus erat e Civitate Castellana *(Civitâ Castellana)*, vel alia simili, ex his, quae italice nomen *Civitâ* praefixum ferunt.

3 "y haciendo salir de la cámara al enfermero (H. Juan Tomás Cannicari).„ Ipse Polancus litteris ad P. Petrum de Rivadeneira 6.ª Aug. datis. *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 262.

tium loqui; et quia humana quadam consideratione prius medici sententiam Secretarius intelligere cupiebat quam ad Pontificem iret, dixit Patri Ignatio: "licebitne, Pater, in diem crastinum differre aditum ad Summum Pontificem?„ Respondit: "facito ut voles.„

98. Tunc praeter Doctorem Torrensem, medicum nostrae Societatis [1], accersitus fuit Dr. Alexander, et illi significatum est quod P. Ignatius dixerat, et rogavit eum Secretarius ut diligenter videret statum P. Ignatii; et si ipsum periclitari animadverteret, se admoneret ut statim ad Pontificem iret.

99. Ingressus ergo Alexander nihil, unde mortem vicinam conjicere posset, in eo deprehendit; et ita Secretario retulit nihil se posse de imminenti periculo dicere; sed postridie se venturum, et melius perspecturum ac certius significaturum quid de ipsius periculo sentiret.

100. Sic ergo sub vesperam more solito coram familiaribus coenavit; et inter caetera de domo, quam emptam diximus a D.na Julia Columna in usum Collegii [2], aliqua percunctatus est; et relictis apud eum ministris, qui soliti erant ipsius necessitatibus inservire, nihil magnopere timentes, caeteri recesserunt; immo et illi ipsi ministri, cum nihil in P. Ignatio peculiare observarent, quieverunt.

101. Mane autem sub auroram cum aliquis ad P. Ignatium pro more ingrederetur, ipsum animam jam agentem quietissime observat.

102. Accurrunt alii, ut, si quid possunt, subveniant. Secretarius autem serius credens, quam par erat, verbis P. Ignatii, properavit ad Summum Pontificem, qui cum magna et dilectionis et interioris sensus significatione benedictionem Apostolicam et indulgentiam plenariam ei est impertitus. Sed antequam rediens Secretarius ad ipsum P. Ignatium perveniret, ad Dominum ipse emigraverat; et credendum est sanctum illum senem, qui multo melius quam medici a Deo mortem sibi tamdiu exoptatam adesse intellexerat, ea nocte tota, qua neminem

---

[1] Erat P. Balthasar de Torres, qui "in medicina, philosophia et mathematicis magnam existimationem„ ante ingressum in Societatem "nactus fuerat et litterarum graecarum erat etiam peritus„. Supra, t. III, pag. 219, n. 478.—Ab Orlandino autem loc. cit., n. 97, dicitur *medicus domus ordinarius*.

[2] Vide supra, pag. 11, n. 32.

ut sibi adesset, evocavit, cum Domino, ad quem summis desideriis aspirabat, transigere voluisse [1].

103. Et observatione dignum est quod nec voluit Vicarium

[1] Vide etiam in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 360-367, epistolam P. Polanci ad P. Rivadeneiram in qua narratur obitus Sancti Parentis.—Quoniam vero de hac re agitur, juvat supra dictis intexere responsa quaedam ad ea quae P. Nicolaus Lancicius a Fratre Thoma Cannicaro, beati Patris infirmario, quaesierat. Habentur in *Acta Sanctorum* ad 31 Julii et sunt hujusmodi:

"Quaerit Lancicius: 5.° An recordatur, a quo communionem acceperit et qua hora: et an eam acceperit intra lectum vel extra, flexis genibus: et an recordatur actionis alicujus ab eo factae, quae non extet in Rivadeneira?—Respondet Cannicarus: *Non recordor.*—Communicasse Sanctum Corpori Domini die 28 Julii cum constat ex Rivadeneira, lib. IV, cap. 16, tum scribit Orlandinus lib. XVI, n. 96 his verbis: Tertio Kalend. Sextiles, cum biduo ante divinissimum Eucharistiae Sacramentum suscepisset... accersit secreto Polancum jubens sibi benedictionem a Pontifice postulari etc...„

Idem Cannicarus in epistola ad P. Ludovicum Maselli, Assistentem Societatis, quam italico scriptam sermone viderant Bollandiani, haec habet:

"Dicebant medici quod fuerit mortuus [Ignatius] cum maligna febri: et ego ipsi serviens ista nocte, ad usque mediam ejusdem partem, audivi ipsum agere ac sermocinari, prout solebat magna ex parte suae infirmitatis. Post mediam noctem videbatur mihi quievisse, non vocans me adeo frequenter, sicut solebat; tametsi frequenter invocaret Dominum in suum adjutorium: *Ay Dios;* i. e. *ah! Deus.*„

Interrogarat P. Masellus de communione Sancti Ignatii, et respondet Cannicarus: "Non recordor an acceperit Sanctissimum Sacramentum communionis in forma Viatici: Extremam unctionem non accepit.—Sacramentum Eucharistiae si non acceperit, eo mihi persuadeo factum fuerit, quia proxime antea communicaverat, et quia ejus infirmitas non judicabatur adeo periculosa, ut necessitas postularet tale ei dari Sacramentum. Quod spectat ad oleum sacrum, exiguo temporis spatio antequam expirasset, dum adessent duo medici saeculares et tres e nostra Societate etiam medici, qui opportune advenerant, ut eum viserent, non noverant ipsum morti proximum esse. Invenerunt eum quidem, explorato arteriae pulsu, valde debilem; atque ad restaurandas vires, habui ego in mandatis, ut igne coquerem edulium duobus ovis recentibus intritum. Dumque illud ad ignem apparando occuparer, doctor Madridius intrabat cubiculum beati Patris, eumque tangens, videbat, quod jam jam e vita esset transiturus; ac me accedens jussit, ut, relictis ad ignem rebus, accerserem P. Petrum Rieram, praefectum templi, ut statim ad se veniret. Ego autem ista imperata faciens omni cum festinatione, non invento P. Riera, redii, ut responsum darem; ac comperi beatum Patrem nostrum expirasse, et intellexi, postquam expiraverat, P. Rieram ista cum festinatione petitum fuisse, ut eum inungeret oleo sancto.„

Non absre erit superioribus innectere quae Rivadeneira, epistola Matriti data III Augusti 1605, scripserat P. Bartholomaeo Perez, Assistenti nostrae Societatis. "Quaesierat ex Rivadeneira Perezius quomodo beatus Pater noster sciens se mori non rogaverit extremam Unctionem; et ab eo petierat, dari sibi istius rei rationem. Rivadeneira itaque, exposita infirmitatis ac mortis sancti Patris historia, quae et ex ipso Rivadeneira lib IV, cap. 16 et ex Polanci epistola nota est, duo deducit: primum, apparere valde probabile quod Sanctus Pater noster sciverit aut revelationem habuerit mortis suae: et ideo miserit qui peteret benedictionem a Sua Sanctitate, adeo determinate et affirmate; nam idem Sanctus summa praeditus erat prudentia, circumspectus item nec praeceps insuper in agendo cum Summo Pontifice: quod eadem de causa confessus fuerit et communicarit, armans sese sanctis sacramentis poenitentiae et altaris, et faciens ex sua parte quidquid facere poterat sine ostentatione revelationis, quam habebat.

Secundum, quod inde deducit est, quod infirmitas non esset periculosa, quodque cum aliquis ex iis eam flocci penderet, permiserit res currere sicut medicis videbatur; quia alioqui vel dicere debebat, quod medici non scirent quid dicerent; vel quod ipse haberet revelationem rei, quae debebat accidere. Id quod valde alienum erat ab ejus prudentia et ab ejus humilitate, quam salvam conservare non potuisset petendo viaticum

nominare, quod juxta Constitutiones ipsi permittebatur [1], nec cum mortem praesciret, alii quam Secretario ad praedictum effectum manifestaverit, nec socios alloqui, aut exhortari, aut eis benedicere aut quidquam insigne apud eos agere voluit, prout [ab] aliarum religionum fundatoribus factum sancte legimus: humilis enim Dei servus nihil sibi tribuebat, nec ab aliis tribui volebat, sed Christo, juxta Societatis nomen, omnia tribui, a quo et accepta erant; et ei soli, non cuiquam hominum, Societatis confidentiam inniti.

104. Sed quo minus ipse sibi arrogabat, eo magis divina Bonitas eum extollebat, et aliqua ipsi videre concessit, quae aliis religionum fundatoribus nescio an sint tam ample concessa.

105. Primum fuit Societatem Apostolica auctoritate non solum institutam et approbatam, sed a pluribus etiam Pontificibus confirmatam.

106. Secundum, quod eamdem Societatem amplissimis privilegiis, gratiis et facultatibus tam ad singulorum bonum quam ad communem utilitatem instructam et ornatam, ut patet ex Litteris Apostolicis, reliquit.

107. Tertium, quod Constitutiones magno spiritu et prudentia; Regulas item et officia ad rectam Societatis administrationem et variorum in ea officiorum exequutionem confecit; et ipsemet suas leges publicari et observari vidit, quamvis ultimam manum imponendam primae Congregationi generali reliquit [2].

108. Quartum, quod multos Instituti sui sectatores [reliquit] ex variis nationibus [3]; et quidem inter eos non paucos, qui nobilitate, aut doctrina, aut prudentia, et multo plures, qui virtute et aliis praeclaris Dei donis insignes erant: quamvis ad hoc usque tempus non multi ad professionem solemnem qua-

---

aut extremam Unctionem in hisce rerum adjunctis, et significando plus sese scire de sua infirmitate ac fine ejus quam medicos: sicut postmodum patuit ex eventu. Atque haec quidem vere ac conformiter admodum sanctitati, circumspectioni ac prudentiae Sancti Patris nostri in casu proposito dici posse censet Rivadeneira: cum egerit, quidquid potuit, ut suae obligationi ac devotioni faceret satis, sine detrimento suae humilitatis; et permiserit, ut medici (quorum hoc erat officium) judicium ferrent de sua infirmitate, et ut fieret id, quod illis videbatur.„ *Acta Sanctorum,* mense Jul. t. VII, part. II, Comm. praev. § L et LI.

[1] *Const. Soc. Jes.,* P. VIII, cap. IV, n. 1, A.

[2] Haec inchoata fuit ante diem 19 Junii 1558; soluta 1.° Septembris ejusdem anni. Vide ad rem nostram Decr. X et XV *post electionem;* ubi "visum est ac statutum eas (sc. Constitutiones) firmas et ratas habendas esse, et etiam observandas, prout in exemplari originali P. N. Ignatii habentur.„

[3] Jam anno 1554 fere mille et quingenti erant. Vide supra, t. IV, pag. 476, n. 1010.

tuor votorum admissi essent; ex his enim tantum triginta quinque superstites reliquit ex omnibus nationibus, inter quos quinque de primis decem sociis supererant, quatuor autem eum praecesserant [1].

[1] Sacchinus, qui ms. Polanci *Chronicon* legerat habebatque prae manibus, apposuit hic ad oram paginae nescio quid; forsan numerum professorum quos ipse computarat: verum deinde quod scripserat delevit, tantumque ad marginem annotatum reliquit: *erant plures*. Recte quidem; nos enim sequentes invenimus:

PROFESSI SANCTO IGNATIO SUPERSTITES

Ex primis Sti. Parentis sociis.
- Jacobus Laynez
- Alphonsus Salmeron.
- Nicolaus Bobadilla.
- Paschasius Broët.
- Simon Rodriguez.

NOMEN ET COGNOMEN.	LOCUS.	DIES.	MENSIS.	AN.	IN MANIBUS
1 Antonius de Araoz.	Romae.	19	Febr.	1542	Patris Ignatii.
2 Franciscus de Borja	Gandiae.	2	"	1548	Antonii de Araoz.
3 Emmanuel Miona...	Romae.	25	Mart.	1549	Patris Ignatii.
4 Joannes A. de Polanco.....	"	"	"	"	"
5 Andreas de Oviedo.	Gandiae.	"	"	"	Antonii de Araoz.
6 Jacobus Miron.....	"	"	"	"	"
7 Petrus Canisius....	Romae.	4	Sept.	"	Patris Ignatii.
8 Nicolaus Gaudanus.	Venetis.	25	Julii.	1550	Andreae Lipomani.
9 Joannes B. Viola...	Parisiis.	16	Aug.	"	Philippi III *le Bel*.
10 Andreas de Frusis .	Romae.	18	Octob.	"	Patris Ignatii.
11 Franciscus Estrada	"	1	Feb.	1551	"
12 Adrianus Adriaënssens.....	Lovanii.	30	Majii.	"	Ruardi Tapper.
13 Michaël de Torres..	Methymnae.	3	Mart.	1552	Francisci de Borja.
14 Hieronymus Nadal..	Romae.	25	"	"	Patris Ignatii.
15 Hieronymus Otello.	"	25	Decemb.	"	"
16 Joannes le Pelletier.	"	27	"	"	"
17 Nicolaus de Lanoy..	Viennae.	15	Jan.	1553	Hieronymi Martinenghi.
18 Leonardus Kessel..	Coloniae.	27	"	"	Joannis de Reppelmont.
19 Everardus Mercurianus.....	Perusii.	25	Febr.	"	Fulvi Cornei. Card.
20 Ludovicus Gonzalez	Lucronii.	30	Mart.	"	Francisci de Borja.
21 Martinus de Olave .	Romae.	2	Apr.	"	Patris Ignatii.
22 Antonius de Quadros	Ulyssipone.	1	Octob.	"	Hieronymi Natalis.
23 Gonsalvus de Silveira.....	"	"	"	"	"
24 Bartholomaeus Bustamante.....	Tordesillas.	8	Apr.	1554	Francisci de Borja.
25 Melchior Carneiro..	Romae.	24	Junii	"	Nicolai Bobadillae.
26 Gonzalus Vaz.....	Ulyssipone.	8	Septemb.	"	Hieronymi Natalis.
27 Joannes Nuñez.....	"	"	"	"	Jacobi Mironis.
28 Christophorus de Mendoza.....	Romae.	14	"	"	Jacobi Laynez.
29 Hieronymus Domenech.....	"	20	Octob.	1555	Patris Ignatii.
30 Cornelius Brogelmans.....	"	10	Febr.	1556	Jacobis Laynez.
31 Joannes Covilonius.	"	"	"	"	Patris Ignatii.
32 Ursmarus Govsonius	"	26	"	"	"
33 Elpidius de Ugolettis.....	Panormi.	1	Maji.	"	Hieronymi Domenech.
34 Paulus de Achillis..	"	"	"	"	"
35 Emmanuel Nobrega	Ad Sti. Vincentii	6 cal.	"	"	Ludovici de Grana.
36 Baptista de Barma.	Vallisoleti.	11	Junii	"	Francisci de Borja.
37 Antonius Vink.....	Messanae.	29	"	"	Hieronymi Domenech.

109. Quintum fuit, uberem admodum fructum in Ecclesia Dei et latissime patentem per ministeria et exempla Societatis videre; nec solum inter catholicos, sed etiam inter haereticos et infideles, Dei gratiam multa et praeclara operantem ad Dei gloriam et commune bonum, quod ipse tantopere sitiebat, vidit.

110. Sextum fuit, auctoritatem Societatis non mediocrem et existimationem, tam apud Summum Pontificem et alios ecclesiasticos proceres, quam apud Principes saeculares, civitates ac populos vidit, cum bonus odor Societatis per Dei gratiam [late diffunderetur], contradictoribus magna ex parte vel superatis ab ipsa veritate vel certe mitigatis.

111. Septimum fuit, stabilitam [Societatem] in variis orbis terrarum nationibus, multis domibus et collegiis erectis, vidisse; inter quae collegia multa erant, quae difficile admodum, licet perutile, onus alios docendi susceperant. Et inter ea quaedam etiam erant, quae superiores facultates, philosophiam, inquam, et theologiam, docerent. Tam autem domos quam collegia in duodecim Provincias distributa reliquit, quamvis una earum, scilicet Aethiopica, licet Provincialis electus fuerit P. Antonius de Quadros [1], exiguum habuit successum, cum pauci in Aethiopia ad hoc usque tempus versentur, eo quod schismatici illi Reges Patriarchae, a Pontifice Romano misso, non obedierint, ut suo loco dicetur [2].

112. Praeter hanc aliae undecim fuerunt, scilicet, India, Brasilia, Lusitania, Castella, Baetica, Aragonia, Gallia, Inferior Germania, Superior Germania, Italia citra Romam et Sicilia. Neapolitana Provincia, vivente P. Ignatio, nondum erat instituta, quia unicum tantum erat Collegium. Sed nec Roma ut Provincia computatur, cui adjunctum erat Collegium Tyburtinum et Amerinum, quia ab ipso Generali, sine alio Provinciali ad id electo, regebatur.

---

[1] Nimirum cum India, sive Goana Provincia, Praeposito orbata esset, ejus Socii P. Antonium de Quadros in Provincialem sibi elegerunt. Vide supra, t. v, n. 1837; Orlandini, *Hist. Soc. Jesu*, p. I, lib. XVI, n. 65.—Verum observa Patrem Antonium de Quadros non fuisse electum Aethiopiae, sed Indiae Provincialem. Recte tamen hic Polancus Provinciam ab aliis distinctam enumerat Aethiopiam, ejusque Provincialem Praepositum dicit Patrem Antonium de Quadros, quia juxta Sancti Ignatii praescriptum, donec aliud statueretur, Provinciali Indiae Aethiopia *quodammodo* subjacebat. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v. pag. 90 et 91.

[2] Infra, a n. 3329 ad 3349.

113. Loca autem, in quibus Societas residebat tempore obitus P. Ignatii haec erant: In India, Goae Collegium nostrum cum Collegio puerorum indorum separato, ubi etiam aliqui ex nostris residebant: tertium Coccini; quartum Bazaini; quintum Malacae; sextum Chaulani [1]: reliquae domus erant, in quibus pueri non docebantur, sed alia Societatis ministeria exercebantur; scilicet, Ormuzii, Tanaae, Punichali, quod oppidum est in maritima ora Chomurini, Chioram prope Goam, civitas Sancti Thomae, Malucci in insula Ternate: nec computo in insulis Ambuini et Mauri nostros discurrentes, quod firmam ibi domum non haberent.

114. In Japone autem, Bungi et Amangucci firmas habebant domos; quamvis Firandi et Fachatae et aliis in locis versarentur interdum, hoc tamen tempore firmas ibi domos non habebant.

115. In Brasilia, in capite Sancti Vincentii, et Piratiningae, et in civitate Salvatoris domos et scholas habebant; apud Portum Securum et Spiritum Sanctum sine scholis alia ministeria exercebant.

116. In Lusitania sive Portugallia, Ulyssiponae Domus erat Professorum apud Sanctum Rochum et Collegium separatum apud S.^{m} Antonium; Conimbricae Collegium Regis inferius, et antiquum superius, ubi Domus Probationis tenebatur, habebant. Eborae Collegium erat; apud Sanctum Felicem domus.

117. In Provincia Castellae erat Collegium Complutense, Salmanticense, Conchense, Abulense, Methymnense, Vallisoletanum, Burgense, Ognatense, cum Domo Probationis apud Simancas. Additum est etiam Collegium Placentinum a Baetica subtractum.

118. In Provincia Baetica erat Collegium Cordubense cum separata Domo Probationis, et Granatense, Hispalense, Montiglianum et Sancti Lucae. Quamvis in principio tantum scholae tenebantur, et tria prima domus potius quam collegia eo tempore censenda erant.

119. In Provincia Aragoniae residebat Societas Valentiae, Gandiae, Barchinonae, Caesaraugustae et Murciae; quamvis

[1] *Sextum Chaulani* scriptum ad oram paginae comperitur.

etiam in tribus ultimis domorum, et non collegiorum exercitia adhuc exercebantur.

120. In Provincia Galliae, Parisiis et Billomi nostri residebant; et in posteriori Collegio tantum scholas aperuerant.

121. In Provincia Inferioris Germaniae, Lovanii, Tornaci et Coloniae Collegia habebantur, quamvis Tornaci domus potius censenda erat; et scholae Coloniae tantum habebantur.

122. In Superiori Germania, Viennae Collegium erat cum Domo Probationis ac separato convictorum Collegio. Pragae in Bohemia, et Ingolstadii in Bavaria, Collegia singula suas scholas habebant.

123. In Provincia Italiae, citra Romam, Collegium erat Venetum, Patavinum, Ferrariense, Argentense, Mutinense, Bononiense, Genuense, Florentinum, Senense et Perusinum, praeter domum Bassanensem, et Mutinae etiam coeperat potius domus quam collegii munia exercere. In caeteris omnibus scholae apertae erant.

124. In Provincia Siciliae, Collegium erat Messanense cum Domo Probationis conjuncta; Panormitanum itidem et Montis Regalis, Syracusis etiam et Catanae inchoata jam erant; quamvis in ultimo scholae nondum haberentur.

125. Romae nomen quidem Provinciae non habebatur, ubi erat Domus Professorum cum conjuncta Domo Probationis, Collegium etiam Romanum et Germanicum: nec alii Provinciae Tyburtinum, Amerinum et Neapolitanum eo tempore deputata fuerant, quamvis Roma reliquarum Provinciarum mater esset.

126. Sic ergo tam multis et variis in locis Societatem non solum sparsam, sed fundatam etiam his quindecim annis quibus Societati, quam instituerat praefuit, videre ipse, in terris adhuc agens, per Dei gratiam potuit.

127. Ab eo defuncto artifex quidam [1] effigiem desumpsit; nam vivens propter humilitatem id numquam permiserat; et ita parum proprie ejus vultum pictura refert [2].

128. Inventum est ejus hepar causa aegritudinis fuisse;

---

[1] Jacobinus de Ponte *(Jacopin del Ponte). Cartas de San Ignacio*, t. I, pag. 407 in annotatione.

[2] Vide Rivadeneira, *Vida de San Ignacio*, lib. IV, cap. 18; et *Acta Sanctorum*, mense Julio, t. VII, *Comment. praevio* de Santo Ignatio de Loyola, § LVII, praecipue vero *Cartas de San Ignacio*, t. I, pag. 405-416.

assiccatum valde erat et tres in ipso lapides inventi fuerunt: ut non sine causa a medicis quibusdam dictum fuerit, miraculo tribuendum esse quod tot annos sic constitutus vixerit [1].

129. Vixit autem annos, prout ipse computabat, sexaginta tres [2]; nutrix tamen ejus duos addebat [3], post conversionem autem ad Dominum triginta quinque annos; post confirmationem Societatis aliquanto plus quam quindecim vixit.

130. Primo die Augusti, id est, postridie quam obierat, ejus corpus sepultum est, cum magna non solum nostrorum corona, sed etiam externorum, ac peculiari devotione [4].

131. Mulier quaedam [5] optavit magnopere ad ejus manum osculandam filiam suam, morbo quodam permolesto laborantem, adducere, quam nulla ars medicorum juvabat; sed cum prae corona circumstantium et ad sepulchrum corpus deducentium non potuisset accedere, sed paululum panni ex quadam veste P. Ignatii, obtinens [6], magna cum fide collo suae filiae alligavit, et propter fidem ipsius valetudinem illa recuperavit, ut mater Bernardina Romana testata est. Sed et P. Bobadilla, qui Tibure id temporis aegrotabat, febrem, quam non potuerat expellere, Deo se commendans, per P. Ignatium fuit liberatus, ut ipse retulit [7].

132. Quemadmodum autem ipse docuerat non debere nostros contristari propter mortem eorum fratrum, quos ad se Dominus vocaret, ita conati sumus aequo animo et cum gratiarum actione de manu Domini hanc Patris nostri migrationem

---

[1] Verba haec: "Ut non sine causa... vixerit„ apposuit Polancus ad oram paginae.

[2] Non video plane quo modo consentiant haec cum iis, quae alibi statuit ipsemet Polancus. Nam si Ignatii conversio, ut vult Polancus, accidit anno vigesimo sexto suae aetatis et post conversionem vixit annos triginta quinque; sequitur, nisi fallar, vixisse Ignatium sexaginta et unum.—Praeterea ex eodem, natus fuit Ignatius anno 1495 (Vide *Chronicon*, supra, t. I, pag. 9): mortuus autem est hoc anno 1556; igitur unum supra sexaginta annos vixit.—Si autem Ignatius, ut hic affirmat Polancus, sexaginta tres annos vixit, tum natus non fuit anno 1495, ut habet ipse Polancus supra, t. I, pag. 9, neque anno 1491 ut habet in eodem t. I, pag. 77, n. 1; sed anno 1492.

[3] Librarius scripserat *habebat*, sed alia manus, ut videtur Sacchini, superposuit, quin deleret, *addebat;* quam lectionem, ut magis propriam, dedimus.

[4] Vide *Acta Sanctorum*, t. VII Julii ad diem XXXI.

[5] "una donna Romana, per nome Bernardina, moglie d' Andrea de' Nerucci, Pisano.„ BARTOLI, l. c., lib. IV, § 38.—Ejusdem Bernardinae testimonium, seu publicum de hac re instrumentum, vide in *Acta Sanctorum*, l. c., n. 547-550.

[6] Id obtinuit a P. Cornelio Vischaven. ID., *ibid.*

[7] Iisdem fere verbis utitur, dum hoc narrat, P. RIVADENEIRA, l. c., lib. IV, cap. 17. Prorsus aliis, ut videatur de alio tempore agere, P. FLUVIA, *Vida de San Ignacio de Loyola*, lib. IV, cap. 11.

accipere; et ex coelo bonum fautorem ad hoc ipsius opus promovendum se habituram Societas speravit [1]. Et observatum est in his, qui etiam Patri Ignatio fuerant conjunctiores, et consolationem spiritualem fuisse majorem et profectum; et inter caetera, in temporibus difficillimis, propter Pontificis animum erga Societatem, et propter bellum cum Rege Philippo susceptum, et propter nostrorum multitudinem in dies crescentem Romae, cum tamen nulli reditus nec Pontificis favor ad eorum sustentationem suppeterent, crevisse in nobis magnopere animum et confidentiam in Domino sitam de hoc Societatis Instituto, ad ipsius gloriam et commune bonum promovendum; et hoc ipsum eidem Patri Ignatio intercessori apud Deum Societas bona ex parte acceptum ferebat.

---

[1] Hunc fiduciae sensum expressit Rivadeneira in suis *Confessionibus*, agens de rebus Societatis, quam frustra introducere in Belgium ipse tentarat, et demortuo Ignatio, statim obtinuit: "Pero porque se vea, que aunque Dios se quiso servir de la autoridad y devocion del Duque de Feria, para que como otro Josué pelease con los amalecitas y los venciese, la victoria se debia atribuir á Moisés, que en el monte oraba levantadas las manos, y por su oracion Josué vencia, ordenó Nuestro Señor que no se concluyese aquel negocio, ni el Rey firmase el privilegio, ni alcanzase perfecta victoria hasta que Nuestro Padre subió al monte del cielo, y desde allí, orando, lo alcanzó; porque él dejó el saco de nuestra carne mortal el postrero de Julio de este año 1556, y luégo á los tres de Agosto firmó el Rey el privilegio, y Josué tuvo cumplida victoria.„ *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 351, annot. 4; et pag. 575-579.

DE ELECTIONE VICARII GENERALIS

ET QUAE IN RELIQUO HUJUS ANNI TEMPORE

SUB EO ACTA SUNT

133. Quo die P. Ignatii corpus sepulturae traditum est, eodem, ob imminentis mortis periculum, Extremae Unctionis sacramentum Patri Laynez datum fuerat. Congregati autem [fuere] Professi, qui tunc Romae agebant, qui praeter ipsum P. Laynez erant Patres Olave, Frusius, Pontius (quamvis hic tria tantum vota emiserat [1]) et Secretarius. Erat et Tybure Pater Bobadilla, ad quem illo ipso die unus ex Fratribus cum mula missus fuit, quo P. Ignatius obierat; sed ille partim ob aestum, qui insalubrem reddebat adventum in Urbem, partim quia non bene valebat, suum suffragium arbitrio Secretarii commisit [2].

134. Cum ergo quatuor praedicti de electione Vicarii juxta Constitutiones agerent, visum est electionem aliquot dies esse differendam, ut intelligeretur num placeret divinae Bonitati ipsum [3] in hac vita retinere: ab ipso etiam in extremis agente postulatum fuerat de electione suffragii Vicarii; sed ille reliquis se subscribere dixit.

135. Post duos ergo vel tres dies [4], cum juxta medicorum

---

[1] Pontius Cogordanus, qui Romae rei familiaris administer fuerat, de quo multa in Historia Societatis apud Sacchinum. Vide supra, t. IV, pag. 7, n. 6, annot. 5 et pag. 87, n. 157, annot. 1.

[2] Polanci ad Patrem Bobadilla litteras ipsa die, qua S. Ignatius obiit, datas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 520 et 359.

[3] Scil., Patrem Laynez.

[4] Scil., quarta vel quinta Augusti.—"tridui spatio ab Ignatii fine interjecto„ SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. II, lib. I, n. 21.—BARTOLI, *Della Istoria della Compagnia di Gesù. L' Italia*, lib. III, cap. 16, "passato il terzo dì„.—BOERO, *Vita del servo di Dio*,

sententiam melius haberet, communi consensu in Vicarium Generalem eum elegimus; non tamen illi statim est renunciatum, donec sexta die Augusti aliquae litterae ei subscribendae oblatae sunt, et ei significatum quod in Vicarium electus esset. Ille autem, quamvis de electoribus conquestus, quod hominem pene mortuum ad hoc onus elegissent, admisit nihilominus hoc onus, et Vicarius Generalis Societatis primus omnium fuit; et duos illos, scilicet Patrem Madridium ac Secretarium, auctoritate a P. Ignatio accepta [1] uti voluit, donec ipse vires ad suum officium gerendum a Domino obtineret.

136. Paulo post ejus electionem P. Olavius in morbum incidit, ex quo decima septima die Augusti, acutis febribus consumptus, ad Dominum migravit; et tunc intellectum est eum fuisse socium, pro quo a P. Ignatio benedictio et indulgentia plenaria postulata fuerat. Vir fuit non solum eruditione et eloquentia, sed pietate etiam valde clarus, et de quo multum auxilii Collegium Romanum, cui praeerat (quamvis etiam theologiam in eo profiteretur), sperare poterat [2].

137. Vigesima prima Septembris Dominus Joannes de Mendoza, qui inter novitios magna cum humilitate et charitate in infimis Domus Romanae ministeriis [se] exercuerat, ex hac vita ad Dominum migravit; et videbatur providentia Dei motus

---

P. Giacomo Laynez, § XIV, "ai 6 di Agosto„.=Id autem certum est, videlicet, die 6.ª Augusti, saltem ante horam, qua Polancus litteras Patri Rivadeneira (vide paulo supra, annot. 1 ad n. 102) scribebat, peractam jam fuisse Vicarii electionem; imo ex his, quae statim addit hic ipse Polancus, certum est uno vel altero die ante 6.am Augusti electionem factam esse; hisque corrigendi scriptores, qui diversimode loquuntur.

[1] Vide supra, pag. 35, n 94.

[2] Martinus "Olavius dum B. Patris obitum amicis Cardinalibus, et quibus Societas officii causa debuit, tota Urbe nuntiat: eoque magis adnititur, quo plus oneris in eum incubuerat: ut erat praeter morem etiam noxia Romae anni tempestas, saeviente canicula, facile in morbum incidit, qui ei vitae finem attulit. Cum morbus ingravesceret, et morte appropinquante vox eum viresque deficerent, exaudiebatur intus cum Domino loqui, et intermortuis vocibus illud identidem usurpare: *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Nec ita multo post, XVI. Kalend. Septembris, candidissimam animam egit. Vir fuit singulari animi moderatione humilitateque praeditus, eo admirabiliore, quod tanta humilitas, suique despicientia, tantae plerumque doctrinae, quanta in eo inerat, comes esse non solet. Praesedit Romano Collegio ferme quadriennium magna cum doctrinae tum sanctitatis opinione, scholisque suis Collegii nomen plurimum illustravit: in quo Theologiam illam, quae in disserendi subtilitate versatur, quaeque controversiis hujus nostri temporis continetur, publice docuit.„ Orlandinus, *Hist. Soc. Jesu*, lib. XVI, n. 89-90. Vide etiam Oliverium Manareum, *De rebus Soc. J. Commentarius*, pag. 128.—Ejus vitam resque gestas enarravit Nierembergius, *Varones ilustres*, edit. ant. Matritensis, t. IV, pag. 684, novae Bilbaënsis, t. V, pag. 13.

fuisse ad arcis suae curam et alia saecularia relinquenda, etiam non expectato consensu Regis, ut se ad transitum ad meliorem vitam in Societate compararet. Prius tamen testamentum condidit, quo bona sua omnia in pios usus dispensanda, juxta quorumdam (quos de Societate nominavit) arbitrium, reliquit [1]. Et cum Neapolim deducendus tanquam ad nativum aërem, approbantibus medicis, videretur, et a nostris comitatus in lectica ad Villam Marii, duodecim millibus ab Urbe distantem passibus, pervenisset, illa ipsa nocte in hospitio ex hac vita decessit, et ejus corpus postridie Romam a comitibus delatum fuit [2].

138. Paulo post Pater Andreas Frusius, qui tota fere aestate ethica febri laboraverat, et ad pellem et ossa quodammodo redactus fuerat, Octobri mense ad Dominum migravit: vir plane ingenio et puritate angelica, in omni disciplinarum genere versatus, et in tribus praesertim linguis [3] ac poësi insignis. Praefuerat autem Germanico Collegio [4]. Et ita observatum est quod intra pauculos menses capita nostri Collegii et Germanici simul cum P. Ignatio, qui non solum Domus Romanae caput erat, a Domino in meliorem societatem coelestem translati fuerunt. Nec parum auxit confidentiam trium harum domorum, quod suos Praepositos apud Deum intercessores erant habituri.

139. Praecesserat autem P. Ignatium antiquus ipsius comes et confessarius, P. Didacus de Eguia, qui decima sexta

---

[1] Vide quae circa haec bona scribebat Polancus *ex commissione* Sti. Ignatii die 13 Julii, *Cartas de S. Ignacio*, t. VI, pag. 338.

[2] Duae exstant epistolae P. Lainii Vic. Gen. Neapolim ad D.am Leonoram, Marchionissam *della Valle*, Joannis de Mendoza matrem, scriptae. Altera quidem, 9 Septemb. 1556, Joannis morbum et profectionis consilium explicat: altera vero, 13 Septemb., sanctam illius mortem causasque ad consolandum idoneas profert. Libet haec excerpere: "Vn día antes que se ubiese de partir, se havía comunicado (comulgado), y él estaba tan bien dispuesto, y tan desseoso de conservar siempre la puridad de su ánima, que con ser costumbre de nuestra Compañía que cada ocho días se confiesen y comulguen los que no son sacerdotes, él havía alcançado esta gracia de poderlo hazer cada quatro días... Estaba en gran manera quieto en su consciençia... por haver ordenado sus cosas como él sentía puramente ser para mayor gloria de Dios... Truximus su cuerpo desde Marino á Roma, y le hemos sotterrado en nuestra iglesia entre los religiosos de nuestra Compañía, como era razon, abiendo él offreçídose á Dios N. S. con votos, aunque no solemnes, en la obediençia perpetua della...„

[3] Sc. latina, hebraica, graeca.—"Mortuus est longa tabe confectus ad VII Kalend. Novembris. Pridie ejus diei, cum Sacrum spectaret et ea verba ex Evangelio recitarentur: *Omne debitum dimisi tibi;* sensu quodam intimo suavissimae fiduciae, tamquam ea sibi mox migraturo dixisset Dominus, perfusus est.„ ORLANDINUS, *ibid.* n. 90.

[4] Breve nactus est elogium, longiori dignissimus, in PATRIGNANI, *Menologio*, t. IV, pag. 187; DREWS, *Fasti Soc. Jes.* ad 26.am Octobris; GUILHERMY, *Ménologe de la Compagnie de Jésus*, part. II, pag. 429.

Junii ad Dominum migravit: vir de cujus charitate et puritate et zelo divinae gloriae magna saepe et praeclara testimonia a P. Ignatio dicta sunt [1]. Oblatum ipsi fuit cum mors imminere ipsi videretur, ut si ad consolationem ipsius futurum esset, professionem solemnem emitteret; sed ille non existimavit eo tempore ac statu illam sibi emittendam esse, cum alioqui Societatis corpori conjunctissimus esset [2].

140. Dubitatum fuit an auctoritas Commissarii P. Francisci Borgiae et aliorum cum morte P. Ignatii expiraret, cum res non esset in Constitutionibus expressa: et visum est ratam illam esse censendam usque ad electionem Generalis Praepositi vel Congregationis Generalis, quae id declararet; et interim ut P. Franciscus Borgia sua uteretur facultate [3].

141. Ea [4] autem, quam Patres Natalis, Madridius et Secretarius habuerant, quamvis revocata non esset, ea uti necessarium non videbatur, cum auctoritas Vicarii Generalis non so-

---

[1] "XVII Kalend. Julias, Jacobus, rectius Didacus, Eguia obierat, quem olim Faber numquam consueverat nisi Jacobum Sanctum cognominare: et ipse fertur Ignatius dixisse, Beatos inter suspiciendum in coeli sede celsissima. Vir ingenii candidissimi, vitae integerrimae, ardentissimaeque in Deum ac proximos charitatis: magnus ad haec sui contemptor. Habebat frequenter in ore: Qui se existimat aliquid valere, valet parum qui vero se putat valere multum, is valet nihil. Dicebat etiam quemadmodum fractus aut detritus nummus, si unicus per seque sit, non recipitur; sed si magna in summa numeroque proborum, neutiquam repudiari solet; ita sibi eam restare spem, fore ut a Deo minime rejiceretur, quod esset sociorum numero bonitatique permixtus. Praecipue valebat in moestis, si qui inter domesticos essent, erigendis confirmandisque nutantibus. Quam in rem summa cura se dabat; eorumque audiens quantumvis malas deploratasque causas, numquam abjiciens spem boni exitus: haec prima semper, ubi quis finem dicendi fecerat, subjiciebat verba: *Bene habet*. Tum paulatim mira suavitate ac misericordia manum remedio admovebat. Mirifice Societatem, mirifice diligebat et admirabatur Ignatium: quem B. Pater, cum ad confessiones suas adhiberet, tamen coactus est abdicare, quod a celebrandis quibusdam ejus laudibus, tametsi generalibus formulis, tamen ita interdum in immensum elatis, ut possent quempiam e minus aequis offendere, nullo modo posset, ne poenis quidem coercitus, abstinere Et sane prorsus in stuporem homines adducebat, significans quid esset evulgaturus, si vel unam horam Ignatio superfuisset: quem inter alia ajebat, non vi naturae, sed miraculo vivere. Potentiora visa sunt tamen humilitatis Ignatii quam Jacobi charitatis vota: ac prius illo, uti etiam praedixisse fertur B. Pater, et quidem non amplius sexquimense decessit." ORLANDINUS, *oper. cit.*, lib. XVI, n. 91. Vide etiam OLIVERIUM MANAREUM, *De rebus Societatis Jesu Commentarius*, pag. 129, § 18.

[2] Ejus vitam vide apud NIEREMBERG, l. c., edit. ant. Matritensis, t. I, pag. 737; novae Bilbaënsis, t. V, pag. 12.

[3] Decrevit autem Congregatio 1.ª Generalis *(Decr. XCI)* "post mortem Praepositi exspirare Commissariorum potestatem, nec eos habere suffragium ratione officii ad electionem Successoris, nisi aliqui eligerentur" inter eos, scilicet, qui de quavis Provincia ad eligendum Generalem sunt mittendi.

[4] Ms. *eam*.

lum ad negotium cogendae Congregationis, sed ad omnimodam Societatis administrationem se extenderet, ut, re discussa, Romae constitutum fuerat [1].

142. Scripsit autem P. Vicarius sexta die Augusti omnibus Provincialibus de obitu P. Ignatii et de sui electione in Vicarium, quam ipsi detractare non licuerat; et vocavit eos ad novi Praepositi Generalis electionem; et quamvis [post] quinque vel sex menses juxta Constitutiones [2] [electio fieri deberet], si fieri posset, ut Novembri mense [3] in Italiam pervenirent, id tentandum esse ob rationes aliquas censebat; sed cum postea animadversum esset breve nimis esse [tempus], cum praesertim itinera ab Hispania et Portugallia in Italiam impedita multis difficultatibus essent, (nam induciae inter Reges Philippum et Henricum factae initio hujus anni, occasione belli, quod cum Summo Pontifice Rex Philippus gerere coactus fuit, invalidae jam erant), prorogatum est tempus ad aestatem sequentem [4], ut ad festum Paschae anni sequentis, vel non multo post, in Italiam venirent.

143. De loco autem dubitatum est; et Genuae vel Laureti videbatur quibusdam Congregationem haberi posse: aliqui autem, praesertim hispani, Avenione, ut inter has provincias mediam, optabant [5]. Et cum Summus Pontifex, alioqui vir optimus et qui Societatis nostrae homines magni faciebat, aliter sentire de quibusdam nostris Constitutionibus videretur (ut de choro tenendo [6], et de Praepositis Generalibus ad tempus et non perpetuis faciendis), expedire videbatur non sub ejus oculis

---

[1] "Acá el doctor Madrid y el maestro Polanco tenían tambien toda la autoridad de nuestro Padre, que es en gloria, para en todo lo que occurriesse en la Compañía; y por las indisposiciones de nuestro Padre la practicavan. Pero por no les parezer necessaria por agora la tal auctoridad, dizen que no usarán della, si no succidiesse caso, al qual no se pudiesse sufficientemente proveer de otra manera.„ Lainius, Vic. Gen., Francisco Borgiae 6.ª Augusti 1556.

[2] "El tiempo que se dará para ayuntarse, cuando se ha de tractar de la eleccion, serán CINCO ó SEIS MESES desde la data de las letras del aviso, pudiéndose alargar el tal término á necesidad.„ *Const.* (ed. Matrit. 1892), p. VIII, cap. v, 2.

[3] Ejusdem anni 1556.

[4] Rectius fortassis scriberetur hic *ver sequens*. "despues se ha mirado que seria muy difícil ser acá los de Portugal para el Noviembre, y asi hasta la primavera no será menester venir V. R.„ Polancus, *ex com.* Patris Vicarii, Patri Petro de Rivadeneira, 29 Augusti 1556.

[5] Meminisse oportet, quo haec intelligantur sincereque accipiantur, Avenionem fuisse tunc sub Pontificis ditione.

[6] Vide supra, t. v, pag. 83, n. 58; et in hoc t. VI, pag 8, n. 15.

Congregationem facere: hujus tamen dubii occasionem ipsemet Pontifex removit, et Romae fieri Congregationem jussit [1].

144. Qui autem et quot ex singulis Provinciis venturi essent ex Constitutionibus satis constabat [2]; sed quia Provinciae novae, et pauci in eis Professi erant, et ex illis quidam in rebus magni momenti occupati erant, non exacte id observari potuit, ut, Provinciali Congregatione praecedente, bini ex singulis Provinciis cum Provinciali venirent.

145. Immo in quibusdam Provinciis duo tantum Professi quatuor votorum inveniebantur, ut in Gallia P. Paschasius cum P. Baptista Violaeo: in Inferiori Germania tantum Patres Adrianus et Leonardus [3].

146. Optabat nihilominus P. Vicarius ut, quoad ejus fieri posset, juxta Constitutiones Professi venirent; et nominatim P. Franciscum Borgiam, ac Patrem Araoz, ac P. Ludovicum Gonzalez cum Doctore Torres, Portugalliae Provinciali [4], (praeter P. Natalem, qui hoc ipso anno Romam venerat) litteris hortatus est ut, si salva valetudine possent, Romam venirent; cum praeter electionem Generalis ultima manus Constitutionibus et Regulis esset imponenda, et alia magni momenti negotia transigenda erant [5].

147. Dubitatum est autem, an hi ad professionem admitti possent tempore sedis Praepositi vacantis, ex his, quos ipsemet P. Ignatius designaverat, ut justus numerus ex Provinciis venire posset; sed Romae, re inter nostros tractata, sincerius ac

---

[1] "Cum exardesceret bellum inter Pontificem cum Rege Galliae et Philippum Regem Hispaniarum, propter regnum Neapolitanum, in quod Pontifex jus praetendebat, et non liceret Hispanis Patribus ad congregationem accedere si in Urbe fieret, P. Jacobus Laynez Vicarius generalis assignaverat Genuam ut locum magis opportunum Congregationi habendae. Quod cum a quibusdam non satis prudenter et fideliter fuisset relatum ad suam Sanctitatem, non bene Sanctus Pater illud est interpretatus, existimans illud in fraudem ac malum finem fuisse conceptum et constitutum. Prohibuit ergo Congregationem haberi; et hac occasione tempus Congregationis extractum est ad alterum annum, et Patres qui ex Germania et Belgio venerant, re infecta reverterunt.„ Oliverii Manarei, *De rebus Societatis Jesu Commentarius*, pag. 124, § 10.

[2] "Vendrán de cada Provincia tres, cuando fuere el ayuntamiento para eleccion del General, ó sobre cosas que á él tocan, el Provincial y otros dos escogidos por los demás en Congregacion provincial, que se hará antes de la general para este efecto.„ *Const.*, (ed. Matrit. 1892), p. VIII, cap. III, 1. B.

[3] Adrianus Adriaënssens et Leonardus Kessel: hic Coloniensis Collegii, ille Lovaniensis Rector, de quibus saepe facta mentio.

[4] Addidit Polancus ad oram paginae verba "ac P. Ludovicum„ usque "Provinciali.„

[5] Exscripsit haec fere ad verbum P. Sacchini et in suam transtulit *Hist. Soc. Jes.*, p. II, lib. I, n. 24.

securius ad exemplum fore [visum est] ut nulli Professi fierent; sed hi venirent qui possent, quamvis non exacte numerus in Constitutionibus praescriptus venire posset. Et ita Romae ne Dr. quidem Madridius, qui cum Secretario vices et auctoritatem P. Ignatii tenuerat, ad professionem est admissus [1]; ne posteri hoc male imitarentur, aliquos admittendo ad professionem, vacante sede Praepositi [2].

148. Admoniti sunt etiam ut secum afferrent, si qua experientia docuisset, circa Constitutiones vel Regulas tractanda. Provinciales ac Rectores ac Praepositos inferiores minime mutari oportere scriptum est [3].

149. Adiit Summum Pontificem, postquam valetudinem recuperavit, P. Vicarius, et Societatis devotionem erga eumdem Pontificem, Christi Vicarium, ostendit. Ille etiam peculiari affectu se nostram Societatem amplecti affirmabat, et suae benevolentiae operibus comprobatae testes aliquot ex ipsamet civitate [4] citabat; et hoc se fecisse in quovis statu, jam inde ab eo tempore quod quidam ipsius consobrinus, Paulo III ex Urbe recedente, Romae legatus relictus erat [5].

150. Deinde tonum vocis mutando: "Advertite, inquit, quod nullam vivendi rationem aut modum suscipere debetis, nisi ab hac Sancta Sede. Quod si contrarium tentaretis, non bene vobis succedet„; nec ulla rescripta aliorum Pontificum ligare successores dixit, quin possint examinare et ita confirmare vel dissolvere quae illi constituissent. Significabat itaque Pontifex quod ab ipso vel ejus Sede ad vitae rationem suscipiendam

---

[1] Eam P. Christophorus de Madrid fecit tandem Romae, in manibus P. Jacobi Laynez 6 Jan. 1559.

[2] A Congregatione tamen Generali XII, Decreto 10, tributa est Vicario Generali facultas haec "eoque omni modo, quo illam habet Praepositus Generalis dum vivit.„ Cf. *Institutum Soc. Jes.* (Florentiae, 1892-93), t. II, pag. 390.

[3] Etiam circa postremam hujus numeri partem statuit eadem Congregatio Generalis XII, Decr. 30, casus, in quibus hujusmodi Superiorum mutatio valide liciteque possit fieri. L. c., pag. 397.

[4] Quamvis ita sit perspicue admodum in ms. et, prout ex verbis infra statim memorandis apparet, ita intellexisse Sacchinus videatur, suspicamur tamen valde id, quod aliquoties jam Polanci librario accidit, et hic etiam accidisse, nempe scripsisse *civitate* ubi scribendum erat *Societate*.

[5] "Commemoravit initio„ Paulus IV "suum perpetuum erga Societatem studium satis perspectum inde usque ab eo tempore, quo ejus consobrinus, Vincentius Caraffa, Cardinalis Neapolitanus, per absentiam Pauli III Pontificis fuerat in Urbe legatus relictus: ac testes hujus rei quosdam ex Urbe nominabat.„ SACCHINUS, *Histor. Soc.*, p. II, lib. I, n. 30.

accurrere deberemus, nec P. Ignatio aut alicui inniti sed Deo; et sic demum nos bene aedificaturos supra firmam petram et non super arenam; et si bene coeperamus, in bono etiam perseverandum esse.

151. Addidit deinde ne ullo modo aliter procederemus; ipsi autem acquiescendo quod bonum Patrem essemus inventuri. Et "dicas„, inquit, "nostris his filiis, ut consolationem in Domino accipiant„; et sic suam dedit benedictionem.

152. Colligi ex his verbis facile poterat quod de aliqua immutatione nostro in Instituto facienda, prout paulo ante diximus [1], cogitaret. Alii etiam existimabant hanc esse Pontificis mentem, ut nostra Societas cum Congregatione, in qua ipse vixerat, conjungeretur, nec illi boni Patres (quos *theatinos* vulgo vocant, ipsi autem *clerici regulares* proprie dicuntur), ab eo abhorrere, immo satis propensi esse credebantur, quamvis illi pauci numero et in paucis Italiae solius locis erant. Sed, praeter mixtionem personarum, Institutum etiam permisceri velle Summum Pontificem satis nostri conjectura assequebantur: neutram tamen mixtionem, minus adhuc posteriorem quam priorem, P. Ignatio Societati convenire videbatur; nec ad Dei gloriam et commune bonum futuram existimabat; et, quamdiu ipse vixit, nihil Pontifex ea in re tentavit [2]. Haec ergo non mirum est si Societatem nostram commoverent.

153. Hoc tamen anno, cum Congregatio expectaretur, nihil est amplius innovatum; sed Societas, ut diximus [3], Romam debuit et non in alium locum evocari.

154. Antequam prorogaretur tempus conveniendi ad Congregationem [4], Patres Canisius et Lanoyus in Italiam ad Congregationem mense Novembri venerunt. Sed Patavii intelligentes prorogationem, ad suam Provinciam statim redierunt, post Pascha redituri [5]. Et permissum est Patri Canisio a P. Vicario Argentinam ire, partim ut nobilem illam et tantopere

---

[1] Supra, t. v, pag. 33, n. 58, et in hoc t. vi, pag. 50, n. 143.

[2] Vide supra, t. iii, pag. 181 et 182, n. 384, ubi in prima annotatione pag. 182 indicatur Sti. Ignatii mens et sententia de utriusque coetus conjunctione... "2.° Che non conviene che li Padri Teatini siano uniti alla nostra Compagnia.„ Polancus, *ex com.*, Patri Alphonso Salmeron.

[3] Supra, pag. 50, n. 143.

[4] Vide supra, pag. 50, annot. 2 et 4 ad n. 142.

[5] Vide Canisii litteras ad Patrem Laynez, Vicarium, Ingolstadii datas 1.ª Decembris hujus anni 1556, apud Braunsberger, l. c. t. ii, pag. 33.

indigentem civitatem juvare niteretur, partim ut de Collegio, quod Friburgi offerebatur, [agere] possent [1].

155. Post mortem P. Ignatii, P. Petrus Schoricchius, qui hac aestate in Collegio nostro Romano in Doctorem theologiae promotus erat, in Austriam erat remittendus; vivente adhuc P. Ignatio, sanctae memoriae, mitti eum oportuit; sed aegritudine corporis fuit impeditus.

156. Coeperat is quarumdam juvencularum germanarum confessiones audire; et jam misso illo spiritu, quo ad juvandas provincias illas, summopere fidelibus operariis indigentes, incitari debuit, totus in eo erat (ut ipse prae se ferebat), ut praedictas et quasdam alias mulierculas ad perfectionem juvaret; et multis ultro citroque jam actis, vulnus suum magis detexit; et intellectum est quod, in Germaniam recessurus, de illis mulierculis eo etiam deducendis agebat. Sed demum sine illis dimissus sic fuit, ut annum integrum ipsi permitteretur suo more vivere (nec enim jam obedientiae freno obediebat).

157. Eo autem recedente, praedictae mulierculae et suum et confessarii sui errorem sponte sua agnoverunt; et in monasterium sese recipere Romae constituerunt.

158. In illo [2] autem prorsus illud Divi Pauli impletum est, quod spiritu incipiens, carne consummatum est. Numquam amplius ille ad obedientiam rediit, quin potius inter haereticos uxorem duxit; primus et solus eorum omnium quod sciam, qui ad id usque tempus a catholica fide degeneraverit; quamvis ille non tam haeresi quam libidine laborare creditur [3].

159. Aliquoties P. Vicarius hoc anno in aegritudinem inci-

---

[1] "L' andata di V. R. in Argentina parte per aiutar quella nobile chiesa, parte per trattar del Collegio de Friburgo, serà molto conveniente; et uno delli luoghi dove più pare si debbia desiderar Collegio della Compagnia è quello; et non dubito che saria cosa etiam molto grata alla Maestà del Re. Dio N. S. guidi tanto pio et buono negocio Del successo V. R. ci avisarà.„ Polancus, *ex com.* Patris Laynez, Vicarii, Patri Petro Canisio, 13 Novembris 1556, respondens litteris datis Patavii 2 Novembris.—Vide etiam Canisii litteras ad Patrem Laynez datas Ratisbonae "al principio del novo anno 1557„ apud BRAUNSBERGER, l. c., pag. 28 et seq.

[2] Petro Schorichio.

[3] Ex his lumen ac robur accipiunt quae alibi de Schorichio dicta sunt et in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 128, annot. 2.—Quae autem in hoc num. enarrat Polancus, non hoc anno 1556 evenere; perseveravit enim Schorichius aliquot, duobus saltem, annis Episcopo Labacensi serviens, et se, licet arbitrio suo relictus, de Societate esse existimans, quoniam ejus curam eo tempore non penitus Societas abjecerat.—Ex verbis etiam, quibus haec enarrantur, facile colligitur, adhuc in vivis fuisse Schorichium, dum hoc *Chronicon* Polancus componebat.

dit; sed, Deo propitio, valetudinem recuperavit. Nullus, qui eo gratior Summo Pontifici esset, eligi potuisset; nullus tamen tam gratus ipsi esse potuit, ut nostrum Institutum nobis illaesum relinqui impetrare posset.

160. Hoc tempore, quo ad Congregationem nostri accedebant, Constitutiones ex idiomate hispano in latinum versae sunt [1]; et alia, quaecumque adimere poterant laborem Congregationi, diligenter curata fuerunt.

161. Quamvis autem tempora periculosa essent, et omnia bellis ferverent et Romae et in vicinis locis, non omisit Societas consueta ministeria; immo cum studia essent renovanda, positiones publicas in omnibus facultatibus nostri defenderunt aliquot diebus; et orationes publicas et carmina pro more habuerunt; et non parum aedificationis Urbi praebuit, quod in medio tumultu armorum haec pacis et tranquillitatis exercitia non omitteremus. Nec hujusmodi disputationes cum exigua frequentia habitae fuerunt. Et ex quatuor ordinibus mendicantium disputatores aliqui adfuerunt. Et Mag. Generalis Ordinis S.ti Dominici [2] eis interfuit, et magnam erga Societatem benevolentiam prae se tulit.

162. Lectiones etiam et caeterae scholasticae exercitationes post festum Omnium Sanctorum renovatae fuerunt.

163. Sublevavit nihilominus P. Vicarius Domum et Collegium Romanum, multos ad alia collegia, quoad ejus fieri potuit, mittendo: manserunt nihilominus nonaginta collegiales et alii quinquaginta Domi nostrae.

164. Omnibus Principibus christianis tam saecularibus quam ecclesiasticis, quibus Societas nota erat, litterae scriptae fuerunt, quibus de Patris Ignatii migratione fuerunt admoniti et Societas eis fuit commendata [3]. Eodem tempore, id est, sub anni finem, qui apud Romanorum Regem Nuncius Apostolicus fuerat, Romam veniens, optimum odorem Societatis in Romana

---

[1] Constitutiones in latinum convertit ipse auctor hujus *Chronici* Joannes de Polanco.

[2] "Stephanus Ususmaris, Genuensis, ex Provincia Lombardiae, in patria Inquisitor, deinde Procurator Generalis, vir integritate, prudentia, atque doctrina illustris, anno 1553 eligitur Magister Ordinis Generalis, numero quadragesimus sextus. Religionem rexit cum laude. Fato cessit anno 1557 quinto Nonas Maji.„ ALTAMURA, *Bibliotheca Dominicana*, in appendice, ad an. 1557, pag. 540, col. 2.

[3] Eas descriptas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI; plures enim sunt, quibus responsa amorem in Ignatium ejusque Societatem spirantia subjiciuntur.

Curia auxit; nam magnopere extollebat fructum ex Viennensi et Pragensi Collegio provenientem [1]. Et ita tam Cardinales quam Inquisitores clarius quotidie videbant Societatem hanc his temporibus a Deo missam ut catholicam religionem et pietatem non solum inter catholicos, sed etiam inter haereticos et schismaticos, promoveret.

Et haec de rebus romanis ac universalibus dicta sufficiant.

DE COLLEGIO TYBURTINO

165. Pater Laurentius Cavalerius toto hoc anno Collegio Tyburtino praefuit [2]. Scholastici, qui ad scholas primis mensibus veniebant, ad centum viginti ascendebant: deinde auctus etiam fuit aliquantulum eorum numerus. Mag. Stephanus [3] multos ordines hujusmodi discipulorum sua in schola habebat, et alias lectiones provectioribus, alias mediocribus, alias eis qui prima grammatices fundamenta jaciebant, praelegere solitus erat, et peculiarium, juxta uniuscujusque profectum, exercitationum curam habebat.

166. Pater autem Petrus Pradene longe majori multitudini puerorum, qui legere ac scribere discebant, [operam navabat]. Itaque auxilio opus habebat, quod interdum ipsemet Rector et illi et priori praeceptori [4] per seipsum praebebat, sicut etiam eidem in audiendis confessionibus dominicis diebus et festis P. Petrus auxilium ferebat. Et quod attinet ad mores

---

[1] Erat is Aloysius Lipomanus, qui ex legatione polonica reversus Viennae constiterat, Nuncii Apostolici munere fungens. De quo Martinus Cromer, canonicus cracoviensis et Secretarius regius, scribebat Canisio Vienna die 9 Julii 1556: "Episcopus Veronensis, nuncius apostolicus haeret adhuc apud nos, nec sane ociosus.„ BRAUNSBERGER, *Bti. Petri Canisii Epistulae et Acta*, tom. I, pag. 644.—Vide supra, t. V, pag. 37, n. 66, annot. 1.

[2] Vide supra, t. V, pag. 49, n. 100. Et *Litterae Quadrimestres* quae ad hunc annum referuntur, t. IV, pag. 159, 495.

[3] Stephanus Casanova, ad quem exstat epistola P. Ignatii, 20 Julii data. Casanova ei cognomen esse inde scimus, quod in eadem hac epistola reperitur scriptum; etenim nec in Polanci *Chronico* nec in *Litteris Quadrimestribus* illud apparet, ut diximus *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 161-162, annot. 1.

[4] Stephano Casanova.

affirmabat prioris classis magister se alibi modestiores vidisse nullos [1].

167. Cogebantur autem omnes etiam aetatis valde tenerae admittere ne his, qui repulsam paterentur, praesertim pauperibus, offendiculi occasionem praeberent; quamvis labor ex multitudine cresceret, cum praeter triginta quinque, qui Stephanum audiebant, fere centum posteriorem magistrum obruerent, et vix domus et schola ipsa tam multos capere posset.

168. Successerat Stephanus Magistro Petro Sylvio, valde erudito [2]; sed quia Stephanus Italiae morem in docendo servabat, omnibus valde satisfaciebat. Inter eos, qui natu majores erant, aliqui erant qui, raram vitae puritatem servantes, etiam ad perfectiorem vitae statum aspirabant. Inter teneriores pueros quidam septennis fuit qui, cum aegrotare coepisset, sollicitus tamen erat de christiana doctrina, quam didicerat, oblivioni non tradenda; et ita eam, decumbens in lecto, saepe repetebat ac domesticos docebat. Et cum ingravesceret morbus, nihil se mortem timere, immo eam optare dicebat, quod citius in coelum evolaret [3].

169. Cum autem Albae Dux [4] hujus anni autumno cum exercitu ex Neapolitano regno veniens, urbes Ecclesiae, et inter caeteras Tybur, occupasset, scholae maxima ex parte, alio aliis recedentibus, dissipatae fuerunt; sed eodem recedente versus Neapolim, et Tybure ab Ecclesia recuperato, in majorem numerum quam unquam scholae creverunt; nam praeter triginta grammaticos, centum viginti alii ut legere ac scribere discerent conveniebant.

170. Christiana doctrina non solum his, sed etiam populo, explicata pro more fuit; postquam enim diebus dominicis evangelium exponebatur, surgens puer christianam doctrinam recitabat, quam deinde P. Laurentius interpretabatur.

171. Intermisit autem has lectiones postquam P. Bobadilla, Tybur hac aestate veniens [5], in Cathedrali ecclesia mane con-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 4[0], n. 100.

[2] Vide supra, t. v, pag. 50, n. 100, annot. 1 et pag. 53, n. 107.

[3] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 161.

[4] Ferdinandus Alvarez de Toledo. Vide supra, t. v, pag. 180, n. 519, et t. iv, pag. 180, annot. 2.

[5] Tybur Bobadilla concesserat, vires recuperandi gratia. "Il portador di questa sarà il P.e M.° Bobadilla, il quale per trovarsi indisposto va in Tivoli...—Del tratta-

cionari, et post prandium Epistolam ad Romanos explicare coepit, cui semper aderat Episcopus [1] et alii, quamvis numero non multi; tamen magna cum satisfactione et applausu eum audiebant. Et in lectione potissimum pius labor ejus gratus erat, quo etiam Gubernator urbis [2] frui solebat; et quamvis febricula interdum laboraret, verbi Dei praedicationem ac lectionem non omittebat.

172. Inducebantur Tyburtini, licet paulatim, ad confessionis et communionis frequentationem; nec mirum est quod multi non fuerint hoc anno, cum contradictores essent non pauci; ac ex eis quidam religiosi, non tamen publice sed secreto, homines ab ea divertere nitebantur. Tringinta fere octavo quóque die, multo plures aliis festis diebus, ad sacramenta accedebant.

173. Tumultus bellicus etiam alicujus intermissionis in hoc ministerio causa fuit, non quod nostrorum opera ipsis deesset, sed quod homines perturbati nec ad lectiones christianae doctrinae nec ad sacramenta frequentanda pro more, ut fit, accederent.

174. Cum xenodochia invisebat P. Laurentius, si quem invenisset qui confessus non esset, ad confessionem eum inducebat; sed cuidam prae caeteris hoc pietatis officium salutiferum fuit. Erat enim quidam in xenodochio S.^{ti} Joannis aegrotus, quem aliqui referebant religionem egressum esse et extra illam multos annos nimium liberam vitam sub habitu militari duxisse, nec ullum religionis vestigium prae se ferebat; et cum, morbo ingravescente, ad confessionem aliqui adhortarentur, id facere recusaverat. Accitus tandem illuc est P. Laurentius, cui libentissime dixit se velle confiteri; monuit autem eum ne id differret (nam mortis periculum ipsi imminere audierat), quod simulatque fecit, et ad suam religionem se rediturum, cum

---

mento di sua persona, V. R. havera cura „ *Ex com.* al Rettore, Tivoli, Roma 16 Giugnio 1556. Non tamen adeo viribus erat debilis, ut concionari aliquando non posset.— Sed, ut videtur, modum excessit; nam 28 Junii ei Polancus *ex com.* scribebat: "Quanto á la salud corporal, pues por ella es ydo á Tivoli, es bien procurarla. Y si el predicar ó leer la estorba, no se haga por aora, hasta que V. R. lo pueda hazer con su comodidad. Y en lo demás tenga cuydado de no se dexar faltar.„

[1] Scilicet, Tyburtinus, Joannes Andreas Croce. Vide supra, t. v, pag. 55, n. 113; et *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 164, annot. 2, et pag. 499.

[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 164, annot. 3.

primum per valetudinem liceret, promisisset, absolutus a peccatis, statim ex hac vita recessit.

175. Alias etiam domos privatas ad infirmos invisendos et eorum confessiones audiendas adibat. Multos etiam inter se dissidentes in amicitiam multam reduxit, et qui aliquot annos ob hujusmodi odia a confessione abstinuerant, post reconciliationem praedictam confessi sunt. Concubinas etiam non paucas ejus hortatu homines, qui multis annis cum eis vixerant, reliquerunt, et ad confessionem etiam ipsi accesserunt. Aliqui etiam ad uxores, multis annis desertas, se redituros, postquam eidem Patri confessi sunt, promiserunt. Deo etiam juvante, blasphemiae non ita audiebantur, ut aliquando audiri solebant; et quamvis aliqua personantia quibusdam libertatis occasio esse soleant, morum tamen mutatio in melius, Deo adjuvante, Tyburi cernebatur.

176. Vigesima octava Julii, id est, quatriduo ante P. Ignatii obitum, Dominus Laurentius de Virilibus, Collegii Tyburtini fundator [1], diem clausit extremum, cui ad ultimum usque spiritum P. Laurentius adfuit. Bonum illum et fidelem Dei servum et dispensatorem prudentem bonorum, quae a Domino acceperat, fuisse, post mortem ejus plane apparuit; plurimi enim pauperes, quos secreto suis impensis alebat, vel eis necessaria, cum egebant, subministrabat, cum multis lacrymis ac planctibus, perinde ac patrem omnium ipsorum, deflebant.

177. Sepeliri voluit in ecclesia nostra, et ejus funus Episcopus cum omnibus canonicis comitatus est; et P. Bobadilla concionem in eodem funere habuit, qua, quis esset fidelis servus et prudens, qui acceptis a Domino talentis bene negotiaretur, defuncti factis [2] commonstravit.

178. Voluit autem pius ac humilis vir sine ullo marmoreo monumento vel epitaphio, aut aliis hujusmodi rebus ad pompam pertinentibus, sepeliri. Sacerdos erat; et sacramentis sanctis munitus, et spiritualibus P. Laurentii sermonibus adjutus, ad Dominum migravit [3].

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 54, n. 109.

[2] Ubi nos *factis* scribimus, ms. habebat olim vocabulum aliud, cujus tantum littera *n* nunc apparet; emendatum id postea fuit ab ipso, ut videtur, Polanci librario, ita ut perspicue satis legatur *funus,* quod, quia sensum nullum reliquis consentaneum prae se ferre videtur, immutare in *factis* ausi sumus.

[3] Pium hunc sacerdotem laudibus cumulat Orlandinus, *Hist. Soc.* p. I, lib. XIV

179. Episcopus Tyburtinus magna benevolentia Societatem prosequebatur, et duae sorores defuncti Episcopi, patrui ejus [1], octavo quoque die sacramenta in templo nostro frequentabant.

180. Gubernator etiam urbis constantem se fautorem nostrum praebuit [2], sicut et alii primarii ejus urbis viri, quorum eleemosynis Collegium illud sustentabatur [3], quamvis hoc anno gravia detrimenta propter praedictum bellum passi sunt; perpauci tamen erant nostri, si hospites removeamus; quinque, scilicet, numero [4], cum tamen multorum instar in Societatis functionibus essent, et unusquisque pluribus officiis fungi deberet; quia tamen valetudinarios eo mitti propter aëris salubritatem Romanae Domui ac Collegio perutile videbatur, etiamsi pauci id temporis sustentarentur, Collegium illud charum habebatur.

181. Post mortem fundatoris, Domini Laurentii de Virilibus, frui coepit paucis quibusdam relictis, quae ille in suo testamento legaverat in Monte Fidei [5], ubi fere quadraginta aureos singulis annis recuperare coeperunt; sed licet multos reliquisset aut pauciores, postquam domum nostris emit, fundatoris honorem et suffragia eo tempore et loco offerenda esse propter rationem donationis [6] praedictam P. Ignatio visa sunt.

182. Habebat etiam pauculos quosdam reditus ex horto quodam S.tae Mariae, quam *del Passo* vocant, cujus unio cum Collegio Tyburtino facta fuerat; sed hoc anno ab Episcopo meliorem in formam redacta est [7].

183. Reliquerat etiam Domina Lucia Cinthia hortum et alia quaedam bona Collegio nostro; sed nepos ejus non ipsi licuisse testamento haec donare affirmabat. Sed curatum est ut compromitteretur hoc negotium et sine litibus decideretur. Recu-

---

n. 19. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 498; *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 463 et annot. 2, pag. 207 ad eamdem epistolam hispanice redditam.

[1] Qui ejus fuerat in Tyburtina Sede praedecessor, vocabaturque Marcus Antonius. Vide supra, t. V, pag. 55, annot. 1.

[2] Vide supra, t. V, pag. 59, n. 124, annot. 2; et pag. 52, n. 105, annot. 2. Praecipue vero *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 164, annot. 3, et pag. 499.

[3] Vide supra, t. V, pag. 54, n. 111.

[4] P. Laurentius Cavalieri, P. Petrus Pradene, Mag. Stephanus Casanova, Fr. Antoninus de Henricis et Fr. Antonius de Robore.

[5] Vide supra, t. V, pag. 54, n. 109.

[6] Hic ms. habet *valetudinis*, cujus loco, quia mendose positum videtur, scribimus *donationis*, scil., domus, quam emit et Societati donavit. Vide supra, t. IV, pag. 26, n. 32.

[7] Vide supra, t. V, pag. 55, n. 113.

sabat praedictus nepos; sed cum Gubernator et ipsius judex in possessionem rerum illarum vellent Collegium inducere, tandem compromiserunt, et judices compromissarii pronunciarunt hortum Societati legitime legari potuisse [1].

184. Vineam etiam quamdam ei adjudicarunt, quibusdam legatis prius et nonnullis rebus solutis; et quia de jure et de facto compromissio facta fuerat, lis fuit extincta, licet conquereretur defuncti [2] nepos cum Gubernatore se gravatum fuisse; et tamen judices compromissarii fuerant Auditor Gubernatoris et Dominus Laurentius de Virilibus, cum Domino Joanne Dominico Ciaccha, qui ecclesiam Collegio donaverat [3]: postea tamen rationi acquievit.

185. In domo et ecclesia S.tae Mariae del Passo jam dicta constitutus est eremita quidam, Fr. Matthaeus nomine, bonus Dei servus et Societati nostrae familiariter notus, ut aperiret et clauderet ostia, ne nostri ad id descendere ex Collegio cogerentur [4].

186. Semel tantum in hebdomada nostri ibi Missam dicere perstiterunt. Prohibitum tamen fuit Fratri Matthaeo ne sub titulo S.tae Mariae del Passo eleemosynam peteret, et ut liceret nostris pro suo arbitrio eremitorium illud repetere [5].

187. Non omittam quod cum exercitus Ducis Albani Tyburi versaretur, Dux Montis Leonis [6], qui ubique nostris benevolum admodum animum exhibebat, inde P. Vicario nostro scripsit ut P. Salmeronem, qui jam ex Belgio Romam redierat, Neapolim remitteret, ubi ejus opera magno cum desiderio expeteba-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 59, n. 126.

[2] Olim scriptum in ms. fuerat *de defuncto;* sed deletum est *de* et *o* mutatum in *i* Existimamus tamen mutandum fuisse in *ae* et scribendum *defunctae,* ita ut intelligatur sermonem fieri de Luciae Cintiae nepote, de quo in num. praecedenti. Haud enim poterat Laurentius de Virilibus defunctus judex esse compromissarius; et vinea, de qua agebatur, non ejus sed Luciae Cintiae fuerat. Vide supra, t. II, pag. 19, n. 35; et pag. 20, annot. 1.

[3] Plura de hoc viro invenies supra, t. IV, pag. 25, 26, 29, nn. 31, 38.

[4] Vide supra, t. v, pag. 59, n. 125.

[5] "In Santa Maria *del Passo* si potria mettere un eremito, purche sia huomo de bene, et non cerchi la elemosina sotto questo titolo de S.ta Maria del Passo, et sara d' avertire che non si metta in modo che possa col tempo dire *ego dominus,* allegando possessione...„ Polancus, *ex com.,* 3 Martii, 1556, Tivoli, al Rettore.

[6] Hector Pignatelli, de quo saepe in *Cartas de San Ignacio,* t. v, pag. 181 et 178; 395, et 263; 413 et 337.—Duci morem Lainius gessit eidemque scribebat 1 Decembris 1556: "Sopra il M.° Salmerone ho voluto obedirlo, et cosi lui stesso serà il portator di questa, et va molto voluntieri con desiderio a V. S. Ill.ma et a tutta la citta a gloria de Cristo N. S.re„

tur; et salvum conductum Ducis ad id offerebat. Erat eodem tempore Tyburi Joannes Gurrea [1] nondum sacerdos, qui cum nostri tyburtini propter paupertatem non possent ipsi necessaria sine incommodo subministrare, a quibusdam militibus eleemosynam petens, non paucos aureos accepit, multo plures habiturus, si a pluribus eleemosynam petiisset.

188. Collegium etiam nostrum eleemosynas ex domo Ducis Albani, qui nostris vicinus habitabat, non semel accepit; itaque, quod ad Collegium attinet, potius ab exercitu hoc commodum quam damnum accepit; et in aliorum favorem pietatis etiam officia apud primores exercitus exercendi occasionem habuerunt.

189. Cum eo tempore nostri adhuc arcte habitarent (tantum enim domum a fundatore emptam habebant), venit in mentem quod domus illa, quae Francisci Mudarrae [2] fuerat, quae ad tribunal Inquisitionis, eo damnato, fuerat devoluta, impetrari poterat, et multum utilitatis Romano Collegio adferre; de quo dividendo, si bella ulterius procederent, P. Vicarius cogitabat; et alioqui propter valetudinarios habitatio major necessaria erat. Visum autem fuit ab ipsa civitate domum hanc postulari decenter posse; quod cum significatum esset magistratibus et aliis quibusdam primariis viris, non solum litteras valde officiosas scripserunt simul cum Gubernatore et Episcopo, sed duos etiam cives, scilicet, Joannem Dominicum Ciaciam et Marcum Cenciam, Societatis nostrae addictissimos, miserunt, ut Marcus nomine civitatis, Dominus Joannes Dominicus nomine Episcopi, ab Inquisitoribus postularent [3], beneficium non vulgare civitati in eo conferendo.

190. Quamvis autem illi diligenter officio suo functi sunt, ob causas, ut credibile est, rationi consentaneas, domus obtineri non potuit; sed civitas et Episcopus suum affectum nihilominus ostenderunt.

191. Templum nostrum resarciendum, dealbandum et ornandum nostri hoc anno curarunt: locus altari summo proxi-

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 373, n. 801.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. V, pag. 48; et praeter ea ibi in annot. 1 memorata, BARTOLI, *Vita di S. Ignacio*, lib. II, § 42; et Polanci, *ex com.*, litteras ad P. Laurentium Cavallieri datas 3.ª Julii 1556.

[3] Ms. *ut*.

mus latericio pavimento substratus est, et usque ad fornicem, quae est in medio templi, asseribus contectus est; sedilia etiam confecta, et imago magna Crucifixi, a fundatore donata, nigro velamine a tergo posito, magnam intuentibus devotionem excitabat. Tegmen etiam, quod *supra coelum* vocant [1] cum nomine Jesu depictum, ad frequentandam ecclesiam multos invitavit. Cancellis etiam altare septum est, quibus communicaturi adhaerebant; et cum paulo ante hoc templum Tyburi abjectissimum habebatur, nunc commodissimum ad sacramentorum et verbi Dei ministerium, nec parum ornatum, habebatur.

DE COLLEGIO AMERINO

ET ALIIS QUIBUSDAM MISSIONIBUS

192. Superius occasio Amerini Collegii et prius ejus initium descriptum est [2]: agebatur de loco quodam, dicato B. Virgini [3], in usum Societatis accipiendo. Sed templum parum capax erat, licet aër salubris et pulcher aspectus habitationis esset. Civitas ipsa [offerebat] centum aureos singulis annis, quam fere summam magistro scholae solvebat. Sed initio P. Ignatius admitti noluerat hoc Collegium, sed ut domum quamdam, ubi quinque vel sex habitare et totidem hospites excipi possent, et tanquam membrum Collegii Romani ad convalescentium aut valetudinariorum recreationem; et ita cum civitate de reditu actum non est [4].

193. Dominus Doymus Naucius [5], amerinus, cum P. Mi-

---

[1] Italice, *baldacchino*, hispanice *dosel*.—Tegmen sive aulaea suspensa, desuper extenta.—*Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 164, sic rem describunt: "Idem quoque D. Laurentius linteum tegmen, quod *supracoelum* vocant, dedit, quod nunc ipsi altari imminet supra positum. Candidum illud est, in medio habens nomen Jesu intertextum, una cum geminis utrinque angelis„.—Vide etiam *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 498.

[2] Pag. 28, n. 74.

[3] Di Santa Maria di Posteria. Polancus, *ex com.*, P. Michaëli Botello, 4.ª Julii 1556.

[4] De his egit Polancus litteris supra memoratis et aliis eidem Michaëli Botello scriptis 24.ª Julii.

[5] Hujus jam saepius mentio facta est tum in hoc *Chronico*, tum in *Litterae Quadrimestres*, tum etiam in *Cartas de San Ignacio*. Mirum quot modis ejus cognomen, quod

chaële Botello hac aestate tractaturus negotium hujus domus venerat, qui ex patrimonio suo domum quamdam post vitam sororis ac nepotis in usum Collegii dabat, cujus etiam habitatione statim uti poterat.

194. Habebat et agrum, quo privare nepotem nolebat, sed si liberos ille [1] non reliquisset, devolvi ad Collegium Amerinum testamento decernebat. Interim partim ex suis, partim ex eleemosynis aliorum, diligenter curabat.

195. Facultate ergo a P. Ignatio accepta, non jam ecclesiam illam B. Virginis, sed aliam capaciorem, scilicet Michaëlis Archangeli, per resignationem ejus, qui eam possidebat, in manus Episcopi [2] et applicationem ab eodem Episcopo factam solemniter admodum admiserunt. In matutina enim concione P. Michaël, cui Gubernator et magistratus et cives primarii aderant, eis significavit possessionem ecclesiae capiendam esse; et ita optimi quique et praecipui, ad locum ipsum cum venissent [3], eodem die possessio coram omnibus, rogato etiam Vicario, accepta est. Locus optimus habebatur in medio urbis ad aquilonem versus; situs satis amplus ut augeri posset aedificium. Habebat et hortum proprium, et alium valde vicinum civis cujusdam, qui dare illum vili pretio paratus erat.

196. Hoc autem erat consilium Domini Doimi, ut duo ex nostris in ipsius domo habitarent, donec aedificium necessarium apud S.m Angelum conficeretur.

197. Cives amerini magno affectu charitatis Societatem amplectebantur: sed quia pauperes sunt, non videbantur magna subsidia daturi, sed multa minuta, et centum illos aureos, quos diximus, quamvis octoginta scholae magistro dare soliti essent [4].

---

fuisse videtur *Nascio*, scriptum reperiatur.—UGHELLI, l. c., scribit *Naccius*.—Sic etiam indiscriminatim scribitur *Doymus* ac *Doimus*.

[1] Scil., nepos

[2] Erat is Joannes Dominicus Moriconi, qui jam a traginta et sex annis dioecesim illam tenebat. GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae;* UGHELLI, *Italia sacra*, t. I, col. 301.

[3] Ubi nos *cum venissent* scribimus, ms. habet *venientes*.

[4] Supra, n. 192, dixerat Polancus Amerinam civitatem offerre "centum aureos, *quam fere summam* magistro scholae solvebat „Nunc autem ait: "centum illos aureos, quos diximus, quamvis *octoginta* scholae magistro dare soliti erant.„ Ex his, non nimis concinne dictis, intelligendum videtur amerinos cives Collegio obtulisse centum aureos, et hanc summam confecisse ex octoginta, quos ad id usque tempus ludimagistro solvebant, et ex viginti aliunde conquisitis.

198. Nobilis quaedam vidua domum quamdam e regione S.ti Angeli in scholarum usum obtulit; et quia ruinam ex parte minabatur et reficienda erat, calcem etiam obtulit et supellectilia [1].

199. Coeperat eadem crebro confiteri et communicare; et cum unicum filium quem habebat amisisset, videbatur velle Collegium S.ti Angeli haeredem relinquere [2]. Alii etiam privatim alia auxilia paulatim offerre coeperant; nam magnopere concionibus P. Michaëlis Botelli afficiebantur, quas dominicis et festis diebus in ecclesia Cathedrali, profestis autem in variis monialium monasteriis habebat.

200 Cum autem decima nona Augusti Episcopus ecclesiam S.ti Angeli cum toto illo situ Collegio univisset, exceptionem fecit fructuum, quorum donationem fecit sacerdoti, qui in ejus manibus eam ecclesiam resignaverat. Et quia curam habebat [3] animarum, alio eam transtulit; sed quia reparatione indigebat ecclesia, sex cives a communitate designati fuerunt, ut eam reparandam et concinnandam curarent.

201. Scholae autem ante initium [4] sequentis anni inchoandae non erant, nec ad illud usque tempus quisquam ex nostris tenebatur Ameriae residere; sed expedire visum est ad civium consolationem et utilitatem, ut aliquis sacerdos cum uno vel altero socio ibidem jam ex eo tempore maneret, et ita factum est.

202. Doctor quidam scrupulum movebat quod Episcopus sine facultate Summi Pontificis non poterat fructus ab illa parochiali ecclesia separare et illi sacerdoti [5], cujus erat beneficium, ut fecerat, donare; et ita Romam scriptum ut, si opus esset, hic defectus suppleretur, quamvis aliis legitime id factum ab Episcopo videretur [6].

---

[1] Vide Polanci, *ex com.*, litteras ad P. Michaëlem Botello, 24 Julii hujus anni datas.

[2] "A la buena dueña *(señora)* se dé muchas gracias della donacion de su casa, y mañana plaziendo á Dios se dirán diversas misas por su hijo.„ Polancus, *ex com.*, Vic. Gen., 28.ª Augusti, Patri Michaëli Botello.

[3] Scil., ecclesia Sti. Angeli parochialis erat, seu curam annexam habebat animarum.

[4] Ubi nos scribimus *initium*, ms. habet *annum*.

[5] Ms. *sacerdotum*.

[6] "La renunciation pudo hazer el Parrochyano de Sto. Angelo en manos del Obispo, si se hizo *simpliciter* y no en favor deste ni estotro. La colation del Obispo á la Compañía tenemos tambien por válida, y assí se hizo en la de Tiboli, porque puede unir el Ordinario de *jure communi* en algunos casos como esto. El dar los fructos por su vida al clérigo, yo me informaria si lo puede hazer, y si ubiesse avido cosa que invalidasse

203. Fuerunt ergo confectae ecclesiae portae, quibus indigebat, et novo pavimento latericio constrata est, et totum templum interius dealbatum. Quaedam autem domus vicina ecclesiae conducta est, ad quam P. Michaël Botellus migravit; sic enim expedire visum est multas ob causas, tum ad decentiam, tum etiam ad honestatem pertinentes; et id populus non parum optabat. Itaque vigesima quarta Augusti eo commigravit, et ex eleemosynis populi vivere coepit. Nec displicebat eis, tanquam recreationis locum et confirmandae valetudinis, hunc locum assumi tamquam membrum Romani Collegii [1]; et prorsus eis, qui capite laborabant, propter aëris puritatem multum emolumenti allatura haec habitatio videbatur.

204. Habebat etiam magnam quietis occasionem ea civitas, cum extra viam tritam in Aemiliam et Longobardiam esset, quamvis euntibus ad Lauretanum Collegium et Perusinum et commodior et brevior ea via futura dicebatur. Et quia civitas propter paupertatem aedificare non poterat domum, illam, in quam P. Michaël migraverat, conducere decreverunt, cui magna quaedam domus erat conjuncta, quae trecentis ducatis emi posse dicebatur. Et si Collegium Romanum ex nostris multos Ameriae habiturum erat, non abs re videbatur si domum illam emeret.

205. Mulieres amerinae, ac praesertim religiosae, multis orationibus apud Deum instabant, cum ageretur de ecclesia S.ti Angeli, ut ea obtineretur; et cum sacerdos, qui eam prius possidebat, initio difficilem se redderet, eo quod domum aliam non haberet in qua habitaret, civis quidam domum ei commodam obtulit, qua, dum viveret, uteretur.

206. Deputati autem praedicti [2] aliquot vini dolia et aliqua necessaria venturo collegio parare incipiebant. Pater autem Michaël, praeter praedicationis ministerium et negotia, quae ad obtinendam et concinnandam ecclesiam ac domum pertinebant, licet valetudinarius esset, non poterat suam operam quibusdam, qui ei confiteri volebant, denegare.

207. Quibusdam etiam inter se dissidentibus ac inimicis

---

lo hecho se supplirá como mejor se pudiere.„ Polancus, *ex com.* Vic. Gen., M.° Botello, 28 Augusti.

[1] Vide supra, pag. 63, n. 192.

[2] Cives sex a communitate designati. Supra, n. 200.

conciliandis inter sese dedit operam, nec sine fructu; quia tamen debilis erat admodum, suasit ei medicus ut Narnium civitatem, quinque millibus passuum Ameria distantem, ad aliquot dies secederet [1]. Prius ibidem fuerat, cum Ameriam veniret, et a Patris Fulvii Carduli [2] consanguineis amanter admodum exceptus fuerat, qui sunt ex primoribus ejus urbis et magnopere collegium Societatis penes se habere cupiebant. Et cum illis praesentibus in monasterio monialium S.ti Bernardi concionatus esset, de ratione sustentandi duodecim ex nostris inter se agebant.

208. Post secundam vero, quam in eodem monasterio habuit concionem, Abbatissa, omnium monialium nomine, P. Michaëlem rogavit ut omnium confessiones audire vellet; sed quia Dominus Doymus properabat Ameriam, eas consolari non potuit; sed nec in hoc reditu valetudinis causa [3].

209. Fuit autem biduo apud Dominum Flavium *(sic)* Cardulum et de aliquo loco ad Societatis usum quaerendo actum est, cum duo qui ostensi fuerant, licet commodi alioqui fuissent, honestas ob causas non admittendi visi sunt; et post biduum Ameriam rediit.

210. Cum de collegialibus extra Romam mittendis, si quae necessitas urgeret, a P. Vicario ageretur [4], scire voluit quae commoditas Ameriae futura erat ad aliquos ibi excipiendos et alendos, et quid pro singulorum sustentatione expendi necesse esset; et rescripsit P. Michaël, re cum amicis tractata, quod viginti mitti poterant, quibus et domos et lectos offerebant, et pro singulis ad unum annum undecim aurei satis superque futuri esse inventi sunt.

211. Itaque ducentis viginti aureis viginti posse uno anno sustentari, re exacte computata, constabat, et lecti [5] ex Urbe

---

[1] "La yda de Narni está muy bien; aunque para tomar allí Collegio aya algo que pensar.„ Polancus, *loc. cit.*

[2] Hujus jam saepius in hoc *Chronico*, t. II, III, IV et V, sermo factus est.

[3] "Il confessar le monache per una volta o doi non repugna alle Constitutioni nostre, havendo l' ochio alla reformatione o rinovatione de vita. Ma se V. R. non si trova con forza o li pare finalmente che non conviene, potrà scusarsi con quella Constitutione de non poter noi essere confessori de monache, il che se intende per ordinario.„ Polancus, *ex com.* M.° Botello, 24 Julii.

[4] De Collegio Romano extra Romam dispergendo, si bella urgerent, P. Vicarius cogitabat. Vide supra, pag. 62, n. 189.

[5] Haud satis hoc de *lectis* congruit cum his, quae nu.n. praecedenti dicta sunt.

per muliones deferri poterant; nam tantum de victu inita ratio est. Ea enim civitas rebus necessariis abundat, pecunia pauca ibidem invenitur. Dominus Doymus domum suam ad usum horum viginti offerebat, et multi prorsus Roma ut ad pacatam civitatem, ut tumultus bellorum fugerent, Ameriam veniebant.

212. Quia tamen P. Michaël Botellus melius, quoad valetudinem, Romae quam Ameriae habitaturus videbatur, prout idem Doymus scribebat; ut posset inde revocari, missus est a P. Vicario P. Georgius Passius, sardus [1], cum Fratre Alexandro Albanensi ac Leonardo. Aliquamdiu enim [2] ibi mansit P. Michaël Ameriae, partim ut in concione significaret adventum P. Georgii, partim ut ad festum Omnium Sanctorum in audiendis confessionibus eumdem posset juvare: multi enim ejusdem concionibus moti, ad hujusmodi confessiones se praeparabant; quibus peractis, Romam rediit, quamvis cum magno doloris sensu civitas ejus recessum tulit, quae ipsum et dilectione et veneratione magna prosequebatur.

213. Pater autem Georgius vineam Domini amerinam excolere pro virili parte studuit, et in doctrina christiana docenda et in confessionibus audiendis sese exercere coepit; et in monialium monasteriis conciones habere et ad ea, quae pertinebant ad religiosum institutum, moniales exhortari pergebat. Et cum in monasterio S.tae Catharinae quaedam generalem confessionem fecissent, pia aemulatione ac fervore fere omnes generalem hujusmodi confessionem ei fecerunt et ad Dei amorem quaerendum sollicite incumbebant [3]. Curavit ut ad vitam communem omnes redirent; et quamvis dicerent quod monasterium tale invenerant, cum illud ingressae fuerant, nihilominus pecuniam, quam habebant, Abbatissae dederunt quot-

---

[1] De P. Georgio Passio haec D. Doimo scribebat Polancus, *ex com.* Vic. Gen., 23 Octob.: "E di natione Sarda et persona nobile et che ha lasciato diversi canonicati et benefitii che teneva: et va con molta devotione per aiutare secondo l'ordine del' obedientia nelle cose spirituali la città. Dio N. S.re lo faccia instrumento del suo servigio. Non ha voce ne inclinatione per predicare, ma con le confessioni, esercitii spirituali et santo essempio et conversatione, oltra le messe ordinarie, aiutarà li proximi...„

[2] Rectius fortassis diceretur *autem*.

[3] Civitatis amerinae sacerdotes scripserant Patri Vicario Generali, ut copiam faceret P. Georgio audiendi in confessione moniales Stae. Catharinae. Illis Polancus, *ex com.* Vic. Gen., 22 Novemb., litteris *al clero* datis, respondit secundum sensa nostrarum Constitutionum. Patri autem Georgio rescripsit: "*V. R. potrà confessare una o due volte le monache de S.ta Catharina*„

quot ei confessae sunt, et reliqua quae habebant; quamvis Abbatissa, retenta pecunia, alia eis utenda reddidit.

214. Cum jubilaeum a Summo Pontifice concessum Ameriae innotuisset, ultima scilicet dominica Adventus, ab aurora usque ad unam noctis horam [1], in confessionibus P. Georgius occupatus erat; magistratus autem et nobiles non paucos noctu audiebat et usque ad tertiam noctis horam cum eis occupabatur.

215. A vigilia autem Natalis Domini quotidie Missam celebrare in templo nostro coepit et in dies eam audientium numerus crescebat. Concinnata ea [ecclesia] fuerat magis in dies, et Roma ad se aliqua ad altarium et ipsius templi ornamenta mitti Ameriam postulavit; nec prius christianam doctrinam explicare in ea voluit quam concinnata esset; nec solum quae initio praediximus [2], sed alia multa ad ejus templi ornamentum vel sublata vel addita fuerunt.

216. Ex eleemosynis autem facile vivebant, quum [3] libenter quae ad victum erant necessaria cives nostris communicarent.

217. Cum autem P. Natalis ex Hispania Romam rediret [4] cum P. Victoria, per Amerinum Collegium transivit ut statum rerum omnium dispiceret [5] et Patri Vicario referret.

Et haec de Amerino Collegio.

---

218. Populus Morbegni sub ingressum Vallis Telinae [6], ut superius diximus [7], situs, suis litteris, decima sexta Martii et vigesima secunda Aprilis ad P. Ignatium datis, collegiolum

---

[1] Nempe, usque ad unam horam post occasum solis. Sic tertia noctis hora (ut statim dicitur) est hora tertia post solis occasum, juxta usurpatam a Romanis rationem dividendi diem, aut numerandi horas.

[2] Pag. 66, n. 203.

[3] Ms. *ut.*

[4] Ms. *rediens.*

[5] Id, ut faceret, scripsit Polancus, *ex com.* Vic. Gen., M.° Natali Florentiam, 14 Nov., et P. Georgio Passio 30 ejusdem mensis.

[6] Ms. habet *Celinae.*

[7] Vide supra, t. IV, pag. 135-139: "De his quae Morbenii et aliis locis citra Romam gesta sunt.„

quatuor personarum magna cum devotione petebant, paulatim numerum augendum significantes, ex quibus unus sacerdos ad praedicationem idoneus, alter ad instituendam in litteris juventutem aptus esset, quibus domum providerant cum supellectilibus necessariis, et ecclesiam, cum horto et rebus ad sustentationem necessariis. Ac Summus Pontifex id etiam sibi gratum futurum significavit; et quamvis opus sane pium videretur, non tamen ea operariorum suppetebat copia, ut simile collegiolum admittendum videretur [1].

219. Simile collegiolum spoletina civitas optare videbatur; cum enim P. Vicarius, ut superius diximus [2], mente tractaret quod, bellis in Urbe et prope illam perseverantibus, expediret fortassis collegiales romanos ad alia loca ad tempus transferre, intelligere voluit a domino Thoma Lilio, postea Episcopo Sorano, qui Spoleti tunc versabatur, num in ea civitate aut aliqua ex vicinis domus aliqua commode inveniri posset, ad quam collegiales romani, si opus esset, migrare possent [3].

220. Rem ille cum quibusdam spoletinis contulit, et offerebant illi commodam habitationem, lectos et reliqua supellectilia ad viginti quinque personas excipiendas, et praeterea aliam bonam habitationem supellectilibus instructam cum omnibus ad victum et vestitum necessariis pro quatuor personis, ex quibus aliqui pueris instituendis darent operam. Addebat Dominus Thomas (ex praecipuis is erat ministris Cardinalis Farnesii et de Societate bene meritus) cives spoletinos hoc magnopere expetere, et in dies horum [4] etiam numerum augendum esse tanquam certum affirmabant, et velut hospitium quoddam futurum ad Collegium Lauretanum, et multos bonae indolis juvenes ad Societatem esse accessuros. Cum tamen tumultus bellicus sub anni finem conquievisset, nec collegiales extra Romam missi essent, ne hoc quidem initium collegii admissum est.

---

[1] Momenta, quibus *opus* hoc *sane pium* exequi Stus. Ignatius nolebat, invenies in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 488 et 270.

[2] Pag. 62, n. 189; et pag. 67, n. 210.

[3] Polancus, *ex com.* Vic. Gen., 5 Novembr., 28 Novembr. et 26 Decembr.—Vide supra, t. III, pag. 11, n. 13.—Porro "Thomas Lilius (sive Giglio) Bononiensis, Antistes Soranus cooptatus est anno 1561, 24 mensis Octobris: ad Placentinam sedem deinde translatus fuit 1577.„ UGHELLI, *Italia sacra*, t. I, col. 1248.—Ejus, qui non parum Ignatio auxilii Romae praestitit, praesertim negotiis in curia agendis, saepius jam facta mentio est, tum in hoc *Chronico*, tum praecipue in *Cartas de San Ignacio*.

[4] Nostrorum, scil., qui in altera hac domo pueris instituendis darent operam.

221. Mense Majo ejusdem anni Legatus Ducis Urbini [1] de collegio in urbem ejus ditionis, nomine Cagli, mittendo cum P. Ignatio egit et de re eadem Episcopus Urbini et ipsamet civitas cagliensis scripsit, significans se magno desiderio teneri fructum aliquem ex laboribus capiendi, et ita publica deliberatione decretum apud ipsos fuisse, ut omni studio collegium ad se mitti curarent, a quo ipsorum juventus excoleretur. Sed satisfieri eorum piis votis difficile eo tempore visum fuit [2].

222. In gratiam Cardinalis Carpensis P. Fulvius Androzius cum Joanne Ignatio Meldulam missus initio hujus anni fuit [3]. Prope Fulginum in quadam Abbatia, quae S.ta Maria in Campis dicitur, hospitium nocte quadam habuit: quemdam enim ibidem amicum habebat, et affligebat bonum Christi tironem [4], quod parum religiose viventes juxta sancti Ordinis institutionem eos monachos videret, et dolorem augebat quod fugere ipsum propter colloquia spiritualia videbantur. Unus tamen eorum, corde valde compunctus, confessionem generalem vitae totius multis cum lacrymis apud eum fecit. Alter etiam promisit se Lauretum ad spiritualia exercitia suscipienda venturum. Tertius etiam, quem amicum ipsius diximus, bona etiam reformationis signa dedit. Et cum in ecclesia mane Missam celebrans [5] ad evangelium explicandum se convertisset, cum agricolae aliqui et pauperes mulieres eum audissent, rumor pervasit civitatem vicinam, id est Fulginum, quod quidam apostolus eo venisset. Camerinum inde pergens, cum unus ex his monachis eodem iter faceret, ex monte quodam lapis descendens crus illius laesit; et quia pedes incedebat, descendit ex equo P. Fulvius et monachum illi imposuit, et quod reliquum erat itineris cum ocreis gravibus, non sine labore, cum jam nox advenisset, confecit.

223. Sed monachus, charitatem hanc magnopere admiratus, non parum eo exemplo, ut postea visum est, profecit; et

---

[1] Dux Urbini erat Guido Ubaldus de la Rovere. (Vide supra, t. III, pag. 31, n. 52.) Ejus legatus sive orator, Joannes di Simoneta.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 490: "Al Gonfaloniere ed ai Priori di Cagli„ et pag. 491: "Al Vescovo di Urbino„ qui ut patet ex hispanica translatione ejusdem epistolae (*ibidem*, pag. 277) vocabatur Felix Tiranni.

[3] Vide supra, pag. 30, n. 80.

[4] Pater enim Androzius (sive Androtius, utroque enim modo scribitur,) ingressus in Societatem fuerat initio hujus anni, ut dictum est supra, pag. 7, n. 10.

[5] Androtius.

Episcopo Camerini [1] cum aliis magnae aedificationi id fuit; a quo cum humanissime exceptus fuisset, et de spiritualibus exercitiis peculiariter interrogatus, sic disseruit ut Episcopus, cum primum Romam veniret, se ea postulaturum affirmaret. Sed miram aedificationem se accepisse Episcopus ostendit, ita ut ne a lacrymis quidem temperaret, cum ingressum Societatis Domini Hieronymi de Choloredo intellexisset [2], et dolere se significabat quod non idem ipse facere posset.

224. Inde Lauretum pergens et aliquamdiu ibidem commoratus, Majo mense Meldulam pervenit, ubi assignatus est ei cum socio locus quidam, qui S.to Rocho dicatus erat, et hospitalis velut membrum erat, ubi ecclesia parva, cum habitatione et horto commodo in aëre salubri, erat; et haec videbatur mens esse Domini Leonelli Pii, ut eo in loco Societas maneret, quamvis potius ut ad missionem quamdam missus P. Fulvius cum socio videatur [3]. Suggestum tamen et sedem confessionibus aptam et alia necessaria ibidem parari P. Fulvius curavit, de quo, propter doctoratum et canonicatum relictum [4], magna erat apud populum illum existimatio.

225. Curavit autem ut administratores hospitalis confiterentur et communicarent, et ad frequenter id agendum eos adducere nitebatur. Immo et Dominus Leonellus cum uxore, pia in primis matrona, eidem P. Fulvio promiserunt velle se sacramenta sancta frequentare, et in rebus majoris momenti libenter consilium praedicti Patris admittentes [5], eo ipso apud populum majorem auctoritatem ipsi conciliabant.

226. Diebus autem dominicis et festis nunc ipse P. Fulvius, nunc socius Ignatius, concionabantur; et quidem Joannes in platea cum magna aedificatione id praestabat [6]: alternatim autem concio de christiana doctrina et aliis de rebus fiebat.

---

[1] Erat Berardus Bongiovanni. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 577, annot. 1; et infra, n. 270.

[2] De quo mentio facta est supra, pag. 5, n. 3.

[3] Vide dicta supra, pag. 30, n. 80.

[4] Cf. OLIVERII MANAREI, *Commentarius de rebus Societatis*, § 8; et in hoc *Chronico*, t. IV, pag. 49, n. 83.

[5] Ms. *admittens*.

[6] Tanta in dicendo frater Joannes Ignatius vi et gratia pollebat, ut non dubitarit Fulvius Androtius haec scribere Polanco, 17 Augusti 1556: "Nè mi pare lasciar di dirle che il fratello Giovanni sta bene et predica con tanto spiritu che mi maraviglio come tutte queste genti non si convertano a Dio Nostro Signore. Credo saria molto bene

227. Ad scholas etiam Joannes Ignatius se conferebat fere quotidie ut ibi christianam doctrinam scholasticis explicaret, quos P. Fulvius ad ecclesiam adducendos curavit, ut quem progressum in doctrina christiana fecissent, intelligeret, et in litaniis dicendis eos exerceret: quasdam enim cum eis processiones facere per oppidum, ad implorandam Domini misericordiam in calamitatibus ejus temporis, cogitabat.

228. Inter praecipua, quae Dominus Leonellus a nostris expectabat, reformatio erat ministrorum hospitalis; et ita festis diebus Missa in hospitali celebrata coram confraternitate, quae curam hospitalis habebat, eisdem congregatis, praemissa exhortatione, de ipsorum constitutionibus disserebat, a quarum observatione satis recesserant, et oportebat eodem die referre Domino Leonello quae hac in parte acta fuerant.

229. Invisebant eum [1], consilii petendi gratia, multi ut de spiritualibus rebus cum eo loquerentur. Domina etiam ejus oppidi, uxor Domini Leonelli, secundo quoque die ab eodem instructionem et exhortationem aliquam habere cupiebat; id autem male habebat P. Fulvium, quod ab omnibus, tam ecclesiasticis quam saecularibus, et etiam religiosis, nimius honor et reverentia exhiberetur.

230. In custodia meldulensi Comes quidam propter quaedam conventicula tenebatur; quem cum allocutus esset P. Fulvius, sic compunctus et humiliatus fuit, ut nihil Meldulae actum P. Fulvius a se existimaret, quod tanti momenti ad Dei obsequium esset.

231. Quasdam etiam inimicitias, quae prius extingui non potuerant, uno vel altero colloquio sopivit; nam utraque pars suum negotium in ipsum rejecit.

232. Cum autem christianam doctrinam explicabat, filius Domini Leonelli et Faventinus Episcopus [2] et alii multi auditores erant. Prima autem die Julii processionem, de qua prius memini [3], [cum] pueris inchoavit; sed fere omnes sacerdotes ejus

---

farlo attendere alle lettere, perche ha nel predicar gran talento, et credo Nostro Signore molto se ne servirà in salute delle anime et per la nostra Compagnia. *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 539.

[1] P. Fulvium Androtium.

[2] Theodoricus Pio de Carpi, "ex Cardinalis Rodulphi, fratris, cessione electus Episcopus Faventinus die X mensis Octobris 1554.„ Ughelli, l. c, t. II, col 507.

[3] Supra, n. 227.

oppidi P. Fulvio se adjunxerunt et alii multi saeculares; et ita singulis diebus sabbati tantumdem facere decrevit. Deducebantur enim homines in ecclesiam, ubi litaniae per totum oppidum decantatae terminabantur, et aliquam orationem coram S.mo Sacramento in parochiali ecclesia ducebat [1], sic inducere populum tentans ad orationem more lauretano [2] faciendam; et ita alia pietatis opera idem Pater cum socio prosecuti sunt.

233. Parmae quidam Joannes de Riva cum aliis civibus de Collegio Societatis instituendo et privatis ipsorum facultatibus alendo agebant, et ad id P. Baptistam Violam Parmam evocarunt, ubi, quibusdam ipsius bonis venditis, quae Societati donaverat, aliquod pecuniae subsidium Romam misit.

234. Primis hujus anni mensibus, magnis cum incommodis aëris et viarum, visitabat P. Bobadilla multa Sylvestrinorum monasteria [3]. Concionabatur tamen in civitatibus, in quibus vel prope quas hujusmodi monasteria erant; quod bis fecit Recinati coram Episcopo ac magistratibus et tota civitate. Tantumdem et Maceratae fecit coram Gubernatore Marchiae et magistratibus, et quidem cum ipsorum ac reliquorum civium satisfactione.

235. Idem Belforti et Camerini fecit, ubi ipso die Purificationis est concionatus, et a prandio epistolae, quae eodem die in Missa dicebatur, lectionem cum habuisset, ex laboribus et incommodis in morbum incidit, ubi tam a Gubernatore et magistratibus quam ab Episcopo [4] honorifice et amanter exceptus est, et prandebat cum eo cum ibi fuit, noctu cum suis monachis [5]. Sic in oppido S.ti Anatolii, quamvis corpore infirmus, concionem non omisit [6].

236. Matelicae autem a terrae illius Domino amanter fuit visitatus mane et vesperi; et nihilominus mane die dominico concionatus, a prandio epistolam [7] coram eodem Domino, magistratibus, capitulo et frequenti populo explicavit; et quamvis

---

[1] Sic perspicue in ms.; verum sensum non plene attingimus.

[2] Vide supra, t. v, pag. 74, n. 171; et pag. 80, n. 194.

[3] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 437 et 82; 469 et 190.

[4] Vide supra, pag. 72, n. 223.

[5] Scil., cum monachis Sylvestrinis, quorum reformandorum cura sibi (Patri Bobadilla) demandata erat.

[6] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 478 et 203; et in hoc *Chronico*, supra, t. v, pag. 45, n. 87.

[7] Quae in Missa lecta fuit.

dies essent carnis privii, non solum libenter eum audiebant, sed etiam ut rediret promissionem exigebant.

237. Et cum similia etiam Chasteletae fecisset, Anconam, ut Episcopo [1] promiserat, venit. Optabant enim magistratus, quos priores vocant, cum ipso de institutione collegii Societatis agere; et forte eos ad id incitabat fuga ludimagistri cujusdam, qui Anconae publicas scholas tenebat; et ut suis filiis de institutione bona ac doctrina sana prospicerent, collegium instituere et ducentis aureis dotare, ut idem P. Bobadilla scripsit, volebant. Sed ille hoc negotium cum aliis tractandum esse dixit, [et] ut ad Rectorem Collegii Lauretani scriberent est hortatus [2].

238. Quod autem ad religionem Sylvestrinorum attinet, properabat ad reformationem conscribendam, et in Generali eorum Congregatione, in qua novus Generalis creandus erat, vigesima prima Martii, eam publicaturus erat. Et sic munere hoc perfunctus est et tanto cum fructu, ut ipse scribit, ut manus Domini valde manifesta apparuerit.

DE COLLEGIO LAURETANO

239. Sub finem praecedentis anni, id est, in autumno summus peregrinorum concursus, praesertim Septembri et Octobri mense, propter plenarias indulgentias illi templo concessas, tantus fuit, ut certissima ratione nostris compertum fuerit quinque hebdomadarum spatio octo millia et septingentos homines sacram communionem accepisse; et in messe tam copiosa non solum dies solidos, sed aliquot etiam noctis horas, nostri confessionibus impendebant; nec tamen tantae multitudini pro votis satisfacere valebant.

240. Interim autem in platea et porticibus, ubi otiosorum hominum et tripudiantium muliercularum, prout assolet, ma-

---

[1] Fr. Matthaeo Lucchi, O. S. D.

[2] Cf. apud Boero, *Vita del servo di Dio, Padre Nicolò Bobadilla*, in appendice, n. 1, *Catalogus et nomina locorum, in quibus concionatus est ac legit Magister Nicolaus Bobadilla Societatis Jesu ad gloriam Dei et salutem animarum in vita sua.*

gna erat frequentia, aliqui ex fratribus nostris crebris exhortationibus ac concionibus ad modestiam et Dei timorem eos revocare nitebantur. Et tam ex sacerdotum quam ex eorum fratrum laboribus non mediocris fructus perceptus est.

241. Sed et fama hujus Collegii celebrior in dies per Marchiae aut Piceni et alia loca reddebatur; et ubique magno desiderio Societatis tenebantur; et si aliquem ex nostris vel ad tempus brevissimum penes se habere possent, feliciter secum agi putabant; quod apparuit manifeste in oppido quodam, quod Montem Sanctum [1] vocant, quo cum duo ex nostris sacerdotibus destinati essent, nullus propemodum fuit qui magna laetitiae signa non proderet, et magistratus statim ad ipsorum adventum, tuba per totum oppidum missa, omnes ad conciones audiendas et ad confessiones sunt adhortati.

242. Decem aut duodecim dies nostri eo in loco commorati sunt; et tum ex concionibus, adhortationibus et christianae doctrinae lectionibus, tum ex confessionibus auditis et aliis pietatis officiis fructum uberem retulerunt, cum populum, avidissime omnia quae proponebantur accipientem, ad veram pietatem cum divino gratiae auxilio promoverint [2].

243. Paces aliquot post diuturna et inveterata odia dissidentium compositae fuerunt. Restitutiones multae factae, Mons pietatis in pauperum subsidium erectus. Duo monasteria foeminarum non solum amplis eleemosynis, quibus egebant, adjuta fuerunt, sed ad reformationem juxta ipsarum institutum [moniales] adductae. Hospitale autem jam fere collapsum, publicis privatisque eleemosynis instauratum est. Multi, qui magno suo malo plurimos annos sacramentorum et gratia Dei se privaverant, per confessionem ad christianis dignam vivendi rationem sunt revocati.

244. Erant autem et frequentia confluentium ad confessiones et fervor valde magnus, inter quos, qui pietate et litteris celebriores erant inter ipsos, reliquos exemplo praeibant. Consulentibus autem de his, quae ad ipsorum conscientias pertinebant, abunde satisfactum est; quibus rebus effectum est, ut totum illum populum mirum in modum sibi devinxerint, quod

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 86, n. 217.

[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 69 et 76, ex quibus desumpta sunt quae hic et sequentibus numeris narrat Polancus.

frequentibus et amplis muneribus testabantur; quae tamen nostri omnino recusarunt.

245. Redeuntes autem ad sanctam Domum Lauretanam, magistratus ipsi cum aliis praecipuis civibus usque ad eum locum deduxerunt, ex quo templum ipsum B. Virginis cerni poterat, magnas eis pro accepto beneficio gratias agentes.

246. Cingulum etiam, insigne Marchiae oppidum [1], duo ex nostris missi sunt jam secundo, quibus contulit Deus solitum gratiae suae favorem; nam frequentibus communionibus et confessionibus populum, quem priori adventu excitaverant, ad maturiorem frugem adduxerunt; et mirum prorsus videbatur quantum gratiae divina bonitas debilibus suae providentiae instrumentis, ut matris suae in sancto illo loco alumnis, in suis ministeriis subministraret, ac praesertim in confessionis et communionis sacramentis conferendis.

247. Missus fuit tertio ad idem oppidum Cingulum Rector ipse P. Oliverius Manareus; sic enim P. Montoya, Superintendens [2], de consilio omnium fere sacerdotum expedire censuerat, ut communitas illa communi consilio, ad discordias quasdam et inimicitias antiquas inter primarias familias ejus oppidi componendas, Societatem nostram elegerat tanto suffragiorum consensu, ut ex octoginta fere duo dumtaxat illis defuerint; et nobilem quemdam doctorem, ut legatum suum, Lauretum miserant, ut duos sacerdotes ad haec negotia tractanda impetrarent.

248. Fuit autem adjunctus P. Oliverio P. Emmanuel de Montemajori [3], qui bis concionatus est de utilitate ac necessitate pacis cum magna auditorum satisfactione; et a Domino factum videbatur quod duobus illis diebus (erat autem Quadragesimae tempus) concionator ejus oppidi catarrho impeditus concionari duobus illis diebus non potuit, quamvis statim tertio die suas conciones resumpsit.

249. Deinde in tractando negotio pacis uterque usque ad sextum diem Aprilis ibidem commorati sunt. Cum autem P. Oliverius rem in longum extrahi videret, et Laureti magnus con-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 81, n. 200 et pag. 85, n. 211.—Et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 70.

[2] Joannes de Montoya. Vide supra, t. v, pag. 90 et 91, nn. 228, 232.

[3] Vide supra, t. v, pag. 86, n. 214.

cursus hominum esse audisset, P. Emmanuelem eo remittens, solus ipse, ad id quod reliquum erat conficiendum, Cinguli mansit.

250. Inter duas ergo primarias familias, quae oppidum illud centum annis et forte amplius in duas factiones divisum tenebant, ex qua inimicitia non incommoda solum gravia, sed homicidia etiam fuerant consecuta, has, inquam, familias, Deo adjuvante, eo adduxerunt, ut quod debebant coram Deo facere paratae essent, et decima die Aprilis P. Oliverius ejus confessionem audivit, qui alterius factionis caput erat et se difficiliorem praebuerat; nam alterum, alterius factionis ducem, prius ad confessionem adduxerat. Difficilis adhuc relinquebatur duarum aliarum familiarum reductio, quae prioribus erant annexae, quamvis ex his alterum caput promiserat se cum omnibus suis consanguineis paci consensurum, si ea fieret.

251. Negotium hoc maximi momenti erat non solum oppido praedicto, sed toti provinciae; nam ea cognatio late per Marchiam se extendebat; et unica tantum supererat domus ad pacem adducenda.

252. Perseveravit autem P. Oliverius usque ad vigesimam quartam diem Aprilis, et tunc Lauretum rediit; nam diu expectandum erat Cinguli, si ultima manus huic paci fuisset imponenda, cum quorumdam absentium esset consensus requirendus, ut caput illius domus, quae supererat, [qui] paratus etiam erat quamdam aceptam injuriam remittere, et sic demum pacem amplecti, si filio ipsius quaedam alia remissa fuisset, qui vulnus quoddam inflixerat viro jam defuncto; sed [petebat ut] a quatuor ejus filiis, qui Romae, Perusii et alibi versabantur, vulneris illius injuria remitteretur.

253. Quibusdam ergo nobilibus viris quod reliquum erat hujus negotii, propemodum absoluti, conficiendum reliquit; et totum illum populum optime affectum reliquit.

254. Ante recessum tamen bis P. Oliverius cum fructu concionatus est; unus autem ex praecipuis capitibus factionum, qui ei confessus est, et cum lacrymis et magna cum aedificatione sanctissimum Christi Corpus de ejus manibus sumpsit, in eam venerat animi humilitatem, ut paratus esset ad injuriam et vulnera, si opus esset, ferenda, nullam quaerendo vindictam, sed se tantum defendendo, quamvis et nobilitate et favore et divi-

tiis primas in eo oppido haberet. Et eo clarior motio Dei in eo observata est, quod duodecim annis, propter dissensiones, a sacramentis abstinuerat.

255. Hujus oppidi primores instabant vehementer ut collegium Societatis apud ipsos fieret; et in ipsorum consilio, quod centum viginti hominibus constat, decreverant assignare locum quemdam in usum collegii, cujus longitudo centum et octoginta passuum, latitudo nonaginta erat; et tam multas habitationes habebat, ut centum ex nostris excipere [posset]. Hortum etiam grandem et muro cinctum habebat et ecclesiam mediocrem; sed reditus ducentorum tantum scutorum offerebant, quod communitas ampliores non posset praestare. Beneficium quoddam, quod P. Madridius habuerat illo in loco, satis pingue, applicandum ad hoc ipsum opus fore sperabant; sed quia curam habebat animarum, de permutatione illius agebant. Sed P. Madridius beneficium hoc simpliciter resignavit [1]; et ne hoc quidem collegium maturuit, cum ad nova admittenda collegia minus Societas esset propensa quam aliquando fuerat.

256. Missi sunt etiam aliqui ex nostris ad Castrum Fichardum [2] ut populum illum, cui operam perutilem aliquando impenderant, verbi Dei praedicatione et sacramentorum ministerio consolarentur, quod et factum est cum magno ipsorum spirituali profectu.

257. Accersitus etiam est Anconam a Gubernatore almae Domus Lauretanae, qui tunc ibi agebat, P. Oliverius [3] Rector. Cognito autem ejus adventu, statim multi spirituales viri, se invicem incitantes, in templum quoddam convenerunt, et, legatione ad praedictum Patrem missa, multis precibus ad se illum adduxerunt, et ad spirituale colloquium, in quo normam vitae secundum Deum instituendae ipsis demonstraret, coëgerunt, non sine magno Dei honore, consolatione et fructu. Alia etiam pietatis opera ibidem peregit et ut in posterum fierent instituit.

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 87, n. 217.

[2] Castelfidardo. Vide supra, t. v, pag. 76, n. 177 et pag. 86, n. 216; et *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 71.

[3] P. Oliverius Manareus. Vide supra, t. v, pag. 87, n. 218. Gubernator autem almae Domus Lauretanae erat D. Gaspar de Doctis. *Litterae Quadrimestres*, ibidem.

258. Civitas Maceratensis eidem Rectori Collegii Lauretani scripsit mense Januario, rogavitque ut duos vel tres ex nostris sacerdotibus, ad aliquas conciones habendas et christianam doctrinam docendam idoneos, saltem ad quindecim dies ad se mitteret, eo quod ille populus hujusmodi institutione christiana magnopere indigeret [1].

259. Missi sunt autem eo Patres Emmanuel [2] et Joannes Mortagne, qui praedicationis et sacramentorum ministerio diligentem operam navarunt. Eo etiam venit P. Oliverius, qui nonaginta milliaria et amplius confecerat ut quibusdam, qui in peccato mortali vivebant (de quibus anno superiori dictum fuit [3]) investigaret et Christo reconciliaret; et cum decem fere dies huic pio labori, per varia loca incedendo, impendisset, eos tamen non invenit; et rediens, Maceratae praedictos Patres invenit.

260. Est ea civitas, inter alias provinciae Marchiae, magnae auctoritatis, et ibi Gubernator provinciae a Pontifice constitutus residet [4]. Ibi ergo, praeter conciones et christianae doctrinae lectiones, et praeter auditas infirmorum ac valentium multas confessiones, compositae fuerunt inter dissidentes quaedam inveteratae discordiae.

261. Xenodochium pauperum, quod per incuriam ruinosum et jam pridem aegrotis occlusum erat, instauratum fuit. Quaedam etiam societas, quam Divi Hieronymi vocabant, quam primores ejus urbis ad magnum pauperum praesidium tam corporis quam animae inierant, sensim vero dissolvi ac dirimi passi erant, quod nullus esset qui [ad] coeptum charitatis opus eos accenderet, ea, inquam, societas vel confraternitas nostrorum opera pristino fervori restitui coepta est. Socii autem quotidie statis horis preces sacras ad campanae signum frequentare, singulis autem mensibus sacramenta suscipere, ac munificentiam et pietatem in egenos exercere coeperunt.

---

[1] Non tamen statim obsecundare Maceratensium voluntati Lauretanus Rector potuit, sed nostrorum missionem in aliud tempus distulit. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 78.

[2] Emmanuel de Montemayor, de quo nuper dictum est. De P. Mortagne vide supra, t. IV, pag. 48, n. 79.

[3] Vide supra, t. V, pag. 88, n. 222.

[4] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 576, annot. 2, ubi Caesar Gambara, Derthonensis Episcopus, dicitur provinciae Marchiae Gubernator.

262. Invaluerat hoc anno, sicut et in aliis Italiae locis, annonae penuria, eratque pauperum et aegrotantium magna multitudo, nullo pene subsidio sublevata; illis autem post nostrorum adventum non solum praedicta confraternitas, sed omnis civitas, eadem illa charitatis opera ut exerceret, in tres partes distributa est. Ex singulis binae matronae nobiles, aetate grandes, et charitate prae caeteris commendatae electae sunt, quae contributas ex sua quaque tribu eleemosynas egenis sibi attributis et senio vel morbo languentibus, pro cujusque indigentia, distribuerent; quae omnia magistratus auctoritate confirmata fuerunt.

263. Submiserat interea naturae humanae hostis impuram quamdam et obscenam comoediam, quam juventus maceratensis in magna celebritate urbis actura erat. Impedire quidem nostri eam actionem studuerunt; sed cum propter impensas non parvas, quas jam insumpserant, quod optabant, omnino non obtinerent, ne tamen auctor diabolus triumpharet, orationem quadraginta horarum ipso die faciendam, quo comoedia erat exhibenda, nostri instituerunt. Ad hanc autem orationem tantus civium factus est concursus, tanta sacramentorum frequentatio, ut tres nostri sacerdotes, qui huic ministerio vacabant, a prima luce usque ad multam noctem vix tantillum otii ad cibum capiendum vel respirandum habere possent.

264. Rei autem novitas ad admirationem et pietatem animos vehementer commovit, et externi, qui illac iter habebant, ob geminum populi concursum quem conspiciebant, duas sibi videri civitates, alteram ad scenas, alteram ad templa confluentem, praedicabant; sed majorem ac potiorem partem civitatis sibi Christus vindicavit.

265. Hinc autem in Societatem nostram tam populi, quam magistratus et Gubernatoris Marchiae, singulare studium et observantia est consecuta. Praedictus autem Gubernator non solum quae a nostris acta fuerant comprobavit, sed diligenter se executurum, quae nostri suggesserant, ad blasphemias in Deum et Sanctos, et ad circulatores, qui plurimi Maceratae cum magno populi damno versabantur, eliminandos promisit.

266. Sibi etiam xenodochii curam futuram, et ad sanciendam inter aliquos cives pacem, quam propter nonnullorum ab-

sentiam nostri conficere non potuerant, quinque se viros ex omni civitate idoneos delecturum recepit [1].

267. In anni hujus progressu duo rursus ex nostris ad oppidum Montis Sancti missi sunt, et etiam tunc amplissimum ex ea Domini vinea fructum ceperunt, et peculiariter ex quodam monasterio monialium, quod pristinae Instituti ejus integritati et communis vitae, sine proprio, agendae rationi et sanctorum sacramentorum frequentationi restituerunt.

268. Ad magnas etiam quasdam et difficiles restitutiones aliquos induxerunt, et alios Satanae servituti diu mancipatos, Christo asseruerunt; inter quos juvencula, quam impura mater impurae vitae rationi destinaverat, nostrorum opera, qui Magistratus auxilium implorarunt, ab ea vitae turpitudine revocata fuit; et id a Magistratu impetratum est, ut eam, tanquam communem filiam ab ipso oppido adoptatam, apud honestas personas collocarent [2].

269. Ad oppidum S.ti Severini satis in Marchia nobile alii missi, paucis ibidem concionibus habitis, tum populum, tum sacerdotum collegia sibi magnopere devinxerunt; et ea vene-

---

[1] Juvat narrationem eorum, quae gesta sunt, audire ab oculato teste Manareo, qui his interfuit, et quorum pars etiam fuit:

"Sub haec tempora per modum missionis P. Emmanuel de Monte Majore, Lusitanus, et ego, diebus aliquot praecedentibus cineralia, concessimus Maceratam, metropolim agri Piceni. Inaudiveramus siquidem parari comoediam parum castam et alias vanitates quae obesse poterant moribus. Excepti fuimus a magistratu benigne et, licet renitentes, collocati in domo civica ad majorem forte auctoritatem apud plebem (ad opus Dei fructuosius operandum) conciliandam. Pater Emmanuel concionabatur, ego in colligenda messe spirituali praecipue occupabar, cui congerendae nihilominus et ipse concionator egregie insistebat. Incumbebamus praeterea discordiis componendis et tollendis peccatis nonnullis publicis et scandalosis; sed comoediam propter quam praecipue veneramus, impedire nequivimus, quod ad eam omnia essent comparata: mutatio alioqui in civitate durantibus illis diebus magna facta est, ut dicerent externi qui ventitabant et per civitatem illam transibant, se videre Maceratae duas civitates, unam concurrentem ad ecclesiam magna poenitentia ac devotionis significatione, alteram ad comoediam et ad res ludicras magna cum licentia. Ante lucem cum veniremus ad templum, ob poenitentium multitudinem, quae nos fere obruebat, non poteramus ex eo recedere ante noctem altam, et relinquebamus nihilominus multos inauditos in diem sequentem.

Magistratus tunc nobiscum egit de Collegio sibi concedendo; offerebat ipse et cives alii particulares censum tenuem quidem, non tandem contemnendum..." OLIVERII MANAREI, *De rebus Societatis Jesu Commentarius*, pag. 155-56, § 80.

De exitu autem eorum petitionis haec habet idem Manareus: "Accessit P. N. Generalis Jacobi Laynez piae memoriae consensus, quod sciret B. P. N. Ignatium ob inclementiam aëris Lauretani multum id desiderasse, ut eo aliqui possent in aestate commigrare; ejus cura et superintendentia mihi fuit ob vicinitatem demandata." IDEM, *loc. cit.*

[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 577.

ratione nostros prosequebantur, ut clerus omnis longo ordine ad suggestum concionatorem deduceret et ab eodem reduceret; et ex canonicis praecipui quique nostris, sacra facientibus, inserviebant, idque tanto studio, ut licet nostri, ut par erat, obnixe reniterentur, non tamen id possent evitare [1].

270. Quatriduum ibi commorati, Camerinum sunt progressi; nam Episcopus magno cum desiderio eos expectaverat, immo postulaverat, nec minori cum laetitia eos excepit [2]. Comitabatur P. Emmanuelem quidam P. Carolus ac frater noster Hortensius Androtius [3]. Gubernator etiam ipse civitatis, qui cum Episcopo benevolentia et existimatione de nostris concepta certabat, antequam a nostris salutaretur, nostrorum adventum, tota urbe tuba praecinente, nunciari jussit, ad conciones et christianae doctrinae lectiones excitavit et convocavit. Exemplo autem suo tam Episcopus quam Gubernator et alii optimates civitatis, dum quotidie hujusmodi concionibus ac lectionibus intersunt, negligentes et adversos ab hac pia functione, si qui tales erant, alliciebant et invitabant.

271. Existimaverat quidem P. Emmanuel cum pueris sibi agendum esse; sed cum primus ille dies, quo inchoavit, dominicus esset, pueri non venerunt; sed eorum locum patres suppleverunt. Et initio quidem frigere videbatur auditorium; nam mense Julio (eo enim tempore Camerinum venerat) sicut solitae non erant, ita nec opportunae conciones videbantur; sed in progressu concionum tepiditas illa in fervorem maximum conversa est, quo ea civitas ardere videbatur; post primam autem

---

[1] Vide loc. cit. *ibid.*

[2] Erat hic Episcopus Berardus Bongiovanni, de quo haec UGHELLUS in sua *Italia sacra*, t. 1, col. 566, n. 43: "Berardus Bonjoannes Romanus, nepos Antonii Jacobi sui praedecessoris, a Paulo III electus est Episcopus anno 1537, die 5 mensis Martii. Scientia theologicae facultatis maxime inclaruit, ita ut summatim ea mysteria omnia, quae in ea facultate solent tractari enodarique, in unum volumen compulerit, Pio IV inscriptum ac Romae emissum. Sub Paulo III Picenatibus incorruptum jus dixit, cum Ranuccio Farnesio ejus Provinciae Legato Vicariam operam praestaret. Apud Regem Poloniae pro Pio IV prudentissima legatione functus est, interfuitque Tridentino Concilio, in quo tamquam in bene explicato campo ad pietatem, ad gloriam, doctrinae suae vires explicavit. Suae Cathedralis magnam partem ipse reficiendam, restaurandamque curavit, inque summa caritate annonae pauperes propemodum fame enectos effusis liberalissime horreis, aluit atque fovit, Communitati Camertinae ad hoc ipsum praestandum mille attributis scutis. Fundavit, erexitque prope Camerinam Ecclesiam sumptuosum operosumque palatium, quod morte praeventus, anno 1574, die 12 mensis Septembris, haud absolvere potuit; Praesul sane haud desitura memoria dignus...„

[3] Vide supra, pag. 7, n. 10.

concionem denuo Gubernator jussit ut cives liberos suos ad catechismum audiendum mitterent. Semper aderant doctores fere omnes urbis et canonici, cum clero et religiosis variorum ordinum, et primarii ejus urbis cives, qui omnes et probabant et admirabantur magnopere concionum atque lectionum eruditionem; et monachi etiam dominicani simul cum aliis palam affirmabant vim divini spiritus ac doctrinam in Societate nostra vigere: et quamvis initio ridebant cives quod ad confessionem faciendam eos P. Emmanuel hortaretur, quia non videbatur hujusmodi tempus ad confessiones idoneum, sic postea ad eas inflammati fuerunt, ut difficile admodum nostri tam multis poenitentibus satisfacere possent; et in suo consilio civitas decrevit simul cum Episcopo Romam ad P. Ignatium scribere, aliquem Societatis concionatorem in futuram Quadragesimam postulando, et simul cum quibusdam civibus Episcopus [egit] de collegio Societatis Camerini instituendo; et quia civitas communes reditus non habebat (nam eos Summus Pontifex percipiebat), multi cives ad sustentationem collegii se necessaria contributuros Episcopo offerebant.

272. Matronae etiam in initio nesciebant quid sibi vellet nova res haec, cum nec praedicari nec confessiones audiri eo tempore consuetum esset; et videbantur quodammodo dubitare mundi finem adesse; sed rationibus auditis sic acquiescebant, ut duobus sacerdotibus nostris quotidie negotium in confessione facesserent.

273. Cum autem Gubernator ad prandium nostros invitasset, et, P. Carolo domi relicto, quod parum prospere valeret, duo reliqui ad ejus domum ivissent, statim interrogavit de tertio; et quamvis audivit non bene valere, nihilominus ad eum accersendum misit, et, eo adveniente, conquerebatur quod se societate sancta voluisset privare; et suis ipse manibus ut valetudinario in mensa omnia subministrabat.

274. Methodus, qua nostri utebantur, christianae doctrinae tradendae omnibus quidem magnopere placuit, sed prae caeteris Episcopo et Gubernatori; et eam illico typis mandari curarunt, et mille libellos per dioecesim distribuendos imprimi [1].

---

[1] Nec SOMMERVOGEL nec qui eum praecesserant auctores *Bibliothecae scriptorum Societatis*, mentionem faciunt de hoc libello, nec inter anonymos reperiri potuimus.

275. Cum autem Episcopus per dioecesim nostros mittere constituisset, et pro concione P. Emmanuel populo significasset se recessurum; statim ex primoribus populi multi ad confessionem accesserunt, et tam aegre ferebant discessum nostrorum, ut apud Episcopum conquererentur, et ad aliquot saltem dies ut nostros retineret, ut multorum confessiones audirent, rogarunt. Et quamvis abusus hic Camerini vigeret, ut virgines numquam in publico, ne ad Missas quidem veniendo, cernerentur donec nuberent, nihilominus matronae hujusmodi filias suas ut nostris confiterentur adducebant; et facile cernebatur civitatis illius animos ad Societatem propensos esse, sed operariorum, qui de rebus spiritualibus agerent, defectu, eos errare et magno spirituali profectu privari.

276. Senex inventus est fere octogenarius, qui se cruce signare nesciebat cum ad confessionem accederet; et cum edoctus esset de his et aliis ad salutem necessariis, suam ignorantiam praeteritam accusans, tam laetus ex acceptis documentis mansit, ut videretur nihil aliud velle quam ad patriam coelestem accedere.

277. In his autem, qui confitebantur, tantus fervor cernebatur ut fontem lacrymarum habere viderentur. Ad aegrotantes etiam accedere ad privatas domos oportebat, et quamvis illi homines gravibus peccatis irretiti invenirentur, perfacile admodum ab eis revocabantur, ut ignorantia et exhortationis atque exempli defectus potius quam malitia in eis esse videretur; nam qui semel singulis annis confiteretur, suae conscientiae satis superque se satisfecisse arbitrabatur. Tunc autem non solum ad confessionem sed etiam ad communionem cum compunctione maxima accedebant.

278. Cum de exteriori sacerdotum habitu P. Emmanuel cum Episcopo ageret, qui cum potius militaris quam ecclesiasticus esset, reformatione valde indigebat, constitutum est ut in posterum omnes sacerdotes talaribus vestibus uterentur, et tibialia et calceos militari modo consutos omitterent, et decenter demum induerentur.

279. Disputabant quotidie coram Episcopo, viro erudito,

Evulgatum autem fuisse certissimum est, tum ex hoc loco, tum etiam ex n. 292 ubi legitur: "*trecentos libellos ex his, qui Camerini fuerant impressi, ad se deportari*„ cives Fabriani civitatis curasse. Et confirmant *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 578.

doctissimi quique viri tam religiosi quam saeculares, sed Dominus pro sua bonitate efficiebat ut feliciter omnes disputationes P. Emmanueli succederent, adeo ut jam parum liberet cuiquam cum eo disputare [1].

280. Cum capuccinos inviseret, post prandium cum eis sumptum coactus ab eis fuit de rebus spiritualibus extemporaneam habere concionem, quae tamen eis magnopere satisfecit.

281. Cum autem Episcopus ad quoddam monasterium ordinis S.tae Clarae audiendae Missae, quam ibi P. Emmanuel dicebat, causa ivisset, ibidem etiam concionari monialibus debuit, et quidem cum Episcopi et aliorum non mediocri admiratione.

282. Quemadmodum autem ex oppido S.ti Severini duo sacerdotes magno cum fervore Societatem ingredi postularunt, cum ibi P. Emmanuel versaretur; ita et Camerini duo ludimagistri, quorum alter sacerdos erat, admitti se in Societatem postularunt; sed P. Emmanuel hanc admittendi facultatem non habens, haec negotia ad Rectorem Lauretanum rejiciebat. Alia non pauca Camerini in hac missione facta sunt, ut reconciliationes dissidentium, sublevatio pauperum hospitalis, expulsio circulatorum ex plateis et alia multa.

283. Post quindecim ergo dies, quos Camerini exegerant, ad varia loca dioecesis profecti sunt, ac primo ad Mateolanos (Matelica eorum civitas vocatur) profecti, maximo cum amore et honore a praefectis excepti sunt. Quidam tamen monachus P. Emmanueli sese opposuit, quod ad frequentationem sacramentorum attinet, bono, ut credendum est, zelo majoris venerationis exhibendae sacrosanctae Eucharistiae; sed obstinate satis crebram ejus perceptionem populo convenire negabat; nihilominus egregius etiam ex eo populo fructus collectus est.

284. Quia autem ordinis erat S.ti Francisci concionator ille, scripsit Episcopus Camerini Cardinali Carpensi, eorum et nostrorum protectori, et Patri etiam Ignatio, contestans, se praesente, quindecim diebus mane et vesperi quotidie concionatum fuisse P. Emmanuelem cum magna populi satisfactione et fructu, qui ex frequentia sacramentorum proveniebat, et se

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 578.

per totam dioecesim eum misisse ut eadem officia praestaret, sed Matelicae quemdam Patrem, nomine Polonium [1], objecisse P. Emmanueli non decere ut maritus, qui uxori debitum reddidisset, postridie ad sanctam Eucharistiam accederet; et cum P. Emmanuel peccatum id non esse affirmasset, exclamabat monachus coram Vicario Generali; et cum ille vellet suggestum ascendere ut contrarium praedicaret, a praedicto Vicario prohibitus est et ad Episcopum disputatio rejecta, ut statueret quid in ipsius dioecesi hac in re praedicandum esset [2].

285. Venit autem Fr. Polonius ad Episcopum et suam ipsi sententiam declaravit; at Episcopus S.ti Thomae sententiam, 2.a 2.ae quaest. 80, art. 7, quam simul cum B. Gregorio tenet, consonam esse respondit dicto P. Emmanuelis, cum conjugatos arbitrio suo relinquat.

286. Tunc monachus coepit reprehendere P. Emmanuelem quod doctores contrariam sententiam tenentes reprobasset. Fatebatur tamen se id non audivisse, sed quemdam ipsius discipulum; et tamen Vicarius Episcopo scripserat non fuisse reprobatos tales doctores, sed eorum sententiam declaratam.

287. Demum, ut conquiesceret monachus, hortatus est illum Episcopus ut suam sententiam scriptis comprobaret, ut ipse decerneret quid in sua dioecesi praedicandum esset; et quamvis recepit se id facturum monachus, postea tamen significavit se nolle id facere, sed velle se suo Generali scribere quod P. Emmanuel novam doctrinam praedicabat. Velle etiam se scribere monasteriis et eruditis viris ejus dioecesis; quod quidem Episcopo vergere contra commune bonum videbatur, et ita Cardinalem Carpensem commonefecit.

288. Fabrianum etiam P. Emmanuel cum sociis venit, ubi monasterium S.tae Margaritae, (in quo multae nobiles foeminae ex praecipuis Marchiae urbibus, immo et aliquae earum Roma [3] venientes, vivebant), ab eo mirum in modum adjutum est.

289. Olim quidem magna cum aedificatione et religione se gesserant, sed tunc cum multorum offensione et magna disso-

---

[1] Apollonium?
[2] Episcopi Camerini litteris rescripsit Polancus, *ex com.* Vic. Gen., 12.a Augusti.
[3] Haud facile est decernere an in ms. scriptum sit *Roma*, an *Romam*.

lutione agebant, et pro suo arbitratu ex monasterio egrediebantur et ad illud redibant; nec Episcopus aut magistratus civitatis eas ad instituti sui formulam redigere poterant.

290. Placuit autem divinae bonitati ut exhortationibus et opera P. Emmanuelis sponte sua ad omnia, quae ipsi viderentur facienda, adducerentur; et id quidem non sine magna populi aedificatione et Episcopi consolatione; qui cum non crederet ab ipso rem tam parum speratam, ad ipsum venire P. Emmanuel debuit, ut ore tenus monasterii statum ipsi referret; et intellexit quod omnes moniales generalem vitae totius confessionem eidem P. Emmanueli cum magna ipsius satisfactione fecissent; omnes earum arcae, vestes, pecunia et res omnes in commune collatae fuerunt; et nihil sibi prorsus, ne crepidas quidem, reservarunt.

291. Vota omnes renovarunt, et deinde sanctissimam communionem acceperunt, ipso die Assumptionis B. Virginis, et quae prius edebant, bibebant et vestiebant juxta suam voluntatem, et si ab Abbatissa de suis vitiis reprehendebantur, contra illam injuriis et fustibus etiam armabantur, jam nihil nisi ex obedientia, ne moveri quidem ab uno loco in alium, volebant.

292. In civium autem confessionibus insignis etiam fructus collectus est; peccata gravissima relicta, gravissimae inimicitiae extinctae. Constitutum etiam est in scholis ut quotidie in eis lectio christianae doctrinae haberetur; et ad id civitas Fabriani trecentos libellos ex his qui Camerini fuerant impressi [1], ad se deportari curarunt. Concionatus est P. Emmanuel singulis diebus dominicis ac festis, et quotidie christianae doctrinae lectionem praelegebat, et quidem cum fructu et satisfactione non mediocri.

293. Octo erant Fabriani monialium monasteria, et per singula vicissim Missae sacrificium offerebat, et post illud exhortationem de vitae religiosae perfectione apud eas habebat.

294. Ipsa autem civitas sic afficiebatur, ut toto illo anno P. Emmanuelem vellet apud se retinere, et jam habitationem ei praeparaverat, et de collegio Societati nostrae erigendo agebat, et inter eos qui id curabant, monachus quidam erat Ordinis S.ti Benedicti, qui monasterii Perusini ejusdem Ordinis

[1] Vide supra, pag. 84, n. 274.

Prior erat, Fabriani tamen natus. Et multis prorsus per P. Emmanuelis ministerium divina bonitas se communicabat.

295. Multi autem Deo in Societate nostra servire cupiebant, ex quibus tres elegit, et ad Collegium Lauretanum misit, et cum eis fratrem nostrum Hortensium [1], qui tres alios Matelica paulo antea eodem adduxerat. Hi tres Fabrianenses sacerdotes omnes erant, ex quibus unus scholae grammatices et cantus praeerat, juvenis viginti octo annorum, modestus valde et humilis, quem canonicorum collegium magnopere diligebat, prout, ipso recedente, plurimis lacrymis testati sunt. Secundus etiam scholae alio in populo Marchiae praeerat, non minoris expectationis quam prior. Tertius, natione siculus, non vulgaris charitatis juvenis.

296. In hac ergo missione P. Emmanuelis, praeter duos illos ludimagistros camerinenses [2], hi sex Societatem sequi decreverunt, quibus duo clerici S.ti Severini addi possunt.

297. Sacramentorum frequentatio inducta ibi est; et unum ex coenobiis, praeter illud S.tae Margaritae, ad religionis integritatem et vitae communitatem fuit etiam restitutum.

298. Missus est praeterea ad S.m Genesium idem P. Emmanuel ab Episcopo, qui cujusdam monasterii monialium reformationem promovere cupiebat, quae non minus difficilis quam monasterii S.tae Margaritae videbatur; immo ex eo difficilior quod monasterium S.tae Margaritae apud Fabrianum viginti tantum, hoc vero apud S.m Genesium septuaginta moniales habebat.

299. Adfuit tamen Christi gratia, et quod habebatur totius Marchiae dissolutissimum, et deplorari potius quam reformari posse videbatur monasterium, observantiae sui instituti restitutum est, et omni studio moniales contendebant, ut quanto majori cum offendiculo multorum prius vixerant, tanto majori cum aedificatione sua et populi vitam et actiones suas omnes Christo consecrarent.

300. Praecipua ea est Piceni sive Marchiae civitas, et multi ibidem haeretici esse dicebantur, et ita res erat; sed qui prius excaecati et suis in erroribus obstinati videbantur, Deo pro sua

---

[1] Hortensium Androtium, de quo supra, pag. 7, n. 10.
[2] Vide supra, pag. 86, n. 282.

benignitate gratiam ad id suggerente, omnes suas haereses abjurarunt, et ad sacrosanctae [Ecclesiae] gremium redierunt; et conventicula, quae ad subvertendos civium animos prius assidue cogebant, in congregationes pias ad suum et civium profectum et auxilium juxta praescriptum nostrorum converterunt, et singulis mensibus post confessionem sanctissimum Christi Corpus assumere statuerunt.

301. Hoc autem negotium tam memorabile fuit, ut multis annis in Piceno quid simile non contigisse sit existimatum; magna enim erat perditorum hominum hujusmodi multitudo, gravesque et intolerandi errores; ipsa demum civitas infamia non mediocri tanquam improborum refugium et lutheranorum asylum (id quod erat) laborabat; sed quod a gravissimis viris magno cum labore sine successu tamen tentatum fuerat, per haec debilia Societatis ministeria divina bonitas ad optatum exitum perduxit.

302. Duo alii ex nostris Hesium [1] ex obedientia missi hoc anno venerunt, et non mediocres etiam ibi fructus in horrea Domini intulerunt, et illi populo magnum sui desiderium reliquerunt, et praeter omnium spem in ordine sacerdotali, Christo juvante et Episcopi auctoritate suffragante, cum magno profectu laborarunt; et in eo cardo salutis ejus civitatis verti videbatur; et ut clericorum exempla et facta in populi offensionem magnam aliquando cesserant [2], ita eorum ad meliorem frugem reductio, in magnam hominum aedificationem redundavit.

303. His similia Ascoli, Ofidae, Firmii, in Monte Lupone [3], Morri et Monticuli per hujusmodi missiones ex Collegio Lauretano factas Dei bonitas peregit, et multi gravissimis sceleribus quindecim, viginti et pluribus annis velut in ergastulo constricti, Christo adjuvante, soluti et in filiorum Dei libertatem per sacramenta sancta restituti sunt.

304. Et cum in aestate minor Laureti concursus hominum fieri soleat, et hoc anno propter bella pauciores etiam solito ad

---

[1] Sic; est autem sermo de oppido *Jesi*. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 580, annot. 1.

[2] Librarius lapsu calami scripsit *cesserat*.

[3] Vide OLIVERII MANAREI, *op. cit.* pag. 152, § 27, ubi egregia dissidentium animorum reconciliatio describitur.

Sacram Aedem confluxerint, per hujusmodi missiones placuit Deo utilem Collegii Lauretani operam in multis Piceni locis efficere.

305. Quod ad ipsum autem Collegium Lauretanum attinet, postquam numerus ad quadraginta, ut superius diximus [1], auctus fuit, spiritus etiam in eodem ac fervor auctus videbatur. Classes humaniorum litterarum tres distinctae fuerunt, et omnia magna cum suavitate et aedificatione aliorum ac nostrorum fructu transigebantur. Quinto decimo quoque die nostri scholastici publicam orationem habebant, qua magna cum libertate ac fervore vel ad virtutum amorem impellere vel a vitiis deterrere audientes nitebantur. Paucissimi tamen praeter nostros ad lectiones accedebant, quia nec in oppido nec in ipso templo erant qui litteris excoli vellent aut possent. Aditus tamen omnibus ad lectiones patebat.

306. In ipso porro templo B. Virginis quotidie P. Montoya lectionem casuum conscientiae, cui [2] maxima pars canonicorum ac presbyterorum intererant, praelegebat.

307. Pater autem Oliverius, Rector, dominicis ac festis diebus, ab ipsis Cal. Januarii inchoando, Epistolam B. Pauli ad Corinthios explicabat; et utriusque [3] labor fructum non poenitendum proferre videbatur. Concionator autem, qui P. Laurentius Patarinus erat, statis temporibus suo fungens officio, cum pietatis ac doctrinae existimatione verbum Dei utiliter proponebat; quia tamen ad templum omnes non conveniebant, ad plateas aliqui ex fratribus mittebantur, qui otiosae multitudini salutaria documenta vel invitis obtruderent.

308. Cum perexiguus sit populus et variis occupationibus districtus in oppido Lauretano, et quia divinorum officiorum cantus ac frequentia et strepitus peregrinorum saepe concionibus locum non dabant, minus multae ibidem habebantur quam pro more Societatis aliis in populis haberi solent. Cum tamen aliqui, ex his qui adveniebant magnatibus, eas optabant, no-

---

[1] Vide supra t. v, pag. 91, n. 232, ubi ratio proponitur cur "crescente in dies messe Lauretana... fundatio Lauretani Collegii mutata fuit, et tredecim vel quatuordecim sacerdotes ex nostris ibidem teneri, quadraginta autem numero omnes nostros esse constitutum est.„

[2] In ms. prius scriptum erat *cui nostri sacerdotes quorum;* sed deleta sunt tria priora verba, cum, ut nobis quidem videtur, delenda essent tria posteriora.

[3] Scil., Patris Montova et Patris Manarei.

stri praesto erant. Major itaque et crebrior lectionum usus tam Scripturae quam casuum conscientiae, ut diximus, eo in templo erat.

309. In xenodochio interim et aliis locis ejus oppidi saepe a fratribus scholasticis conciones habebantur.

310. Propria messis templi Lauretani in ministerio sacramentorum erat; nam totum fere pondus confessionum audiendarum in humeros nostrorum vergebat, cum pauci essent qui non mallent nostris quam aliis confiteri; et multorum bonorum ex confessionibus consequentium praesertim erga peregrinos ex sacramento confessionis prodibat occasio; qui enim vel ex propria experientia vel ex fama permoti ex variis locis ac etiam regionibus ad nostros convolabant, sive principes viri, ecclesiastici et saeculares, sive plebeji, et quidem utriusque sexus, vivendi rationem ad perfectiorem Dei cultum et proprium profectum majorem et ad suorum officiorum rectam administrationem petebant. Et cernebatur in ipsis confessionibus maximus animorum motus vel peccata deflentium vel vitia detestantium vel emendationem proponentium ac promittentium; nostris autem gratias ex animo agebant et munera offerebant; sed cum a nostris non admitterentur, alii aegre ea retinebant, alii liberaliter pauperibus elargiebantur, praesertim si significationem aliquam a nostris elicere potuissent eorum quibus elargiri expediret. Si autem contingeret hujusmodi homines ad Sanctam Domum redire, magna diligentia proprium confessarium quaerebant, et acceptae gratiae magna argumenta prae se ferebant, illi praesertim qui a nostris bene vivendi documenta verbo aut scripto acceperant, cujus rei gratia ex remotissimis etiam locis venire ad nostros soliti erant. Et qui conscientiae scrupulis aut aflictionum pondere premebantur, res suas interiores cum nostris conferendo et a Domino auxilium accipiendo tranquilli et spirituali consolatione perfusi domum redibant, et acceptum ferebant suffragiis B.mae Matris Dei, quod etiam in gravissimis casuum conscientiae difficultatibus sese feliciter expedire et poenitentibus opportune consulere poterant.

311. Quae autem ex confessionibus bona consequi solent, in hac Sancta Domo abunde consequebantur, cujusmodi sunt eleemosynae factae, restitutiones necessariae, paces inter dis-

cordes initae, concubinariorum separationes, meretricum ad meliorem vitam conversiones, et male actae vitae poenitentiae ac reformationes: nonnulli etiam se totos divino cultui manciparunt, multo plures damnationis statum cum periculis recidendi reliquerunt.

312. Haeretici etiam nonnulli ad nostrorum pedes errorum suorum malitiam deposuerunt. Aliqua etiam daemonia ex obsessorum corporibus exierunt; et alia non pauca acciderunt, quae singillatim enumerare longum nimis et magna cum aedificatione futurum esset.

313. Inter caeteros autem, qui animi sui motus viriliter devicerunt, mulier quaedam fuit, quae cum aliam odio diu prosequuta fuisset, cum uni ex nostris confiteretur, tantum compunctionis spiritum in ipsa confessione accepit, ut in conspectu trecentorum aut quadringentorum peregrinorum, inimicam mulierem adiens, et ejus genibus provoluta lacrymis ubertim effusis, veniam de illatis injuriis cum summa adstantium aedificatione dederit, quam et accepit.

314. Exercitia spiritualia multis tradita fuerunt; inter quos nonnulli certam suae vocationis cognitionem assequuti, religioni se partim in nostra Societate, partim aliis in ordinibus dediderunt; alii vitam in melius reformarunt.

315. Cum Marchiae populos [1] sub finem anni praecedentis fames urgeret, nec lauretanum oppidum immune relinqueret, nostrorum opera effectum est ut omnes egeni describerentur, illisque ex publico Sanctae Domus aerario provideretur. Advenienti etiam pauperi multitudini bis diebus singulis eleemosynae donatae sunt; nec reticendum est quod hortulum suum lauretani populi Beatissima Virgo per nostrorum ministerium excoli voluit, quibusdam virginibus ardentia puritatis et sanctimoniae desideria a Deo impetrans, quibus singulis diebus dominicis et festis communicare, crebro orationi et meditationi insistere, humana pro nihilo reputare, ac demum ad perfectionem magno fervore anhelare datum est.

316. Alii etiam, communioris vitae rationem sectantes, vitam in melius commutarunt; nec pauci eorum se in rebus spiritualibus regendos commiserunt, solito frequentius ad sacra-

[1] Ms. *populus*.

menta accedere, conciones audire, et pietatis operibus vacare coeperunt.

317. Quamvis multa forent, quae hoc anno peregrinorum frequentiam ad sacram Domum Lauretanam impedirent, ut continui bellorum tumultus, pestilentiae grassantis formido, annonae magna difficultas, fuerunt nostri sacerdotes nihilominus in solitis exercitationibus magnopere occupati; qui enim veniebant ex remotissimis locis, non sine accurata peccatorum confessione fere redibant; nec enim solum per Italiam, sed etiam per alias remotiores nationes Collegii Lauretani fama pervaserat, et multi hujus novitatis videndae studio ad sanctam Domum Lauretanam venerunt.

318. Aliqui etiam principes viri, postquam devotioni suae invisenda Sancta Domo satisfecerant, ad Collegium nostrum invisendum et nostros amanter salutandos cum magna intuentium aedificatione, immo et admiratione veniebant. Inter hos fuit Cardinalis Augustanus [1], qui, cum ad paratam sibi sedem in sancto sacello, id est, cubiculo B.ae Virginis deduceretur, ut ibi laudes ipsius B.ae Virginis concinendas audiret, sellam prope nostros, qui erant in vestibulo sancti cubiculi, jussit transferri, et humanissime nostros appellans ut fratres suos, quantopere eos diligeret prae se clare ferebat; et postridie rem divinam faciens, sua manu omnibus nostris sanctissimam Eucharistiam communicavit, et duas nostrorum conciones, alteram in templo a concionatore, alteram inter coenandum a scholasticis audire voluit. Et haec posterior sic ejus animum commovit, ut effusis lacrymis prae laetitia Societati coelitus impartitum spiritum etiam in tenero palmite miraretur.

319. Quo autem die recessurus erat, mane admodum in domestico nostro sacello communissimis nostrorum sacerdotum vestimentis et calice, paupertatem hanc suis multo ornatioribus indumentis praeferens, rem divinam facere voluit; et quibusdam ei recitatis versibus, magna laetitia animi perfusus et omnes paterne amplexus discessit.

320. Similia charitatis et humanitatis signa Cardinalis Dandinus [2] nostro Collegio exhibuit. Ducis Urbini conjux cum duabus filiis religionis gratia ad Sanctam Domum veniens, cum

[1] Otto Trutchsess de Waldburg, de quo saepissime in hoc *Chronico*.
[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 582, annot. 1.

eisdem ac familia sua nostris confessariis omnino uti voluit et magna suae benevolentiae signa ostendit.

321. Gubernatores etiam Marchiae et Firmi et alii viri primarii similem animi affectum ostendebant, et magna cum voluptate animi intellexerunt quam diligenter a nostris res spirituales ad peregrinantium consolationem et auxilium tractarentur.

322. Juvenes lauretani societatem quamdam inierunt, et de evitandis blasphemiis et maledictis, et componendis discordiis et frequentius suscipiendis sacramentis ex Patrum nostrorum quorumdam consilio et auctoritate leges quasdam sibi praescripserunt et ad eas observandas se obstrinxerunt.

323. Initio hujus anni D. Ferdinandi de Gonzaga uxor [1], cum intellexisset Societatem nostram collegium Laureti habere, licet confessarium secum adduceret, accersito nihilominus Rectore, quum ipsa tum ejus virgines confiteri voluit, et de manu ipsius in Capella Sancta communionem acceperunt cum omnibus domesticis; et Princeps, ejus filius, cuidam ex nostris confessus est, et sese immiscuit quasi furtim aliis communicantibus, nihil sibi honoris exhiberi volens plusquam cuivis ex ejus famulis, et absoluto Sacro, Rectorem conveniens, eum abire non permisit donec ipsum in filium spiritualem admitteret, quod ipsius etiam mater publice coram suis magna cum humilitate postulavit; et quamvis ex vicinis locis ad Epiphaniae festum multi Lauretum convenissent, qui in festis natalitiis communicaverant, bona ex parte etiam tunc communicare voluerunt, et alii quam nostris confiteri nullus eorum voluit.

324. Cum scripsisset P. Oliverius aliquos ex nostris molestias quasdam a quodam spiritu maligno passos esse, qui eisdem apparere et eosdem pulsare solitus erat, cumque rescriptum fuisset quod fortassis interior aliqua imaginatio aut phantasia, qualis ex timore concipi solet, et non exterior spiritus maligni concussio censenda erat; asseruit ille verissimum fuisse quod prius scriptum erat et acciderat Thomae, anglo, et Philippo, gallo, Roma [2] missis, quorum profectibus ac fervori daemon invidebat.

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 93, n. 244, ubi similia dicuntur, et in annot. 4 elogium hujusce clarissimae feminae paucis fit.

[2] Idem hic dicendum venit ac supra, annot. 1 ad n. 288; verum hi juvenes Roma Lauretum, non Laureto Romam missi fuerant, ut ex pluribus Polanci, *ex com.*, scriptis litteris evincitur.

325. Daemon ergo terrere voluit hos juvenes, et super eos, dum in lecto jacerent, incedebat et quasi pugno latera percutiebat et in eos exsuflabat; scamna cubiculi commovebat; et id praecipue accidit Thomae, dum orabat aut ad confessionem se parabat aut poenitentiam injunctam faciebat. Et cum semel mensae assideret, tam valide eum pugno percussit, ut totus pallidus fieret; et quamvis nihil aliis dixit, turbatus ad P. Rectorem Oliverium accessit, qui eum animavit et instruxit ut praeciperet daemoni in virtute sanctae obedientiae ut ad Rectorem iret, et se in pace servire Deo sineret [1].

326. Idem documentum dedit [Philippo], et utrique dedit quasdam reliquias sanctarum undecim millum virginum; monens ut se Deo commendarent per merita illarum sanctarum virginum, quod cum fecissent et Thomas collo alligasset reliquias, nullam amplius molestiam passus est.

327. Philippus autem intra thoracem posuit, et ita phantasma illud non supra stragulum aut vestimenta, prout solebat, venit, sed ad cervical molestum esse pergebat. Alligavit et ipse collo reliquias, et nihil amplius sensit.

328. In quodam alio cubiculo strepitus quosdam audiri intellexit P. Oliverius, et ipse eo se conferre voluit et ibidem dormire: demum spiritus ille omnino recessit, qui in domo illa quibusdam molestus erat, meritis undecim millium virginum. Et nullus fratrum quidquam horum intellexit praeter eos, qui aliquid patiebantur, et tres sacerdotes, cum quibus P. Oliverius rem contulit.

329. Multi Laureti in Societatem admissi sunt; alii vero Romam missi, ut ibi, si viderentur idonei, admitterentur, ex quibus aliqui perseverarunt. Alii, ut assolet, parum idonei, vel recesserunt, vel dimissi, vel non admissi sunt: nec mirum [2], cum aliquando septem simul admitti se peterent et de eis referret [3].

330. P. Montoya [4] Superintendens quidem erat, sed cum bene se gereret Rector in Collegii gubernatione, parum erat

---

[1] Quaedam ex iis obiter attinguntur a Polanco anno superiori. Vide supra, t. v, pag. 93, n. 241: uberius vero explicantur in opere: OLIVERII MANAREI *De rebus Societatis Jesu Commentarius*, cap. IX, §. 19-24.

[2] Verba haec: *nec mirum* usque ad finem paragraphi, addidit manu sua Polancus.

[3] Scilicet, de eis Romam referret ipse lauretanus Rector.

[4] Joannes de Montoya, de quo saepe in hoc ipso volumine occurrit mentio, ut in praecedentibus IV et V.

quod illi [se] immisceret. Si quid tamen videbatur suggerendum, id faciebat.

331. Lectioni autem casuum et eorum resolutioni vacabat, sed neutro in munere magnopere nostris satisfaciebat, et aliqui ex nostris monebant quod parum inter Superintendentem et Rectorem conveniret, nec Superintendens Rectorem animabat; ad pusillanimitatem eum adducere videbatur. Et quod attinet ad casus conscientiae, parum expeditus et scrupulis obnoxius videbatur, et ideo non libenter eum multi consulebant.

332. Roma quidem aliqua scripta fuerunt P. Montoyae, quae [1], ut erat candidissimo animo, optime accepit; et ita remedium ex parte adhibitum esse videbatur. Sed paulo post ad ingenium rediisse et res more solito procedere intellectum est, et magno desiderio Rectoris, qui tunc extra Lauretum versabatur, nostri tenebantur.

333. Cum mense Februario collegium, Pragam missum, Lauretum venisset, in palatio, quod infra nostri Collegii habitationes est, excepti, et aliquot dies expensis Sanctae Domus bene tractati fuerunt, et inde a duobus ex nostris Anconam deducti, navim conscendentes, prospero vento Trigestum in Lyrico [2] brevi delati fuerunt; prius tamen Anconae multum charitatis exhibuit Abbas S.ti Joannis, canonicus regularis, erga Societatem optime affectus.

334. Sub finem mensis Januarii, cum Roma veniens P. Fulvius Androzius, Anconam a Gubernatore fuisset evocatus ut cuidam consultationi propter judaeos, qui ex Portugallia venerant [3] institutae, ut jurisperitus interesset; multa dixit Gubernatori Lauretano [4], P. Ignatii et suo nomine, de his, quae ad vitae ipsius reformationem pertinebant, si ad Societatem, ut ille optabat, esset accessurus; et omnia libenter audivit et eis acquiescere se velle dixit, et Lauretum rediens, ipso die Purificationis in Sancto Sacello cum magna devotione et lacrymis

---

[1] Librarius scripsit *quibus*, sed lapsus est.

[2] Sic; in Illyrico.

[3] Vide supra, t. III, pag. 23, n. 35.

[4] Erat is Gaspar de Doctis, notissimus jam in hoc *Chronico* et in opere: *Cartas de San Ignacio*. Vide infra, n. 336. Quod ad ingressum attinet illius viri in Societatem, summam totius rei complexus jam fuerat ipsemet Polancus anno superiore, ita ut quae hic attinguntur, repetitio quaedam dictorum videri possint. Vide supra, t. V, pag. 43, n. 79.

sua vota emisit; et in dies se hilariorem et ad vitae renovationem se exhibebat; nec parum ipsum adjuvit exemplum et verba P. Fulvii, qui cum optimo odore spiritus ac virtutis Laureti versabatur et a canonicis, olim sociis, cum admiratione simul et dilectione magna in Collegio nostro cernebatur [1].

335. Ex hac autem Gubernatoris commotione ut propensior ad Collegium nostrum providendum videretur, pannum ad nostros induendum et quaedam alia Ancona detulerat, et ut alia omnia, quae necessaria essent, subministrarentur constituit; sed expedire omnino nostris videbatur ut aliqua pecuniae summa ad res alias praeter victum parandas decerneretur.

336. Hoc ipso mense Gubernator praedictus Romam venit et manibus P. Ignatii se totum resignavit; sed postquam duos fere menses ibidem cum Cardinali Carpensi mansisset, visum est P. Ignatio magis expedire ut non relinqueret suum illud Gubernatoris officium; et ita rediit, paratus nihilominus ad omnia juxta arbitrium P. Ignatii relinquenda.

337. Antequam Lauretum rediret P. Oliverius ex civitate Macerata, magistratus, ad collegium erigendum, domum et ecclesiam et quae necessaria essent ad decem vel duodecim alendos offerebant, et ad quatuordecim perventuri videbantur, si spes illis collegii data fuisset. Curavit autem P. Oliverius ut libellus christianae doctrinae [2] Maceratae imprimeretur, ut in scholis ejus urbis et in aliis etiam Marchiae locis praelegeretur; quod, eo libentius Maceratenses fecerunt, quo magis eis gratae lectiones erant, quas praelegi suis pueris videbant.

338. Fuit autem magnus ipsorum fervor in paucis illis diebus, qui Quadragesimam praecedebant, in quibus triumphare daemon solet [3]. In eis tamen magistratus et primarii quique viri frequentes admodum ad confessiones accedebant, ut vix nostri ab ecclesia recedere toto die possent; sed quia nostrorum opera in Quadragesima necessaria erat Laureti, ab eis tandem avulsi sunt.

339. Concionatus est autem hac Quadragesima P. Lauren-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 43, n. 80.

[2] Libellus P. Emmanuelis de Montemayor, de quo supra, pag. 84, n. 274.

[3] Haec conjungenda videntur cum illis, quae fusiori calamo ipse Polancus supra descripsit, pag. 80 et 81, nn. 258-266. Etenim ad idem tempus eamdemque civitatem referuntur.

tius; ipse tamen P. Oliverius aliquando hoc ipsum officium concionandi praestitit; et cum contra eos dissereret, qui sacramentorum frequentationem, contra eam murmurando, impedire nitebantur, eo fervore accensi sunt multi ex his, qui communicare aliquando soliti erant, ut statim, concione absoluta, spretis detractionibus ad communionem se disponerent et accederent; et octavo quoque die multi communicare pergebant, et singulis mensibus ac festis majoribus multo plures ex lauretanis id faciebant.

340. Propter eos qui Roma [1] missi fuerant, quatuor classes litterarum humaniorum Laureti fieri debuerunt, sed non multo post ad tres reductae fuerunt. Lectio tamen casuum conscientiae post Pascha videbatur etiam Gubernatori ordinarie legi non posse propter poenitentium concursum, nec ad eas canonici aut alii affecti videbantur; nec mirum si nostris aliquando essent infestiores; accidebat enim ut poenitentes, ad canonicos accedendo, peterent ab eis an essent de Societate nostra, et cum dicerent se non esse, eos hoc labore levabant, et ad nostros accedebant. Domi nihilominus alternis diebus lectiones easdem [2] praelegebat [P. Montoya] quas legere in ecclesia solitus erat, quo autem die non legebatur [3], collationes quaedam de casibus conscientiae fiebant non exiguo cum fructu.

341. Ne sine delectu admitterentur [4] aliqui Laureti, admoniti fuerunt, qui Collegio Lauretano praeerant, de quibusdam dotibus quibus praeditos esse oportebat admittendos, ut ad eam normam exigerent eos, qui ex variis nationibus eo venientes admitti se petebant.

342. Initio hujus aestatis Curtius, Patris Fulvii et Hortensii [5] frater, cum admissus esset [6], venit Lauretum ejus pater, et tantum abest ut filium revocare studuerit a suscepto vitae perfectioris instituto, ut potius pia quadam et virili exhortatione ad perseverantiam eum animaverit, et cum inter exhortandum

---

[1] Idem hic observandum venit ac supra, annot. ad n. 324, et annot. 1 ad n. 288.

[2] *Easdem* sc. numero: totidem lectiones praelegebantur quot legi in ecclesia solebant. Non enim earum numerus imminutus est, sicut imminutae sunt scholae litterarum humaniorum, tametsi "*lectio casuum conscientiae post Pascha videbatur etiam Gubernatori ordinarie legi non posse*".

[3] Id est, lectio non habebatur.

[4] In Societatem.

[5] Ms. *Hortensius;* sed ex dictis et dicendis manifestus error est.

[6] Vide supra, pag. 7, n. 10.

uberes lacrymas effunderet, cum causam earum peteret filius, respondit prae animi laetitia se flere; et cum quidam ex nostris diceret nondum ipsum pervenisse quo pervenerat quidam in Hispania, qui quinque filios, cognomine Acostas, in Societate haberet [1], facete respondit: "spero me parentem eorum superaturum esse, nam duo mihi alii supersunt filii, qui, cum ingressi fuerint Societatem, ego ipse ingrediar.„

343. Cum sacerdotes aliqui tyrones essent, dum consulunt peritiores ex nostris minus circumspecte quam par erat, occasionem arripuerunt canonici lauretani nostros accusandi, quasi aliquid contra sigillum hujus sacramenti in ea consultatione dixissent: nihil tamen scandali secutum est (quamvis aliquid prudentiae desiderari in aliquo ipsorum potuerit), quia prudentia et auctoritas Gubernatoris progressum hujus contradictionis impedivit.

344. Scripserunt tamen et Rector Oliverius et Gubernator P. N. Ignatio prorsus necessarium esse ut ad Collegium Lauretanum confessarii et aetate et experientia maturi mitterentur, licet ex Poenitentiaria Ecclesiae Romanae auferrentur; quia ne in illa quidem sancti Petri tanti momenti tamque difficiles casus expectandi erant quam Laureti [2], et ita quatuor aut quinque confessarii sub autumnum mittendi expetebantur.

345. Qui Ingolstadium mittebantur, cum Lauretum venissent, non solum humaniter sunt excepti, sed ex portu etiam recinatensi vicino, navigio accepto, Melgaram [3] usque prope Trevisum missi sunt.

346. Spiritus maligni denuo quemdam Jacobum Pistoriensem semel aut iterum molestarunt, sed cum instructus, in virtute sanctae obedientiae eos misisset ad Superiorem, statim recesserunt. Cuidam etiam, dum in exercitiis spiritualibus versaretur, in viridi veste bis aut ter apparens multa mala ei de Societate dixit, et foetore cubiculum ejus implevit; quemdam etiam Leonardum Flandrum afflixerunt, stragulum lecti ab eo

---

[1] Vide supra, t. III, pag. 305, annot. 2.

[2] Vide supra, t. V, pag. 80, n. 193, et *Litterae Quadrimestres*, t. III, et IV.

[3] Infra, n. 1650, ubi sermo est de itinere Ingolstadiensium, scriptum fuerat etiam Melghara, sed *l* emendatum est et ejus loco scriptum est *r;* quare sermonem fieri existimamus de oppido, cujus nomen in veteribus chartis est *Marghera,* in recentioribus *Malghera.*

removendo et similem foetorem relinquendo. Aliquae deinde Missae dictae fuerunt et vexatio illa cessavit [1].

347. Canonici, congregationem vel conventiculum secreto cogentes, quemdam ex canonicis procuratorem delegerunt, ut Romam veniens, Capitulo restitui curaret quatuor canonicatus et quatuor mansionariorum portiones ac duos clericatus, qui suppressi fuerant a Cardinali Carpensi, protectore [2], ut ex illis reditibus Collegium Societatis dotaretur. Et hic scopus erat eorum, ut ea ratione Collegium dissolverent, quod aliunde non posse dotari arbitrabantur; et commoveri eos verisimile erat ex quadam vulgi voce, qua circumferebatur, quod tota ea ecclesia aliquando a Societate nostra esset gubernanda, quae res tamen semper aliena a Societatis voluntate fuit, cum decantatio divinorum officiorum, quae illic est necessaria, instituto nostro non quadret.

348. Per Secretarium Cardinalis Carpensis id tacite agebant, ut etiam ipse Gubernator ab eo loco removeretur. Irritus tamen eorum fuit conatus.

349. Aliqui Roma [3] venientes res aliquas P. Ignatii secum ferentes, pro reliquiis eas habebant, eo vivente; at P. Oliverius, cum talem fore intentionem P. Ignatii sibi certo persuaderet, jussit ut unus publice se accusaret, et ut admoneret omnes publice ne quis daret aut acciperet aliquid ipsius P. Ignatii vel alterius de Societate per modum reliquiarum, et qui tale aliquid haberet, statim deferret. In collegiis etiam aliis similia agi intellexit.

350. Cum nostri fere quinquaginta essent Laureti, et eorum atque hospitum expensae graves essent Gubernatori, spargendos esse nostros hac aestate per varia Marchiae loca censuit, ut quindecim aut viginti dies uno in loco, et totidem in alio, versarentur; et ita quatuor tantum sacerdotes hac aestate Laureti substiterunt ad eorum confessiones audiendas, qui ex locis vicinis tempore aestatis conveniebant.

---

[1] Ad oram paginae in ms. Polanci addit Sacchinus manu sua: "Haec anno 1555 contigerunt, teste P. Oliverio, qui rem totam melius narrat in testimonio authentico." — Intelligendum autem hoc videtur non de iis tantum, quae hoc n. 346, sed etiam de iis, quae superioribus nn. 324-328 dicta sunt.

[2] Tum Societatis, tum etiam Domus Lauretanae.

[3] Ms. habet *Romam*, sed sensus requirere videtur *Roma*, unde Lauretum venerant ad P. Oliverium, qui in hoc postremo loco degebat.

351. Classes etiam scholasticorum ad duas redactae sunt. Esculum [1] missi fuerant duo vel tres, inter quos erat concionator ipse Lauretanus; sed cum omnia classicis ac tubis personarent propter bellicos tumultus, statim redierunt. Bonum tamen odorem Societatis ibi reliquerunt, cum decem aut duodecim tantum dies ibi essent commorati.

352. Cum aliis alio missis quidam Franciscus Diaz, hispanus, magnae puritatis ac fervoris juvenis, missus fuit; sed cum eum retentaret vetus quaedam tentatio vel desiderium ingrediendi Carthusiam, remissus est Lauretum. In itinere autem cum sibi videretur plus satis commode se vitam agere, paulatim pecuniam, quae ei data fuerat in viaticum, coepit distribuere, et cum nihil illi reliquum esset, interrogatus a quibusdam triturantibus frumentum quam virtutem haberet, serviendi, inquit, Christo et benemerendi de proximo; et deinde petens: est ne aliquis inter vos indigens? Et cum illi quidam ostensus esset egenus, statim exuit suam tunicam et illi dedit ac simul ad bene vivendum hortatus est.

353. Supererant illi calcei, quos primo, qui obvius ei fuit, dedit. Proposuerat etiam tibialia alii dare, sed interim nudis pedibus tam dura via ipsi visa est, ut amplius incedere non posset. Tunc coepit discretionis suae defectum agnoscere, et a Domino auxilium ardenter postulabat.

354. Coepit autem intra se statim magnam reprehensionem, quasi a Deo datam, persentiscere, ac potissimum de mutatione religionis, quodque Carthusiam propter suam commoditatem expeteret. Et deinde magnam animi consolationem sentiens, sua vota renovavit et detestatus est in aeternum omnes phantasias, quae aliam ipsi religionem suaderent. Et usque ad illud tempus se nunquam perfecte liberatum tali tentatione fatebatur.

355. Eo in loco in quodam hospitio pernoctans et humaniter exceptus, cum sudarium loco pretii dare vellet, accipere id recusarunt: galerum cum calceis mutare voluit, sed gratis ob Dei amorem ei donati sunt, et demum sanus et in vocatione confirmatus Lauretum pervenit [2].

---

[1] Sic; *Ascoli*. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 580 et 589.

[2] Saepius de hoc Francisco Diaz scripsit, *ex* Vic. Gen. *com.*, Polancus postremis hujus anni mensibus.

356. Cum non habeatur salubris aër Lauretanus in aestate, scriptum fuerat nomine P. Ignatii ut apud Recinatem, vel Montem Sanctum aut Cingulum collegium aliquod Laureto vicinum admitterent, ut nostri aestatis tempore eo commigrarent; sed id fieri non potuit expensis Collegii Lauretani, quia non in pecunia reditus habebant, sed in rebus ad usum necessariis, pane, scilicet, vino, lignis et hujusmodi, et ita experti fuerant anno praecedenti perdifficile Recinatem haec posse deportari; et, si longius essent deportanda, difficultas crescebat; et ita Gubernator dicebat se Maceratenses allocuturum, [qui] de collegio jam inde ab initio hujus anni agere coeperant [1]; interim in villa quadam (quam Morlongum vocant) ubi aër salubrior habebatur, aliqui ex nostris hanc aestatem exegerunt.

357. Migrationem P. Ignatii nostri quidem aequo animo et divinae voluntati conformes tulerunt, sed Gubernator graviter se illam sensisse significavit et in filium P. Vicario officiose se obtulit.

358. Eodem tempore quo P. Oliverius Cingulo Lauretum rediit, et de praedicta migratione intellexit et de duorum sacerdotum fuga, quorum alter erat ille Leonardus Flander [2], qui creditur alium sacerdotem, nomine Petrum, seduxisse.

359. Creditum est Leonardum illum ideo recessisse quo minus laute quam in patria in victu tractaretur; sed verisimilius est quod Rector suspicabatur, quod scilicet pecuniam penes se secreto retineret; et ex his esse hic videtur qui non magno cum delectu Laureti admissi erant [3]. Sed nec vacui recesserunt; immo duplices vestes superiores ex Collegio asportarunt et alia quaedam, quae cum Anconae vendere vellent, non bonum odorem reliquerunt.

360. Sed scripsit P. Oliverius neminem de Societate illis mensibus se Anconam misisse, et ita nostros non fuisse illos homines (ut jam vere non erant) creditum est.

361. Ierat autem Cingulum P. Oliverius ut ageret de domo illa admodum capaci, quam Societati offerebant; et quamvis

---

[1] Non ab hujus anni initio sed ante mensem Aprilem praecedentis agere Maceratenses coeperant de erigendo Societatis collegio, ut videre est in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 334.

[2] Vide supra, pag. 100, n. 316.

[3] Vide supra, pag. 96, n. 329, et pag. 99, n. 341.

octo diebus ibidem mansit, res tamen ad perfectionem adducta non est, quod abessent multi ex his (erat enim initium Augusti), ad quos pertinebat ea de re decernere [1].

362. Quamvis autem magistratus et priores urbis inter se convenirent de domo praedicta Societati tradenda, plebs, quae singulis annis ibi excipi convivio solebat, non facile suum consensum praestatura videbatur. Reditus etiam ducentorum ducatorum media ex parte constabat ex stipendio, quod ludimagistro dari solebat.

363. Semel tantum ibi concionatus est, quod alium haberent concionatorem, non tamen sine fructu. De quodam ex primoribus constat, qui publice concubinam habebat, et omnino promisit se statim eam relicturum.

364. Quidam etiam Societati se adjunxit, quem Lauretum deduxit, et curam negotii coepti conficiendi cingulanis quibusdam reliquit. Nihil tamen confectum est, et seminavit daemon, post P. Oliverii recessum, rumorem quemdam quod Florentiae Dux octo ex nostris ad triremes miserat.

365. Quia tamen commodius videbatur P. Oliverio Recinati collegium habere, coepit cum civibus agere de palatio quodam Societati applicando, quod collegium lauretanum anno praeterito in aestate habitaverat; nam amplum et pulchrum aedificium erat, et commodum Lauretano Collegio, quod tantum tribus millibus passuum Recinati distat; et suggessit P. Oliverius Generali Vicario de domo probationis Recinati instituenda, ut confessarii quidem Laureti manerent, sed quod scholastici Recinati litteris darent operam, quandoquidem clerici parum nostra opera in litteris utebantur; et perutile hoc futurum videbatur valetudini nostrorum, et res pergrata accidebat recinatensibus, qui receperunt se tractaturos in suo consilio quid ipsi conferre possent ad collegii dotationem; nam collegiolum ipsi postulaverant.

366. Offerebant quidem pulchrum monasterium, extra urbem positum, licet muris conjunctum; sed P. Oliverius intra urbem convenire magis dicebat, nec Societatis praefectos consensuros esse ut alii religiosi ex suo monasterio expellerentur, ut paucos quosdam expellere volebant.

---

1 Vide supra, pag. 79, n. 255.

367. Gubernator quidem Lauretanus nullo modo probabat hoc consilium, quod tamen Recinatenses avide amplecti et magno affectu Societatem nostram prosequi videbantur.

368. Hortensius Androtius per quaedam loca Marchiae ditionis [1], praesertim Camerini, perutiliter versabatur, et in oppido suo Montechio ejus conversio et mutatio miraculi plena videbatur [2]. Concionabatur in plateis, quod cum fecisset apud S.m Severinum aliquoties, canonici eum ad suggestum conscendendum et in sua ecclesia concionandum coëgerunt. Et majori etiam admirationi ejus praedicatio tunc fuit, et prorsus in Marchia existimatio Societatis tanta erat ut credi vix possit.

369. Cum bella circumstreperent, cogitabat Gubernator de sacerdotibus et nostris et externis alio mittendis, et de praesidio militum ad oppidum illud defendendum adducendo [3], sed melius praesidium in B. Virginis protectione positum erat; hic tamen tumultus bellicus tractationem collegii recinatensis dissipavit.

370. Nostri etiam militaris praesidii loco orationibus et corporis castigationibus magna cum devotione et lacrymis operam dederunt, et nihil prorsus incommodi ex bello oppidum illud sensit.

371. Comitissa quaedam ex ditione Ducis Urbini Lauretum veniens P. Raphaëlem [4] nominatim in confessarium [elegerat] quod Ducissa Urbini valde ipsum commendasset; sed cum ille tum Laureti non esset, non exiguam consolationem spiritualem ab alio ei assignato accepit.

372. Cum autem ab accersito Rectore postulasset, ut sibi liceret ad Collegium videndum ingredi, prohibitum esse intellexit mulieribus nostrorum collegiorum aditum; et repulsam non solum patienter sed cum aedificatione tulit.

373. Quidam de Societate se esse simulans, apud S.m Severinum cum superpelliceo et stola in suggestu praedicaverat; positiones etiam disputandas proponens, doctores et magistros ad certamen provocabat: pecuniam etiam, vestimenta et alia

---

[1] Ubi nos *ditionis* scribimus, ms. habet *dioecesis;* verum non una est in Anconitana Marchia dioecesis.

[2] Vide supra, pag. 7, n. 10.

[3] Sermo est non jam de Camerino aut Montechio, sed de Laureto.

[4] Raphaëlem Rieram.

hujusmodi petebat; et ita bonum odorem, quem ibi sparserat Societas, per ejus ministerium diabolus corrumpere nitebatur. Missus est a P. Rectore ad illud oppidum P. Emmanuel [1] cum socio sacerdote, et cum summa aedificatione tam Episcopi quam populi aliquamdiu ibi versati bonam Societatis existimationem ne detrimentum pateretur illius impostoris opera perfecerunt. Et ita Lauretum redierunt. Fuerat autem ille impostor aliquando in Societate.

374. P. Raphaël Hesium [2] missus ad amici cujusdam uxorem graviter aegrotantem, non illi solum consolationem et spirituale auxilium contulit, sed civitati toti aedificationis multum praebuit, quae aliquot diebus eum retinere optavit et obtinuit.

375. Marchio Montisbelli, D. Antonius Caraffa [3], ad sacram Domum Lauretanam veniens, nostros ad se salutandum accedentes summa humanitate, immo et veneratione excepit (nam optime in Societatem affectus erat), ut qui spectabant valde admirarentur. Similia alii viri primarii facere soliti erant.

376. Recinatem, ad Auditoris Camerae auxilium, ab ipsius fratre P. Oliverius, Rector, evocatus fuit, qui juxta medicorum sententiam morti admodum vicinus erat; sed quia jam expers erat sensuum, parum ibidem commoratus, rediit.

377. Multi ex nostris, inter quos etiam sacerdotes erant poenitentiariorum numerum aucturi, Lauretum hoc autumno missi sunt, inter quos Dr. Augustinus Riva et P. Pisa [4], et graecae linguae ac dialectices alii aliqui praelectores; juvenes etiam nonnulli, ex quibus tamen non pauci in adversam valetudinem inciderunt; et qui ea laborabant, non admodum commode eo in Collegio curari poterant; vix enim quae ad cibum opportuna essent, praesertim cum abstinendum erat a carnibus, inveniebantur. Medicus etiam tam religiosus erat, ut vix carnem aegrotantibus dare vellet, et ejus auctoritatem Gubernator sequebatur; sed praedictus P. Pisa, ex medicinae regulis

---

[1] Emmanuel de Montemayor.

[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 580.

[3] Is Pontifici Paulo IV sanguine conjunctus erat.

[4] De Dre. Augustino de Riva saepius jam occurrit mentio in hoc *Chronico*, ut de Patre Alphonso de Pisa in praecedentibus voluminibus IV et V.

(nam aliquando professione medicus fuerat) eos convicit, et aegrotantibus paulo melius consultum est.

378. Ex illis, qui Societati detrahebant, clericis, aliqui sic mutarunt sententiam, ut juvenes etiam nostros in plateis concionantes audirent, et faterentur male se locutos fuisse collegialium ignorantiam notando. Sed ipse Gubernator, quod fossam quamdam, ad templum B. Virginis Lauretanae muniendum, sine consilio fecisset, non solum apud clericos et architectum male audiebat, sed Romae etiam apud Cardinalem Carpensem, ejus loci protectorem; cujus auctoritate, quae fecerat, obedienter, licet non sine aliqua nota, dissolvit, et in pristinum statum redegit, et ea atque aliis de causis amovendus parum honorifice ab ea gubernatione videbatur.

379. Quod ad studia attinet, numquam melius quam hoc anno ac praesertim sub autumnum in Collegio Lauretano tractata sunt; quamvis initio, cum P. Pisa loco P. Montoyae venit (quod ad lectionem [1], non quod ad superintendentiam attinet), quod in oppido Lauretano hostium concursus timeretur, nec lectio casuum nec logicae publice locum habitura videbatur. Nihilominus, timore sublato, quater in hebdomada in ecclesia casus conscientiae cum satisfactione auditorum non mediocri praelegit. Rogatu autem auditorum, logicae lectionem libenter idem suscepit; nam in coelo illo lauretano melius quam in romano valebat, eo praesertim tempore, quo Mag. Leonardus, ad eam lectionem interpretandam missus, adversa valetudine laborabat.

380. Mag. Ferdinandus [2] autem duas graecas lectiones quotidie praelegebat, Mag. Erardus Avantianus, qui Vienna venerat [3], lectionem dialecticae Joannis Caesarei [4] explicabat; nam P. Pisa Porphyrium [5] enarrandum susceperat.

381. Sic tamen hujusmodi lectionum tempus ordinatum erat, ut confessarii suis officiis in templo non deessent; nam

---

[1] Ms. habet hic *gubernationem;* sed lapsus evidens est; nam ad *gubernationem* id attinebat quod ad superintendentiam.

[2] In hujus mentionem nondum incideramus; suspicamur tamen valde vocabulum hoc *Ferdinandus* non pro nomine *(Fernando)* sed pro cognomine *(Fernandez* vel forte *Hernandez)* positum hic esse.

[3] Vide *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 583, annot. 3.

[4] Vide *ibid.,* annot. 4.

[5] Vide *ibid.,* t. II, pag. 93, annot. 1; et t. IV, pag. 408, annot. 2.

aliqui ex eis logicam audiebant; inter quos erat P. Emmanuel, qui licet concionator esset, huic studio operam non dederat; ad exemplum etiam aliorum P. Rector lectionibus his interdum aderat; et ita studium dialectices utcumque fervere coepit, cum etiam disputationum exercitationes ad lectiones accederent. Haec tamen pars tam exacta, quam par erat, esse non poterat, quod ex auditoribus aliqui parum ad hujusmodi doctrinam essent idonei.

382. Ars etiam oratoria praelegebatur et una ex orationibus Ciceronis post Partitionum lectionem [1]; et huic classi lectio grammaticae graecae et Plutus Aristophanis adhibebatur. Praeter has classes duae aliae inferiores grammaticam tradebant.

383. Prosequebatur [P. Oliverius] etiam lectionem B. Pauli in templo dominicis ac festis diebus [2]. Cum autem Mag. Leonardus [3] convaluit, P. Pisa mathematica ter in hebdomada docere aggressus est. Auditores autem fere ex nostris erant in plerisque lectionibus.

Et haec de Lauretano Collegio sint dicta.

DE PERUSINO COLLEGIO

384. Praefuit etiam hoc anno P. Everardus [4] huic Collegio, in quo nostri religiose, et ut decebat homines nostrae Societatis, et post Patris Ignatii obitum sensisse et illi sibi videbantur ex ejus intercessione in virtutibus profectum [5].

385. Obiit ex nostris unus, Joannes Rodriguez nomine, qui cum miles esset Neapoli, Christi militiam virili animo aggressus est, qui tam libenter ex hac vita discessit, ut non solum mortis

---

[1] Ms. habet *post portionum lectionem*, sed verisimile est agi hic DE PARTITIONIBUS ORATORIIS M. CICERONIS, quibus explicatis succedebat praelectio Oratoris.

[2] Vide supra, pag. 91, n. 307.

[3] Vide supra, n. 379.

[4] Everardus Mercurianus.—Vide supra, t. v, pag. 61, n. 129.

[5] Rectius fortasse periodus haec in hunc modum conformaretur: "in quo nostri religiose, et ut decebat homines nostrae Societatis, Patris Ignatii obitum senserunt; et post illum, sensisse et illi sibi videbantur ex ejus intercessione in virtutibus profectum.„

contemptum, sed et desiderium nostris adstantibus reliquisse videretur; nam a P. Rectore admonitus, cum jam in agone mortis versaretur, ut bono animo et fortiter certaret, nihil aliud se timere respondit quam vitae prorogationem. Ejus corpus in Cathedrali ecclesia S.ti Laurentii, decano et canonicorum universo collegio funus comitante et animi sui benevolentiam declarante, sepultum est.

386. Admissus fuerat primis mensibus hujus anni quidam bonae spei ac indolis juvenis in bonis litteris eruditus: deinde in anni progressu quinque magnae expectationis juvenes vel in Collegio Perusino admissi vel Romam destinati fuerunt. Alii etiam non pauci ad Societatis institutum aspirabant. Qui autem admissi fuerunt, et qui id expetebant, ut ingenio ita et sanguine bona ex parte nobiles erant [1]. Nostri tamen numerum duodecimum Perusii non excedebant, nec enim rerum temporalium et habitationis angustiae numerum copiosiorem ferebant.

387. Sacerdotes nostri toto anno satis occupati in confessionum et communionum ministerio fuerunt, sed praecipue Quadragesimae et publicati jubilaei tempore, quo vix respirare eis licebat. Sed aliis etiam temporibus sacramenta frequentantium numerus auctus fuit, nec pauci ex confitentibus revixisse se et a morte in vitam restitutos fuisse, quod nostris peccata confessi essent, testabantur.

388. In concionibus etiam et sacrae Scripturae lectionibus non poenitendo cum fructu versabantur [2], ut malevolis (quorum erat Perusii non exiguus proventus [3]) [occasio] detrahendi aliis praecludi videretur, et longe plus quam antea, tam conciones quae diebus festis, quam quae diebus veneris habebantur, frequentabant.

389. Ad haec, superstitionibus extirpandis, quibus civitas illa scatebat, magna diligentia utebantur; scripta quaedam veneficiorum et id genus quotidie ad nostros deferebantur; quamvis non parum in hominum illorum animis hujusmodi superstitiones regnarent.

390. Idem studium ad haereticam perfidiam [extirpandam] adhibebant; et quae per seipsos facere non poterant, hortaban-

---

[1] *Et qui id expetebant* additum est ad oram paginae, manu, ut videtur, Polanci.
[2] In ms. est *habebantur*.
[3] Vide praesertim supra, t. III, pag. 47, n 86; et in hoc t. VI, infra, n. 396.

tur eos, qui reipublicae praeerant, tam in ecclesiasticis quam in civilibus rebus, et quidem magno studio, ut id efficerent et publica flagitia de medio tollerent: et Episcopi Vicarius tum in his quae ad forum conscientiae spectant, tum maxime in aliquot virginum coenobiis pristinae integritati restituendis, nostrorum opera plurimum utebatur.

391. In visendis autem aegrotis et in custodia publica detentis id studium pietatis, de quo alias monuimus, nostri hoc etiam anno impenderunt; viginti autem virgines, quarum major pars nostris confitebatur et ab eis in rebus spiritualibus instituebatur, novo cuidam coenobio magna cum totius civitatis celebritate dederunt initium.

392. Pauperum et calamitosorum consolationi ac saluti consultum est, quibus nisi sacerdotum nostrorum charitas subvenisset, in magna peccatorum caligine jacuissent. Nostrorum autem exemplo et eorum, qui ad Societatem aspirabant, multi ad imitationem in studiosis [1] operibus se componebant, et consilio atque auctoritate nostrorum ac monitis inter varias animorum perturbationes multi acquiescebant.

393. Inter alios fructus, quos nostri sacerdotes in invisendis Episcopi hortatu monialium monasteriis capiebant, [censeri profecto debet], quod errores et illusiones varias, sub praetextu revelationum a daemone persuasas, sustulerunt; et Rector [2] praesertim in eis extirpandis perutilem operam praestitit, et a periculis valde gravibus deceptas aliquot religiosas eripuit.

394. Inter fructus autem ex xenodochiis perceptos non minimus fuit cujusdam, qui a multo tempore confessus non fuerat, quod mulierculae cujusdam, quae ibi aderat, consuetudinem ut relinqueret adduci non poterat, sed a nostris admonitus, post confessionem eam in uxorem duxit.

395. Quod ad studia litterarum attinet, orationes latinae et dialogi, versibus compositi, publice et quidem frequenter habiti sunt et cum summo auditorum applausu; et eisdem mirum in modum discipuli ad studia litterarum accendebantur.

396. Numerus scholasticorum primis mensibus ad centum octoginta, in progressu vero anni ad ducentos pervenerunt; et

---

[1] Sic; existimamus tamen loco *studiosis* scribendum *pietatis*.

[2] P. Everardus Mercurianus.

hi quidem, praeter eos, qui Mag. Antonii Viperani publicis lectionibus intererant [1]. Et quamvis plerique conatibus nostris obsistere conarentur, nunc obtrectando, nunc aliquid objiciendo, eorum conatus Dominus reprimebat. Immo vetus quoddam odium nostrarum scholarum, paucorum opera conflatum, qui tamen judicio et auctoritate apud vulgus valebant, in benevolentiam ac gratiam commutatum videbatur; nec mirum id a discipulis factum fuisse, cum publici etiam professores, qui prius institutum nostrum ac docendi rationem oppugnabant, eamdem publice comprobare atque laudare cernerentur.

397. Alii praeterea, quo melius publico muneri [2] satisfacerent, nostros consulebant ac gymnasii nostri doctrina et regulis utebantur, ut, quos publice erudiendos susceperant, melius instituerent.

398. Legebat autem publice Mag. Joannes Antonius cum tanta hominum admiratione, ut nihil tale dicerent in celebri illa Academia contigisse. Habebat autem auditores plures quam quisquam sperasset; nec tantum tirones sed provectioris aetatis et studii, qui cum in aliorum scholis tumultuari soliti essent, (ita ferebat ejus Academiae consultor), in schola tamen Mag. Joannis Antonii, qui adolescens adhuc erat [3], summa cum observantia et moderatione atque quiete versabantur [4].

399. Quantum autem illi proficerent minus intelligi poterat quam in aliis, qui domesticas nostras scholas frequentabant. Is autem uberrimus erat, et carmina (quod novum erat in ea urbe) omnis generis componebant, et orationes habebant; atque omnes in suo quisque ordine diligenter exercebantur.

400. Quantum autem in moribus proficerent, ex compara-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 68, nn. 152-155, ubi de Joanne Antonio Viperano extat cumulatum in docendo elogium. De eodem recurret statim, n. 398 et seq., sermo.—Intelligendi autem hic veniunt scholastici, qui Mag. Viperanum in Perusina Universitate docentem audiebant. Vide infra, n. 398.

[2] Scilicet, docendi.

[3] Vide supra, t. v, pag. 69, n. 154. Unum supra viginti annos natus erat Viperanus.

[4] Tanto tamen oneri ferendo haud parem se quandoque sentiebat Joannes Antonius Viperanus, et se Perusio alio amandari et alium sibi in Academia substitui doctiorem cupiebat.—"A Mtro. Giovanni Antonio non accade particolare risposta senon che si li dica che, essendo necessario un' huomo dotto per lo Studio publico, come ci scrive, se lui non è tale, veda di farsi tale, et non faccia conto di venire questo Settembre; ma al suo tempo Nostro Padre haverà cura. In questo mezzo non so dove possa miglior collocarsi la industria e talento suo, se ha qualch' uno.„ Polancus, *ex com.*, Patri Everardo Mercuriano, 14.ª Martii.

tione eorum cum aliis, qui ad nostram disciplinam ex aliis scholis convolabant et solutis admodum moribus cernebantur, donec et ipsi paulatim excolerentur, cerni poterat.

401. Omnes autem semel singulis mensibus, multi etiam singulis hebdomadis, confitebantur; et bona ex parte, qui ad Societatem nostram admitti cupiebant, ex horum numero erant.

402. In renovatione studiorum a quodam ex nostris oratio de vinculo et conjunctione disciplinarum non sine magna admiratione, eorum praesertim, quibus nostra prius non satis probabantur, habita est et dialogus etiam consequutus, cujus et aliorum hoc anno actorum argumentum ad morum aedificationem pertinebat; et tantus erat in omnibus his applausus, ut nemini non satisfactum videretur.

403. Ante tamen quam haec tranquillitas accessisset, maledicta et injurias multas pati nostros oportuit; sed veritas, a quibusdam oppressa, eluxit tandem. Exhibitae molestiae in aedificationem tandem per patientiam cesserunt. Et quamvis multi, nostris inconsultis, patrocinium Societatis suscipiebant, nihil tamen magis quam res ipsa [eam] defendit.

404. Hoc singillatim dicam: quod cum esset Perusii quidam litterarum humaniorum professor inter praecipuos habitus, qui nostrorum conatibus obstabat, et eorum doctrinam aspernari usque adeo videbatur ut diceret Mag. Joannem Antonium Viperanum scamnis praelecturum, cum inter publicos lectores admitteretur, is, inquam, tam male divinavit quod futurum erat ut contrario prorsus modo res evenerit. Quantum enim existimationis Mag. Joanni Antonio accedebat, tantum praedicto professori detrahebatur; et cum florens auditorium numero et nobilitate Mag. Joannes Antonius haberet et in dies crescere-ret, professor ille cum tribus pene auditoribus relictus fuit, ad quem ut ad oraculum prius harum litterarum studiosi confluebant.

405. Timens autem ille ne stipendio etiam privaretur, multa falso contra nostros praeceptores in vulgus disseminavit. Ceterum provocatus ut coram hominibus eruditis de eruditione ipsius et nostrorum periculum fieri vellet, recusavit ille adeo ut quo animo dixisset atque egisset aliqua contra nostros omnibus jam compertum esse videretur; et adeo bona existimatio nostrarum scholarum crevit ut actum sit inter viros, quorum

id intererat, sublatis aliis litterarum humanarum magistris, de juventute perusina nostris tradenda ut ab eis [1] in litteris et moribus institueretur. Immo et de aliis omnibus facultatibus, excepta juris peritia ac medicina, Societati nostrae committendis, ut studia illa melius procederent, actum est. Quae, quamvis ad executionem non venerint, ex eis tamen quid de nostra instituendi ratione sentirent facile conjici poterat.

406. Cardinalis autem Perusini [2], Gubernatoris [3], Episcopi [4], Vicarii [5] ac magistratuum civitatis et multorum civium primariorum benevolentia erga nostros non mediocris erat; nec solum verbis vivendi, docendi et de proximis benemerendi rationem laudabant, sed commodis etiam nostrorum, sicubi possent, libenter inserviebant.

407. Nondum Cardinalis praedictus curam nostri Collegii alendi susceperat, sed litteris suis ad eos scriptis, quibuscum nostris res erat, nostra omnia arctissime commendabat; et malle [6] sibi panem [quam] illi Collegio necessaria deesse affirmabat.

408. Cuidam etiam primario civi cura nostra erat usque adeo ut cum equum et venatorios canes aleret (quo studio mirifice delectabatur), se omnia dimissurum professus sit, quo melius rebus nostris posset subvenire.

409. Episcopus autem et Vicarius ejus nec auctoritate nec eleemosynis nostris deesse unquam visi sunt. Alii etiam multi cives viritim magno studio stipem quaeritabant [7] ut Collegio necessaria subministrarent.

410. Nec tamen nostris, cum reditus haberent nullos [8], excercendae paupertatis atque patientiae [9] occasio deerat; et satis intelligi potuit non eleemosynis sed reditibus Collegia inniti debere.

---

[1] Ms. habet *ea*, scilicet, *Societate:* at cum vocabulum hoc in proxime praecedentibus non appareat, rectius scribi videtur *eis*, videlicet, *nostris professoribus*.

[2] *Perusinus* scripserat librarius.—Cardinalis Perusinus erat Fulvius Corneus. Vide supra, t. v, pag. 63, n. 138.

[3] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 490, annot. 2.

[4] Hippolyti Cornei. Vide supra, t. v, pag. 63, annot. 4.

[5] Marci Antonii Oradini. Vide supra, t. v, pag. 62, n. 132.

[6] Ms. *male*.—Vide *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 490.

[7] Ms. obscure satis habere videtur *quembitabant*.

[8] Ms. *ullos*.

[9] Ms. habet hic *non;* sed redundat.

411. Legatus Pontificis [1] et Dominus Paulus Ursinus, qui praesidio militum praefectus erat, quam bene nostris afficerentur facile ostendebant, cum Legatus contra obtrectatores sponte sua causam defendendam susciperet, et Praefectus hilari animo quidquid a nostris petebatur concedebat.

412. Sub hujus anni initium P. Bobadilla, dum Sylvestrinorum monasteria visitaret [2], Perusii etiam fuit et bis in Cathedrali ecclesia cum magna suae doctrinae satisfactione concionatus est, et Gubernatori (a quo magna cum humanitate et dilectione exceptus fuit), nostros commendavit, qui et se id, quod rogabatur, facturum promisit.

413. Commendavit autem Patri Andreae Gavanello, ante recessum, Pater Bobadilla monasterium quoddam monialium, quae Sylvestrinis erant subditae, extra muros Perusii [3], ut aliquando eis verbum Domini praedicaret, quod et aliquotiens fecit; sed prius executioni mandari oportebat reformationem a P. Bobadilla conceptam et scriptam quam magnus in eo monasterio fructus per hujusmodi ministeria capi posset [4].

414. Nulla videbatur Patri Everardo fundandi Collegii nostri ratio efficacior quam via studiorum, et fore existimabat ut ipsamet civitas brevi operam Societatis requireret, cum viderent in publica schola Mag. Joannis Antonii plures et nobiliores quam multo retro annis scholasticos versari, et inter eos filios [5] ducum, marchionum et comitum, cumque non tam mirarentur cives quam stuperent parvi illius clerici (sic enim vocabant Mag. Antonium [6]) eruditionem.

415. Docuit etiam experientia sine correctore scholas litterarum humaniorum in officio contineri non posse; et quidam sacerdos, qui paedagogi officio apud quemdam civem fungeba-

---

1 Is idem esse videtur, qui alias Gubernator appellatur. Vide supra, t. v, pag. 68, n. 152; et pag. 69, n. 156; et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 490.

2 Saepe de hac re actum est in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, et in hoc *Chronico*, supra, pag. 21, n. 53.

3 Monasterium Sancti Benedicti, sub cura Patrum Sylvestrinorum monasterii Sancti Fortunati.

4 De hujus monasterii cura ita scribebat, *ex com.*, Polancus Patri Everardo Mercuriano: "Al monasterio delle monache silvestrine, essendosi poca speranza di frutto, sarà poco conveniente che vi vada Don Andrea, poiche non mancarà dove si adoperi più fruttuosamente la sua fatica et tempo.„ 14.ª Martii.

5 Ms. *filii*.

6 Vide supra, pag. 111, n. 398.

tur, cum suos pueros ad nostras scholas adduxisset, correctoris munus se obiturum promisit et obire coepit.

416. Cum autem post festum Divi Antonii [1] usque ad Quadragesimam vacari in scholis publicis a studiis soliti essent, vacare et Joannes Antonius debuit; sed in Collegium nostrum lectionem transtulit, et ejus scholastici praeceptorem secuti, numerum scholasticorum nostri Collegii auxerunt.

417. Spiritualia exercitia quibusdam cum spirituali profectu proposita fuerunt; et inter alios eis excultus est Marcus Valdes de Chardenes [2], qui Romae ob aliquas causas rationi consonas ea non susceperat, et in Societatem admissus est Perusii. In latinis litteris egregie versatus erat et graecas attigerat et jurisprudentiam; militiam postea secutus, demum Christo inservivit. Nobili loco in Hispania natus erat [3].

418. Multos Perusii daemones deceperant, dum eis [4] persuadebant quod animae defunctorum essent, et ad quaedam ministeria, ut peregrinationes et alia hujusmodi, inducebant; et eis persuadebant quod daemonia a corporibus dejicerent et de omnibus rationem redderent; thesauros etiam detegendos promittebant et alia hujusmodi.

419. Aliquis ex his spiritibus a P. Everardo fateri coactus est se socium et subditum esse Luciferi; et personas aliquas sic deceptas, adhibita etiam confessione, curare studuit.

420. Perusina civitas impetrare per litteras a P. Ignatio curaverat, ut novo illi virginum monasterio [5], curam aliquam a nostris adhiberi velit, ut in viam Domini dirigerentur. Sed cum praedictus Pater honesta nostri Instituti ratione excusationem obtenderet [6], alia via suo monasterio per Patres Cappuccinos prospicere studuerunt.

421. Quidam tamen sacerdos, qui spiritualia exercitia fe-

---

[1] Festum S. Antonii Abbatis, quod est 17.ª Januarii.

[2] Sic; *Cárdenas?* In hujus anni litteris occurrit saepe hujus novitii mentio; semper tamen appellatur tantum *Valdés*.

[3] Commune admodum est nunc per Hispaniam totam cognomen *Valdés*. Saeculo autem XVI nobilitabatur hujus cognominis familiis praecipue urbs *Cuenca*. In nulla tamen familiarum reperimus juncta simul haec nomina *Valdés* et *Cárdenas*. Vide CABALLERO, *Alonso y Juan de Valdés;* et MUÑOZ Y SOLIVA, *Historia de Cuenca*, t. II.

[4] Scilicet, multis Perusinis.

[5] Illi scilicet, de quo sermo factus est supra, pag. 110, n. 391.

[6] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 201.

cerat, et nostrorum consiliis utebatur in his quae ad spiritum pertinebant, illis praefectus est [1].

422. Commendatum fuerat P. Everardo ut juvenibus studiosis ad Societatis Institutum sectandum adducendis in Perusina civitate daret operam, quod ille diligenter se facturum scribens, admonet nihilominus tantam inconstantiam, quod ad institutum religiosum attinet, illa in civitate inveniri, ut ex quatuor sacerdotibus saecularibus tres habitum monasticum induisse [2] constaret. Ideo probandos esse, qui ad Societatem admitti vellent, quod ad perseverantiam attinet, et interim ad progressum in litteris faciendum hortabatur. Sed in nostra Societate prorsus experientia docuit Perusinos satis constantes in sua esse vocatione; adeo ut multis annis observatum sit ex Perusinis, qui manum ad aratrum admoverant, neminem retro aspexisse.

423. Inter discipulos autem nostrorum, qui graecas et latinas litteras publice in Collegio docebant [3], delectus multorum haberi poterat; cum tamen solus esset sacerdos, praeter Rectorem, P. Andreas [4], merito auxilium tertii, tum ad Missae sacrificia, tum ad scholam infimam regendam, tum etiam ad confessiones expetebat.

424. Pauci tamen illi sacerdotes non pauca in Domino praestabant, nec solum in templo nostro, sed etiam in variis ecclesiis, ad quas homines, orationis gratia, conveniebant, spirituales exhortationes habebant, et operibus etiam pietatis in multorum auxilium occupabantur.

425. Commendaverat per litteras Cardinalis Perusinus ut cujusdam nepotis sui nostri rationem haberent, qui quamvis paedagogo suo domi uteretur, ejus tamen lectionibus non contentus, praelegi sibi aliquid privatim a Mag. Antonio Viperano cupiebat, sed honesta excusatione utendum esse visum est et suadendum parentibus, qui Cardinalem urgebant, ut ne-

---

[1] Tota haec periodus praecedenti addita est, elapso, ut videtur, aliquo tempore, et ad oram paginae partim rejecta.

[2] *Exuisse* rectius diceretur. Secus inconstantia non primo obtutu apparet estque subtilis cogitatio; perinde ac si diceret: ex quatuor sacerdotibus saecularibus, qui in Perusina civitate versantur, tres habitum monasticum gestasse, et eo relicto, ad clerum saecularem transiisse.

[3] Sic; existimamus tamen scribendum esse *docebantur* aut *discebant*. Unus enim nostrorum, Joannes Antonius Viperanus, litteras publice docebat.

[4] Andreas Galvanellus. Vide supra, t. v, pag. 62, n. 133.

potem [1] suum abbatem ad publicam lectionem Mag. Antonii mitterent.

426. Juvenis quidam apulus, Petrus Natalis nomine, in obedientia progressum fecerat exiguum; hic foeminam quamdam, quae ad portam Collegii nescio quid vendebat et offendiculo esse poterat quibusdam scholasticis, eam fuerat aliquando allocutus, ut ipse affirmabat et probare testimoniis volebat, reprehendens illam quod ad vestibulum maneret. Ipsa vero, nescio quo spiritu, apud quosdam dixerat Petrum aliquid parum honeste locutum esse, quod cum quidam amicus nobilis P. Everardo retulisset, ob eam suspicionem Petrus a Societate dimissus est. Quamvis enim innocens fortassis erat ea in re, de qua accusabatur, cum alioqui, ut dixi, parum esset obediens, nec aedificationem domesticis praeberet, dimittendus esse visus est, ut ne suspectos quidem homines tolerari intelligeretur. Quod odorem optimum Perusii sparsit inter eos, quibus id innotuit [2].

427. Quidam monasterio monialium praeerat, et observari non posse paupertatis votum (ad quod etiam ipse tenebatur) arbitrabatur; sed P. Everardus cum ipso disputans, quid vere sentiendum esset ad ipsius et monasterii commissi exiguam *(sic)* utilitatem edocuit; et ita rem tandem intelligens cum magna satisfactione et gratiarum actione recessit.

428. Doctor quidam, qui discipulus fuerat cujusdam insignis professoris litterarum humaniorum, quamdam orationem in die Ascensionis a Mag. Antonio [3] recitatam se videre velle significans, ei communicata est, (agebat autem de Summo Bono). Hic deinde publice dixit errores aliquos se observasse.

429. Scripsit autem illi Joannes Antonius familiarem epistolam, qua rogabat ut se commonefaceret errorum, si quos observasset. Ille autem nihil respondit; sed re cum illo Magi-

---

[1] Scripserat prius librarius *filium* suum, illum scilicet referens ad parentes, sed deinde alia manus id correxit addiditque inter lineas *abbatem*.

[2] Alius etiam, praeter hunc Petrum Natalem, negotium facessebat Patri Mercuriano.—"Philippo da Prato (alius, ut videtur, a Philippo Guazzalotti, de quo supra, t. v, pag. 98, n. 263, et pag. 101, n 283;) pare si accommodi poco a qualsivoglia essercitio che li sia proposto in Perugia. Quando V. R. pensasse che in Fiorenza o in casa sua faria meglio, ci dia aviso.„ Polancus, *ex com.*, Patri Ludovico de Coudretto, 21.ª Martii.

[3] Joanne Antonio Viperano.

stro, quem *Saxo* vocabant [1], conferens, coepit ille libere admodum loqui, ut auctoritatem Mag. Antonio derogaret. Et cum existimarent nostri aequum esse ut purgarent seipsos in his, quae objiciebantur, et sui rationem redderent, quandoquidem has litte: as profitebantur; Gubernator, qui tunc erat Chadensis [2] Episcopus, nullo modo censuit hac de re inter Mag. Saxum et Mag. Joannem Antonium Viperanum agi debere; et nostrum esse subesse et submisse agere. Quod tamen Gubernator prohibuit, id est, ut veritas elucesceret, alia ratione (salva nostrorum modestia) effectum est; nam facile fuit intellectum id agere Mag. Saxum ut amplius in scholis publicis non legeret Mag. Joannes Antonius; alioqui se non lecturum comminabatur.

430. Et conquestus est quod duas lectiones praelegeret Joannes Antonius, quarum una eodem tempore praelegebatur, quo ipse Saxus docebat, quamvis non sibi elegerat hanc horam Joannes Antonius, sed ei fuerat assignata a Superioribus Universitatis.

431. Id tamen verum est, quod cum sphaeram praelegeret Joannes Antonius, tanta auditorum satisfactione id egit, ut fere auditoribus et Saxum et alium philosophiae lectorem privaret. Sed scholastici et alii plurimi male de Mag. Saxo et de illo Doctore sentiebant, quod non in lucem proferret quae reprehenderat verbo aut scriptis; et confirmata fuit discipulorum benevolentia et studium erga Mag. Viperanum. Et hujus tempestatis auctor, Doctor ille, ab Episcopo reprehensus, vix domum egredi audebat, quod etiam a pueris se notari diceret; et se totum fore nostri Collegii dicebat, si Mag. Joannes Antonius cum Saxo non concurreret.

432. Et ita brevi omnis tumultus sedatus fuit cum augmento

---

[1] "Christoforo Sasso fu 'l fondamento di una perfetta instruttione, che hebbe da ottimi Precettori nella patria; alzò tanto la fabrica di ogni dilettevole disciplina, che pareggiò i più famosi e canori Cigni della facondia Toscana; lesse humanità nel publico Studio di Perugia il corso di quarant' anni, et alla sua morte che seguì l' anno 1574, e dell' età sua il settuagesimo terzo, lasciò honorate le stampe della Rethorica, dell' Institutione Oratoria, e di molte Orationi latine, degni parti del suo rarissimo ingegno; fu il corpo con ogni solonnità *(sic)* maggiore riposto in S. Lorenzo Chiesa Cathedrale; et Oratio Cardaneti, per mostrare animo grato a colui, che vivendo, stato era suo Precettore, lodollo con publica Oratione.„ CRISPOLTI, *Perugia Augusta descritta*, lib. III, cap. 3.—Eritne hic Horatius Cardaneti, qui ut sui Mag. Sassi partes tueretur, Joannem Antonium Viperanum vexavit?

[2] Sic; est tamen *Cavensis*, Fr. Thomas Caselli, O. S. D.

benevolentiae et bonae existimationis praeceptorum, inter quos esse coeperat in Collegio Marcus Valdesius [1], ad litteras humaniores et poësim docendam idoneus; et quamvis frequentia scholasticorum admirationi esset quibusdam, magis Episcopus mirabatur et frequentiam et nobilitatem eorum, qui ad ecclesiam, ad sacramenta suscipienda et verbum Dei audiendum, quamvis ea incommodissima esset, confluebant.

433. Ad orationem etiam libenter eo veniebant, ut cerni potuit sub finem Julii, cum oratio quadraginta horarum, ad misericordiam Dei implorandam in his bellorum tumultibus et aliis publicis calamitatibus, fuit instituta.

434. Extra Perusium etiam Dominus Marcus Antonius Oradinus [2] P. Everardum ad quaedam loca, in quibus sua beneficia habebat, deduxit, ubi populi spiritualem profectum diligenter curavit.

435. Quamvis aestus ferveret Julio et Augusto mense, nostri a labore suo in scholis minime vacabant, quod parentibus juvenum magnae aedificationis erat. Tantum duodecim aut quindecim dies tempore vindemiae lectiones intermittebant.

436. Confraternitas quaedam erat Perusii, de qua mentio superioribus annis facta est [3], quae, inter alia pietatis opera, scholis litterarum humaniorum curam ante nostrorum adventum impendebat et quinque ludimagistros mediocribus quibusdam stipendiis alebat, et quamvis post adventum nostrorum scholae ipsae in usum Collegii cesserunt, nihilominus ipsos ludimagistros alibi confraternitas tenebat; et ex ea quidam nostris impense favebant, alii non minus adversabantur.

437. Episcopus ergo, qui optabat ab hac confraternitate nostri Collegii sustentandi curam suscipi, eos, qui adversarii videbantur, ex albo confratrum expunxit, et alios, quos fautores fore sperabat, substituit.

438. Hi autem illi erant, de quibus superius diximus [4] quod omnes scholas litterarum humaniorum ad Societatem transferre optabant, et sub autumnum duos ex illis praeceptoribus dimiserunt; inter quos unus legere et scribere et praxim arith-

---

[1] Vide supra, pag. 115, n. 417.
[2] Vicarius Episcopi. Vide supra, t. v, pag. 69, n. 156; et in hoc t. vi, pag. 113, n. 406.
[3] Videlicet, t. iii, pag. 45 et 46, nn. 82, 83 et 84.
[4] Pag. 112, n. 405, et pag. 114, n. 414.

metices, quam *abachum* [1] vocant, pueros docebat, paulatim reliquos dimissuri, et stipendia eorum ad Collegium nostrum alendum applicaturi.

439. A Societate ergo nostra praeceptorem unum reliquis addi postulabant, qui hanc provinciam susciperet dimissi illius magistri, qui praxim arithmetices, scribendi ac legendi doceret.

440. Addebat P. Everardus constantiorem sic fore spiritualem fructum puerorum. Cum enim a nostris scholis ad haec discenda non pauci transferrentur, peribat facile fructus ille bonae institutionis, cum in pietate radices non egissent pueri, qui ad scholas liberiores et societatem et institutionem parum convenientem transferebantur. Sic etiam benevolentia multorum civium et praedictae confraternitatis conciliari potuisset.

441. Nihilominus Patri Vicario Laynez visum non est expedire ut hoc onus nostri susciperent, et ita P. Everardus, quamvis aegre id obtineri posse [videbat], adducere studuit confraternitatis illius homines ut boni consulerent, quod honestas ob causas ipsis negabatur.

442. Et ita sine hac lectione consuetas nostri initio Novembris renovarunt, oratione habita de enciclopaedia scientiarum. Et tam Gubernator novus, Episcopus Gaiacci [2] (qui benevolum se nostris et familiarem exhibebat), quam Dominus Paulus Ursinus [3], Praefectus militum, et alii clari viri, qui non interfuerant, eam sibi communicari postularunt, quamvis iidem et Episcopus Perusinus et magistratus urbis cum sua consolatione non mediocri dialogo a pueris acto interesse voluerunt nec mediocriter in Domino recreati fuerunt.

443. Inter eos, qui in Societatem admitti optabant, aliqui, qui se propter litterarum ignorantiam locum non habere animadvertebant, litteris dare operam, ut habiles ad Societatem redderentur, coeperunt.

444. De dotatione Collegii nihil hoc anno, quod firmum

---

[1] Sic; scribitur tamen "*Abacus*, Arithmetica: nam Arithmetici in abaco, vel mensa pulvere conspersa, numerorum notas delineabant... [Dicunt Itali saper l' abbaco, imparar l' abbaco pro Arithmeticam tenere, Arithmeticam addiscere]„. DU CANGE, *Glossarium*.

[2] Sic; quoniam tamen nullum hoc tempore per Italiam reperimus hujus cognominis Episcopum, existimamus mendum esse librarii et scribendum *Ajaccii*. Quod si ita est, tunc novus hic civitatis Perusinae Gubernator erat Joannes Baptista Bernardi.

[3] Paulus Orsini, de quo supra, pag. 114, n. 411.

esset, actum est. Immo ex eleemosynis, quas amici aliqui vel largiebantur ex suo patrimonio vel ab aliis quaerebant, nostri in diem alebantur.

445. Amici quidam, Romam venientes, per Cardinales aliquos a Pontifice impetrare aliquid ad Collegii dotationem nitebantur; nam sine Pontificis voluntate ad id propensa, perdifficile videbatur hujusmodi dotationem fieri posse. Gubernator quidem dicebat velle se Collegio applicare primum stipendium, quod in Universitate vacaret [1]; sed non de applicatione perpetua id intelligebat; et ne ad tempus quidem hoc anno praestitit. Videbatur autem facilior via applicandi stipendia praedicta ludimagistrorum [2] quae ad quadringentos quinquaginta florenos plus minus ascendebant; sed et hoc ipsum suis difficultatibus et quidem magnis non carebat.

446. Consolabatur autem P. Everardum quod a Dei providentia missum esse Collegium Perusium pro certo habebat, et ita bono animo in diem nostri vivebant.

447. Cardinalis et Episcopus potius officiis et auctoritate quam propriis eleemosynis nostris subveniebant. Si tamen aliunde defuisset, malle se mendicare Cardinalis scribebat quam ut Collegium destitueretur [3].

448. Confraternitatis praedictae homines prae aliis in sustentatione Collegii utilem operam nostris navabant; et quamvis magistratus ad Cardinalem Carpensem [4] et Tranensem [5] scripsisset, ut ad Collegii dotationem apud Pontificem juvarent, Roma rediens Dominus Marcus Antonius Oradinus dixit omnino Perusii providendum esse nostris nec eo tempore Roma quidquam sperandum esse; et ita Dominus Aemilius Alfanus, qui Romam etiam venerat, et hoc negotium tractaverat (Prior hic erat confraternitatis et Societati amicissimus), ad propria oculos convertens, sequenti anno ducentos aureos ex stipendiis ludimagistrorum se daturum promittebat, et quaerendi frumenti et vini ad usum totius anni et alias eleemosynas curam suscepit.

---

[1] Stipendium scil., Universitatis lectoribus solvi consuetum.
[2] Vide supra, pag. 119, n. 436.
[3] Vide supra, pag. 113, n. 407.
[4] Rodulphum Pium de Carpi, Societatis protectorem.
[5] Joannem Bernardinum Scotti, qui plurimum apud Paulum IV valere ferebatur.

449. Agebatur etiam de quibusdam officinis urbis, quae ad plateam vergebant, a civitate impetrandis, ut in eis ecclesia fieret; nam per gradus quosdam etiam foeminae ad ecclesiam, qua tunc utebantur, ascendebant, sub quo quaedam officinae versus plateam mercatoribus quibusdam locabantur, et non parum incommodi videbatur ecclesiam hujusmodi habere supra hujusmodi officinas sitam. Sed hoc anno nihil ea in parte innovatum est [1], quamvis auctus sit nostrorum numerus cum consolatione Episcopi et civium.

Et haec de Collegio Perusino.

DE COLLEGIO SENENSI

450. Status hujus nobilis civitatis et facies satis miseranda erat, cum ad eam Cardinalis Burgensis [2] Gubernator missus est, qui non solum justitiae administratione sed suis etiam facultatibus et pietatis officiis, ne rueret, videbatur eam sustentare, et praeter monasteria supra quingentas familias civium suis eleemosynis et frumento, quod illis dono aut mutuo dabat, sustentabat.

451. Duo etiam hospitalia, alterum pro pueris, qui per publicas vias se fame mori clamabant, alterum pro puellis, in quibus quotidie tantum panis singulis dabatur, unde vitam sustentare possent. Et centum viginti orphani in utroque admissi fuerant, qui humanis praesidiis erant destituti. In domo etiam Cardinalis panis quotidie sexaginta vel septuaginta pauperibus dabatur, quo possent eo die sustentari. Curatum est

---

[1] Actum est tamen diligenter de hoc impedimento removendo cum Cardinale Perusino. "Questi giorni ho parlato al Rmo. Cardinale Fulvio della Corgna, il quale mi disse che, oltre di far l' officio che potesse per lettere, andando la il Vescovo di Perugia, li haveva di raccomandar molto le cose del Collegio. Li ho toccato in specie di far havere quelle botteghe di sotto e mostrava che sarebbe facile, pur con quelle si potriano evitare grandi inconvenienti che adesso sono. Per non haver quel difetto si trattava etiam di aprir una porta verso quel di fuora; et anche, se questo non si potessi, di proveder di un' altro luogo, dove fossino maggiori commodità...„ Polancus, *ex com.*, Patri Everardo Mercuriano, 16.ª Maji.

[2] D. Franciscus de Mendoza. Vide supra, pag. 24, n. 61; et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 197 et 237.

etiam ut multis mulieribus et quibusdam viris occasio daretur in urbe victum parandi; nam viri ad labores idonei suos agros colebant, adeo ut ad arcem reficiendam (nam consentientibus Senensibus reficiebatur [1]) mercenarii aliunde essent adducendi.

452. Cum autem corporis indigentiae hac ratione utcumque subveniretur, cupiebat Cardinalis ut animarum necessitati aliquid subsidii daretur, nam monasteria monialium, publicae custodiae et hospitalia, immo et aliae familiae civium multae hoc spirituali auxilio magnopere indigebant, et ad id, ut superius diximus [2], animum adjecit ad Societatem.

453. Cardinalis etiam saepius P. Ignatio scripsit et tum maxime cum inter Regem Philippum et Henricum induciae primis mensibus hujus anni factae essent [3]; et duo sacerdotes cum duobus aut tribus aliis postulavit, quibus domum, ecclesiam et alia necessaria promisit [4].

454. Pervenerunt ergo nostri, qui Roma venerant, scilicet, Hieronymus Rubiola cum Hectore Leonello et Petro Regio, et Florentia P. Baptista Firmiensis [5], circa vigesimum diem Apri-

---

[1] Congruunt haec iis quae habet Sozzini et alii rerum Senesium scriptores.

[2] Pag. 24, nn. 62 et seq.

[3] "Cameraci inter Caesarem, Philippum filium et Henricum, Galliae Regem, in quinquennium induciae pactae fuerunt, quibus ad pacem firmandam sterni iter posse videbatur, nisi gravioribus inter Summum Pontificem ac Philippum dissidiis, amplior saeviendi seges increvisset.„ Mauroceni, *Historiarum Venetarum*, lib. vii, ad annum 1556.

[4] Ignatii responsum habes in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 197.

[5] "que es sacerdote italiano.„ Ignatius Cardinali Mendoza litteris, quarum meminimus supra, annot. ad n. 450. Verum quod tandem est hujus itali sacerdotis nomen? Supra, pag. 25, n. 64, appellatus est ab ipso Polanco "Dominicus Palancha„; nunc autem et saepius infra "Joannes Baptista.„ Orlandini, l. c., lib. xvi, n. 5, ab hac difficultate se extricat scribens "alterque sacerdos accessit Florentia.„ Nec nos quidem definire aliquid certo valemus.—Aliquam tamen hujus difficultatis et confusionis occasionem reperimus in litteris, quas Polancus, *ex com.*, dedit Patri Ludovico de Coudretto 21.ª Martii, in quibus is, qui Florentia, ut Senas mitteretur, educendus erat, Joannes Baptista appellatur. "Di Siena ci si fa instantia di mandar un principio di Collegio, e Nostro Padre vuole compiacere al Cardinale, che li ha scritto, et alla città; e fatta Pasqua credo mandarà alcun numero, e si è pensato che sarebbe al proposito Mtro. Giovan Battista per uno de' duoi sacerdoti; e se non ritenesse la necessità che lui mostra di dare una volta al paese, non si dubbita sia quasi di che *(sic)* si dovesse mandare. V. R. ci avisi di quello che lui sente; prima, se sarà necessaria l' andata sua o no; secondo, quando dovesse andar, in quanti giorni si trovarebbe spedito al suo parere et il ritorno in Siena. E riceva questo capitolo per suo, non potendo io scrivere in particolare per il tempo scarso.„ Sic et in aliis ejusdem temporis litteris appellatur Joannes Baptista.—Juvat autem hic subjicere informationem, quam de iis, qui Senas mittebantur, dedit in scriptis Polancus Licentiato Mercante. "Esta (vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 232) lleva el P. Hierónymo Rubioles con otros dos, que de aquí se ymbian, y de Florencia vendrá luego otro sacerdote, para lo cual va aquí una letra y otra se le escribe por extraordinario; podria ser que tan presto como estos tres fuese

lis [1]. Et quia nondum praeparatus erat eis locus designatus, quod reliquum erat hujus mensis partim apud Cardinalem, partim in domo quadam canonicorum, exegerunt. Statim autem ex diversorio ad Cardinalem eos deduxit Licentiatus Mercante, qui, quamvis aegre admodum tulerat recessum P. Salmeronis [2], humaniter tamen eos excepit, et magnam laetitiam vultu et verbis ex eorum adventu se cepisse ostendit; et bono animo esse jussit, et nihil eis defuturum promisit. Licentiatus Mercante praedictus, tamquam unus ex nostris, suam operam futuro collegio magna cum charitate praestabat; et cum caetera supellectilia, puta lectos, scamna et hujusmodi comparasset, etiam libros, quos habebat, cum eis divisit; quamvis non existimavit lectiones esse inchoandas donec ad locum, qui parabatur, migrarent [3].

455. Inviserunt autem, post Cardinalem, Dominum Franciscum Villanovam, qui Neapolitanus Regens fuerat [4], magnae

---

en Sena. Mtro. Hierónymo Rubioles ha estudiado cuatro años de teología, poco más ó menos, que no usamos nosotros estudiar más en las escuelas. Es persona muy ejemplar y que siempre ha dado muy buen odor de sí, y muestra buena gracia en el predicar, aunque la lengua italiana no la tenga perfecta: será bueno, como creemos, que comience á essortar ó predicar en la iglesia que se deputare para el Collegio, y despues, si pareciere, lo podrá hacer donde quieren; para en las cárceles y hospitales y monasterios, así él como el otro que vendrá de Florencia será harto suficiente, y aun creo para mas. Ayudarán tambien en confesiones y en las otras obras pias, que fuere menester. De los otros dos el uno se llama Pedro Regio, y es noble, de Palermo, y ha leido humanidades en Perosa más de dos años y podrá leer griego, si ahí fuere menester, y tambien enseñar la doctrina cristiana y atender á otras obras pias. El otro se llama Hector Lionello y será suficiente para leer cualquiera cosa de humanidad y aun de retórica. Son todos ellos muy probados en la virtud y darán siempre buen ejemplo y edificacion con la divina gracia.„ 15.ª Aprilis.

[1] Qui Roma missi sunt, Urbe excesserunt decimaquinta die Aprilis.—Ex iis duo, Hector Leonellus et Petrus Regius "más mancebos, son hábiles para enseñar la doctrina cristiana y leer latin y griego.„ Ignatius. *ibid.*

[2] Ex Polonia rediens P. Salmeron, Senis, jubente Ignatio, substiterat et concionatus fuerat. Vide supra, pag. 22, n. 56; et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 197 et 198; et ORLANDINI, *Hist. Soc. Jesu.*, lib. XVI, n. 5 – Revocatus tamen Romam fuit ab ipso Ignatio, Pontificis Pauli IV rogatu, citius quam amici senenses voluissent. *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 223.

[3] Hujus, Ignatii et Societatis amici, nomen nondum reperire valuimus. Interfuit quidem Concilio Tridentino sub Pio IV ut Archiepiscopi Burgensis procurator, verum in Catalogo eorum, qui interfuerunt, *Marchantus doctor theologus* appellatur. Superius etiam, pag. 24, n. 64, a Polanco dicitur *postea Episcopus;* sed nullum hoc nomine *Marciante* vel *Mercante* Episcopum per Italiam aut Hispaniam tota hac saeculi XVI parte, qua Episcopus is esse debuit, invenimus. Idem autem evenisse videtur Orlandino, qui ita scribit: "Inter caeteros, qui Collegii initia fovere, nobilis Hispanus fuit licentiae gradu insignis Marciantes nomine.„ *Hist. Soc. Jes.*, lib. XVI, n. 7.

[4] Vide supra, t. III, IV et V, praesertim vero t. III, pag. 188, annot. 1.ª; et *Cartas de San Ignacio*, t. V et VI.

auctoritatis et probitatis nec minoris prudentiae vir, et qui magno affectu charitatis Societatem, Neapoli et Romae cognitam, amplectebatur. Et qui etiam rebus civilibus judex praefectus erat [1], a nostris salutatus, acceptis P. Jacobi Laynez litteris, tanta animi laetitia eas legit ut diceret pluris se facere quam si a quovis principe accepisset; et pro reliquiis ipsi futuras. Et tam Villanova quam ille [2] verbis et factis suam benevolentiam ostenderunt.

456. Inviserunt et Vicarium Archiepiscopi [3], qui nostros magna charitate amplexus opera pia ejus urbis eis commendavit et hortatus est ut quae ipsis necessaria essent sibi significarent; quamvis enim parva parte suorum redituum Archiepiscopus frueretur, illud ipsum se nostris communicaturum. Canonici autem multi nostros inviserunt et congratulati de ipsorum adventu, omnem suam operam obtulerunt.

457. Coeperunt pia quaedam loca nostri invisere et in eis Missas celebrabant, et magnam famem verbi Dei in eis ac praecipue in monasteriis inveniebant. Cum autem primo die Maji ad invisendum monasterium S.tae Mariae duo nostri sacerdotes ivissent, coactus precibus monialium P. Baptista [4] concionem apud eas habuit cum magna ipsarum consolatione, et cum sermonem ejus Dominus Licentiatus Mercante audisset, judicavit in templo nostro dominicis ac festis diebus eumdem concionari debere; et quamvis id Florentiae fere per integrum annum praestitisset, grave tamen ipsi onus videbatur id Senis praestare, quia non videbatur sibi habere cum quo conferret nec librorum supellectilem [5], immo illis initiis ne scamnum quidem ubi suam vestem reponeret; quamvis paulatim haec subministrata fuerunt. Sed satis jam ab initio parum sibi cum P. Hieronymo [6] convenire [videbatur].

---

[1] Hic infra, n. 492, appellatur *Alexander Alvarez;* num. vero 502, *Ferdinandus Alvarez;* et postremum hoc nomen praetulit, recte quidem, ut nobis videtur, Orlandini.

[2] Scil., qui judex civilibus rebus praefectus erat.

[3] Senensis Archiepiscopus erat hoc tempore Franciscus Bandini. Vide ad eum Ignatii litteras in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 279.—De ejus Vicario vide infra dicenda ad n. 494.

[4] P. Baptista Firmiensis.

[5] Ms. *nec libros nec librorum supellectilem.*

[6] P. Rubiola, qui Rector Collegii a Sto. Ignatio missus fuerat —Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 222, annot. 2, ubi laudatur etiam studium amicorum Societatis erga Collegium.

458. Prima die Maji domum designatam nostri ingressi sunt et in templo primum Sacrum celebrarunt, quod satis pulchrum erat cum tribus altaribus et hortulo vicino. Situs erat amoenus et salubris, in loco edito; et cum esset vicinus plateae et studio publico, quod *Sapientiam* vocant, a strepitu tamen civium erat semotus. Dicebatur templum S.ti Lilii [1]; et quamvis parochiam haberet, cura nihilominus ad aliam ecclesiam transferri poterat.

459. Domus autem quindecim aut viginti personarum capax erat et situs ad augmentum erat satis amplus. Arx erat vicina, ubi quadringenti vel quingenti milites esse solebant. Aliquot annos ibi nostri fuerunt, quamvis non ut in propria domo, quam alio in loco propriam, ut suo tempore dicetur [2], obtinuerunt.

460. Providit autem Cardinalis tantum panis, quantum illis sufficeret, et octo aureos singulis mensibus ad victum; et quamvis in magna annonae caritate non eis multum superesset, tamen alios tres vel quatuor adhibuerunt, et octo numero sub finem hujus anni jam erant. Ex eleemosynis tamen paucorum aliorum utcumque juvabantur. Nec tamen paupertatis oblivisci sinebantur, cum supellectilia multa satis necessaria deessent; nam militarem in modum sine sedibus et mensis erant.

461. Sed cum eos inviseret judex, de quo superius egimus [3], et praeter lectos sedes nullas videret, et sarcinulas et scripta in terra posita, et tamen nostros laetos esse, simul aedificationem magnam accepit et compassus est, et statim aliquot aureos misit, quibus quaedam necessaria emi possent.

462. Cum etiam Dominus Villanova, paulo post confessionem et communionem, domum ingressus esset, et tam liberam ac vacuam videret, aliquot etiam dedit aureos; et ita non solum quae ad usum domesticum sed etiam quae ad scholas parandas et scamnis instruendas necessaria erant, nostri quaerere debuerunt ex eleemosynis; nam, praeter illos octo aureos sin-

---

[1] Ubi nunc *Lilii*, prius erat scriptum *Vigilii*.

[2] His aliisque promissis, quae subinde in his voluminibus occurrunt, conjicere licet in animo Polancum habuisse hoc *Chronicon* longius quam ad hunc usque annum 1556 producere; quod tamen praestitisse non videtur.

[3] Pag. 124, n. 455.

gulis mensibus ac panem, nihil a Cardinale expectandum esse Licentiatus Mercante P. Hieronymo significaverat.

463. Paulo postquam migraverunt in ecclesiam S.ti Lilii, ut aperiendas scholas publicarent, in templo S.ti Dominici, quo praecipua pars civitatis cum solemnitate conveniebat, scriptis affixis declararunt: neque id monachis displicebat; nam pauci illi religiosi, qui Senis post bella reliqui fuerunt, valde benevolos Societati se exhibebant. Milites autem et cives non in privatis tantum sed in proximorum negotiis multum uti opera nostrorum coeperunt.

464. Mulier quaedam nobilis genere cum gravissimo morbo duodecim jam annos laborasset, nullum jam ipsi remedium medicorum ars amplius inveniebat. Ab illis ergo relicta, cum nostrorum adventum in eam urbem percepisset, per nuntium ab eis postulavit ut ad se invisendam aliqui venirent; quod cum nostri libenter fecissent et hortati essent ut spem valetudinis recuperandae in Deo, ut patre clementissimo et optimo medico, collocaret, fidem illa verbis habens, salutem consecuta est: et paucis post diebus, praeter omnium opinionem, in templum nostrum ut S.mo Christi Corpore reficeretur se contulit. Quod eo admirabilius visum fuit, quo ejus vita magis deplorata ab omnibus habebatur; et cum fama per urbem totam pervagata esset, dici a Senensibus solebat, si qui longiori et graviori morbo afflictarentur, ad nostrorum auxilium petendum confugere debere.

465. Vir quidam nobilis et omni scientiarum genere, sed potissimum humanioribus litteris, excultus, cum de charitate nostrorum audivisset, precibus ut se inviserent egit; quod cum fecissent, summa consolatione affectus et dilectione magna nostros prosequens, omnia Ciceronis opera et alios libros nostris opportunos donavit; et cum Patri Hieronymo Rectori cum magna compunctione confessus esset, eleemosynam ei elargiri voluit; sed cum recusaret eam accipere, nihilominus ad ipsius consolationem, quia valde instabat, hac conditione accepit, ut pauperibus erogaret. Ille autem ad omnia nostrorum commoda se paratissimum obtulit. Sed honestissimi cives plerique in rebus spiritualibus et praesertim in suis morbis, qui hac aestate frequentissimi fuerunt, nostrorum opera adjuti sunt; nec solum confessionis gratia, sed vel componendarum litium vel inimici-

tiarum extinguendarum nostros adibant, et eos intercessores efflagitabant.

466. Sacerdotes etiam in suis dubiis ad casus conscientiae pertinentibus nostros consulebant. Sed et Cardinalis Burgensis, civitatis supremus Gubernator, et Marchio Sarriae, Imperatoris ac Regis Philippi ad Summum Pontificem Legatus [1], si quo ministerio spirituali indigebant, licet suos quisque sacerdotes haberet, nostris tamen magis utebatur. Sic et nepos Cardinalis [2] et Secretarius Marchionis praedicti, cum Patri Hieronymi confiterentur, magna familiaritate nostris devincti erant.

467. Ex militibus autem ea aestate fere quinquaginta et centum eidem Patri confessi sunt, quorum alii ludos, alii concubinas et alia publica peccata reliquerunt. Fuit inter hos qui, cum triginta fere annos natus esset, confessus numquam fuerat; et tamen tanto ordine et tanta cum contritione confessus est, ut confessarium in magnam admirationem adduxerit.

468. Non pauci ex his militibus, qui sacris initiati erant, militari statu post confessionem relicto, sub Christi vexillo melius militare coeperunt. Illud autem facile conjici posset, licet non explicaretur, quod multi ex his multis annis confessionem intermiserant. Invisebant ergo domum nostram, et tam ipsi milites quam duces eorum magna benevolentia nostros prosequebantur. Et quamvis in hujus anni decursu crebrae confessiones fuerunt, in jubilaeo ultimo, quod Summus Pontifex Paulus IV concesserat, et in festis natalitiis Domini tanta ad nostros multitudo concurrit, ut dies ac noctes sic in confessionibus audiendis occuparentur, ut vix cibo sumendo et precibus recitandis otium esset.

469. Et inter multos, qui diu hoc sacramento caruerant, fuerunt [3] qui viginti et triginta annis usum ejus reliquerant. Fuit inter alios meretrix quaedam quae palam dictitabat [4] se viginti annis hoc salutari antidoto caruisse, et tanta lacrymarum ubertate vitae suae turpitudinem deflebat, ut B. Magdalenam imitari poenitentia videretur. Suscepit etiam curam alias impudicas mulieres ad templum adducendi, ut ab infelici illo

---

1 Vide supra, t. v, pag. 441, annot. 4.
2 Nepos, scilicet, Cardinalis Burgensis.
3 Ms. *fuit*.
4 Ms. *victitabat*.

statu deterritae ad honestam vitae rationem ineundam juvarentur.

470. Commendanda fuit etiam cujusdam primarii viri conversio, qui cum novem annos concubinam publice tenuisset, licet divitem ac nobilem uxorem habere posset, hortatu tamen cujusdam ex nostris illam sibi despondit, et quamvis ejus consanguinei moleste id ferrent, ipse tamen in dies laetior octavo quoque die confiteri et communicare apud nostros coepit.

471. Coenobia monialium hac aestate nostri crebris concionibus sunt consolati. Inter ipsas religiosas aliquae, quae prius mutuo dissentiebant, invicem reconciliatae sunt. Aliae, quae contra instituti rationem ex proprio vivebant, in commune illud conferentes, ut par erat, communem vitam agere coeperunt.

472. Cum etiam in xenodochiis magna aegrotantium messis esset, eorum consolationi nostri vacabant; nec solum ad patientiam eos hortabantur, sed etiam quae ad corporis subventionem necessaria erant, pro virili curabant. Et tantopere eorum animos sibi nostri conciliarunt, ut cum primum aliquem de Societate aspicerent, prae gaudio miseri illi homines gestirent. Hi a sociis, illi a commilitonibus, cum quibus aetatem totam exegerant, se desertos, a nostris, quibus essent ignoti, se sublevari mirabantur.

473. Qui etiam in custodia publica tenebantur, charitate nostrorum non parum adjuti sunt. Paucis admodum exceptis, omnes ad confessionem et Eucharistiae S.mae sacramentum adducti sunt. Quidam etiam eorum, qui propediem extremo supplicio afficiendi erant, nostrorum precibus mortem evaserunt, et tanto beneficio accepto, deditissimos se nostris ostendebant.

474. Virgo quaedam nobilis, inscio quodam ex tutoribus, qui sanguine junctus ei erat, cuidam generoso juveni desponsata fuit; sed tutor ille, contra cujus sententiam id factum erat, pertinaciter se consensum daturum negabat: ex quo prope erat ut magnum discordiarum incendium inter honestissimas familias excitaretur. Sed unus ex nostris tutorem praedictum convenit, et licet tenacissimum suae sententiae offendisset, ab eo tamen prius non discessit quam ille consensum matrimonio praeberet, et quidem cum non minori ejusdem laetitia quam aliorum satisfactione.

475. Mulier quaedam a suo viro sejuncta multos annos a sacramentis abstinuerat; sed a quodam ex nostris de summo periculo, in quo versabatur, edocta, compunctionem animi magna lacrymarum effusione ostendens, pollicita est se facturam quidquid nostris magis expedire in Domino videretur, singulisque mensibus ad Eucharistiae sacramentum accessuram.

476. Monasterium quoddam erat monialium, quod jam inde ab eo tempore, quo P. Paschasius Senis fuerat [1], in rebus spiritualibus profecerat et ejus adhuc disciplinae vestigia retinebat. Per Vicarium Archiepiscopi id vehementer contenderunt, ut semel atque iterum nostris possent confiteri; quod cum illis concessum esset, cum sua consolatione non mediocri vota sua renovarunt; et tam illae quam aliorum monasteriorum religiosae, suas spirituales difficultates ac animorum perturbationes aperientes, avide remedium ab eis postulabant, et eorum orationibus ac sacrificiis juvari magna devotione postulabant.

477. Omnium fere hispanorum confessiones P. Hieronymus audivit, eosque ad vitam catholicis viris dignam agendam est adhortatus, et eisdem sanctissimam Eucharistiam cum magna eorum consolatione est impertitus. Et erat inter hujusmodi poenitentes qui pro magno beneficio a Deo postulabat ut in culinae nostrae aut in quovis infimo ministerio vitam exigere ipsi liceret.

478. Quod ad scholas attinet, initio quidem quadraginta, deinde paulatim usque ad centum convenerunt; sed exceptis decem aut duodecim, qui Mag. Petrum Regium graecas litteras docentem audiebant, alii in grammaticae praeceptionibus instituendi erant: immo legere et scribere bona illorum pars discebant. Inter bella enim praecedentium annorum parum vacare pueri potuerunt litteris addiscendis. Una in classe prius habebantur; deinde in duas, demum in tres classes divisi sunt. Et quia auditores graecae linguae sub finem aestatis ad tempus alio recesserunt, revocatus est Senis Mag. Petrus Regius.

---

1 P. Paschasius Broët Senis fuerat in aestate anni 1539. BORRO, *Vita del servo di Dio, P. Pascasio Broet*, § III; ORLANDINI, lib. II, n. 23; PRAT, *Memoires pour servir à l'histoire du Père Broet et des origines de la Compagnie de Jésus en France*, part. I, lib. 1.

479. Sed duo ejus loco missi sunt, ut alter, nomine Sanctus, rudimentarios pueros legere ac scribere doceret, alter, scilicet, Gabriel Bisolius [1], grammaticam doceret: quia tamen confluebant multi ad elementa prima discenda, quibus satisfieri vix poterat, plures ejus generis non admittendos visum est, sed qui legere et scribere jam scirent; quamvis semel admissos promoverunt, ut superioribus classibus pro seminario essent et cum eisdem charitas exerceretur.

480. Doctrina autem christiana, omnibus necessaria, in primis curae nostris fuit. Ingenia puerorum senensium satis acuta inveniebantur, et bonae indolis, et adolescentes aut jam aetate juvenes satis magno discendi desiderio tenebantur; et in praeceptores observantia ac in studiis diligentia non mediocris in eis cernebatur.

481. Morem [2] autem scholarum Societatis in confessionibus singulis mensibus instituendis recte observabant. Haec autem juvenum institutio eos ad eruditionem et pietatem promovens, mirum in modum parentum animos Societati nostrae conciliabat, et nobilissimi quique liberos suos nostris instruendos perlibenter tradebant, nec plebeji minus libenter admittebantur.

482. Praedicti etiam parentes, occasione filiorum cum nostris agendo, de suae vitae mutatione admoniti, parere se velle significabant; nec minimum hoc erat solatium tam afflictae civitati, quam post bella penuria et fames valde vexabant, et dum liberos excoli litteris, christiana doctrina et bonis moribus vident, non exiguum Dei beneficium id esse agnoscebant, et ab aliis scholis, ut minus pie ac pretio soluto erudiebantur, libenter ad nostras suos transferebant, ubi non solum stipendium nullum sed ne munuscula quidem etiam exigui momenti propter institutionem illorum admittebantur.

483. Invisit et Cardinalis Burgensis Collegium nostrum, et omnia et ejus classes inspiciens, non mediocri laetitia affectus fuit, cum tot pueros sua opera ibidem institui cerneret. Inter hos discipulos duo fuerunt honestissimae mulieris filii, qui inter caeteros in probitate et eruditione proficiebant. Ho-

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 454, annot. 1.
[2] Ms. *morum*.

rum alterum mater hortabatur ut inopis cujusdam, qui cum gravissimo familiae detrimento in carcerem conjectus fuerat, vices subiret. Et filius quidem parere paratus erat ut charitatem exerceret, sed confessarius matrem ipsam ab hoc pietatis opere dehortatus est; crebro enim in ecclesia nostra sacramenta sancta accipiebat, id est, singulis dominicis diebus. Sed eo honore ac reverentia Senenses nostros prosequebantur et ita de illis sentiebant ut etiam referre sine verecundia non possent; et ad eorum integritatem imitandam, velut speculum ante oculos, nostros proponebant.

484. Quod autem nihil in confessionibus nec in aliis nostris ministeriis nostri exigerent nec oblatum admitterent, eo magis in admirationem eos adducebat, quod insolitum Senis id esset, quodque ipsorum inopia nostris nota erat [1]: quamvis non defuit aliquis, cujus pecunia accepta non fuerat post confessionem, [qui sciens] quod domi nostrae octo habitarent, et quam victus rationem haberent (eam fere quae pro quatuor fuerat initio instituta), commiseratione motus bonam frumenti copiam postea ad Collegium miserit, quam opportune admodum, cum ad panem conficiendum vix jam quidquam haberent, acceperunt.

485. Aedificationis etiam plurimum hominibus dabant aliqua pietatis opera, quibus nostri erant intenti, et non paucos a peccatorum vinculis, alios autem etiam a corporeis liberatos opera nostrorum fuisse, libros haereticos a multis combustos, et vitam in melius juxta nostrorum consilia commutatam.

486. Nec et si quis obmurmurasset (quod quibusdam presbyteris saecularibus aliquando accidebat) non deerat qui nostros absentes defendendos susciperet. Archipresbyter ejus urbis, Dominus Alexander Piccolomineus, vir et probitate et eruditione clarus et magnae apud suos cives auctoritatis, cum maximi momenti esse juvenum bonam institutionem probe intelligeret, de fundatione nostri Collegii sollicitus erat, et ea in re perutilem suae civitati operam se praestare existimabat.

487. Concionabatur in templo nostro ipso quidem initio

---

1 Sic; verum rectius forte sententia constaret, si scriberetur sic: quodque ipsis inopia nostrorum nota erat.

P. Baptista Firmianus [1]; sed deinde ejus conciones prosecutus est P. Hieronymus, qui etiam post meridiem christianam doctrinam in eodem templo explicabat. In summo autem templo P. Laurentius Patarinus, Laureto a P. Vicario evocatus, in Adventu Domini concionatus est. Id enim Cardinali placuit; et quidem satis frequenti auditorio et cum satisfactione et aedificatione magna eo officio functus est.

488. Duo ex militibus arcis in Societatem nostram admissi sunt; unus, Franciscus nomine, domesticis ministeriis satis opportune suam operam obtulit; nullus enim erat ex nostris qui coadjutoris munere fungeretur, et etiam culinae ministeria vicissim sacerdotes et praeceptores curabant, et ad res emendas externi cujusdam opera utebantur. Alter nomine Vincentius Tonda, ex regno Valentiae, nobilis et viginti duos annos natus, qui cum in rebus saecularibus immersus esset, admiranda quadam mutatione totum se Domino consecrare decrevit; et cum irridentes alii milites ab eo quaererent, num ex nostris esse vellet, fatebatur id se cupere vehementer, sed se tanto beneficio indignum [esse]; proinde ut Deum orarent ut a nostris admitteretur; et cum humilitate magna pulsans, tandem sub anni finem ingressus est, et studio abjectionis per mediam urbem asellum farina onustum circiter duo millia passuum ad eum, qui panem conficiebat, ductavit; nec ab hujusmodi mortificatione militaris vestis nec commilitonum ludibria, aut ducum et populi dicta juvenem deterrebant. Et ita in aliis, quae ad corpus castigandum pertinent, strenue hi milites se gerebant, et eorum exemplo et adhortationibus multi milites [2] permoti ad confessionem accedebant; et aliqui etiam instabant ut in Societatem admitterentur. Sub finem etiam anni admissus fuit Antonius Vitelius [3], nobilis senensis, cum prius multa probitatis et perseverantiae signa dedisset. Sed is Romam ad probationem vocatus est.

489. Dominus Franciscus Villanova cum Patri Baptistae hac aestate confiteretur octavo quoque die, et in templo no-

---

[1] Ms. *Firminianus*, idem qui supra et infra *Firmiensis, Firminius*, et *Firmianus* dicitur.

[2] Ms. *multis militibus*.

[3] Appellatur hic *Angelus (Angel)* in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 199, in fine annotationis 2.

stro communicaret, desiderio proficiendi non mediocriter inflammatus spiritualia exercitia facere optavit, et ille quidem acceperat exercitiorum librum a P. Salmerone missum, sed instrui ab aliquo cupiens, hoc ab ipso P. Baptista postulavit. Ille autem, parum alioqui in hujusmodi exercitiis versatus, ea nihilominus Domino Villanovae proposuit, qui licet ob negotia plurima et gravia non posset exacte sese in eis exercere, profecit nihilominus egregie; et quamvis vir esset magnae auctoritatis, ad perfectiora aspirans, de statu vitae mutando cogitabat.

490. Militis cujusdam confessionem, qui sacerdos erat, P. Hieronymus audivit; qui cum magna vitae praeteritae compunctione Societatem ingredi cupiebat, et ad id Romam missus est.

491. Non satis italicam linguam P. Hieronymus Rubiola tenebat [1], et tamen ad eam melius addiscendam studium adhibebat; et cum mense Maji lectiones christianae doctrinae aggressus esset, multi etiam ex primariis viris eum perlibenter audiebant. Et ut ipse testatur, divinum auxilium manifeste suo in spiritu sentiebat; et ita non multo post concionari italice coepit. Sed comitate et charitatis significatione eos, cum quibus agebat, sibi et nostris conciliabat. Et in magna rerum omnium penuria hilaritatem animi sentiens ac prae se ferens, et nostris animum et consolationem addebat, et externos ad benevolentiam et ad subsidium ferendum invitabat: nam etiam religiosi diversorum ordinum libros, quos ab eis mutuo petebat (cum Collegium proprios non haberet), libenter ei dabant. Et Cardinalis etiam in dies magis ei afficiebatur; et prorsus per eum aliqua Dominus operabatur tam magni momenti ut experiri se ipse diceret quod speculative ipse prius didicerat: ad res praeclaras debilia instrumenta Deum assumere, ut ejus gratiae non humanae industriae tribuerentur.

492. Duo novitii florentini, Cosmus et Joannes Baptista [2], P. Joannem Baptistam Firminianum, qui Senas venerat, secuti sunt; et cum aliquandiu in Collegio fuissent, Romam a P. Igna-

---

[1] Hispanus erat Rubiola et duos annos cum dimidio in Italia exegerat. Vide supra, t. III, pag. 381, sub finem num. 839.

[2] Hi pueri adhuc erant, nec parum negotii nostris facessebant, dum ab uno in aliud collegium per Italiam migrabant, ut videre erit in *Nova Serie litterarum Sancti Ignatii*.

tio evocati venerunt. Quamvis autem pecunia et frumentum, a Cardinali singulis mensibus assignatum, tantum ad quatuor vel quinque alendos sufficeret, duo tamen amici, scilicet, Dominus Franciscus de Villanova et Dominus Ferdinandus Alvarez, judex [1], ea subsidia pro sua charitate suggerebant, ut etiam octo sustentari et necessaria quaedam supellectilia et libri paulatim emi possent; quamvis Patre Natali sub anni finem Senis transeunte, cum tertius sacerdos in gratiam Cardinalis, duobus, qui Senis erant, esset adjunctus, aliquantulum auxit [2] eleemosynam et decem aureos singulis mensibus dare coepit.

493. Munera etiam ad victum extraordinaria misit, et ita cum nihil firmum haberent et in diem quodammodo viverent, nihil tamen de necessariis deesse Dominus permittebat. Ad correctorem tamen alendum facultas deerat, et tamen pueri castigatione necessaria egebant, ita ut nostri eos propriis manibus castigaverint, quod tamen postea prohibitum fuit.

494. Vicarius Archiepiscopi [3] magno cum affectu postulabat ut in singulis monasteriis bis saltem in singulis mensibus aliquis ex nostris sacerdotibus concionaretur; et tam in eis quam in carceribus et in hospitalibus fructus non poenitendus cernebatur, et in dies Societas nostra magis cognoscebatur; et ipso etiam primo mense postquam venerant, frequenti sermone ubique in ore omnium clerici [4] S.ti Aegidii, id est nostri, versabantur, et ad communionem in solemnioribus festis satis multi et ex nobilioribus aliqui veniebant.

495. Dominus Alexander, de quo superius facta est mentio [5], cum libris opportunis nostros destitui intelligeret, satis multos liberaliter dedit; et alii sunt eum imitati; et ita prospectum est abunde huic librorum ad omnes nostrorum functiones necessitati.

496. Erat in eadem domo, in qua nostri habitabant, quamvis in separata habitatione, sacerdos quidam, nomine Guliel-

---

[1] Vide supra, pag. 125, n. 455.

[2] Ipse Cardinalis.

[3] Hoc nomine *Vicarius Archiepiscopi* intelligendus ex proxime sequentibus videtur qui Archiepiscopi, Francisci Bandini, in administranda Senensi dioecesi vices gerebat. Is autem erat "Germanicus Bandinus, Francisci nepos.„ Ughelli, *Italia sacra*.

[4] Ms. *nostri clerici;* sed ilud *nostri* redundare videtur.

[5] Alexander Piccolomini, Archipresbyter. Vide supra, pag. 132, n. 486.

mus, qui curam animarum ejus ecclesiae gerebat, et inter sacerdotes magis studiosos ejus urbis habebatur, qui aliqua semina exercitiorum acceptorum cum Patres Paschasius et Simon Senis essent [1], adhuc retinebat. Hic matrem suam senio confectam penes se habebat; quamvis enim eadem erat domus cum nostra, portam tamen separatam, qua ad publicam viam egrediebatur, habebat.

497. Hic ad Societatem nostram ingrediendam accensus, obedientiae se subjicere sed addita conditione volebat, ut matris curam agere non prohiberetur, nec, dum illa viveret, alio mitteretur. Sed cum intellexisset Societatem nostram hujusmodi conditiones non admittere, decrevit omnino et sine ulla conditione se Societati subjicere. Et ita matri consuluit alia ratione; et ex habitatione sua portam quamdam aperiens, cum nostra conjunxit, et cum magna aedificatione urbis et ipsius etiam Cardinalis (qui eum alloqui ac propositum ejus laudare et ad perseverantiam animare voluit) admissus est; et sua suppellectilia communicans Collegio nostro, aliquid ejus commoditati addidit.

498. Sed et ipsam ecclesiam nostri concinnarunt decenter, et pulchrum tabernaculum ad servandum Sanctissimum Sacramentum in ea constituerunt, quod mutuo a monachis Montis Oliveti acceperant.

499. Sed et chortina [2] quadam magna viros a foeminis inter audiendam praedicationem divisit; et ita templum ad aedificationem et devotionem majorem advenientium in posterum accommodatum fuit.

500. P. Baptista Firmiensis, quem concionari diximus et in ecclesia et in monasteriis, pacem quamdam inter quosdam sanguine conjunctos conciliavit, qui quadraginta annis propter bona quaedam magni momenti inter se dissidebant. Et prorsus ad multa idoneus erat, si ad alia Dei dona humilitatem atque obedientiam majorem addidisset. Sed cum Superiore nullo modo ei conveniebat; et nimia utens libertate, sic se gessit extra domum, ut fere eodem tempore Licenciatus Mercante

---

[1] Patres Paschasius Broët et Simon Rodriguez Senas Roma profecti sunt mense Majo 1539. Vide supra, pag. 130, n. 476; et BOERO, *Vita del servo di Dio, P. Simone Rodrigues*, § II.

[2] Velamine.

nomine Cardinalis et ipse P. Rector Romam scripserint, ut omnino et sine ulla mora P. Baptista Senis removeretur.

501. Et Cardinalis quidem alia ratione [videlicet] propter quaedam liberius et incautius ab eo dicta motus fuerat. Alia vero ipse Rector, partim quod nostris ejus exemplum et verba damnum allatura timeret, partim quod nimis familiaris [esset] cuidam viduae, quae filiam habebat domi jam nubilem, et timebat ne quid sinistri accideret.

502. Jam eo tempore, id est, Augusto mense P. Laynez, Vicarius, gubernationem Societatis susceperat, et statim ut alio mitteretur constituit. Et cum valedixisset amicis et a Regente Villanova et Ferdinando Alvarez [1] praedictis, inscio Rectore, viaticum accepisset; Rector nihilominus de his, quae ad victum Collegii a Cardinali data erant, sufficiens viaticum dedit; et dum illum putat ad Collegium ire ut equum conscenderet, eum domi non invenit, et putabat quod insalutato hospite recessisset; sed post decem dies conspectus est ab eo, qui equo concitato ad veredarii domum paratus ad iter ferebatur; et quamvis ubi fuisset illis diebus non illi constabat, res tamen suspicione digna erat. Fuerat alioqui mensibus [2] praeteritis ei concessum ut ad domestica quaedam negotia domum suam Firmium rediret [3]. Scriptum autem ei fuit ex parte P. Vicarii ut responderet his et quibusdam aliis objectionibus. Respondit ille quidem et quibusdam utcumque satisfecit; sed in Societatem amplius non est admissus.

503. Et quod timuerat P. Hieronymus ne noceret domesticis, ita fuisse paulo post deprehendit, nam ille sacerdos, nomine Gulielmus [4], cum ad patriam ut res suas componeret ivisset, mutatus a religionis proposito cum rediisset visus est, et aperte postquam cum suis bonis recessisset, scripsit P. Hieronymo dissuasum illi fuisse a praedicto P. Baptista ne in Societate tunc maneret; et jam sibi displicere quod ejus consilium esset secutus ostendebat.

504. Scripsit eodem tempore Licentiatus Mercante praesentiam P. Salmeronis, qui ex Brabantia [redierat], vel alicujus illi

---

[1] Vide supra, pag. 124, n. 455.
[2] Ms. *mensis*.
[3] Vide supra, pag. 123, annot. 5ad n. 454.
[4] Vide supra, pag. 135, n. 496.

similis, valde necessariam illic [1] esse ut aliquem odorem parum bonum, quem P. Baptista reliquerat, exterminaret; alioquin timere se significabat ne opus illud rueret; nec deerat ex amicis aliquis, judex ille nimirum Ferdinandus Alvarez, qui existimaret removendum esse Collegium Senis, si aliquid stabilius a Cardinali non prospiceretur.

505. Ipse tamen P. Hieronymus bono animo erat et per Dei gratiam nullum scandalum relictum fuisse affirmabat. Nec recedendum esse ex ea urbe judicabat, licet patientia exercenda esset, et fidem auctam sibi lepide scribebat mense Septembri, ut praeter sacerdotem, qui loco Patris Baptistae mittendus erat, alius etiam praeceptor elementariorum ibidem aleretur.

506. Et ita cum P. Laurentius Patarinus decimaquinta Septembris Senas pervenisset [2], etiam et praeceptor, quem diximus Sanctum vocari [3], venit. Cum autem praedictus judex, Ferdinandus Alvarez, officio suo perfunctus, Neapolim ire pararet, misit [nuntium] domum nostram et significavit se postridie totum diem cum nostris exacturum; sed cum non veniret, ad domum ejus se conferens [Rector] aegrotantem invenit; et quindecim diebus morbo consumptus est.

507. Solitus erat octavo quoque die sacramenta apud nostros suscipere, et quotidie summam aliquam panis et carnis coctae pauperibus distribuendam parabat. Referebat etiam quidam ejus famulus quod noctibus eum se flagellis caedentem audiebat; et eidem familiariter significabat magno se desiderio videndi Deum teneri. Tres noctes ante mortem ipsius P. Hieronymus exegit et de rebus spiritualibus cum eo loquebatur cum tanta aegrotantis consolatione ut, si recederet, se statim moriturum, eo absente, diceret.

508. Reliquit Collegio Senensi in suo testamento quinquaginta aureos, et aliam summam quam P. Hieronymus pauperibus distribueret; et quamvis in ecclesia nostra sepeliri cupiebat, expedire visum est testamentariis, ut in ecclesia S.ti Spiritus sepeliretur.

509. Ex hac eleemosyna potuit P. Hieronymus P. Lauren-

[1] Ms. *ei*.
[2] Laureto hic a P. Vicario missus est. Vide supra, pag. 133, n. 487.
[3] Supra, pag. 131, n. 479.

tium et alios fratres vestibus ornare; nec enim mediocris cum frigore pugna ineunda erat.

510. Cum Octobri mense P. Laurentius in templo nostro egregie concionaretur, exiguum tamen auditorum numerum habebat, forte propter vindemiae tempus, et alioqui ferebatur Senenses ex calamitatibus non multum in pietate [1] profecisse; locus etiam ille S.ti Aegidii, ut videbatur amicis, ad frequentiam auditorum parum erat idoneus, et ideo agebant de alio templo ac domo S.ti Vigilii obtinenda, quod esset in loco frequentissimo urbis.

511. Quamvis etiam praemissis latinis orationibus hoc autumno lectiones renovatae fuerint, idem fere tamen numerus auditorum, id est, octoginta vel nonaginta perseveravit; id tamen verum est quod juvenes, qui graecam lectionem a Mag. Petro Regio audierant et discesserant sub aestatis finem [2], cum rediissent, in renovatione studiorum post Divi Lucae festum non invenerunt suum praeceptorem, qui alio translatus erat, sed ejus loco Mag. Gabrielem Bisolium, qui graves auctores graecos interpretari se non posse fatebatur; et satis acerbe tulerunt quod sua spe destituti fuerant.

512. Cum Dominus Alexander Piccolomineus et alii amici de fundatione Collegii agerent, et eo tempore facile aliqua bona applicari posse ex his, quae fere deserta erant, viderentur, et de loco praedicto S.ti Aegidii [3], qui Cardinalis Mignanelli [4] erat, serio ageretur; cum etiam Cardinalis [5] aliquem postularet, cum quo posset res suas conferre; judicavit P. Laynez Vicarius Doctorem Fulvium Androzium, Meldula jam revocatum, (nec enim locus ille ad collegium valde idoneus videbatur, et intentioni Cardinalis Carpensis ac Domini Leonelli hac aestate satisfactum videbatur) Senas mittendum esse; et simul cum P. Hieronymo, Rectore, Cardinalem adiit, a quo humaniter exceptus est.

513. Sed cum ille P. Salmeronem expectaret, ne Doctor qui-

---

[1] Ms. *non magnopere Senenses ex calamitatibus non multum profecisse;* verum aut illud *non magnopere* aut hoc *non multum* redundat.

[2] Vide supra, pag. 130, 478.

[3] Sic; sed ex his quae dicuntur n. 510, videtur hic agi de templo ac domo Sti. Vigilii.

[4] Fabii Mignanelli. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 221, annot. 4.

[5] Cardinalis scilicet, Burgensis. Fabius enim Mignanelli Romae tunc, non Senis, ut ille, erat.

dem Fulvius ejus expectationi satisfecisse videbatur, nec ejus opera multum usurum esse verisimile erat. Hoc constat quod, aucto numero operariorum, cum ab eo peteret P. Hieronymus ut annonam augeret, repulsam cum honesta excusatione tulit, quamvis paulo post, adveniente P. Natali, eam, ut superius diximus, aliquantulum [1] auxerit. Sed prorsus ejus eleemosynae multas in partes erant dividendae; nec ex defectu benevolentiae erga Societatem ea restrictio accidebat [2]; nam quantopere P. Ignatium diligeret, cum de ejus obitu intellexit, lacrymis etiam testatus est; quod et aliis ejus domesticis accidit.

514. Suae linguae [3] etiam operarium et aetatis provectioris haud dubie libentius ad se missum accepisset. Placuit ei nihilominus Dr. Fulvius et quidem in dies magis, postquam Domini Garciae Manrique, qui Cardinalis patruus erat et Plasentiae Gubernator fuerat [4], sed tum aegrotabat apud Cardinalem, confessionem audivit.

515. Distulit autem tractationem fundationis Collegii ad festa natalitia, aliquam bonam occasionem expectans; jam enim satis intellexerat locum S.ti Aegidii, in quo nostri versabantur non idoneum videri ad Collegii institutionem, quamvis P. Natalis non magnopere praeferendum locum S.ti Vigilii existimaret nec nostros suo loco moveri debere. Et antequam ageretur cum civitate de dotatione, vel cum aliis, ad quos spectabat, judicatum est expedire ut bonis et sanctis operibus nostri insistentes, Senensium bonam de se existimationem ac devotionem augerent. Et ita multis in monasteriis et piis locis nostri tres sacerdotes conciones frequentare coeperunt, P. Laurentio in Cathedrali ecclesia, P. Hieronymo in nostro templo, et P. Fulvio in aliis locis potissimum verbum Dei praedicante.

516. Cum autem P. Natalis admisisset Antonium Vitelium, quibusdam suppellectibus donatis commoditatem nostrorum auxit; sed ex ejus quadam domo et agro, quem habebat, perpe-

---

[1] Pag. 134, n. 492.

[2] De hoc tempore, cum jam propter ingentem eleemosynarum copiam pauperibus erogatam (Vide supra, pag. 122, n. 450 et 451) exhaustum erat Cardinalis Burgensis aerarium, nec nostris, quos ipse vocaverat, subvenire poterat, intelligendum videtur illud quod habet ADRIANI, dum acerbe satis in hunc Cardinalem invehitur: "Mostrava de haver carestia di vivere, e di non poter nutrire il popolo nè la guardia...„ *Istoria de suoi tempi*, ad ann. 1556.

[3] Scil., hispanae.

[4] Vide supra, t. IV, pag. 139, n. 278.

tuam dotationem Collegii non parum juvari posse existimabatur, quod et postea secutum fuit; et licet pauci, omnes tamen fere operarii cum essent, diligenter vineam senensem et utiliter excolebant, quamvis eorum, qui sacramenta frequentabant, numerus satis esset exiguus; nam octavo quoque die hoc anno non amplius decem aut duodecim veniebant; in festis plures; et extra Collegium in variis locis fructus latius quam domi nostrae patebat.

Et haec de Collegio Senensi.

DE COLLEGIO FLORENTINO

517. P. Ludovicus de Coudreto [1] hoc etiam anno praefuit; quamvis ei adjunctus esset, et locum ejus [tenebat] cum Florentiam egrediebatur, P. Didacus de Guzman [2], ut accidit initio hujus anni, cum P. Ludovicus Aresium profectus est nec usque ad initium Quadragesimae rediit.

518. Praelegebat idem P. Didacus christianam doctrinam scholasticis, et paucos alios, praeter hujusmodi scholasticos, auditores habebat, cum italicam linguam nondum satis didicisset. In arcibus autem, ubi praesidia hispanorum erant, vernaculo sermone eamdem doctrinam proposuerat. Sed quia urgebant in templo nostro poenitentes, milites ad tempus reliquit, qui alioqui minus avide quam ipse voluisset ad hujusmodi conciones conveniebant.

519. In custodia publica dum afflictis hominibus consolandis et eorum confessionibus audiendis ipse et P. Desiderius Lotharingius [3] vacarent, fructum gratiorem sibi capere vide-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 94, n. 246, et pag. 100, n. 270, annot. 5.

[2] Vide supra, t. v, pag. 42, n. 78: "P. Jacobus de Guzman Florentiam fuit destinatus, ut aliquo modo Ducissae satisfaceret„, quae Patrem Laynez apud se habere volebat, et cum id a Summo Pontifice petiisset, non impetravit.

[3] Videtur is ille esse qui, supra t. IV, pag. 165, n. 338, vocatur Dominicus Lotharingus. Et certe alius est a P. Desiderio Girardin, etiam Lotharingo, "qui Tybure anno 1552 degebat et jam ab aliquot annis sacerdos erat.„ *(Litterae Quadrimestres,* t. I, pag. 713, annot. 1); et tandem Panormi obiit nona Octobris 1555 (supra t. v, pag. 204, n. 596).

batur; nec poenitendus erat omnino quem ex christiana doctrina capiebat; tanta enim in quibusdam ignorantia rerum ad salutem necessariarum [erat] ut viduas aliquas deprehenderit resurrectionis articulum ignorare.

520. Erat ea civitas ineunte anno paupertate, immo et fame vexata, et non parum affligebat animum P. Didaci quod per vicos multitudinem puerorum ac puellarum et hominum utriusque sexus, aetatis provectioris, qui se fame et frigore confici clamabant, ut Purgatorium quoddam sibi videre videretur, quamvis ex hac egestate nova peccata et quidem multa consequi audiret et doleret.

521. Domi nostrae confessiones et communiones fere centum singulis dominicis et festis erant; scholastici autem quindecim supra centum plus minus hoc mense Januarii ad scholas veniebant.

522. Sub finem praedicti mensis Joannes de Xavier [1], cui Pater idem Didacus spiritualia exercitia dederat, Romam venit, quod P. Ignatium videre magnopere cupiebat. Et quamvis Dei servitio se totum mancipare decreverat, prius Lovanium studii gratia proficisci, et deinde Societatem ingredi constituerat. Vir erat honesto loco natus et Domino Ludovico de Toledo, fratri Ducissae Florentiae [2], cui serviebat, charus. Habebat autem aliquos reditus in regno neapolitano ex quibus partem aliquam Florentino Collegio relinquere, id est, viginti aureos singulis annis, decreverat; nam paupertatem Collegium illud valde familiarem habebat; quamvis Ducissa, praeter ducentos aureos annuos [3], aliqua munera interdum mittebat, ut aprum aliquem venatione captum vel quid hujusmodi.

523. Erat primis mensibus hujus anni P. Baptista Firminius, ut superius tetigimus [4], Florentiae, et quamvis ferventer et non sine venustate concionaretur, studio tamen etiam litterarum humaniorum indigebat; nam cum citaret Scripturarum

---

1 Hujus, qui, si cognomen ipsi certo erat Xavier, Patris Francisci Xavier fortassis cognatus erat, nullam adhuc mentionem factam reperimus, neque in recenti libro Patris J. M. CROS, *Saint François Xavier*. Meminere quidem historiae nostrae plurium, qui hoc nomine *Joannes* et cognomine *Xavier* noti sunt; sed hi, quos novimus, alii saeculo XVII, alii XVIII vixerunt.

2 Vide supra, t. II, pag. 182, n. 35.

3 Vide supra, t. II, pag. 178, n. 28.

4 Pag. 123, n. 454.

vel Doctorum [1] loca, observari poterat quod minus quam par erat in grammatica firmus esset.

524. Monasterii cujusdam monialium simul cum P. Desiderio confessiones sub finem Januarii audivit, quae septuaginta numero erant. Decreverat autem P. Didacus in arcibus hac Quadragesima concionari, sed antea spiritualia exercitia proposuit cuidam nobili militi, qui Didacus de Carvajal dicebatur, Episcopi Placentini [2] consanguineus: qui cum in illa exercitatione de duobus vexillis [3] versaretur cum magno spirituali sensu et consolatione, mundi vexillis relictis, Christi vexillum sequi in Societate decrevit; immo et vota cum magna animi laetitia atque animo emisit, et Romam primo quoque tempore proficisci et in infimis humilitatis officiis exerceri cupiebat. Satis versatus erat in latinis litteris et praeclaro ingenio praeditus videbatur; duos supra triginta annos natus; et a P. Ignatio admissus Romam venit.

525. P. Ludovicus de Coudreto Aresium perveniens die sabbati [4], statim dominica sequenti in Cathedrali ecclesia cum mediocri auditorio concionari coepit; die autem Epiphaniae sequenti, jam auctus erat valde auditorum numerus et statim eodem die a prandio post vespertinum officium lectionem christianae doctrinae aggressus est et quotidie eamdem prosecutus.

526. Voluit autem is, penes quem auctoritas tunc erat, ut in Cathedrali ecclesia lectionem hanc explicaret, et [5] fere omnes scholastici aretini et alii multi etiam ex primoribus urbis utriusque sexus cum magna satisfactione eam audierunt, fere trecenti numero.

527. In festis autem matutina concio magnam civitatis partem praesentem habebat; nam illi quingenti auditores esse dicebantur; a prandio autem in lectione mille; et quia ad nuptias spirituales eos invitaverat, tam multi ad confessionem acces-

---

[1] Ms. *locorum*.

[2] Placentinus in Hispania Episcopus erat Dominus Gutierre Vargas de Carvajal. Vide supra, t. IV et V, ubi de Collegio Placentino sermo fit.—Vide infra, n. 550.

[3] Vide in libro Exercitiorum Sancti Ignatii, Hebdom. II. "El quarto dia, meditacion de dos banderas, la una de Christo, Sumo Capitan y Señor nuestro; la otra de Lucifer, mortal enemigo de nuestra humana natura „

[4] Scil., Januarii die 4.ª

[5] Ms. *quam*.

serunt, ut non eis audiendis posset P. Ludovicus sufficere; et cum fructum uberem animadverteret, cupiebat usque ad Quadragesimam ibi manere, et facultatem a P. Ignatio obtinuit, ut ibidem aliquot adhuc dies extraheret.

528. Quidam Sacerdos, qui eum ut Aresium veniret impulerat, eruditus ac pius, religionem ingredi optabat et ad Societatem erat valde prcpensus, sed propter impedimentum quoddam admissus non est.

529. Quidam alius, ad ministerium coadjutorum idoneus, se Societati obtulit.

530. Exercitia spiritualia quibusdam sacerdotibus proponere voluit; sed uni tantum proposuit, quamvis aliis meditationes quasdam dedit.

531. Cum autem post vespertinum officium scholastici in modum dialogi, prout a P. Ludovico instructi erant, christianam doctrinam publice recitassent, cives, qui frequentes admodum spectabant, multum inde aedificationis et laetitiae conceperunt et gratias P. Ludovico egerunt, qui tali doctrina suos filios instruxerat. Aderat et Vicarius, qui multum consolationis etiam accipiebat.

532. Quamvis autem significaverat Aretinis se paulo diutius apud eos mansurum, sanctam obedientiam obtendens eisdem valedixit, prius tamen multorum confessionibus auditis et fructu non poenitendo collecto.

533. Sacerdos quidam juvenis, ubi sororem in matrimonio collocasset, Societati se totum dedere [velle] significavit.

534. Referebat Vicarius nunquam se tantum hominum concursum ad verbum Dei audiendum vidisse, et illis triginta et tribus diebus, quos Aresii exegit, tam ipse Vicarius quam nobilitas tota, ejus concionibus intererat dominicis diebus; feriatis etiam multi simul cum scholasticis; et quamvis tempus esset carnis-privii, non minus ad sacramenta quam tempore Quadragesimae homines conveniebant, et multas horas aliqui expectabant ut P. Ludovico possent confiteri.

535. Multi promiserunt, immo et coeperunt, solito crebrius confiteri et communicare; alii autem, qui frequenter coeperant ad sacramenta accedere et contradictionibus deterrebantur, concionibus ejus et lectionibus animati fuerunt.

536. Quidam equites hispani, qui ibi versabantur, concio-

nibus et lectionibus ejus semper aderànt, et unus eorum, ei confessus et crebro communicans et magnam vitae mutationem faciens, exemplo suo civitatem excitavit.

537. Alii etiam duo vel tres ut concubinas se relicturos pollicerentur adducti sunt. Fuit qui lectione quadam audita ad adversarium quaerendum statim recedens, ei fuit reconciliatus.

538. Tres aut quatuor sacerdotes ad religionem moti fuerunt et ad Societatem petendam se accessuros, postquam quaedam confecissent negotia, sunt polliciti. Exhibebant autem ei benevolentiam magnam illi cives et exemplum quarumdam lectionum in scriptis habere cupiebant.

539. In quodam monasterio monialium concionatus magnopere moniales ad devotionem commovit.

540. Inde Cortonam [1] se contulit; et postridie quam venerat in duobus monasteriis est concionatus; die autem dominica in Cathedrali ecclesia cum magna auditorum satisfactione; quinque vel sex alias in monasteriis variis et semel in platea concionatus est. Fuit autem in monialibus magna commotio facta, et fructus non mediocris ex eis collectus; nam moniales frequenter se accessuras ad confessionem et communionem promiserunt et ad meditanda Christi mysteria fuerunt excitatae et instructae; et illis paucis diebus, quibus Cortonae commoratus est, exercere se in spiritualibus hujusmodi meditationibus illae coeperunt; et optimus odor Societatis apud Vicarium et eam urbem relictus est et apud canonicos Cathedralis ecclesiae.

541. Cupiebant autem multi in ea urbe Societatem penes se habere; et cum ecclesia quaedam prope muros valde pulchra aedificaretur, erant qui Societati eam habitandam dare cuperent; locus erat magnae devotionis et multis miraculis clarus [2].

542. Quidam etiam juvenis Societatem ingredi Cortonae curavit, quamvis cum admittendi facultatem se non habere [P. Ludovicus] dixit, eum ibidem reliquit multis cum lacrymis, quia parum firma erat valetudine.

---

[1] Hic primo scriptum erat *Inde Castiglionem et Cortonam;* sed linea superducta deleta sunt verba *Castiglionem et.* Infra tamen, n. 544, mentio fit de Castiglione, quam urbem attigisse Ludovicus videtur Aretium Cortona rediens.

[2] Sermo hic esse videtur de templo Sanctae Margaritae de Cortona, quod in colle prope arcem situm est.

543. Cortona rediens, Aretium [1] venit et humaniter a Patris Sebastiani Romei [2] parente et fratre exceptus, primo die Quadragesimae, quae jam instabat, se confessionem facturos promiserunt. Bis autem in parochia, licet feriatis diebus, concionatus est, et tertiam habuit concionem in quodam monasterio, ubi soror erat quaedam Patris Sebastiani, et omnes ad fletus compunctas esse intellexit, nec talem se concionem unquam audivisse dicebant.

544. Praefectus autem cujusdam confraternitatis insignis obtulit hospitium omnibus nostris, qui Castiglione transirent, in ipsius fraternitatis domo. Raphaëllus *(sic)* Ticii praefectus ille dicebatur.

545. Aresium inde rediit; et quia saepius cum eo egerat civitas, in communi suo consilio Societatem amplecti decreverat: quatuor primarios cives deputavit, ut locum et quae ad sustentationem necessaria essent quaererent. Et agebant de ecclesia quadam parochiali nostris tradenda, quamvis ibidem parochus curam animarum exerceret. Sed deinde commodius visum est Ducissae Florentiae scribere ut ab Episcopo Aretino impetraret locum quemdam, qui communis omnium sacerdotum erat; sed quia ne id quidem videbatur P. Ludovico admittendum, si omnes, quorum intererat, non consensissent (quod valde difficile erat), alium se locum inventuros deputati dicebant, et quidam Augustinus Richobrius, Societati valde addictus, qui primas inter deputatos tenebat, offerebat se curaturum quod sufficeret ad quatuordecim personarum sustentationem, scilicet, quatuordecim millia [3] modios frumenti et octoginta vini dolia, et tantum vini et olei quantum satis esset; et in pecunia centum et quinquaginta aureos. Neque id erat difficile civitati, in qua fraternitas quaedam est, quae tria millia annui reditus habet; et sperabat P. Ludovicus non minorem fructum ex hoc quam ex Florentino Collegio.

546. Res autem in hoc statu relinquens et Florentiam rediturus, antequam Bibienam perveniret, in quodam pago intellexit nullam toto anno praedicationem ibi audiri; et commoratus

[1] Ms. *Aretinum;* sed nulli fere dubio locus est quin legendum sit *Castiglionem*, ut clare satis innuitur nn. 544 et 545.

[2] Vide supra, t. II, pag. 428, n. 24.

[3] Ms. $\frac{m}{14}$.

[est] ibi aliquantulum apud eos, summa cum aviditate verbum Dei audientes, qui ob spiritualem consolationem acceptam multis eum benedictionibus sunt prosecuti.

547. In parochia autem Bibienae die dominica cum magna auditorum satisfactione concionatus est; et quamvis eum retinere aliquot diebus cupiebant, inde tamen statim recessit; et cum septem millibus passuum monasterium Chamaldulense inde distare intellexisset, eadem die dominica post prandium se contulit, et die lunae sequenti rogarunt eum ut concionem de jejunio et perseverantia in eremo ad monachos haberet, quod libenter perstitit, et magnam benevolentiam monachi ei exhibuerunt; et die martis jumentum et ducem itineris ei dederunt; et ita die mercurii, qui primus erat Quadragesimae, cum fratre nostro Clemente, itineris socio, qui exemplo modestiae et devotionis aedificationi multis fuerat, Florentiam pervenit.

548. Juvenis quidam, Christophorus Trusiglio nomine, jam ab anno praeterito Societatem ingredi cupiebat [1]; ideo non admittebatur quod facultatem a Ducissa non haberet, cui ipse, quemadmodum pater et mater ejus, in honoratis ministeriis inserviebat. Ille autem hanc iniit rationem, ut Ducissae scriberet litteras, quibus et suum animi propositum explicaret et quod prima die hujus Quadragesimae de ingressu in Societatem votum emisisset. Illa vero, ut cum ejus parentibus rem conferret, facultatem vel negavit vel saltem distulit. Interim ejus parentes, qui, ut fit, tenere juvenem diligebant, impedire eum pro virili nitebantur. At juvenis 6.ª die Martii cum in templo nostro oraret, decrevit prorsus ecclesiam et domum nostram non eggredi, nisi omnino coactus inde expulsus esset; et id patri suo per epistolam significavit, et nostris suam salutem commendabat.

549. Adierunt Ducissam Patres Ludovicus et Didacus [2], ut quid illa vellet fieri intelligerent; nam P. Ignatius per litteras significaverat velle se rationem haberi Ducissae; at illa, ut christianam principem decebat, juvenis non minus virilem quam pium animum commendavit, et si multis millibus ducatorum posset ipsa talem fervorem sibi acquirere, eos libenter impensuram; addiditque quod si unus ex filiis ipsius vellet So-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 94, n. 246.

[2] Patres Ludovicus de Coudreto et Didacus de Guzman.

cietatem ingredi, non esset illum impeditura, immo si ipsa vir fuisset, Societatem se ingressuram. Demum contentam se esse ut domi nostrae maneret juvenis significavit; et dixit velle se a P. Ignatio gratiam hanc postulare ut Christophorum in Collegio Florentino relinqueret [1].

550. Coepit etiam P. Didaco Ducissa [se] magis familiariter quam prius fecerat exhibere [2]. Recedentibus autem nostris injunxit ut illa tantum nocte Christophorum ad paternam domum remitterent, ut afflictam matrem consolaretur, quae nimis erat afflicta. Sed Christophorus ne in eo quidem acquievit Ducissae, repetens quod prius dixerat, nisi vi expelleretur, se inde non recessurum. Et haec animi sui constantia non solum Principis sed etiam parentum animos vicit, et ipsius pater ut eum vestimentis Societati congruis indueret, in Collegium venit et lectum, in quo dormiret, misit. Sed ipse magnopere Florentia recedere ac Romam ad probationem venire cupiebat, quod post aliquod menses obtinuit [3].

551. Duo etiam alii adolescentuli, de quibus superius egimus [4], Cosmus et Joannes Baptista, cum plus quam vellent eorum admissio differretur, Florentia recedentes, Senas se contulerunt; inde Romam evocati sunt.

552. Sub idem tempus cum Dominus Joannes de Mendoza, familiariter Ducissae cognitus, relictis omnibus, Romam venisset [5], prae animi teneritudine Ducissa lacrymata est, et multum

---

[1] "Circa il stare in Fiorenza di Christophoro, per adesso si potrà fare e dire alla Signora Duchessa che Nostro Padre si contenta di quanto commanda Sua Eccellenza. Dopoi, passando un poco di tempo, il medesimo potrà fare instantia di venir qua, che havuta la licenza della cosa più difficile, si haverà etiam della più facile e non mancheranno buoni modi col tempo: e si potrà essortare il padre suo, quando si vedesse che non li giova la troppo conversatione sua, a moderarsi.„ Polancus, *ex com.*, Patri Ludovico de Coudretto, 21.ª Martii.

[2] "Cum saepius ad palatium ivisset (P. Didacus), numquam eum alloqui voluit (Ducissa) toto hoc anno.„ Vide supra, t. v, pag. 102, n. 277, et infra, in hoc t. vi, n. 576.

[3] Alter, etiam hispanus, cum Christophoro Trujillo Florentiae in Societatem admissus est, cujus meminit Polancus supra, pag. 143, n. 524, jam Romae erat. "Don Diego de Guzman nos imbió de Florencia un caballero de muy buenas partes, que se dice Diego de Caravajal, que da mucha edificacion su bondad.„ Polancus Patri Gasparo Loarte, *ex com.*, 19 Martii. — "Circa Diego di Caravajal e Christophoro de Trusillo non accade dire altro senon che come ci rallegramo di vedere la buona riuscita del primo, cosi etiam di intendere quella del secondo. Dio Nostro Signore li dia buona perseveranza et augmento di spiritu et virtù.„ Idem, *ex com.*, P. Ludovico de Coudretto, 21.ª Martii.

[4] Vide supra, pag. 134, n. 492.

[5] Ejus ingressum in Societatem vide supra, pag. 5, n. 4 et seqq.; piam vero mortem, in pag. 47, n. 137. Plura etiam infra, dum de Collegio Neapolitano agetur.

illi palatio, in quo valde cognitus erat, admirationis et aedificationis praebuit.

553. Sub initium Martii Cantica Canticorum cum frequenti auditorio P. Ludovicus in templo nostro et quidem cum magna satisfactione enarrare coepit. P. Didacus militibus, Pater autem Baptista [1] monasteriis quibusdam hac Quadragesima concionati sunt.

554. Venerat autem ex Collegio Baëzae in Hispania juvenis quidam, natione gallus, ut P. Didacum quaereret, et cum ingredi Societatem decrevisset ac Romam missus esset, ibi admissus est.

555. Eodem tempore Balthasar Ostovinus, bohemus, qui Societatem ingredi prius constituerat et Florentiae versabatur [2], vota sua, magno cum fervore emissa, P. Ludovico Romam mittenda tradidit.

556. Paulo post Aprili mense P. Pontius [3] cum socio Julio Onofrio, Romam ex Aquitania rediens, Florentia transivit [4].

557. Alii etiam nonnulli Societatem ingredi cupiebant et ad ostium pulsabant.

558. Sub finem autem Quadragesimae tanta poenitentium multitudo confluebat ut ne quartae quidem eorum parti posset satisfieri.

559. Aedificium Collegii nostri jussit Ducissa absolvi et quinque vel sex cubicula et aliae quaedam habitationes, ut tolerabilius nostri habitarent, confectae sunt. Aliquam etiam pecuniae summam, id est quinquaginta aureos, cum Pisis rediissent Duces in vigilia Ascensionis, miserunt.

560. Cur autem tam opulenti Principes parcius quam alii res Societatis juvarent, intelligi potuit ex parte provenire ex Ducis conceptu, quem [declaravit] inter loquendum cum nostro quodam amico, de quo alias mentio facta est, quem equitem Fulvum nominavimus [5]. Cum enim Ducissa diceret quid sibi vellet,

---

[1] P. Baptista Firminius, de quo supra, pag. 142, n. 523.

[2] Vide supra, t. v, pag. 25, n. 41, et infra, in hoc t. vi, n. 589.

[3] P. Pontius Cogordanus.

[4] Vide supra, t. v, pag. 9, n. 9; et pag. 348-358, nn. 943-968.

[5] Nuspiam in toto hoc *Chronico* equitem hunc *Fulvum* offendimus. Est hic tamen ille, qui anno 1552 a P. Ludovico de Coudreto exercitiis spiritualibus excultus est et Ducissae familiaris erat (supra, t. II, pag. 510, n. 236), quem equitem de Rossi, *d Rossi, Ruscum, Roseum?,* vocabant (supra, t. III, pag. 69, n. 128), quem tandem saepe in suis, *ex com.,* datis litteris Polancus appellat *il cavalliere rosso.*

quod Albae Ducissa [1] nostros videre vix posset, eques dixit rem ita se habere, et historiam retulit quamdam ad praedictam Ducissam et Dominum Moscheram pertinentem; et subjecit quod Moschera praedictus non multo post ad benevolentiam erga Societatem sic conversus esset, ut bona sua, quae multa millia ducatorum valebant, Societati donasset [2]. Tunc Dux inquit: "Et hoc ne tibi probatur?„ significans sibi non probari quod Societas tam multa bona admisisset. Tunc eques, ut liber erat: "numquid„, ait, "tibi non placet ut induantur, et comedant, et domum habeant?; et si dares ipse decem vel duodecim millia ducatorum, ut ex eis viverent, deberent ne illi recusare?„ Tunc Dux non tam multis opus habere [nostros] dicebat quam a Moschera acceperant, ut pauperem vitam ducerent. Sed eques: "ubi multum est quod comedant, multi etiam sunt qui comedunt„; et semper plures esse qui consumerent quam reditus sufficerent, aiebat. At, inquit Dux: "Cur non faciunt, sicut monachi S.ti Francisci, qui ex eleemosynis vivunt et non ex reditibus?„ et subdidit accepisse se litteras ex Hispania quod homines divites in Societatem admitterentur, et quod ad bona de consanguineorum manibus recuperanda statim mittebant. Eques nihil horum, quae referebat Dux, se scire dixit; sed nostros se Dei servos existimare, et demum dixit Duci: "Ale, inquit, Domine mi, hos homines in tua ditione, in qua perutilem operam impendunt. Facile video quod hos homines non videas, et nunc clare id ostendisti„; erat enim in dicendo facetus et liber. Sed Ducissa respondit non ita esse et Ducem Societatem amare, et tunc velle dare ducentos aureos ad aedificium domus.

561. Paucis post diebus venit P. Salmeron cum Legato, Cardinale Motula, Florentiam, et cum P. Didaco invisit Ducissam, quae libenter [et] admodum humane eos excepit; et multa, quae a P. Salmerone dicebantur ad ejus profectum, aequo

---

[1] "Doña Maria, hija de Don Diego Enriquez, tercer Conde de Alba de Liste, y de Doña Maria de Toledo.„ BURGOS, *Blasón de España*, t. I, pag. 132. Is tamen, antea, pag. 126, dixerat tertium illum Comitem de Alba de Liste matrimonium contraxisse primo quidem "con D.ª Leonor, hija de Don Fadrique de Toledo, segundo Duque de Alba de Tormes„, secundo vero "con Doña Catalina, hija de Don Garcia de Toledo, primogénito del antedicho„; quod vix intelligi potest, nec cum iis congruit, quae pag. 126 dixerat.

[2] Vide supra, praesertim t. IV et V, dum de Domo Probationis Septimancensi sermo est.

animo et grato audivit. Et quia admonitus fuerat de his, quae a Duce dicta fuerant, occasionem accepit dicendi quod ubique nostrorum domus et collegia expetebantur, quodque nostri divitias temporales non amarent, quod facile cerni poterat, cum tres aut quatuor ex nostris Episcopatus [1], duo etiam Cardinalatum [2] admittere noluissent, cum eis offerrentur. Et si aliquorum patrimonia, qui Societatem erant ingressi, admittebantur, id tantum ad sustentationem nostrorum, qui multi erant, fieri, ut tempore Apostolorum et initio aliarum religionum factum erat. Intellexit autem Ducissa haec ab eo dici propter verba Ducis, et dixit probari sibi quod P. Salmeron dicebat, quamvis Duci aliter visum esset; addens: "melius est ut vobis donetur quam mihi, quae ludo omnia consumerem„. Et cum exegissent cum Ducissa plus quam duas horas ac domum rediissent, quidam a Ducissa missus subsecutus est, qui viginti aureos P. Salmeroni attulit ad aliquam necessitatem, quae in itinere ei accidere poterat; sed ille, cum videret nostrorum penuriam eo in Collegio, hos aureos illis reliquit, unicum tantum retinens ut aliquid de pecuniis Ducissae expenderet.

562. Cum autem P. Ignatius intellexisset ea, quae a Duce dicta fuerunt, injunxit ut aliqua ratione melius informare Ducem studeret [3] de his, quae ad Societatis pertinent Institutum, ac nominatim, quod attinet ad Moscherae dotationem, non illam sufficere ad tertiam nostrorum partem sustentandam, qui Simancis versabantur. Et ita instructus est eques ille amicus ut Ducem admoneret.

563. Sed cum paulo post in palatio Ducissam nostri alloquerentur, et Dux ad eam venisset, hac occasione accepta, P. Ludovicus eum oravit ut de Societatis nostrae Instituto aliquid audire vellet. Tacens aliquantulum Dux, postea dixit: "quorsum hic?„ "Quia, inquit P. Ludovicus, audivi multa de nostris hispaniensibus dicta tibi fuisse quod, scilicet, bona

---

[1] Duorum tantum ad hoc usque tempus meminere historiae, nempe Patris Claudii Jaii, qui Trigestinum, et Patris Petri Canisii, qui Viennensem Episcopatum, sibi oblatum recusarunt. Ni forte iis annumerandi sint PP. Joannes Nuñez Barreto, Melchior Carneiro et Andreas de Oviedo, qui vere nolentes et nonnisi Summi Pontificis praecepto compulsi Episcopatus accepere.

[2] Scilicet, PP. Jacobus Laynez et Franciscus Borgia.

[3] Pater videlicet Ludovicus de Coudreto, cui de hac re et iisdem fere verbis litterae datae sunt 30 Maji.

temporalia venentur eorum qui ad Societatem admittuntur.„ Tunc Ducissa: "aequum est ut intelligas quam rationem vivendi hi teneant, quos in tua ditione alis.„ Tunc P. Ludovicus dixit quomodo alia esset ratio domorum, alia collegiorum, et cur collegia reditus habere possint ac debeant. Tunc Dux hoc se cogitasse fatebatur, quod nostri perinde atque alii religiosi facturi essent, qui ipso in initio cum magna asperitate vixerunt, et postea paulatim in rigore disciplinae relaxati erant. Subdidit Ducissa nostros in necessitate magna esse constitutos Florentiae, et hoc optare ut ducentos illos aureos, quos singulis annis dare ipsis coeperat, in aliquo loco assignaret, ut non opus esset ad eos recuperandos ipsi molestos esse. Addidit quod si non haberent Florentiae necessaria, alio migraturi essent. Adjecit P. Ludovicus rem gratissimam Ducem nobis esse facturum cum aliqua contra nostros ipsi referrentur, si ipsos moneri juberet, cum nihil aliud quam Dei obsequium et commune bonum expectarent. Dux respondit non suum esse religionum reformationi se immiscere, quod dictum non admodum probavit Ducissa quod ad nostros attinet, quos Florentiae alebat, quod attinet ad curam ipsorum habendam; et tunc intulit sermonem de augenda domo nostra et quae ratio ad id iniri posset postulavit. Responderunt nostri domos quasdam Collegio conjunctas emi posse; et pretium earum scire voluit.

564. Creverat tantopere eorum numerus, qui ad audiendam lectionem Canticorum confluebant [1], ut impetrata facultate a P. Ignatio in Cathedrale templum eam, prout rogabatur, transtulerit. Nec enim nostrorum templum frequentiam hominum capere poterat; et ultimo die Maji, qui dominicus erat, in praedicta ecclesia Cathedrali legere coepit et duplo majorem habuit numerum quam nostrum templum capiebat, et cum fructu et satisfactione legere pergebat, quamvis minus sonora vox ejus esset quam illius templi amplitudo [requirebat].

565. Ipso die Corporis Christi scholastici, qui supra centum et triginta aliquando inveniebantur, in templo nostro dialogum quemdam de frequentatione, dignitate et utilitate S.mi Sacramenti, quem magister Leo [2], primae classis praefectus, compo-

---

[1] Vide supra, pag. 149, n. 553.

[2] Magister Leo Lilius, seu *del Giglio*.

suerat, [recitarunt]; et cum vix multitudinem caperet ecclesia nostra, multis aedificationis et consolationis multum attulit.

566. Non omittam quod cum quidam ex cubiculariis Ducis, ipso praesente, contra Societatem nostram quaedam dixisset, Ducissa, quae etiam aderat, eum acriter reprehendit; et cum Patres Ludovicus et Didacus de rebus spiritualibus ac potissimum de oratione, confessione et communione, et contra ludum, quo intemperantius ea utebatur [1], multa dixissent, libenter illa quidem audiebat, ac bona desideria ostendebat, quae tamen executioni mandare nesciebat, ut ipsa fatebatur, et petebat ut nostri suis orationibus veram ipsius conversionem a Deo impetrarent etiam contra ipsius voluntatem. Affirmabat nihilominus quod postquam Societatem novisset familiarius, non perpetratura esset quidquam quod peccatum mortale esse sciret; et quaedam pia exercitia, quae nostri suggesserunt, promisit se facturam.

567. Quidam Petrus de la Torre, qui Secretarius fuerat, jam inde ab initio Concilii Tridentini, Domini Francisci de Toledo jam defuncti, qui patruus Ducissae fuerat [2], sub finem Julii mensis Societatem nostram ingredi decrevit. Vir erat, qui modestiam ac virtutem non mediocrem simul cum prudentia prae se ferebat. Triginta et sex annos natus, in latinis litteris versatus, graecas etiam attigerat. Habebat autem stipendium satis honoratum, scilicet, viginti quinque ducatorum Senis. Cum autem litteris animi sui propositum Patri Laynez, vivente P. Ignatio, declarasset eodem fere tempore, quo uterque morti vicinus erat, paulo post admissus est.

568. Cum in Cathedrali ecclesia lectiones suas prosequeretur, crescente auditorio, P. Ludovicus, ipso die S.ti Petri eodem in loco aliqui ex scholasticis mediam partem christianae doctrinae recitarunt, et postridie quod reliquum erat; et id spectaculum ac specimen profectus populo et aedificationi et consolationi non mediocri fuit. Unus autem aut alter ex his recitatoribus (utrique nomen Zenobius erat) ut in Societatem admitterentur, litteris ad P. Ignatium missis, et precibus nostros Flo-

---

[1] Vide supra, pag. 151, n. 561; et infra, n. 578.

[2] Franciscus de Toledo, Orator Caesareus, Tridentum primo appulit 15.a Martii 1546. Pallavicini, *Historia del Concilio di Trento*, lib. vi, cap. 13, n. 1.

rentinos instabant; sed cum quatuordecim annos non excederent, admissi non sunt.

569. Erat hac aestate Florentiae quidam vir bonus ac pius, qui Joannes Dei vocabatur, natione hispanus, qui insigne hospitale Granatae fundaverat, quem Ducissa retinebat, et nostris erat assiduus conviva, cujus causa Ducissa, cui hoc pergratum erat, et missis pecuniis et rebus ad usum necessariis solito frequentius nostros sublevabat; et tam ipsa quam Dux cum ipso saepius de rebus Societatis loquebantur, et quidem cum ipsorum aedificatione [1]. Et videbatur affici solito magis Dux; cum enim P. Ludovicus simul cum Christophoro Trusiglio Ducissam adiisset, ut facultatem ad Christophorum Romam mittendum impetraret, supervenit pro more suo Dux, cui P. Ludovicus libellum Joannis Gersonis *de Imitatione Christi* eleganter compactum obtulit, quem hilari vultu accepit, et promisit quotidie se aliquid ex eo lecturum et quod ad facultatem postulatam pro recessu Christophori Ducissa eam concessit, dummodo ejus parentes contenti essent. Hortatus est eam P. Ludovicus ut aedificium Collegii promoveret ac dotaret ad

---

[1] Gravis hic est difficultas, cui solvendae aut explicandae impares nos omnino fatemur. Nam certum est Joannem Dei (vel de Deo, hispanice *Juan de Dios*), "qui insigne hospitale Granatae fundaverat„, diem supremum obiisse 8.ª Martii, anno 1550 FR. JUAN DE SANTOS, *Chronología hospitalaria*, cap. 31. Quare, vel fefellit memoria Polancum, vel fefellit Florentiae Duces eorumque curiam *impostor* aliquis, vel tandem is, qui hoc anno 1556 "a Ducissa retinebatur nostrisque assiduus conviva erat„, non fuit Joannes ille Dei, "qui insigne hospitale Granatae fundaverat„, sed alius fortassis ex ejus discipulis, qui ei superstites fuere. Verum primum, scilicet, fefellisse Polancum memoriam, credibile vix est, cum non ex memoria sed ex scriptis monumentis ipsum quae huic *Chronico* inserebat, eruere solitum certum sit. Quamvis et illud etiam incredibile pene est ignorasse Polancum, dum hoc *Chronicon* compingebat, videlicet, tempore quo jam Praepositus Generalis Societatis erat P. Mercurianus, annum quo Joannes Dei mortem obierat. Secundum autem, quod *impostor* aliquis, se Joannem Dei esse simulans, Duces Florentiae eorumque curiam decepisset, minus adhuc credi potest, cum tot essent Florentiae tunc temporis hispani: immo et Duces aut sanguine aut amicitia conjuncti erant pluribus ex his magnatibus, qui Joannis Dei funus honestarunt. FR. JUAN DE SANTOS, l. c., cap. 32; P. MANUEL TRINCHERÍA, *Vida de San Juan de Dios*, cap. 10; FRANCISCUS DE CASTRO, *Vita S. Joannis de Deo*, cap. XIII, in opere *Acta Sanctorum*, mense Martio, t. I, pag. 833. Restat igitur tertium, quod quidem verisimile admodum est. Nam potuit aliquis ex Joannis discipulis non solum per Hispaniam, quod ab ipso etiam Joanne factum est, sed et per Italiam, ubi tot versabantur hispani, vel eleemosynarum colligendarum causa vagari, vel ut a Sede Apostolica approbationem impetraret *regulae*, cui hoc tandem anno 1556 ultima manus imposita est. LES PETITS BOLLANDISTES, *Vies des Saints*, t. III, pag. 789.—Quae cum ita sint, librarii pace, qui toties in similibus lapsus est, dicere auderemus Polancum dictasse hic "vir pius ac bonus, discipulus illius, qui...„, sed voces *discipulus illius* sub librarii calamo evanuisse.

triginta collegiales alendos, et dixit illa se effecturam ut usque ad viginti quatuor ibi esse possent, et tamen id minime praestitit.

570. Relatum est P. Ludovico quod in civitate Castelli (in qua actum fuerat aliquando de collegio Societatis instituendo) duo neapolitani praedicarent, quos populus de Societate nostra esse credebat, et tamen illi et pecuniam et res alias post concionem petebant. Deinde Aresium venientes in festo Pentecostes concionati sunt et scandalum non mediocre illi populo propter quaedam parum honesta dederunt; quod cum Inquisitoribus significatum esset, Commissarius Sancti illius Tribunalis eos capi ac retineri optavit; et ita scriptum est P. Ludovico, si Florentiam venirent, eos capiendos curarent. Erant autem fratres gemini, et sub finem Junii Florentiam venerunt, et suo more concionari coeperunt. Pater ergo Ludovicus equitem saepius nominatum [1] admonuit, quod Cardinali Carpensi, Inquisitori, videbatur hos homines capiendos, quodque Commissarius Inquisitionis obtulerat se missurum litteras Cardinalis Compostellani [2] ad Ducem Florentiae, ut eos retineri juberet. Allocutus est eques Vicarium, qui utrumque in carcerem conjecit. Illi quidem habitum Protonotariorum deferebant, sed eo sublato inter concionandum et tunicis talaribus utentes, homines nostrae Societatis habebantur et odorem parum bonum de Societate quibusdam in locis hac occasione daemon sparsit. Quamvis autem aliquot hebdomadas in carcere exegerunt, nunquam tamen Inquisitores quidquam, ut Commissarius dixerat, permiserunt; et optabatur ut saltem Protonotariorum litterae ab eis auferrentur et praedicatio eis prohiberetur. Demum Vicarius, qui amatorias quasdam litteras et alia hujusmodi parum honesta deprehenderat, poena quadam pecuniaria eos puniens, et litteris apostolicis protonotariatus ab eis sublatis, et a ditione florentina eos recedere jubens, dimisit. Affirmarunt autem et ipsi se non amplius praedicaturos.

571. Quod ad confessiones attinet, tantus fuit earum numerus postremis hujus anni mensibus ut a quinquennio (quod tempus nostri Florentiae resederant) nunquam major fuerit; et uberior ac fructuosior haec messis in dies reddebatur; et mi-

---

[1] Vide supra, pag. 149, n. 560.
[2] Fr. Joannis Alvarez de Toledo, O. S. D.

rabantur multi nostrorum sacerdotum solertiam et charitatem quod se totos dies confessionibus audiendis paratos exhibentes, nullam ea in re personarum haberent acceptionem, sed paupe-res ac divites nullo discrimine audirent. Egeni autem multi et afflicti libenter nostros adibant, quod ad sua vulnera idoneos medicos invenisse sibi videbantur. Deprehensi sunt plurimi, qui vel a multis annis vel nunquam integre confessi fuerant, graviora quaedam reticentes, qui nostris sacerdotibus suam conscientiam, ut par erat, aperientes omnium absolutionem consecuti sunt. Sequebatur autem confessiones tam frequens communicantium numerus, ut vix alibi frequentius inter tam multa templa Florentiae S.mum Sacramentum perciperetur; quod paucis ante annis desertum et alioqui satis augustum erat.

572. Fructus autem concionum ac lectionum, quae in eodem templo nostro et in Cathedrali ecclesia habebantur, in hujus-modi confessionibus ac communionibus apparebat et in vitae emendatione consequente. Ex his autem qui prius sacramento-rum frequentationi detrahebant, non solum aliqui frequentato-res effecti sunt, sed et alios ad frequentationem alliciebant; et aliqui sic affecti sunt piis hujusmodi exercitationibus, ut vix solatium ullum acciperent, nisi vel cum in templo nostro essent vel concionibus aut lectionibus nostrorum interessent.

573. Fatebantur autem aliqui, praeter hos, se hoc debere nostris, quod postquam eorum coeperant interesse concionibus, a tenebris vanitatum et vitiorum, quibus tota vita anteacta pleni fuerant, emersissent, et tunc demum coeperint experiri quid esset vere christianum esse. Quaedam erat inter hos mu-lier, concionibus ad viam salutis conversa, usque adeo lacrymis et poenitentiae dedita, ut sive manducans sive bibens sive quid-quam aliud agens semper sua defleret peccata propter Dei offensam, et propter eadem corpus maceraret et suis manibus victum quaeritaret; multa tamen in eleemosynam elargiebatur, ea sibi quodammodo ex ore auferens et sapidissimum panem existimans pro Christo carere pane.

574. Exercitia spiritualia crebro his atque illis propone-bantur; in eis autem se exercuit Petrus ille de la Torre [1], et

---

[1] Vide supra, pag. 153, n. 567.

vota sua sponte emisit, ac deinde cum Christophoro Trusiglio Lauretum et inde Romam venit.

575. Quidam etiam sacerdos quadragenarius, Philippus Serenus nomine, per eadem exercitia tam firmiter decrevit Societatem ingredi, ut licet illum domo fustibus abigerent, se non recessurum diceret. Ludimagister fuerat et curam animarum egerat. Huic etiam quemadmodum et aliis [exercitia] tradiderat P. Didacus de Guzman.

576. In progressu temporis adeo charus Ducissae esse coepit [1], ut cum loco Christophori Trusiglii duos hispanos Florentiam mitti peteret, addidit, si P. Didacus Florentia educeretur, posse etiam reliquos ex ea urbe excedere.

577. Fuit autem ei nuntium gratissimum, cum intellexit P. Jacobum Laynez mortis periculum evasisse et in Vicarium electum fuisse.

578. Sed non perinde libenter ipse P. Didacus Florentiae manebat, quod displiceret ei vehementer Ducissam, multis Dei donis praeditam et optimis inspirationibus ad meliora et saluti viciniora excitatam, in ludo modum excedere, et esse aliquem doctorem theologum qui affirmaret ei peccatum mortale hoc non esse, quamvis mille et duo millia ducatorum nocte una ludo perderet, et multi pauperes in ejus ditione propter penuriam vel fame perirent vel in gravia peccata inciderent. Et ita libenter se alio iturum significabat, quamvis illi concessum non est.

579. Significavit autem Ducissa gratum sibi fore si Congregatio Generalis Florentiae fieret, quamvis id consequebatur ut expensas ejusdem Congregationis faceret.

580. Ejus etiam frater, Dominus Ludovicus de Toledo, cum litteras quasdam ad P. Didacum Roma missas vidisset, quibus agebatur de molestia, quae nostris in Hispania inferebatur a quodam ipsius procuratore propter beneficium quoddam ecclesiasticum, quod ad ipsum pertinere procurator censebat, et primo quidem ne nostris negotium facesseret se scripturum dixit: postea tamen per Secretarium significavit prius intelligi oportere Romae an qui Societatem nostram ingrediuntur, ante professionem beneficia retinere possint; quod, licet mitissimo,

[1] Ipse P. Didacus de Guzman.

Patri Didaco stomachum tamen movit, et si in re tam clara suum favorem non praestabat Dominus Ludovicus, quid in rebus majoris momenti ab eo sperandum esset? Sed demum Dominus Ludovicus scripsit, si justitia ipsi non suffragaretur, ne nostris molesti essent; et licet justitia ab ipso staret, in causa non procederent.

581. Quidam alius ex discipulis expectationem non sustinens, Christophorum imitatus, ex Collegio recedere noluit donec admitteretur; et ita quod quinquennio fere optaverat, paucis diebus obtinuit. Octo adhuc discipuli urgebant ut et ipsi admitterentur, et quod in litteris satis versati essent et ingenuis moribus praediti, non repulsam omnino tulerunt, sed expectare jussi sunt.

582. Utilitas christianae doctrinae, quam P. Didacus [scholasticis] in templo nostro explicabat [1] ad eorum fratres et sorores ac reliquos domesticos se extendebat; immo et ad populum coram tribus aut quatuor millibus hominum dialogi quidam de ea doctrina compositi in summo templo a Collegii discipulis acti fuerunt; et tam res ipsae quam actionum venustas et honestae recreationis et admirationis plurimum attulerunt, et benedictionibus quidem nostros prosequebantur, quod tam pie juventutem instituerent.

583. Cum quidam ex nostris apud quemdam bibliopolam in libros pessimi cujusdam haeretici incidissent, eos primum bona ipsius bibliopolae venia domum secum abstulerunt. Deinde haeresum Inquisitores ea de re docuerunt, qui nostros, ut pro suo arbitrio agerent, quod ad praedictos libros, permittentes, ab eis postularunt ut et reliquas [2] bibliothecas inviserent easque ab hujusmodi libris, si quos invenissent, expurgarent.

584. Quamvis commiserat Ducissa ut quaedam habitationes domi nostrae absolverentur [3], usque ad hujus anni finem absolutae illae non fuerunt; et ideo arcte admodum habitabant, quamvis satis multi pro paucitate cubiculorum essent; nam septemdecim numero in hoc autumno erant, et hospites ali-

---

[1] Vide supra, pag. 141, n. 518.

[2] Sic; forsitan rectius: Deinde haeresum Inquisitores ea de re docuerunt, qui nostros voluerunt ut pro suo arbitrio agerent quod ad praedictos libros permittendos attinet, et ab eis postularunt ut et reliquas etc....

[3] Vide supra, pag. 149, n. 559.

quando excipere oportebat, quia plurimi hoc primo autumno Roma mittebantur ad alia loca.

585. Venit inter alios Meldula sub finem Octobris P. Fulvius Androtius [1]; et mirum videbatur quod, cum urgeret Dominus Leonellus ut ibidem maneret aliquandiu, postea tamen ab eo facultas recedendi impetrata est. Concesserat quidem P. Vicarius ut aliquandiu in gratiam Cardinalis [2] maneret; sed cum de quibusdam ad suum et socii vestitum necessariis et aliis ad usum domesticum administratores hospitalis commonefecisset, illis graves expensae visae fuerunt, quae tamen vix duodecim aureos excedebant. Et quaedam delicata visa sunt (cum tamen in victu et vestitu non parum nostri patientiam exercuerint), quod, scilicet, in rerum necessariarum catalogo, ad lectos calefaciendos instrumentum quoddam postulaverint. Quod non fuisse faciendum propter hujusmodi hominum facilitatem ad scandalum accipiendum, P. Vicarius Laynez sensit et admonuit [3].

586. Cum autem D. Leonello candide quomodo se res haberent aperuisset, mirum est cum quanta aedificatione id audierit, nec volebat ullo modo permittere ut inde recederet. Sed cum rationibus ostenderetur ei ad majorem Dei gloriam fore recessum, cum multis lacrymis, et suis et uxoris, facultatem tandem recedendi concessit. Alii etiam similem doloris sensum fletibus ostendebant. Medicus autem quidam et alius Domini Leonelli minister voluntatem Societatem ingrediendi, quam occultam tenuerant, in ejus recessu ostenderunt.

587. Fuit autem aedificationi ei populo quod cum senem quemdam propter debita in carcerem conjectum educi e custodia curasset ut debita ejus solvi possent, libros quosdam, quos secum Laureto attulerat, vendendos dedit ut senex ille et ab omnibus derelictus liberaretur. Indusia etiam et alia hujusmodi in eleemosynam pauperibus dederunt; et cum pedes vellet iter

---

[1] De eo tamen Meldulam mittendo jam ab anni initio agebatur, ut videre est in litteris ipsi a Polanco, *ex com.*, scriptis 22.ª Februarii.

[2] Cardinalis Rodulphi Pio de Carpi, qui Domini Leonelli filius erat.

[3] Quae tota hac paragrapho continentur, a vocibus, *Et quaedam*, ea ad oram paginae adjecit sua manu Polancus.—Meminisse autem oportet, quo haec recte accipiantur, bonum hunc P. Androtium paucis tantum ante mensibus canonicatum satis pinguem suaeque divitis familiae delicias reliquisse.

conficere, non permisit Dominus Leonellus, et Florentiam usque equos providit.

588. Cum autem in quodam diversorio quidam esset, qui propter inimicitiam jam triennio a confessione abstinuerat, persuasus a P. Fulvio ad cor rediit, et, ut promiserat, Florentiam secutus est eum; ubi cum paratus esset ad omnia quae ipsi dicerentur facienda, confessus est et communicavit; nec solum odium remisit, sed alloqui etiam inimicum et pro eo quotidie orare promisit. Cum autem Florentiae adhuc versaretur, dum P. Vicarii responsum Roma expectat, in templo nostro cum magna auditorum commotione et lacrymis concionatus est; et quamvis eum PP. Rector et Didacus ibi retinere optarent, Senas nihilominus missus est, quo etiam ipse propensior videbatur, fructum uberiorem sperans.

589. Cum Balthasar Ostovinus [1] Florentia Romam mitteretur, quidam alius missus est juvenis, qui P. Ludovico videbatur, ad Societatem idoneus, vel potius ire permissus [est], spe data admissionis; et tamen idoneus non est inventus et ne sic mitteret alios P. Ludovicus est admonitus. Quidam alius sacerdos, nomine Ludovicus, admitti in Societatem postulavit. Juvenis etiam quidam, Melchior de Herrera, qui Ducissae Secretarii [2] nepos erat, qui postea admissus est.

590. Cum aegrotaret pater Christophori Trugillo Pisis, qui post ingressum filii Societati magis addictus esse coeperat et generalem totius vitae confessionem Patri Didaco de Guzman fecerat, ejus rogatu Pisas, ubi tunc Duces erant, se contulit [3], ubi praeter charitatis officium [in] amicum impensum, Ducissam est allocutus; quae cum intellexisset Patrem Laynez dolore cholico et biliorum *(sic)* laborare, mittere se velle dixit pulverem quemdam ad eum sedandum efficacissimum et quamdam aquam, quae, ut Dux affirmabat, admirandae efficaciae erat ad eumdem morbum. Suasit etiam ut remedium praesentissimum et certissimum ut singulis mensibus aut bimestribus mellis rosacei alexandrini tres uncias aut quatuor sumeret. Commendabat autem se admodum devote et multo magis Du-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 25, n. 41 et in hoc t. vi, pag. 149, n. 555.

[2] Vide supra, t. iii, pag. 70, n. 128; et corrige in eodem tomo indicem, ubi hic *Florentini Ducis secretarius* appellatur.

[3] Ipse P. Didacus de Guzman.

cem maritum suum et filios orationibus Societatis; et saepius in hebdomada P. Didacus, cum esset Florentiae, ad palatium se conferebat ad minores Ducum filios in christiana doctrina instituendos, quam bene addiscebant.

591. Hoc autummo Pistorium P. Ludovicus se contulit cum fratre nostro Philippo Guazaloti [1], ut videret num Episcopus [2] unire vellet ac posset Collegio nostro Florentino oratorium quoddam, quod in oppido Prati habebat [3]; et ad aëris mutationem causa valetudinis, praeter subsidium redituum, utile esse poterat. Et Episcopus quidem suam operam libentissime obtulit, si modo id facere posset; et ut id videret, inducias aliquas temporis postulavit. Immo et Pistorii se locum aliquem idoneum quaerere velle dixit.

592. Concionatus est autem ibidem ter P. Ludovicus, bis ipso die S.ti Michaëlis in duobus templis, et sequenti die, qui S. Hieronymo sacer erat, in Cathedrali, praesente Episcopo, et quidem cum aedificatione tertiam concionem habuit.

593. Florentiae etiam tentavit ut Archiepiscopus ecclesiam nostram S.ti Joannini Collegio uniret, sed quia patronorum omnium consensus requirebatur et non omnes consentiebant, ne id quidem effici hoc anno potuit.

594. Quod ad Collegium Aretinum attinet, legatus ejus urbis et amicus quidam, Franciscus Marsupinus nomine, retulerunt civitatem ejusdem esse propositi ac sententiae, qua prius fuerat [4], sed aegritudo Augustini Recobri, et quia civitas rationem erat redditura Duci septemdecim millium ducatorum, nec satis constabat quonam res esset evasura, res dilata est usque ad P. Ignatii obitum, et propter alias et ipsorum et Societatis occupationes, in difficillimis illius anni temporibus non est amplius ea de re actum.

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 170, n. 357.

[2] "Franciscus Galigarius, Florentinus, Roberto, Cardinali Puccio coadjutor adhibitus est cum futura successione, Paulo III, Pontifice, ita censente, anno 1546, die X mensis Decembris; successitque paulo post demortuo Roberto, ex Pontificio placito. Decessit autem Franciscus anno 1559; de qua gente Sebastianus, Archiepiscopus Turonensis, et Abbas majoris monasterii anno 1617 Mariae Mediceae Gallorum Reginae beneficio Memorantur vero Galigarii 1248 apud SCIPIONEM AMMIRATUM in *familiis Florentinis*, et VERINUM, lib. 3. UGHELLI, l. c., t. III, col. 311.—A GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae catholicae*, appellatur Joannes Franciscus Galliano.

[3] Ipse, scilicet, Philippus Guazzaloti.

[4] Vide supra, pag. 146, n. 545.

DE COLLEGIO GENUENSI

595. P. Gaspar Loarte hoc anno Collegio Genuensi praefuit [1], nec gubernatione ejus impediebatur quominus in Cathedrali templo coeptam in S.m Matthaeum lectionem prosequeretur; et sic in italica lingua proficiebat, ut lectionem in concionem converteret, cum auditores ab usuris et aliis vitiis deterrere ac revocare, vel ad recte vivendi rationem excitare, opus erat. Pergebat idem diebus veneris in ecclesia B. Virginis Gratiarum christianam doctrinam explicare, ut non solum scholastici, sed alii etiam quilibet ejus frui laboribus possent. Quidam etiam noster sacerdos in quodam hospitali octavo quoque die concionabatur, ubi etiam alii fratres consolandis aegrotis ac sublevandis dare operam solebant.

596. In triremibus etiam interdum semen Dei spargebatur et multi, stimulo divini eloquii compuncti, ad confessionem peccatorum instituendam accedebant et, Dei gratia adjuvante, a multis peccatis ac vitiis emergebant. Mittebantur autem diebus festis aliqui pueri ex his, qui doctrinam christianam bene didicerant, ut quosdam pios homines juvarent, qui in variis ecclesiis christianam doctrinam et ipsi populo proponebant. Et libenter pueri hoc pietatis officio fungebantur, et tempus, quod pueriliter et vage profundere soliti erant, studiose et cum fructu expendebant; et mirum in modum haec eorum exercitatio hominibus placebat.

597. In scholis tum in litteris tum in bonis moribus discipuli egregie proficiebant; et non vulgaris in ejus civitatis pueris candor et puritas inveniebatur, et mores antiquos reprehensibiles facile remittebant, ac eorum parentes et testabantur et gloriabantur de hujusmodi filiorum profectu.

598. Quod ad studia attinet, post disputationes autumni

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 102, n. 278, et pag. 110, n. 301.

praeteritis annis habitas et aliquot orationes in natalitiis festis frequentissimo auditorio pronuntiatas, bonus odor scholarum per totam urbem sparsus erat, et eam auxerat repraesentata quaedam egloga de nativitate Christi. Inde accidit ut etiam qui paedagogum ad filiorum institutionem domi habebant, vel habere facile poterant, suos liberos ad Collegium mittebant.

599. Libenter autem confluebat populus, cum christiana doctrina a pueris recitabatur, cum orationes etiam quaedam latinae interdum immiscerentur, quas ipsimet pueri et composuerant et pronuntiabant; et id in admirationem non mediocrem homines adducebat, et quia in aliis scholis inusitatum id erat, et ipsi pueri animosiores reddebantur, et parentes suos liberos libenter ad scholas mittebant. Laudabantur autem hujusmodi oratores, qui bene officio suo functi erant, a Rectore, et declarabat quam necessaria esset exercitatio post artis regulas auditas.

600. Optabat Episcopus [1], qui Societatis valde studiosus erat, cum aliquas orationes pronuntiari a nostris audivisset, ut de ratione gubernationis reipublicae aliqua oratio publice haberetur; et juxta ejus sententiam ipso die Pentecostes puer quidam, duodecim annos natus, nobilissimi civis [2] filius (qui unus erat ex Collegii nostri protectoribus), orationem habuit a nostris compositam de modo ac ratione reipublicae gubernandae. Aderant in ecclesia Cathedrali, ubi ea pronuntiabatur, Dux [3] cum suis magistratibus, aderat et Episcopus et alii cives nobiles et tanta populi frequentia, ut supra quinque hominum millia esse dicerentur, et quatuor fere horas, dum officia divina pro more celebrantur, patienter expectarunt et attentissime eam audierunt; qua absoluta, magno cum applausu patri pueri, qui auditor etiam fuerat, cives etiam gratulabantur, quod tali praeditum ingenio filium haberet. Fama hujus orationis, per urbem sparsa, multi nobiles aegre tulerunt quod eam non audivissent,

---

[1] Aegidius Falcetta, Caprulensis (alias *Cavorlensis* et *Caorlensis)* Episcopus suffraganeus, qui Archiepiscopi Genuensis, alibi aliis muniis distenti, vices in gubernanda dioecesi gerebat. Hunc illum esse, de quo nihil certum definire ausi fuimus supra, t. IV, pag. 33, annot. 3, constat tum ex aliis monumentis, tum praesertim ex testimonio, quod, occasione decreti Parisiensis, in Societatis commendationem subscripsit, quod quo, Deo volente, dabit *Nova Series litterarum Sancti Ignatii*.

[2] Pauli videlicet Doria, ut erui posse videtur ex infra, in hoc ipso num., dicendis.

[3] Augustinus Pinello. Vide supra, t. V, pag. 105, annot. 1.

et multis precibus ejus exemplum postulabant, inter quos fuit Princeps Andreas Doria, qui, accersito ad se puero (qui sanguine conjunctus ei erat), voluit ut coram se eamdem orationem pronunciaret, quam etiam magnopere probavit. Haec res magis etiam cives nobiles [accendit], ut suos filios nostris instituendos traderent, et fere ad ducentos et triginta discipulorum numerus ascendit.

601. Cum autem ipso die solemnitatis Corporis Christi coram Collegio nostro solemnis pompa transitura erat, altare ibidem constituto, quatuordecim parvuli pueri nostrae scholae ad modum, quo angeli solent depingi, vestiti [1], singuli versibus S.m Sacramentum, salutarunt, donec ad altare sacerdos ipsum deferens perveniret, ubi praesente Duce et Cardinali S.ti Clementis [2], Episcopo et reliquis civibus, tres alii pueri simili modo induti, alios versus in honorem S.mi Sacramenti recitarunt [3], quo tempore puer quidam omnes invitavit ut a prandio ad Cathedralem ecclesiam, aliam orationem audituri, venirent; et quamvis defatigati essent multi, frequentissimi tamen post vespertinum officium adfuerunt, nec Dux et Senatus abesse voluit.

602. Oratio, quae de S.mo Sacramento agebat, habita est; et postridie alius in ecclesia, ubi Rector christianam doctrinam praelegere solitus erat [4], postquam eam puellus quidam recitasset, tam lepide aliam orationem pronunciavit, ut oportuerit in loco frequentiori in octava Corporis Christi eamdem recitare.

603. Cum in hujusmodi exercitationibus scholastici ferventiores redderentur, aliqui ex eis magno desiderio Societatem ingrediendi accensi fuerunt; et si Rector facultatem eis concessisset, Romam, inconsultis parentibus, statim advolassent. Timebant enim ne ab eis impedirentur, ut jam cuidam adolescenti, eorum condiscipulo, acciderat. Qui cum animi sui propo-

---

[1] Ms. *depicti*.

[2] "Il Cardinal Cigala „ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 381. Joannes Baptista Cicala. Aliis, Ciaconio, etc., frequentius et, ut nobis quidem videtur, rectius *Cicada*.

[3] Non omnes hi versus a genuensibus magistris confecti erant; aliqui enim, ut alias factum est, Roma ut recitarentur missi sunt. "Li versi si mandarono per la festa del Santissimo Sacramento; se altri bisognarà, anco si mandaranno.„ Polancus, *ex com.*, Patri Gasparo Loarte, 14 Maji.

[4] In ecclesia Beatae Virginis Gratiarum. Vide supra, pag. 162, n. 595.

situm parentibus aperuisset, non solum ei obstiterunt, sed a scholis etiam ea de causa removerunt, qui, nostris prorsus id ignorantibus, naviculam conscendens, Romam versus, ut ibi admitteretur, profectus est [1].

604. Alii non admittebantur, licet id valde optarent, donec a suis parentibus facultatem impetrarent. Quidam tamen sacerdos laudatae vitae et alius quidam juvenis admissus est sub aestatis initium.

605. Confitentium et communicantium numerus et fructus hoc anno auctus est; et horum exemplo, cum eorum vita et mores mutati in melius cernerentur, colligere etiam se ipsos et aliam vivendi rationem [alii] decreverunt, et in frequentia confessionis et communionis alios imitabantur; et quamvis exiguum esset sacellum, quo nostri utebantur, ducenti tamen et amplius in festis natalitiis et plures in festo Purificationis sequenti ibidem communicasse dicebantur: nec exigua haec multitudo censebatur, cum ante adventum nostrorum inauditum quid esset ad sacramenta frequenter accedere, et in hujus anni progressu frequentiores in dies homines accedebant.

606. Multi autem admirabantur nostros nulla mercede excitatos et confessionibus et aliis ministeriis Societati consuetis operam dare [2], nam contraria consuetudo usque adeo invaluerat, ut non arbitrarentur nonnulli se absolutos esse, si pecunia confessario oblata non intervenisset; et ne eam dare cogerentur, aliqui, tenues in suis facultatibus, rarius ad confessionem accedebant; et hi ad nostros perlibenter accedebant.

607. Ab aegrotis interdum nostri sacerdotes accersebantur, et ab his etiam, qui in triremibus coacti versabantur.

608. A quodam autem insigni viro [3] cognomine Pizarro, qui propter defectionem ab Imperatore in India Peru captus et ad triremes damnatus fuerat, ad generalem totius vitae confessionem audiendam P. Loarte accersitus fuit [4].

609. Ejusdem opera quidam alius vir nobilis, Francus Sau-

---

[1] Vide infra, n. 628.

[2] Ms. *darent*.

[3] Verba quae sequuntur usque ad *damnatus fuerat* addita sunt a Polanco ad oram paginae. Cum enim in iis exprimantur et cognomen viri et damnationis causa, credibile est ea consulto prius tacuisse Polancum: tempore autem evoluto aut re jam vulgata, illa deinde ad oram scripsisse.

[4] Vide tamen dicta in *Litterae Quadrimestres*, t. I^a, pag. 565, annot. 2.

lis nomine, Domini Nicolai Sauli, qui nostri amicissimus erat, consanguineus [1], de cujus animae salute fere omnes desperabant, ad redeundum in viam salutis usus est. Cum enim fluctibus tentationum a daemone agitatus, et cum confiteri vellet Patri Loarte, ab eodem [2] revocatus [3], mortem sibi consciscere decrevisset, ne toties Deum suis peccatis lacesseret, nactus occasionem cultro penario gravissima sibi vulnera duodecim [4] inflixit; sed praesto ei fuit divina misericordia; cum enim niteretur tempora cultro transfigere, ut nullus locus curationi vulnerum relinqueretur, ex manibus culter delapsus in duas partes divisus est, ut jam capitali vulneri inferendo non sufficeret. Interim se ipse corrigens et suam detestans insaniam, ac Dei erga se misericordiam admirans, P. Rectorem Loartem accersiri jubet, nam adhuc desperationis tentationibus urgebatur. Accurrit ille celeriter, ut res postulabat. Confessus ergo ipsi est sua peccata vir ille cum magno animi dolore; et ita divino amore fuit succensus, ut quamvis vulnerum gravi dolore cruciaretur, semper tamen Deum in ore haberet et Christi passionem, cui animae suae salutem acceptam ferebat; et post triduum alacri animo et maxima spe salutis aeternae animam exhalavit coram ipso Rectore, quem a suo latere nunquam recedere volebat, et defixam altis radicibus animo ipsius diffidentiam proposita Dei bonitate retundebat; et perutilem usque ad mortem ei operam praestitit.

610. Communione sancta refectus idem fuerat et testamentum confecerat, quo jubebat de bonis suis fieri quidquid Patri Loarte visum esset ad ejus salutem pertinere, nulla filiorum vel uxoris ratione habita; quo facto mirum quanta consolatione perfusus fuerit, et usque ad finem verba magnae aedificationis semper ab eo fuerunt audita. Per octavam horae partem, ante mortem, sensuum et linguae usum non amisit, et tunc dixit se angelos et Christum vidisse et ab ipso haec verba audivisse:

---

[1] Haec etiam, a verbo *Francus*, Polancus ad calcem paginae, signo ut hic inserentur apposito, scripsit.

[2] Scil., daemone.

[3] Hoc orationis membrum a verbis *et cum confiteri*, adjectum est a Polanco ad oram paginae. Et quia concinnata jam fuerat periodus, adjectio haec nova videtur perturbare aliquantulum orationem.

[4] *Duodecim* inseruit manu propria Polancus.

"France, per passionem meam salvum te facio.„ Et hujus rei bonus odor per totam urbem sparsus est [1].

611. Concionabatur autem bis in hebdomada aut saepius idem Rector, praeter exhortationes, quas apud Conversas frequenter habebat, nec pauci ad bonam frugem eo audito se recipiebant.

612. Et cum in christiana doctrina, quam diebus veneris explicabat, aliquid occurrebat, quod ad puerorum parentes attineret, ipsos pueros hortabatur ut eis id inculcarent, et ita filii pro concionatoribus erant domi suae; quod non minus utilitatis quam admirationis parentibus adferebat.

613. Duo etiam alii ex nostris, dominicis et festis diebus, alio in templo cum magna multorum utilitate verbum Dei proponebant.

614. Existimatio nostrorum apud cives magna erat, ac benevolentia non mediocri ex primariis multi nostros complectebantur; quod facile apparuit sub finem praecedentis anni, cum Patres Natalis et Ludovicus Gonzalez, cum multis sociis in Hispanias navigaturi, Genuam venissent; amici enim et domum et suppellectilia omnia tanta [2] celeritate pararunt et tanta cum humanitate eos exceperunt, ac duos fere menses, quibus navigandi occasionem expectarunt; et tamen quatuor diebus, iter totum in Hispaniam usque confecerunt [3], Dei benignitate longam expectationem brevissima navigatione compensante. Et in rebus magni momenti et saepe in his, quae ad rempublicam ipsam pertinebant, nostrorum opera, ac praecipue Rectoris, Genuenses utebantur. Et ab Episcopo et aliis primariis et magnae integritatis viris ad res difficiles, quae ad religionem pertinebant, ejus sententia et auxilium postulabatur. Inquisitores etiam haereticae pravitatis confidenter hoc ipsum faciebant.

615. Regnabat in ea civitate abusus non exiguus ludi chartarum, et tam late patebat inter primarios et plebejos homines, ut in naturam quodammodo consuetudo versa videretur, et tenuissimi quique ac pauperrimi, qui per totam hebdomadam ad victum quaerendum laboribus frangebantur, hac prava lu-

---

[1] Paragraphum toto hoc numero contentam orae paginae adjecit sua manu Polancus.

[2] *Tanta*, id est, *magna aut maxima.*

[3] Id est, *quarto, postquam Genua vela solverunt, die in Hispaniam appulerunt.*

dendi cupiditate, quod corraserant tota hebdomada, diebus festis ludendo dissipabant.

616. Huic pernicioso et inveterato morbo aliqui ex nostris fratribus remedium adhibere cupientes, per varia urbis loca diebus festis a prandio bini discurrebant, et aleatores ac variis ludis occupatos admonebant ac reprehendebant; et quamvis maledictis interdum ac conviciis afficerentur, non tamen omittebant charitatis officium, et gladio verbi Dei saepe hujusmodi homines ad hujusmodi ludos inchoatos interrumpendos compellebant; et domum redeuntes, hujusmodi aleatorum catervam secum adducebant, ubi eos ad confessionem hortabantur, et quam vituperandus esset eorum in ludendo abusus ostendebant, et singuli aliquos ex eis eligebant, quibus viam Christi aperirent. Nec id frustra; nam plurimi, moribus in melius mutatis, vitam christianis dignam instituerunt et, diurnis negotiis expeditis, sub vesperam ad Collegium nostrum veniebant, ut christianam doctrinam, cujus omnino ignari erant, addiscerent. Alii autem ex his lusoribus, nostros timendo, a ludis abstinebant, et videre erat loca, prius hujusmodi hominibus ludentibus referta, ab illis hominibus deserta esse; et si aliqui tamen ludebant, cum nostri ad eos accederent, inde fugiebant.

617. Et quia non tantum hoc infimum genus hominum in ludo peccabant, immo et alii ex primoribus civibus, quorum exemplum isti plebeji nostris objiciebant; saepe enim in publicis quibusdam locis, quas *logias* vocabant, et ipsi ludis vacabant; experiri voluerunt hi Patres an et illi ab hujusmodi vitio possent revocari; et quamvis difficile initio videretur, Dei tamen gratia adjuvante, fructum aliquem suae diligentiae et pietatis nostri reportabant; aliqui enim ex hujusmodi civibus ludum relinquebant, alii libenter verbum Dei, quod eisdem in locis a nostris proponebatur, audiebant; et haec cura nostrorum ab omnibus magnopere probabatur, et potissimum ab ipso Duce et tota urbe frequenti sermone id circumferebatur.

618. In hospitalium consolationem et infirmorum spirituale auxilium et exhortationes et familiaria colloquia utiliter a nostris habebantur.

619. Cum autem portus ille celeberrimus sit, facilisque in Hispaniam transitus, multi quotidie hispani ad Collegium accedebant, in rebus spiritualibus, et interdum in his, quae ad

victum attinent, auxilium postulantes. Ivit inter hos quidam, qui nostrorum opera e faucibus daemonis ereptus est; quidam enim dominicanorum religionem egressus ac militarem vivendi rationem secutus, cum [in] nostro Collegio suum statum alicui aperuisset, stimulum conscientiae sentiens, ad pristinum ordinem reverti constituit. Sed egredienti ex Collegio, ecce miles quidam, quo familiariter in bello usus fuerat, ei occurrit et ad triremes ut se conferat ad consueta stipendia merenda non solum hortatur, sed minas et terrores recusanti addit; et ita invitus aliquandiu in triremibus commoratus est, donec occasionem nactus ad nostros confugit, ubi Rector, eleemosyna a quibusdam nobilibus corrogata, vestes ei monachales emit et ad sui ordinis Generalem dimisit, a quo, ut ovis, quae perierat, in suum gregem reductus est.

620. Sacellum nostrum diebus festis forum mercatorum, si hominum frequentiam spectes, videbatur; quamvis sermones, qui conferebantur, non de re familiari augenda, sed de propriae et aliarum animarum salute et profectu erant.

621. Inter multos, qui Societatem ingredi cupiebant, primis mensibus in Coadjutorum numerum quidam officii tonsor admissus est, cujus opera nostris erat necessaria [1]. Deinde quidam sacerdos Bononia missus, qui tamen ne ullum quidem diem in Societate exegerat, Genuae admissus est, et ejus loco alius, quem Genuae admiserant, Bononiam est missus.

622. P. Baptista Violaeus, partim quod male valeret, partim quod, ut superius diximus [2], a Claramontano Episcopo ad aedificandum Collegium Billiomi expetebatur, quinta die Februarii, valedicens Duci Genuensi et aliis amicis et Collegium eis commendans, in patriam, ut valetudinem ac vires reficeret, profectus est, et, sanitati restitutus, cum sociis Roma [3] missis, ut superius diximus, in Gallias migravit.

623. Duodecim ex nostris Genuae reliquit, quamvis hic numerus accessiuncula aliqua sit auctus hoc eodem anno. Qui-

---

[1] "Quel barbiero è ben fatto accettarlo; havendo assai condesceso alla petitione del suo padre.„ Polancus, *ex com.*, Patri Gasparo Loarte, Collegii Genuensis Rectori, 27.a Februarii 1556.

[2] Vide supra, t. v, pag. 337, n. 904.

[3] Ms. *Romam;* sed perperam, ut locum annot praecedenti memoratum legenti patet.

dam sacerdos, nomine Joannes Chatelanus [1], praeter quam quod graecam lectionem in scholis enarrabat et aliam privatim fratribus, aliquando dominicis diebus concionabatur; sed parum feliciter hoc munere fungi videbatur, et ideo potius confessionibus dabat operam [2]; nam praeter scholasticos, qui singulis mensibus confitebantur et ad triginta supra ducentos aut amplius ascendebant, alii plurimi audiendi erant, quamvis hi fere ex plebejis; nam ditiores, qui vel usuras vel pompam nimiam relinquere nolebant, ad nostros non frequenter accedebant. Aliqui tamen ex primoribus P. Rectori Loarti confitebantur, sed hi, si cum aliis comparentur, pauci erant.

624. Ut autem posset Quadragesimae tempore confessionibus dare operam, visum est Episcopo suffraganeo et Collegii protectoribus lectionem, quam in Cathedrali templo dominicis diebus habebat [3], relinquendam esse, ut avidius post Pascha audiretur, [et] ut confessionibus interim magis vacare posset, quandoquidem satis multi concionatores Quadragesimae tempore verbum Dei Genuae praedicabant. Hoc tamen otium a lectionibus non diu duravit; nam illi ipsi, Episcopus et protectores, secunda dominica Quadragesimae curarunt, ut cuidam societati eisdem diebus praelegeret; nec minus frequens auditorium quam in Cathedrali templo habebat, et eo majori cum fructu ac devotione, ut ipse refert, audiebatur, quo minori cum pompa lectionem illam praelegebat.

625. Licuit tamen multorum audire confessiones, tum italorum, tum hispanorum; et tam multos ad frequentem confessionem adductos esse Rector censebat, ut sacerdotes nostri, qui eo tempore Genuae versabantur, ad eas audiendas non sufficerent.

626. Unus ex Bohemis, quos ingressos esse Societatem Romae diximus [4], cum ad Collegium Germanicum venissent, cum prius ad redeundum in Bohemiam propensus esset, et parum

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 111, n. 305, ubi ejus cognomen scribitur *Catalanus*.

[2] Joannes Catalanus (Castellanus et Chatelanus) negotium facessere coepit Rectori. "Circa Joanne Cathalano V. R. li faccia sentir l' obedientia, e lo avisi che tiene ordine di Roma di non tenere in casa huomo alcuno che non l' obedisca. In questo mezzo pensaremo che si habbia a fare; e se V. R. tenessi alcun altro sacerdote al proposito, non saria male, se non facesse il suo debito, di mandarlo in peregrinagio a Loreto et a Roma.„ Polancus, *ex com.*, Patri Gasparo Loarte, 14 Maji.

[3] Scil., Rector.

[4] Vide supra, t. v, pag. 25, n. 41.

in vocatione stabilem se ostenderet, exercitiis spiritualibus peractis, tempestatem tentationum sedavit, et votis Deo emissis, cum magna consolatione et quiete Deo servire coepit [1].

627. Eodem tempore Vicarius Magistratus genuensis, de quo superius egimus [2], Doctor scilicet Philiarchus, qui animum ad Societatem adjecerat, et tamen nondum a vinculis officii sui se expedierat, impedimentis rejectis, Romam ad Societatem venit.

628. Quidam alius juvenis nobilis ex Adornorum familia, quem diximus, a scholis revocatum [3], tacite navem conscendisse ut Romam veniret, Pisis deprehensus, detentus est, et quamvis ejus mater et avus consensum praeberent, quidam tamen ejus patruus, diligenter eum revocare studuit et ut a proposito diverteret, Neapolim ad mercaturam exercendam eum deduci jussit per quemdam alium ejus consanguineum [4].

629. Dominis Paulo Doria ac Nicolao Sauli [5], ut benemeritis de Societate, communicavit P. Ignatius Societatis bona, quod ipsis pro singulari dono fuit. Multi quidem benevolentiam exhibebant Societati ex primariis, sed pauci ad opera progrediebantur. Inter hos erat Dominus Antonius Doria, qui domum ad nostros invisendos venit, et magnopere commodiorem habitationem nostris se optare dicebat, quod desiderium cum multis aliis illi commune erat.

630. Quamvis exercitia spiritualia multis proponi P. Ignatius commendaverat, propter defectum domus et templi perdifficile Patri Loarti videbatur. Aliqua tamen exercitia modo

---

[1] Huic nomen fuisse videtur Wolfangus. Scribebat enim, *ex com.*, Polancus Patri Loarte 27.ª Februarii: "Risponderò per queste a quelle che habbiamo di V. R. de 25 di Gennaro a 20 del presente. Et cominciando da Bolfango, se non li parerà che si aiuti costì, lo mandi in Roma acciò possi visitar le chiese et guadagnare le stationi et aiutarsi fra gli altri del suo paese.„

[2] Vide supra, t. v, pag. 114, n. 315.—In litteris a Polanco, *ex com.*, scriptis Rectori Genuensi 14 Maji, appellatur hic *il vicario del Podestà*. "Il vicario del Podestà è venuto et ha parlato con Nostro Padre e col P. Mtro. Laynez. Dio Nostro Signor li dia gratia di far buona risolutione.„

[3] Supra, pag. 164, n. 603.

[4] De hoc ita Polancus, *ex com.* Rectori Genuensi: "Circa quel giovene, nepote di Mtro. Francesco Adorno, ci da maggiore edificatione intendere il suo desiderio di servire a Iddio et anche il consenso della madre sua, che la renitentia del Zio. Dio Nostro Signore augmenti il suo santo lume et amore in tutti.„ 16.ª Aprilis.

[5] In Ms. legitur *Paulus Doria ac Nicolaus Saulí*, at evidens error librarii est.—Caeterum de his Societatis amicis agit Polancus superioribus annis, ubi res Collegii Genuensis explicantur.

non exacto compluribus proposita fuerunt. Sine his tamen exercitiis magna pars scholasticorum primariorum facile, ut Rectori videbatur, ad statum perfectionis amplectendum excitari poterat; sed, cum id repugnaret regulae nostris in scholis observandae [1], minime fiebat. Non pauci tamen eorum sponte sua, et quidem ex primis classibus, ad Societatis Institutum aspirabant; quorum constantiam diutius probandam esse P. Ignatius censebat.

631. Christianae doctrinae lectiones commisit Rector Mag. Hieronymo Galvanello, qui quadam in ecclesia eo munere recte fungebatur, et perlibenter a multis audiebatur. Et opportune Rector hoc se onere sublevari voluit, nam prorsus multitudine occupationum obruebatur, et quidem tunc magis, cum recedentibus alio P. Violaeo et P. Joanne Catalano, ac recedente sacerdote illo [2] Bononiensi, qui parum fuit stabilis, pondus laborum in illum versum est. Et ideo protectores aliqui Collegii auxilium alicujus sacerdotis, qui etiam concionari posset, a P. Ignatio postulabant [3].

632. Praeter conciones autem vel lectiones ipsius Rectoris et confessiones multas, quas audiebat, nihil magis ei molestum erat quam negotiorum, quae ad eum confluebat, multitudo, a quibus, si maxime voluisset, evadere sibi non posse videbatur.

633. Mag. Jacobus Doëgius, [4] ad sacerdotium promotus, nonnihil eum sublevabat [5]; sed cum praeesset cuidam classi, parum auxilii tandem et id in diebus festis adferebat.

634. Accessit et quaedam occupatio non exigui momenti ad alias: Vicarius enim Archiepiscopi et Inquisitor scriptum, quo plus quam quadraginta propositiones haereticae in quo-

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 34.

[2] Ms. *eo*. Et sermo est de illo, de quo supra, pag. 169, n. 621.

[3] Huic postulationi respondebat Polancus litteris, *ex com.*, 27 Februarii ad P. Loarte datis: "Il sacerdote che V. R. adimanda, che sia di essistenza (sic in apographo; *scienza?*), et apparenza et prattica nella lingua genovese, diceva il Dottor Madrid che adesso si vuole fare qui in casa una stampa et che si vederà se qualch' uno si potrà stampar con quelle conditioni. Se la R. V. guadagnasse di la alcuno tale, si potrebbe servire di lui.„—Nondum erat hujus anni initio sacerdos Mag. Hieronymus Galvanellus, ut patet ex litteris a Polanco, *ex com.*, datis Patri Gasparo Loarte, 16.ª Aprilis ubi haec leguntur: "Della promotione di Mtro. Alfonso [Hernandez] et Mtro. Hieronymo Galvanello al sacerdotio, Nostro Padre si contenta...„

[4] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 657, annot. 1.

[5] Promotus est sub finem mensis Maji; nam 5.ª Junii haec, *ex com.*, scribebat Polancus Patri Loarte: "Di Mtro. Jacomo se ne serva Iddio Nostro Signore nel santo ministerio, per il quale li ha dato quel grado.„

dam Augustiniano concionatore observatae continebantur, legendum miserunt, et in quadam Doctorum congregatione ejus [1] sententiam audire voluerunt; et quamvis ille propter occupationes hoc onus recusaret, subeundum tamen illi fuit; immo addidit Vicarius, re inter ipsos tractata, electum fuisse P. Rectorem et non solum in praedictis propositionibus, sed in aliis quibuscumque, quae progressu temporis occurrerent, ipsum advocandum esse, ut suam diceret sententiam; et quia occupationes multas et graves illi intelligebant, contentos se fore dixerunt, si etiam studio non adhibito, in congregationibus faciendis diceret quae in Domino ipsi viderentur. Placuerat enim eis ejus sententia, quam in quibusdam aliis congregationibus dixerat. Re autem cum fratribus communicata, cum ea conciliare auctoritatem Collegio videretur, cumque exemplum haberet Patris Laynez, hoc munus suscepit, et cum magno applausu Inquisitorum in prima congregatione suam dixit sententiam.

635. Sub initium anni idem Pater diuturnum desiderium suum praedicandi apud infideles Dei verbum P. Ignatio proposuerat, cum in his regionibus [2] praedicatorum multitudo abundanter, quodammodo plus satis, verbum Dei praedicarent. Sed non est judicatum expedire ut hoc desiderium exequeretur [3].

636. Constituerat P. Natalis ne ex Collegii rebus ullas eleemosynas externis facerent, et tam arcte id observatum erat Genuae, ut quaedam, quae conservari non poterant, perire sinerent, quod ea dare contra praeceptum non auderent. Cum autem affligeretur Rector quod quibusdam ad eum confugientibus non posset subvenire, facultatem ad id postulavit, et aliquid ei concessum est.

637. Cum post migrationem P. Ignatii significatum esset, quod propter tumultus Romanae urbis, vel Laureti vel Genuae Generalis Congregatio fortassis erat cogenda, Domini Nicolaus

[1] Scil., Patris Gasparis Loarte, Rectoris.

[2] Genuae, scilicet, et generatim in Europa.

[3] Hoc Patris Loarte desiderium respicere videntur sequentia Polanci ad eum, *ex com.*, scribentis verba: "Delle essortationi da farsi a quelle Compagnie, V. R. farà come li parerà meglio, et non dubiti che per adesso non può affaticarsi in parte alcuna della vigna di Nostro Signore più fruttuosamente che dove si trova, et quello spirito che altro mette innanzi, è da tenere per suspetto, o vero condannarlo per non buono sotto specie di maggior bene „ 5.ª Martii.

Sauli et Paulus Doria gratissimum fore et sibi et civitati significarunt, si Genuae celebraretur Congregatio. Offerebat autem Dominus Nicolaus praeter domum, de qua Romam scriptum fuerat, etiam suam illi vicinam et alias etiam vicinas adjungi posse. Et admonuit Rector quod partim praedicti, partim ipsa respublica Genuensis sumptus necessarios esset suppeditatura. Et situs alioqui videbatur opportunus, quod quasi in medio regionum, ex quibus congreganda erat Societas, Genua sit. Sed cum Paulus IV Romae jusserit Congregationem fieri, huic consultationi ne locum quidem reliquit.

638. Mag. Alphonsus Fernandez sub initium autumni sanguinem evomere coepit, et quamvis cessavit hic fluxus, tussis tamen eum ad phthisim tendere satis ostendebat. Primae classi rhetorices ille praeerat, et jam subdiaconatus ordinem susceperat, quod ejus virtus matura jam ad sacerdotium erat, sicut et ejus eruditio Collegium illud illustrabat; et omitti oportuit rhetoricae lectionem; quamvis renovatio studiorum mense Novembri non parum solemnis facta fuit, sed multae declamationes cum applausu civitatis non mediocri habitae, nam hoc spectaculum illi valde novum ac proinde gratissimum fuit: adfuit autem et Dux [1], et magistratus et reliqui nobiles; et Legatus etiam Philippi Regis.

639. Missus autem fuerat quidam ex fratribus, Mag. Bartholomaeus nomine, ut scholas illas juvaret; sed privatim fuit occupatus, infimarum classium praeceptoribus aliquid domi praelegendo; in classibus autem publicis nonnisi ad alios sublevandos et ipsorum loco legebat; et ita classis Mag. Alphonsi suo magistro ex eo tempore carere coepit.

640. Ipse autem Alphonsus Romam quidem evocatus est valetudinis gratia; sed medici genuenses judicaverunt hyemali tempore aërem genuensem ipsi salubrem fore; et ita paulatim morbo consumptus est.

641. Cuidam Doctori Gumiel litterae quaedam patentes [2] a

---

[1] Augustinus Pinello, de quo supra, t. v, pag. 105, n. 287, cui proxime successit 4.ª Januarii 1557 Petrus Joannes Ciavega Cibo.

[2] Patentes has litteras nondum vidimus. Existimamus autem eas fuisse commendatitias ad Praepositos domorum Societatis litteras, quibus eis injungebat Ignatius ut, si qua in re eorum opera indigeret hic Doctor, eam libenter offerrent; quod et praestitit Ignatius cum aliis Societatis amicis, ut videre est in *Cartas de San Ignacio* videbiturque in *Nova Serie*.

P. Ignatio datae fuerunt eo quod amicum Romae se Societati ostendisset. Sed ille parum moderate litteris illis uti aliquando visus est, et nostris Genuae, quasi potestatem habens, quae ipsi opportuna erant, imperabat, ut inde facile disceremus non passim hujusmodi litteras nec facile dandas esse.

642. Incommode admodum nostri habitabant, et sacellum, quo utebantur, nostris ministeriis et advenientium frequentiae parum erat opportunum. Agebatur quidem de domo et ecclesia Charignani [1], et brevi sperabat P. Loarte nostros eo migrare posse, sed eo in negotio magnae difficultates in dies exoriebantur; nec enim Archiepiscopo cum aliis ejusdem familiae Saulorum satis conveniebat. Et licet domum illam Societati dedissent, ad duos vel tres annos ea uti non poterant. Alias interim domos Archiepiscopus habitandas offerebat, novo aedificio Charignani vicinas, et parum illae commodae videbantur, adeo ut tolerabilius videretur in his subsistere, in quibus eo usque versabantur.

643. Expectabatur quidem in dies adventus Archiepiscopi, qui magnopere optare videbatur ut nostris illud aedificium et collegium [2] applicarentur cum reditibus; sed cum protraheretur diutius, capita conditionum scripsit Roma Archiepiscopus, quae aliis de eadem familia parum probabantur; quamvis Dominus Nicolaus Sauli, unus ex protectoribus Collegii, rem ipsam summopere cuperet.

644. Et vehementius sub initium Martii rem urgere coepit, quod eo tempore a duobus hominibus propemodum circumventus, qui occidere eum voluerant, libere evasit, et abscissis vestibus ne attigerunt quidem vulnera carnem ipsius, quod ille protectioni divinae merito acceptum ferebat, quam ipse impetratam nostrorum orationibus sibi persuadebat. Et ipse quidem P. Loarte non existimabat nec annos nec menses multos Collegium nostrum manere posse ubi tunc erat, nam incommoda gravissima et vix tolerata [3] ibi patiebantur.

645. Offerebant autem primo quidem egregiam quamdam

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 118, n. 328 et seqq.

[2] Ubi non scribimus *collegium*, ms. habet *collegio*. Et sermo est de collegio, quod familia Sauli in villa Charignani erigebat, ut dictum est supra, t. v, pag. 118, nn. 327 et 328.

[3] *Toleranda?*

domum, in qua etiam scholae teneri poterant, et quadraginta vel quinquaginta ex nostris habitare ibidem potuissent, et simul ecclesiam et reditus applicari cupiebant; sed Augustinus Sauli, frater Archiepiscopi, his fratris et aliorum conatibus se opponebat.

646. Quibusdam autem testamentum Bendinelli Sauli videndum datum est [1], qui subscripserunt, antequam ecclesia absolvererur, nostris applicari [2]: sed nec defuit Doctor aliquis, qui contrarium sentiret; et Romam missae sunt sententiae illorum cum clausula testamenti, ut videretur an alii duo jurisperiti insignes aliis suffragari vellent. Videbatur tamen alia esse Dei voluntas, cum nunquam hic partus ad maturitatem pervenire potuerit, quamvis Genuenses nostris prospicere cuperent.

647. Quoddam etiam monasterium sub titulo S.ti Jacobi de Charignano, quod monachi S.ti Augustini reliquerant, ut ad aliud commodius et interius, quod Genuae habebant, commigrarent, [offerebatur]; sed non visum est Patri Loarti expedire, cum a frequentia urbis recedentes magna etiam alia incommoda subeunda eo in loco essent. Locus quidem erat amoenissimus, quem Senatus nostris offerebat, sed in reliquis, ut dixi, incommodus.

648. De alio etiam monasterio primario sub invocatione S.ti Augustini Societati tradendo etiam agebatur, cum monachi conventuales sic se gessissent, ut respublica ipsa omnino decerneret eos inde expellere, et quamvis vel Observantibus ejusdem Ordinis vel Collegio nostro applicari postulabant, nihilominus Collegium praeferebant. Et ita Summo Pontifici supplicavit [3].

649. Significabatur tamen Archiepiscopo, qui Romae versabatur, tum a protectore Collegii tum ab ipso Vicario hanc esse reipublicae Genuensis et civium mentem, ut Collegio applicaretur, et si id obtineri non posset, Observantibus ejusdem Ordinis [4]; nec solum monasterium et ecclesia, quae in optimo situ et capacissima erat, sed reditus inquam quingentorum ducatorum

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 119, n. 329.

[2] Sic; et desiderari videtur verbum *liccre;* quod si ita est, scribendum foret hoc modo: qui subscripserunt licere ecclesiam, antequam absolveretur, nostris applicari.

[3] Scil., Respublica vel civitas.

[4] *Ejusdem Ordinis* addidit ad oram paginae Polancus.

applicari petebant, et Dominus Paulus Doria, quae necessaria essent ad expeditionem, de suis facultatibus offerebat. Et quamvis in cantu Missae ad tempus dispensandum esset, ut scilicet Societas hoc onus susciperet, amici tolerandum esse judicabant; sed Archiepiscopus prudenter censuit potius Observantibus ejusdem Ordinis quam Collegio nostro monasterium illud esse tradendum; nec etiam Patri Laynez Vicario aliud decere aut fieri posse videbatur. Scripsit tamen Archiepiscopus Duci ac Senatui serio exhortans locum aliquem commodiorem Collegio prospicere.

650. Adjecit autem illa respublica oculos ad Abbatiam S.ti Syri et parata erat ut supplicaret Pontifici, post mortem ejus, qui possidebat, ut reservaret praedictam Abbatiam in usum Collegii [1], si Archiepiscopo videretur rem hujusmodi impetrari posse; et post impetrationem facile fuisset vel permutatione vel alia ratione usum ejus loci habere. Sed ne id quidem successit, nec a Pontifice, alioqui occupato eo tempore molesto [2] bello et qui rebus nostris non admodum faveret, facile fuisset rem hujusmodi obtinere. Itaque inter suos furnos [3] nostri hoc anno manere debuerunt, quod prorsus ea in civitate situm idoneum invenire difficile esset.

Et haec de Collegio Genuensi.

DE COLLEGIO BONONIENSI

651. P. Franciscus Palmius, Rector Bononiensis Collegii, socio D.ri Augustino Riva, lectionem casuum conscientiae commiserat, sed quia voce sufficienti et memoria bonus senex destituebatur, nec in hujusmodi conscientiae casibus valde versatus erat, necessarium judicavit Rector praedictus lectionis ejus curam suscipere [4]; et interim hac ratione sacerdotes Bononienses, qui lectionem hanc audiebant, familiares sibi facere

[1] Vide supra, t. v, pag. 118, n. 327.
[2] Ms. perperam hic adhibet *inter*.
[3] Vide supra, t. iv, pag. 42, n. 64.
[4] Vide supra, t. v, pag. 126, n. 356, ubi ferme eadem leguntur.

voluit, ut partim exercitiis spiritualibus, partim aliis rationibus eos juvare in Domino posset; nec poenitendum fructum ex eo labore cepit. Cum enim sacerdotes illi in magnis ignorantiae tenebris versarentur [1], multum eis lucis haec lectio attulit; et in moribus etiam bonis eosdem promovit. Ad quadraginta numerus hujusmodi auditorum ascendebat, quibus bis in hebdomada praelegebat; et eos, qui prae aliis ingenio valebant, elegit, ut, post diligens studium, singulis hebdomadis domi nostrae congregarentur, et unus eorum, qui caput congregationis institutus erat, aliqua proponebat, de quibus in proxima congregatione unusquisque suam sententiam praemisso studio diceret; et mirum in modum haec exercitatio utilis eis esse coepit, et a magnis erroribus, in quibus prius fuerant, emerserunt.

652. Missus est Ferrariam Januario mense P. Franciscus Palmius, Rector praedictus, ut videret quomodo se Collegium illud et simul Mutinense ac Argentense se haberent, ut P. Ignatio referret; quod et fecit diligenter, et cum Cardinalem Ferrariensem [2] inviseret, humanissime fuit ab eo exceptus, et si qua in re posset Societati inservire, ut ejus verbis utar, suam operam officiose admodum obtulit.

653. Quod ad scholas attinet [3], praeerat illis Mag. Franciscus Scipio [4], et bene satis et ipse et Mag. Sebastianus [5], gallus, suo officio fungebantur, quamvis loco tertii praeceptoris alium magis idoneum, quam erat quidam, nomine Salvator, expetebant.

654. Ad duodecim supra centum numerus scholasticorum primis mensibus ascendebat; sed experientia eos docebat sine punitione non posse illos in officio contineri, nec in litteris et bonis moribus, ut par erat, proficere; nec inveniebatur facile qui correctoris officio fungi vellet; ut interim paupertatem omittam ejus Collegii ad stipendium hujusmodi solvendum. Quod autem unus eorum alios puniret, non sine incommodis alicujus momenti fieri poterat; et ideo facultatem petebat saltem majores virga quadam percutiendi. Ut autem scholae in commodiorem

1 Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 61.
2 Hippolytum de Este
3 Sermo est iterum de Collegio Bononiensi.
4 Idem qui alibi *Bordon* etiam appellatur.
5 Vide infra dicenda ad n. 666.

formam redigerentur, quod ad aedificium attinet, eleemosynas idem Rector quaerens, manum operi admovit.

655. In concionibus pro more suo idem Rector perseverabat, quamvis lectiones potius dici possent, quibus Evangelium Divi Matthaei explicabat.

656. Confessionum autem audiendarum occupatio omnibus sacerdotibus communis toto anno erat, sed in Quadragesima, cum etiam jubilaei gratia accessisset, messem copiosiorem habuerunt usque ad omnium defatigationem. Multi autem nobiles inter alios, et quidem primarii, nostris confessi sunt cum serio proposito vitam mutandi; et fere mille homines jubilaei tempore S.mam Eucharistiam domi nostrae susceperunt.

657. Aprili mense Cardinalis Augustanus [1], Bononia transiens versus Germaniam, ea significatione amoris nostros excepit, ut unum de Societate diceres. Dolere autem se valde dicebat, quod P. Olavem sui itineris comitem non haberet, quamvis non Societati culpam adscriberet; et in ipsa Germania, ut superius diximus, [2] assignatus est ei [3] aliquis ex nostris, ut eum in Diaeta Augustana comitaretur.

658. Quemadmodum in festis natalitiis et initio Januarii mysteria nativitatis Domini et adorationis Magorum, quae versibus Mag. Sebastianus descripserat, in Collegio repraesentata fuerant, spectatoribus et pronunciationem et actionem puerorum admirantibus, ita dominica quadam Aprilis post Pascha mysterium resurrectionis, a depositione corporis Domini de cruce inchoatum [4], fuit repraesentatum, quod ad majores planctus quam in die veneris sancti in praedicatione Passionis auditi fuerant, plusquam quingentos, qui aderant, auditores commovit; et secundo eadem actio exhiberi debuit, praesente Vicario Episcopi, Universitatis Rectore et publicis variarum facultatum professoribus aliisque non infimae notae hominibus [5].

---

[1] Otto Truchsess von Waldburg, Augustanus Episcopus et Cardinalis, de quo saepe occurrit mentio in hoc *Chronico* et *in Cartas de San Ignacio*.

[2] Supra n. 59. Porro, ut ex hoc loco constat, "designatus est P. Canisius„.

[3] Ms. *eis*.

[4] Ms. habet *inchoata;* et scribi potest *inchoatum*, ut nos fecimus, vel *inchoando;* vel etiam *inchoata [actione]*.

[5] Haec "feste spirituali delle scuole„ appellat Polancus litteris, *ex com.*, ad Palmium datis 2.a Maji.

659. Quidam, qui se nobilem Mediolanensem dicebat, ex familia Pallavicina; ad P. Franciscum Palmium, Rectorem, se contulit, cum eo quasdam afflictiones animi conferens et remedium et consolationem petens; et cum diceret religionem B. Benedicti ingredi velle, beneficium quoddam, quod S.tae Mariae *de la Scala* nominabat, renunciare se velle significavit in usum Societatis; et postquam Rectori confessus esset et communicasset, significavit per duos vel tres dies velle se in Collegio hospitio excipi, dum responsum a P. Ignatio veniebat, et ibidem resignationem illam facturus erat. Erat alioqui vir in jure eruditus, et oris dignitatem prae se ferens et satis honeste indutus. Quadam autem nocte excidere sibi prope lectum permisit scuta quaedam falsa, quae colligens et charta quadam involvens, servanda dedit Rectori. Cum autem postridie vir ille domo egressus esset, videre voluit Rector quid ipsi servandum dederat, et animadvertens praeter hoc quaedam alia mendacia illi viro excidisse, domo illum exire jussit: quod si factum ab eo non fuisset, fortassis pro falsa veram pecuniam hospes accepisset; et non facile homines ignotos domi excipiendos esse non magna expensa Rectorem docuit.

660. Exercitia spiritualia aliquando quatuor et quinque hominibus eodem tempore proposita fuerunt, sed non admodum exacte nec intra Collegium proponebantur, nam angustia domus id prohibebat.

661. Cum laboribus mentis et corporis fatigatus Rector extra Bononiam, obtenta facultate a P. Ignatio, proficisci vellet, ea obtenta Forum Livii se contulit et inde Meldulam, antequam P. Fulvius Androtius inde recederet [1]; et utrobique cum sua consolatione versatus est. Forolivii autem praepositus, qui Dominicus Numagli dicebatur, non solum domum suam in hospitium nostrorum obtulit, sed omnia sua et se ipsum dare Societati optabat, si idoneus fuisset, ut in suis litteris testabatur [2].

---

[1] Vide supra, pag. 30, n. 80.

[2] Periodus haec addita est a Polanco ad oram paginae.—"Nostro Padre si contenta della uscita di V. R. di Bologna, e se quella si consolarà di andar a Loreto, li piacerà ancor a esso. Credo che alla andata o alla tornata sarà quasi la via passar per Meldola, dove stano doi della Compagnia: Mtro. Fulvio Androzio e Giovan Ignatio. V. R. veda se li vorrà ancor visitar, che si consolarà di veder tanto buona cosa com' è Mtro. Fulvio... Al Rdo. Preposito di Forli darà V. R. le raccomandationi di detto Nostro Padre.„ Polancus, *ex com.*, Patri Francisco Palmio, Forumlivium, 13.a Junii.

Mutinam etiam se contulit, ubi externi non admittebantur nisi sanitatis suae testimonium adferrent [1].

662. Cupiebat autem intelligere de viro quodam, quem Florianum Ruiz superius nominavimus, qui sub nomine Societatis multum pecuniarum et Romae et in variis Hispaniae locis acceperat [2], quem Ferrariae captum P. Pelletarius scripserat, et aliqua Mutinae de eo intelligi posse scripserat.

663. Cum ad portas accessisset [3], ingredi prohibitus est. Tunc jussit evocari Collegioli Mutinensis Rectorem, et cum in hospitio quodam extra Mutinam divertissent, postridie habitu urbano, quasi deambulantes, Mutinam ingressi sunt. Sed cum id postea nobiles quidam, quibus sanitatis cura commissa erat, intellexissent, Collegium adeuntes et duris verbis nostros excipientes, jusserunt P. Franciscum Palmium extra Mutinam egredi. Aliis autem injunxerunt, ut domi se continerent, nec sine ipsorum licentia egrederentur.

664. Vicarius deinde P. Philippum, Mutinensem Rectorem, vocavit, eique dixit opus esse ad mitigandam illorum hominum iracundiam, ut in ipsius cubiculo ad horas aliquot commoraretur, donec a prandio homines illos conveniret, ut eis dicere posset quod eum domi suae in custodia retinebat; sed statim amicus noster Hercules Purinus, nobiles illos allocutus, libertatem Rectori eodem die impetravit

665. Intellectum est autem quod tres illi, qui has tragoedias excitarunt praetextu sanitatis, non solum alieni a nostris, sed in fide etiam parum sinceri haberentur. Ex his tamen doceri nostri potuerunt non facile edicta civitatis transgredi oportere in his, quae secundum rationem praescribunt.

666. Sub initium Septembris casus quidam, ut inopinatus, ita etiam acerbus nostris Bononiensibus accidit. Sebastianus ille, cognomine Meghensis, natione gallus [4], qui secundae clas-

---

[1] Propter pestem scilicet, quae in variis Italiae locis hoc anno grassabatur.

[2] Vide supra, t. II, pag. 15, n. 29, et pag. 354, n. 388; ubi hujus Floriani cognomen *Rolis* perspicue admodum a Polanci librario scriptum et nos transcripsimus; et eadem perspicuitate denuo conspicitur infra, n. 902. Hic autem apparet nomen *ruiz, Ruiz;* licet non ita perspicue; nam scriptum videtur *niiz*. Et re quidem vera cognomen *Ruiz* hispanum est non Polonum; Florianus autem iste Polonus erat e Varsovia. Quare restituendum etiam hic existimamus cognomen *Rolis*.

[3] P. Franciscus Palmius.

[4] Hic ille procul dubio est, qui 1.° "anno 1552, Jan. 1, dedit se cum aliis quatuor sub voto Societati Jesu... cum magna devotione et alacritate in Camera aurea (Coloniae),

si praeerat et illius Collegii columna videbatur, cujus erant compositiones illae, quarum supra meminimus [1], hospite insalutato cum Mag. illo Salvatore, quem parum idoneum ad docendum paulo ante diximus [2], recessit, qui [3], postquam Bononiam venerat, cum magna semper aedificatione versatus fuerat, devotus, obediens, humilis, prudens et ingenio optimo et judicio praeditus et cum quo libenter res suas Rector conferebat. Nihil praeter sua vestimenta, ne indusium quidem, accepit aut sudarium, nec librum, praeter preces horarias, nec signum ullum, unde tale quid suspicari quiquam [4] poterat, dederat, nisi quod pauculis ante diebus, cum ad confessionem esset accessurus, coadjutori cuidam, nomine Rodolpho, dixerat magno se desiderio teneri in desertum aliquem locum ad poenitentiam agendam adeundi et eumdem Rodolphum, quem orationi deditum videbat, ut secum veniret, hortabatur. Postulaverat etiam jejunandi et cilicium portandi a Superiore facultatem [5], quae negata ei fuerat, nec quidquam dixerat Rodolphus Rectori, quod existimaret ipsummet Sebastianum hanc suam tentationem ipsi in confessione, ad quam pergebat, detecturum esse.

667. Recedens ergo Sebastianus ex Collegio et ante fores cujusdam amici Societatis, cum socio pergens, vidit mulierem quamdam, quae verba haec viro, in foribus etiam existenti, dicebat "*Voi questa mattina l' habete molto mal intesa a far così*„ quae verba cum Sebastianus intellexisset et sibi dicta putas-

---

me (Leonardo Kessel) celebrante.„ HANSEN, *Rheinische Akten*, pag. 183, annot. 2.— 2.° ejusdem anni 15.ª Jan. cum aliis quindecim Coloniae adhuc versabatur. ID., *ibid.*— 3.° quia *Megensis* ibi appellatur, ab ipso HANSEN ortus dicitur in oppido "Megen in Nord Brabant an der Maas.„ *Ibid.*, annot. 4.—4.° Colonia Ingolstadium missus, Viennam appulit 2.ª Aprilis ejusdem anni 1552. ID., *ibid.*, pag. 194.—5.° ante aestatem ejusdem anni Romam missus. ID., *ibid.*, pag. 203.—6.° Roma Augubium profectus est 1.ª Octobris. Supra, t. II, pag. 441, annot. 3; HANSEN, *ibid.*, pag. 206.—7.° anno 1554, Eugubino Collegio dissoluto, civitati valedixit alio (Bononiam) se conferens. Supra, t. IV, pag. 55; et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 174.—8.° tandem Bononiae anno 1555 lector erat, eglogas a pueris recitandas conficiebat, etc. Supra, t. V, pag. 120 et seq., nn. 333 et seq.—Unus igitur idemque est qui a Polanco describitur et a Hansen. At cui horum suffragabimur? Polanco, qui eum natione *gallum*, cognomine *Meghensem* dicit, an vero Hansen, cui cognomen ignotum est, quique cum patria *Meghensem* ac proinde natione *Brabantum* facit? Nos certo litem dirimere non audemus; existimamus tamen propius ad verum accedere Hansen.

[1] Pag. 179, n. 657.
[2] Pag. 178, n. 653.
[3] Scilicet, Sebastianus.
[4] Ms. *quicquam*.
[5] Vox haec, in ms. incoepta scribi et deleta, restituenda videtur, ut fecimus.

set, ait socio: "Verum ait prorsus haec foemina; male enim intelleximus quid nobis conveniret, cum ex Collegio recessimus„; et ita coepit eum facti poenitere; sed partim verecundia, partim daemonis tentatio eum ursit ut progrederentur; et Parisios ad P. Paschasium ire decernebant, ut ibidem in Societatem admitterentur. Et cum triduo iter fecissent, dum putant se longe satis progressos, prope Bononiam ad decem millia passuum se esse intellexerunt; et ita sibi videbantur Dei voluntatem clarius cognoscere ut Bononiam redirent. Sed quia non longe Mutina aberant, P. Philippum, ejus Collegii Rectorem, consulere voluerunt; quo suadente ut ad suum Collegium redirent, verecundiam superantes, dominica die sequenti ad Collegium redierunt; et illud tanta aedificatione et consolatione repleverunt suo reditu, quanto scandalo et dolore in recessu illud affecerant; et multis cum lacrymis Sebastianus omnium pedes exosculans, offendiculi veniam et misericordiam postulavit, et peculiari charitate exceptus est. Ex poenitentia, quam ipsemet sibi elegerat, partem aliquam tantum Rector ei permisit. Salvator ab ipso Sebastiano motus fuerat, et ad redeundum fuerat hortatus.

668. Sub initium Octobris Dominus Hieronymus [1], Rector parochialis ecclesiae S.tae Luciae, diem obiit extremum, postquam P. Francisco Palmio confessus esset et de ejus manu communionem accepisset; et sero nimium se Societatem perspectam habuisse querebatur.

669. Die lunae sequenti Domina Violante Gozadina, jam ab initio velut mater charissima Collegii Bononiensis [2], ad Dominum sancte migravit. Decreverat illa omnia bona sua Collegio Societatis relinquere; sed P. Franciscus Palmius ei dissuasit, quod sic ad aedificationem majorem futurum intelligebat. Si enim admisisset hereditatem illam, male Societas in tota ea civitate audivisset, et unico filio ecclesiastico, quem illa habebat, Collegium fuisset exosum et forte numquam adiisset ea bona.

670. Suaserat autem P. Franciscus Palmius Dominae Violanti ut mentem suam filio suo, Julio Caesari Gozadino, aperiret, nolle se tamen de suis bonis aliud statuere, quod speraret ipsummet filium sponte sua Collegii protectionem accepturum.

---

[1] D. Hieronymus Cassalini. Vide supra, t. v, pag. 127, n. 359.

[2] De hac saepius in hoc *Chronico*, jam inde ab initio, t. i, pag. 174, sermo factus est, et in *Cartas de San Ignacio*.

671. Filius autem, largis pollicitationibus utens, et ejus etiam consanguinei, immo et tota civitas multum aedificationis accepit, quod, cum fama esset nostros fovere inter matrem et filium discordiam, vel ejus esse causam, ut bona ipsius Violantis obtinerent, cum animadvertunt, quod ne obolum quidem Collegio reliquerit, res prorsus miranda et aedificationis plena ipsis visa est; et cum melius sit bonum nomen quam divitiae multae [1], numquam facti hujus poenituit P. Palmium, et in dies sui Collegii fundationem alia suaviori ratione consecuturam sperabat, et bona interim existimatione et odore ea de causa sparso fruebatur.

672. Venerat autem ad praedictum Julium Caesarem Gozadinum ecclesia S.tae Luciae per mortem praedicti Hieronymi [2], et non solum ejus usum Collegio reliquit, prout Collegium prius habuerat, sed ut perseveraret P. Rectorem rogavit, et eleemosynis etiam eum adjuvit, quamvis in reliquis matris voluntati non magnopere satisfecit.

673. Quamvis paupertate premebatur Collegium Bononiense, hospites nihilominus Societatis, qui ultro citroque frequenter et multi illac transibant, humaniter semper excepit et tractavit.

674. In festo Omnium Sanctorum sexcenti fere in ecclesia S.tae Luciae apud nostros communicarunt.

675. Facta est etiam studiorum renovatio, in qua Sebastianus praedictus [3] orationem habuit praefationis loco in orationem quamdam Ciceronis, quam explicaturus erat; et tam docte, argute, et copiose, et tanta cum auctoritate suo officio functus est, ut auditores magnopere admirarentur; et cum recessisset Mag. Franciscus Scipio ut alibi daret litteris operam, tota fere litterarum docendarum existimatio ex Mag. Sebastiano pendebat, quod ad Collegium Bononiense attinet. Scholastici tamen ultra septuaginta quinque post hanc renovationem non ascenderunt.

676. Duodecima Decembris [obiit] Dominus Joannes Baptista Lilius, qui ex praecipuis amicis et benefactoribus erat (Do-

---

[1] Prov. XXII, 1.
[2] Vide supra, n. 668.
[3] Supra, n. 667.

mini Thomae Lilii, superius [1] nominati, frater), a nostris in rebus spiritualibus vivens et moriens adjutus, quos ipse cum suis facultatibus et charitate etiam hoc anno adjuverat. Et quodammodo miraculum etiam Rectori videbatur, ut cum aucta esset numero familia Collegii et domus etiam aedificanda fuisset, ex eleemosynis tamen quae necessaria erant suppeditabantur, et P. Ignatii patrocinio acceptum id ferebat.

677. Cum jubilaeum Decembri mense Bononiae promulgatum esset, octingenti fere in templo nostro Virginis S.tae Luciae communicarunt, et inter poenitentes multi ex primariis ejus urbis fuerunt.

678. Optabat autem Episcopus Bononiensis [2], concionatorem ex nostris, qui in Cathedrali templo Quadragesima sequenti concionaretur, obtinere; cui tamen, propter hujusmodi concionatorum penuriam, satisfieri non potuit.

679. Admissus fuit Bononiae hoc anno sacerdos ille, quem, Genuam missum, paulo post recessisse diximus [3], qui socius aliquando fuerat P. Pantaleonis Rodini [4]. Sed [cum] qui ejus loco Genua missus fuerat Bononiam et sacerdos illic admissus simili inconstantia laboraret, sacerdos alius, nomine Angelus Filogenius, ex Etruria, Bononiae tamen habitans, in Societatem admitti postulavit. Vir in litteris humanioribus eruditus, qui ex primis ludimagistris fuerat Bononiae, et pingui cuidam parochiae praeerat, et diu benevolentiam erga Societatem incoeperat *(sic)* et de ea benemeritus fuerat; et quamvis eum secreto admisit P. Franciscus Palmius, palam id facere non potuit, eo quod Episcopus Bononiensis curam ei reliquerat monasterii S.tae Mariae, quod insigne detrimentum accipere potuisset, si illud statim hic sacerdos reliquisset [5].

680. Admissus est et alius sacerdos, nomine Caesar, viginti

---

[1] Vide praesertim supra, t. v, pag. 128, n. 361.

[2] Joannes Campeggi.

[3] Supra, pag. 169, n. 621.

[4] P. Pantaleon Rodini vel Rhodinus, qui pro Vinkio, hujus anni 1556 aestate Messanensis Domus Rector creatus est. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 512, annot. 1.

[5] De hoc ita Polancus, *ex com.*, Patri Palmio, 2.a Maji: "Per le ultime di V. R. intendemo chi fosse quel sacerdote di quaranta doi anni, chiamato Mtro. Angelo, et pare a Nostro Padre che si possa accettare; sicchè V. R. faccia come li pare del accettarlo in Bologna, o mandarlo a Roma o dove li parerà, avisando prima il Rettor et havendo risposta di lui „

et octo annos natus. Quia tamen patrem habebat fere octogenarium, qui, filii deliberatione audita, in morbum prae dolore incidit, visum est ad tempus expedire ut et ille extra Collegium, licet sub obedientia Societatis, viveret; et quia dum viveret Dominus Hieronymus [1], de manu Societatis vicarium seu capellanum admittere volebat, hunc Caesarem eo in loco constituere P. Franciscus Palmius decrevit; sed cum mors secuta fuisset Domini Hieronymi, et successor, Dominus Julius Gozadinus, priorem vicarium retinuisset, domi suae mansit idem Caesar, voluntatem nihilominus retinens parendi, si quid ei ab obedientia praescriptum esset [2].

681. Rector hujus Collegii, quemadmodum et aliorum, magna laetitia affectus fuit, cum intellexit, post migrationem P. Ignatii, P. Jacobum Laynez sanitati restitutum et Vicarium Generalem Societatis electum fuisse; et ita cum omnibus domesticis se totum obedientiae ejusdem Patris obtulit, eidemque significavit quantopere necessarius esset sacerdos aliquis Bononiae, litteris et spiritu Domini praeditus et in rebus Societatis versatus, ad domesticorum et externorum spirituale auxilium; et, recedente P. Francisco Scipione, alius etiam, qui graecas litteras doceret, expetebatur. Visum est autem Patri Laynez et sacerdotum et aliorum etiam mutationem opportunam fore; et ita, P. Augustino Riva et aliis Bononia evocatis, ipsorum loco ad Collegium illud alios misit, qui magnopere P. Francisco Palmio placuerunt.

682. Praecipue inter ipsos erat P. Julius Onofrius et P. Gaspar Rodriguez, lusitanus; et ita distribuit officia domestica; et P. Julium Rectorem [3] constituit, et coepit Collegium illud magna quiete interna et spirituali consolatione frui, et P. Gaspar,

---

[1] Supradictus Cassalini, n. 668.

[2] Prius tamen quam hunc Caesarem, voluit Palmius parochiae Sanctae Luciae praeficere Angelum Filogenium, de quo sermo factus est n. praecedenti.—"Circa l' admissione di Mtro. Angelo, già fu scritto l' altra settimana che poteva accettarsi. Del resignarli la parochia di Santa Lucia pare sarebbe bene, essendo lui persona tanto confidente, che V. R. non dubitasse che si portaria bene. Et in lui o in altro amico pare saria bene se facessi la tale resignatione; perche in tanto che si fa chiesa propria, si possa haver libertà e commodità per li ufficii che usa la Compagnia.„ Polancus, *ex com.*, P. Palmio, 9.ª Maji.

[3] Haud satis haec cohaerent cum iis, quae num. sequenti dicuntur; et re quidem vera cum P. Francisco Palmio, ut Rectore Collegii, negotia etiam toto hoc anno tractabantur. Quare existimamus voce hac *Rectorem* intelligi hic debere, non Collegio, sed ecclesiae Sanctae Luciae praepositum.

tamquam novitiorum magister, exhortationem diebus veneris, cum aedificatione et spiritu, et ipsius Rectoris consolatione habebat, et in confessionibus valde assiduus erat.

683. Pater autem Julius, qui loco Mag. Francisci Scipionis missus est, auditoribus non perinde satisfaciebat, ut is, cui successit; et ita classem illam Mag. Sebastiano committendam censuit, quamvis P. Julius graecam lectionem in scholis praelegeret et domi fratribus privatim alteram lectionem ejusdem linguae interpretabatur, et confessionibus etiam dabat operam. Secunda autem classe Hieronymo Senensi commissa, tertia removeri posse visa est.

684. Venit vigesima sexta Octobris Bononiam Tarquinius Reynaldi, romanus [1], qui Valentiae aliquandiu litteris operam dederat, sed, propter valetudinem parum prosperam, in Italiam remissus, Bononiae substitit, ut sua studia ibidem prosequeretur. Sic enim P. Vicario Laynez visum est; et mirum in modum ejus virtus et prudentia Rectori placuit, a quo subminister factus est, et ad disciplinam religiosam, ut illud Collegium reduceretur, non parum adjuvit.

685. Quod ad res attinet temporales, nostrorum necessitas Senatui Bononiensi proposita fuit, et quinque ex quadraginta (hic enim est numerus et titulus Senatorum) electi fuerunt, ut viderent quae ratio iniri posset ad subsidium aliquod Collegio Bononiensi subministrandum. Elegit etiam ex amicis duodecim viros P. Franciscus Palmius, inter quos complures nobiles erant, et totidem matronas, ut, postquam a Senatu aliquid obtentum esset, ipsi, quod reliquum erat, curarent. Erant enim quaedam domus emendae et aedificium promovendum tam scholarum quam domus.

686. Ratio etiam inita est ad hortulum in illo situ domus conficiendum; et unus ex fratribus nostris, Rodolphus nomine, faber caementarius [institutus est] nec, propter caritatem [2] hujusmodi artificum, alius praeter hunc manum operi admovebat.

687. Cum etiam initio hujus anni aegrotaret Dominus Hieronymus, Rector ecclesiae S.tae Luciae, curandum etiam aliqui

[1] Vide supra, t. III, pag. 63 et 64, nn. 113 et 114; et t. IV, pag. 140, n. 280, et pag. 340, n. 724.

[2] Ms. *charitatem*.

ex amicis censebant, ut ea parochia in aliquem ex amicis Societatis transferretur, non solum ad ejus usum libere continuandum, sed [ut] aliquando, si P. Ignatio videretur, Collegio posset applicari. Sed quamvis ecclesia ipsa et situs probaretur (poterat enim vicinis domibus emptis dilatari), cura tamen animarum multarum, et quae alio vix posset transferri, ne hoc consilium probaretur a P. Ignatio, effecit. Cum autem domus nostra conjuncta esset ecclesiae, a posteriori parte ostium aperiri poterat.

688. Sed ad subsidium Senatus redeundo, in numerata pecunia quinquaginta aureos dederunt, majora in posterum promittentes; et agere inter se coeperunt de quibusdam stipendiis, quae ex publico aerario ludimagistris dabantur, Societati nostrae in perpetuum applicandis. Hoc tamen anno nihil ab eis amplius effectum est.

689. Erat hoc tempore Bononiae Dominus Thomas Lilius, qui, ut erat benevolo animo in Societatem [1], aliqua signa dabat Bononiensis Collegii curam suscipiendi, et curavit fieri formulam quamdam vel ideam collegii; et domos quasdam, quae sitae erant e regione suarum, emere voluit, ut Collegio possent usui esse. Et ita voluit domus aedificationem, quae tunc fiebat, institui, ut quadrare posset cum aedificio, postea cum emptis illis domibus faciendo; immo et de ecclesia aedificanda agebat; quamvis P. Francisco Palmio ecclesia S.tae Luciae placeret.

690. Sed post Pascha Romam venit, rebus infectis, Dominus Thomas, desiderium animi sui significans de illo Collegio juvando; et eleemosynis quidem adjuvit, sed de dotatione nihil certi promisit.

691. Ejus tamen soror, Domina Margarita Liliae [2], non tam promissis quam re ipsa Collegium juvare proposuerat, sua bona ei relinquendo. Fuit nihilominus etiam tunc domus quaedam vicina empta et ejus possessio accepta, et paulatim refectorium et capella cum scholis aedificata sunt, et in renovatione studiorum novis jam scholis usi fuerunt. Pretium autem domus emptae Dominus Thomas praedictus cum ipsius fratre dissolvit. Erat autem ducentorum scutorum; et hoc ejus donum valde

[1] Vide supra, pag. 185, n. 678.

[2] Alias saepe, praesertim in *Cartas de San Ignacio*, dicta Margarita Fantuzza, seu Fantuzzi, del Giglio.

commodum fuit Collegio, et si quamdam aliam domum, nostrae contiguam, habere possent nostri, Dominus Joannes Baptista Lilius centum aureos ad ejus emptionem obtulit.

Et haec de Collegio Bononiensi.

DE COLLEGIO FERRARIENSI

692. P. Joannes Pelletarius praeerat tribus Collegiis, Ferrariensi, Mutinensi et Argentensi, quae sub ditione Ducis Ferrariae erant [1]; sed Ferrariensis Rector hoc etiam anno fuit. Inde autem, cum favore Ducis opus erat, illum [2] aliis Collegiis curabat; et profuit nostris Mutinensibus, quibus civitas negotium exhibebat, propter situm, de quo anno superiori egimus [3], quod Dux a nostris stare cerneretur, qui etiam post Pascha promisit nostris Mutinensibus se prospecturum.

693. Cum etiam Cardinalis Lotharingus, Roma rediens, Ferraria transiret, idem Dux et ejus filius, Ferrariensis Episcopus [4], satis ferventer ei Societatem, quae in Galliis erat, commendarunt, quam commendationem suapte benevolus Cardinalis libenter excepit et suam operam obtulit.

694. Doctores etiam parisienses, qui ipsum comitabantur, inter quos erat Abbas Clarevalensis, postea Cardinalis [5], animi

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 130, n. 366.

[2] Scil., *favorem*.

[3] Vide t. v, pag. 137, n. 387.

[4] Vide supra, t. iv, pag. 56, n. 95. Hic, et in annot. plura ad familiam et domum Ducis Ferrariensis spectantia describuntur.

[5] Hieronymus de Sauchieres. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 118, annot. 2.ª —Eum porro Cardinalem creavit Pius V, 9 Kal. April. 1568. De eo sic Alphonsus Ciaconius: "Hieronymus Socherus, Campanus, Gallus, frater ordinis Cisterciensis, Theologiae et virtutis laude clarissimus, eo doctrinae et sanctitatis apud omnes pervenit, ut summis Principibus charus semper fuerit habitus. Cujus opera atque consilio Henricus 2, Franciscus 2, et Carolus 9 Gallorum reges usi, solers hominis ingenium sapientiamque singularem admirabantur. Hic in suo ordine Abbas Claravallensis creatus, ad Concilium Tridentinum profectus, plenas religionis ardore et eruditione sententias protulit; unde major illi nominis opinio parta, novos honorum titulos cumulavit. Hinc suae religionis Magister generalis, summusque moderator electus, ita hunc magistratum prudenter gessit, eoque pietatis studio cuncta gubernavit, ut minime expectata, nedum quaesita purpura, ei ultro a Pio Papa Quinto delata fuerit. Sed incredibilis modestiae vir, nullaque prorsus honorum cupiditate accensus, amplissimam purpurae dignitatem ut acciperet, Pontificis jussu et amicorum precibus vix tandem adductus

affectum ad favendum rebus Societatis P. Pelletario ostenderat.

695. Quod ad confessiones attinet, toto hoc anno, sicut et praecedentibus, fructus non poenitendus exceptus est. Apparuit autem quantum profecisset in eis vidua quaedam mulier, domi filiam habens, quae cum maxima penuria premeretur etiam panis (nam per multas Italiae urbes summa erat annonae caritas), eam pati maluit quam quidquam minus decens admittere, cum eo tempore alias similis et forte minor penuria expugnasset.

696. Aliquae etiam aliae a gravissimis peccatis hac salutari medicina revocatae fuerunt; et una earum, postquam ad sacramenta crebro accessisset, ad conversas se contulit. Alia hoc ipsum decrevit; et multis hoc usu veniebat ex his, quae nostris confitebantur, ut ad religionem propensae efficerentur; et aliquae ex his alias ad confessionem adducebant. Hoc officio quaedam functa est tam utiliter, ut cum duas mulieres [offendisset,] quarum altera alteri persuadebat aliquid parum honeste perpetrare, utraque ad Dominum conversa et peccata sua confessa fuerit. Alia etiam fortis mulier merito commendanda fuit, quae, quamvis juvencula esset, cum ab alia oppugnaretur, viribus prius per confessionem assumptis, non solum non consensit, sed ipsam oppugnatricem, Dei gratia aspirante, ad Dominum convertit et ad confessionem adduxit; et tam difficilis ejus conversio videbatur, ut merito divinae gratiae talis victoria adscripta sit.

697. Aliqui etiam, qui ad Collegium veniebant propter filios, qui in scholis versabantur, vel ad alia quaedam opera domestica, ad confessionem, de qua nihil cogitabant, sunt adducti. Fuit aliquis, qui, cum viginti annis confessus non fuisset, gravissimo onere per confessionem deposito, finem non faciebat charitatem nostrorum commendandi et se felicem profitendi.

698. Quaedam etiam nobilis hebraea et opulenta, quae sa-

---

fuit. Ergo presb. Card. tt. s. Matthaei in Merulana insignitus, Romam veniens, in perpetuaque illa continentissimi animi tranquillitate conquiescens, quam singulari magnitudine contempsit gloriam, cumulo laudis amplissimo consecutus, obiit Romae anno Christi 1571, aetatis 63, die x Kal. Novembr. et in Eccles. s. Crucis in Hierusalem, marmoreo sepulcro a monachis Claravallensibus ornatus fuit.„ CIACONII, *Vitae et gesta Summorum Pontificum*... lib. 2, pag. 1207.

cro baptismate abluta fuerat, nostris postea confiteri voluit. Fuit etiam qui peccata multis annis tacita (licet singulis ad Eucharistiam accederet), et nostris in confessione detexerit et graviter deploraverit.

699. Pergebat P. Pelletarius in enarrandis epistolis Divi Pauli et auditorum numerus augebatur; quodam etiam alio ex fratribus concionem habente, concubinarius quidam et aliis gravibus animae vulneribus laborans, compunctus et nostris confessus, ad meliorem frugem se recepit.

700. Per eumdem Dominus hebraeum quemdam juvenem ad christianam religionem sic accendit, ut etiam ad consilia Christi sectanda propensus videretur. Erat autem non solum in latinis litteris, sed etiam in hebraeis doctus.

701. Alius quidam ex fratribus meretricibus concionatus est, quae non solum cum magna attentione, sed cum lacrymis etiam et planctis multis eum audierunt, et tredecim ex eis, a Domino conversae, firmiter statuerunt turpe illud vitae genus relinquere et Deo adhaerere.

702. Idem cum in xenodochio quodam amplo concionatus esset, persuasit praefecto ejus ut singulis hebdomadis christianam doctrinam aegrotantibus praelegeret, quod se facturum promisit, et ut bis in hebdomada litaniae majores decantarentur. Palam autem idem dixit infirmis, ut qui vellent in xenodochio manere, ad confessionis sacramentum se praepararent.

703. Colloquiis etiam familiaribus obsequium Deo exhibitum est; et quidam, inter alios, qui sororem occidere destinaverat, ab eo scelere a P. Pelletario revocatus, ejusdem opera cum sorore in gratiam rediit.

704. Aliqui ex fratribus, cum extra Collegium egrediebantur, si quos blasphemantes audiebant (quod peccati genus Ferrariae valde erat familiare), eos libere reprehendebant; eos etiam, qui parum honestis libris utebantur, monebant. Et quidem patienter homines id ferebant; et fuit qui statim librum abjecerit et admonitori deinde summas egerit gratias.

705. Sed quod ad fructum attinet familiaris colloquii, insignis fuit cum quidam ex nostris fratribus Mutina Ferrariam navi descenderet, qui cum incidisset in hominem navigationis ejus comitem, qui, cum quadraginta annos fere natus esset, nihil prorsus de christiana religione noverat, ne orationem

quidem dominicam, aut rationem cruce se signandi, et impia quadam ignorantia sancta sacramenta, ritus, leges et caeremonias Ecclesiae spernebat, et cum a multorum caede alienus non esset, se numquam moriturum esse affirmabat, omnibus interim flagitiis expositus. Hunc frater ille noster, cum per otium in navigatione id liceret, articulos nostrae fidei edocet; et partim ea proponendo, quae hominem terrebant poenarum formidine, partim quae ad Christi amorem accendebant, Dei gratia cooperante, ad magnum propositum vitae mutandae hominem adduxit et ad scelera vitae praeteritae deploranda: quin etiam sacerdoti se confessurum promisit, et ex poenitentia in eam animi laetitiam venit, ut externis etiam signis eam aperiret nec celare posset. Et sollicite Ferrariam veniens, fratrem illum in Collegio quaesivit, virum apostolicum eum vocans et miris modis eum extollens, quem tantae in se mutationis auctorem, vel potius providentiae Dei ministrum agnoscebat.

706. Duo hebraei nostrorum opera ad baptismum sanctum accesserunt et alii multi ad eumdem suscipiendum se praeparabant. In his familia quaedam integra erat; pater, scilicet, et mater cum quinque liberis, qui a P. Pelletario ad christianam religionem profitendam valde inflammati, brevi baptismum erant suscepturi. Magnus erat id temporis judaeorum numerus Ferrariae, usque adeo, ut christianos numero superare quibusdam viderentur, inter quos aliqui praeclaris ingenii dotibus exornati cernebantur; et eo magis nostri eis compatiebantur, ut aliqui in eos incidentes, cum foras egrediebantur, lacrymas continere non possent, dum tot ac tales oves a Christi grege aberrantes videbant.

707. Qui nostrum templum frequentare soliti erant, saepenumero mulieres impudicas, quibus Ferraria magnopere abundabat, ad confessionis salutiferum sacramentum hortabantur, et ob id pietatis officium a quibusdam civibus male accipi, immo et convitiis proscindi, aequo animo ferebant. Et erant qui ultionis loco pro maledictis gratias agerent ac referrent.

708. Quaedam mulieres desperabundae in Padum [1] se praecipites agere et vitam sic finire decreverant; sed quorumdam ex nostris opera a nefando scelere ad sacramenta revocatae

[1] In flumen, scilicet, Padum, quod Ferrariam urbem alluit.

fuerunt, quae et confessionem frequentare et crebro S.mum Christi Corpus suscipere coeperunt.

709. Murmur quoddam, de quodam ex nostris Cardinale facto, sub initium hujus anni Ferrariae percrebuit, ortum habens, ut opinor, ex eo quod in palatium Pontificis P. Laynez vocatus fuerat [1], vel forte quod Cardinalis Tranensis, qui de Congregatione Pontificis Pauli IV fuerat (qui *Teatinorum* dicebatur, sicut et nostrae Societatis,) ad eam dignitatem promotus est [2]. Insonuit etiam falsus rumor similis, quod Carolus V, Imperator, nostram Societatem esset ingressus; et ortum habuit ex eo quod, post regna et imperium relictum, familiariter P. Francisco Borgia in suo illo recessu utebatur [3].

710. Ipso die Purificationis, cui templum nostrum dicatum erat, Hercules, Dux Ferrariae [4], cum Cardinale et Domino Francisco Estensibus, fratribus, ac filio Domino Aloysio, ad nostram ecclesiam accesserunt et alii multi sacramenta ibidem acceperunt [5].

711. Aliqui ex his, qui spirituales Ferrariae habebantur, male nostris affecti erant, eo quod audissent opera Fratris Hieronymi Savonarolae in Societate nostra prohibita esse; sed non tantum id verum erat, nam auctoritate etiam Sedis Apostolicae quaedam ex eis prohibita ubique sunt [6].

712. Extra Ferrariam frater noster Ambrosius Policinus in pagis vicinis diebus festis magno cum fructu concionabatur [7];

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 33, n. 59.

[2] "Joannes Bernardinus Scotus, in Castro Manliani natus, Sabinus, Clericus regularis congregationis Theatinorum, a Paulo 4. Archiep. Tranensis, ac mox (13 Kal. Jan. 1555) ab eodem presb. Card. tt. s. Matthaei in Merulana, ob vitae sanctimoniam, atque doctrinam in sacrum Senatorum ordinem lectus...„ Ciaconii, *Vitae et gesta... Pontificum*, lib. II, pag. 1166.—Vide supra, pag. 22, n. 57, annot. 5.

[3] Vide infra, ubi de rebus Hispaniae agetur; et Cienfuegos, *Vida del grande San Francisco de Borja*, lib. IV, cap. 16, 18 et 19; et Gachard, *Retraite et mort de Charles V.*

[4] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 112 et seqq.

[5] Aliquid tamen contra rubricas Ecclesiae eo die peccatum est, de quo admonet Polancus Pelletarium litteris ad eum, *ex com.*, datis 7.a Martii.

[6] Aliquantulum tamen mitius de hac re scripsit, *ex com.*, Polancus Patri Pelletario: "L' opere di Fra Hieronymo Savonarola non sono prohibite nella Compagnia nostra come heretiche. Ben è vero che Nostro Padre non vuole si leggano i suoi libri, massime in queste parti dove sono molti che approvano le tali opere et altri che stano male con la persona; et non vuole nella Compagnia autori non necessarii, et de cui buontà si dubbiti. Con questo non si può negare che non ci siano molte opere buone delle sue, senza le quali però se ne possiamo passare.„ 7.a Martii.—Cf. dicta supra, t. III, pag. 24, annot. 1 ad n. 37.

[7] "Il essercizio di Mtro. Ambrosio di predicare per li castelli ci pare molto buono.„ Polancus, *ex com.*, Patri Pelletario, 11.a Aprilis.

et eodem officio Fabricius Vignes in hospitalibus utebatur [1], neuter erat sacerdos [2]. Quatuor autem, hoc sacro ordine instructi, sic confessionibus Ferrariae occupabantur, ut non eis vacaret extra Ferrariam egredi. In carceribus etiam aliquis ex fratribus concionabatur et ad varia loca ad hoc ipsum nostri vocabantur. Prae caeteris autem magnum sui desiderium Mag. Ambrosius in oppido quodam, ubi Passionem Domini praedicaverat, reliquit.

713. Ex palatiis etiam Ducis et Ducissae (erant autem diversis arcibus ea sejuncta [3]) suam peculiarem messem P. Pelletarius sub finem Quadragesimae habuit: utrique autem P. Pelletarius et confessionis et communionis sacramenta ministravit; Duci, scilicet, ac Ducissae cum praecipuis curialibus eorum.

714. Catechumenus quidam sub finem Aprilis, qui a nostris institutus fuerat, cum solemnitate baptizatus est. Quidam etiam, qui a duodecimo anno usque ad vigesimum sextum judaice vixerat, cum tamen baptizatus fuisset, ex turcarum regione Ferrariam venit, et P. Pelletarium urgebat, ut ipsum recipi in gremium Ecclesiae curaret. Suam etiam uxorem et filium ad religionem adducturum se sperabat. Doctus erat juvenis et qui videbatur magno lumine a Deo illustratus; et cum eo tempore Ferrariam venisset P. Simon Rodriguez, non amplius ille apparuit, et suspicati sunt nostri quod vel ille explorator fuerat, vel ab uxore deceptus, postquam manum aratro admoverat [4], retro respexerat [5].

715. Duas alias puellas, marranorum filias (sic vocant judaeos post baptismum acceptum ad judaismum redeuntes), et ab eis retentas, pia quadam arte ab eis nostri abducendas curarunt, cum vellent christiano more vivere; sed acre certamen cum parentibus earum et consanguineis ineundum erat, et praesertim cum uno eorum, qui inter ipsos ex primariis erat, et nihil magis perversum hoc genere hominum Patri Pelletario

---

[1] "Ci rallegramo che stia bene Fabritio, cui fratello micer Hieronymo è stato vicino alla morte, ma già sta bene. Dio laudato.„ IDEM, *eidem*.

[2] Patri tamen Pelletario. Fabricium Vignes ad sacerdotium promoveri cupienti scribebat, *ex com.*, Polancus, 7.° Martii: "Di Fabricio Vignes vorriamo saper a che attende; pare troppo presto promoverlo in ventidue anni „

[3] Vide supra, t. IV, pag. 69, n. 124.

[4] Ms. *removerat*.

[5] De hoc fusius infra iterum agetur, n 897.

videbatur, cum tamen innumeri quodammodo essent Ferrariae, et donis omnia corrumpere cum nimio successu tentabant.

716. Fugerat autem puella duodecim vel tredecim annorum a divite parente, ut christiano more viveret, nam baptizata esse credebatur; sed illi falsis probationibus ostendentes quod decimum annum non excedebat, puellam sibi restitui diligenter curabant; et quamvis hujusmodi testimonia non admittenda esse in fidei praejudicium ex [1] jure Canonico ostenderetur, cum aspectus puellae et alloquium quindecim potius quam decem annos ostenderet; perdifficile tamen oppugnationibus horum hominum resisti poterat, cum multi christiani quae sua sunt quaererent, nec perinde, ut par erat, religioni christianae faverent.

717. Multum aedificationis et auxilii spiritualis se [et] Collegium illud accepisse a P. Simone [2] P. Pelletarius scribit, sed cum ille secum puerum adduxisset, cujus ministerio utebatur (nullus ei de Societate datus fuerat ad ministeria ipsi necessaria, quod extra Collegia versaretur), is [3], cum esset Ferrariae, sublatis quibusdam pecuniis et rebus aliis Patris Simonis, fugit. Sed Mag. Ambrosius [4] a P. Pelletario missus, eum consecutus, Ferrariam reduxit, ubi cum quatuor dies pane et aqua eum jejunare coegisset P. Pelletarius, postquam peccata confessus est, juvenem dimisit, alioqui ad Societatem nostram non idoneum.

718. Cum Dux Parmensis [5] de Societate nostra eo tempore male sentiret, quod ab illo Matthia, de quo initio mentio facta est [6], multa contra Societatem audisset, Dux Ferrariae hoc officio charitatis functus est, ut ad illum scribens de rebus Societatis melius informaret. Misit etiam Parmam exempla testimoniorum quarumdam Universitatum [7], quae in Galliam missa fuerant, ut quidam, Societatis amicus, Duci et aliis ostendere

---

[1] Ms. *et*.
[2] P. Simone Rodriguez.
[3] Ms. *qui*.
[4] Mag. Ambrosius Pollicinus.
[5] Octavius Farnese.
[6] Supra, t. I, pag. 169, n. 114.
[7] Illorum, scilicet, quae, decreti Facultatis theologiae Parisiensis occasione, a pluribus Universitatibus in favorem Societatis data sunt. Vide praesertim supra, t. V, pag. 11, n. 12, et appositas ibi annotationes.

posset aliter alibi graves homines de Societate sentire quam ipsi sentiebant.

719. Quod ad scholas attinet, quamvis Mag. Ambrosius Pollicinus officio suo fungeretur [1], alium tamen P. Pelletarius postulabat, ut, cum ille male valeret, posset ipsi substitui. Sed contrario modo accidit; nam P. Ignatius eumdem Ambrosium Ferraria revocari jussit, ut alia studia superiora tractaret; nam juvenis erat ad res majores idoneus.

720. Jam ab initio hujus anni admonuerat P. Franciscus Palmius, quod scholae Ferrarienses frigescere coeperant et numerus scholasticorum valde imminutus esset et ad sexaginta vel paulo amplius redactus; sed post recessum Mag. Ambrosii magis etiam ea schola declinavit. Quamvis enim missus fuerit, Ambrosii loco, Mag. Joannes de Majoribus, inferior erat id temporis et aetate et eruditione, et ita recedere a scholis quidam ex praecipuis coeperunt; magis tamen in eo desiderabatur virilis aspectus quam eruditio, et accidebat aliquando ut tantum duos vel tres externos praeter aliquos nostros haberet. Aliquando etiam lectiones intermittebantur ob auditorum defectum [2], qui nulli accedebant; et tamen discipuli non pauciores erant, si omnes simul classes computentur, quam cum Mag. Ambrosius ibi esset; nam nonaginta erant et ad centum aliquando numerus perveniebat in tribus classibus. Quia tamen liberior, quam par erat, juventus Ferrariensis inveniebatur, non is morum ac pietatis fructus capiebatur, quem nostri optabant.

721. Nostri scholastici in cubiculo quodam scholae vicino et non publice lectiones audiebant, etiam qui praeceptores non erant; et id Patri Natali probatum fuisse dicebatur. Privatim etiam P. Pelletarius duobus aut tribus juvenibus, licet multis alioqui occupationibus impeditus, praelegebat [3].

722. Cum Cardinalis Ferrariensis ex litteris Roma scriptis obitum P. Ignatii intellexisset, amanter rescripsit condolendo Societati, quae tali Patre privata fuisset, et eamdem consolando spe intercessionis apud Deum ejusdem Patris, et omnem suam operam officiose offerendo [4].

---

1 Primae classi praeerat Ambrosius. Vide infra, n. seq. et 737.

2 In ms. legitur *deceptum*, sed evidens est error calami.

3 Praelegebat, scilicet, theologiam et quae ad casus conscientiae solvendos pertinebant. Vide supra, t. v, pag. 139, n. 392.

4 Has litteras habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI. pag. 540 et 410.

723. Cum undecim hebraeos baptizandos haberet P. Pelletarius, conversionis modum non sine miraculo transactum narrat; infans enim quidam, duobus annis cum dimidio vel tribus natus, hebraeorum parentum filius, cum in cubiculo pulsum campanae, quae sub meridiem fieri solet ut salutatio angelica dicatur, audivisset, coram patre et matre genua flectens et manus ad coelum elevans, labia etiam movens, cum verba per aetatem nondum posset exprimere, orabat; quod cum mater vidisset, quae duriuscula fuerat ad conversionem, coepit vocem elevare ac dicere: "o Deus! per hunc infantulum mihi significas te velle ut sim christiana;„ et usque ad admirationem aliorum in fide confirmata fuit.

724. Alio die experiri voluerunt quid infans faceret; et eodem tempore, id est, sub meridiem, prius quam genua flecteret, ad matrem se conferens et vestem ipsius manu trahens, significabat ei ut et ipsa, genua flectens, oraret, quae res magis adhuc et fidem confirmavit et admirationis causa fuit. Itaque *ex ore infantium et lactentium, etc* [1].

725. Erat et parvulus alius puer septem annorum ex hoc genere hominum, qui cum christianus esse vellet, et parentes eum repeterent, coram magistratu suam causam sic defendebat, ut in stuporem auditores converteret, et Dei digitum esse faterentur; et si aliquando ficte infantulo dicebatur quod marranis [2] eum tradere volebant, clamans, ac si ipsum occidere vellent, inter genua cujuslibet christiani se abscondebat; et omnes se judaeos et marranos velle interficere dicebat.

726. Hic mos erat Ferrariae ut, cum utriusque sexus infantes aut pueros parentes repetebant, coram ipsis eos statuerent, qui tamen totis viribus eos ad se pellicere conabantur. Et Augusto mense accidit ut nobilis quidam inter illos puella per horam cum dimidia a suis parentibus oppugnaretur, et, ut rediret ad judaismum, mater duodecim millia ducatorum in monilibus, gemmis et aliis hujusmodi rebus pretiosis offerebat. Dedit tamen Dominus puellae constantiam, ut omnia haec certamina superaret.

727. In aegritudinem incidit P. Pelletarius, quae in quarta-

---

[1] Ps. VIII, 3, et Matth. XXI, 16.
[2] Vide supra, pag. 194, n. 715.

nam tandem abiit; et cum vix posset Ducissae, quae in nativitate B. Virginis confiteri voluit, satisfacere, nec alia etiam negotia ad Dei honorem pertinentia tractare, aliquod subsidium ad se mitti postulavit, et tunc a P. Ignatio P. Guido Roiletus [1] eo missus est.

728. Praeceptores etiam aliquos aetate maturos optabat; sed non in omnibus ejus votis potuit satisfieri.

729. Ipso die Epiphaniae tres, qui ad Societatem aspirabant, oblationem trium Magorum imitari voluerunt, et se ipsos, votis emissis, Deo totos consecrarunt. Hi autem fuerunt Mag. Joannes Tristanus, Joannes Baptista de Monte [2] et Hercules Chavedonus, Julii Chavedoni [3], Societati amicissimi, filius, qui anno praecedenti cum Societatem ingredi constituisset, deinde intepuerat. Sed daemonis et mundi fraudem agnoscens, magno cum fervore suum propositum voto etiam confirmare statuit; et in eo prorsus fecit Deus cum tentatione proventum, et primo quoque tempore Romam venire optabat; quod post Pascha simul tres praedicti fecerunt, ex quibus Joannes Baptista de Monte, cum non diu fuisset Romae versatus, in Japonem missus est, quod ejus virtus et animi constantia id mereri videretur.

730. Joannes autem Tristanus tanta cum abnegatione sui hoc institutum suscepit, cum adhuc esset Ferrariae, ut summae admirationi P. Pelletario fuerit, qui de eo referebat numquam concionibus interfuisse, quibus tamen assidue intererat, quin eum prae devotione flentem videret. Inter primos artifices Ferrarienses, immo et primus habebatur; patrimonium consanguineis relinquendum censuit, qui eo indigebant; sed quod ipse sibi acquisierat, Ferrariensi Collegio ut universali heredi reliquit, demptis trecentis aureis, quos Societati Romanae legavit. Duodecim nihilominus in Ferrariensi Collegio de Societate nostra manserunt, et ille numerus utcumque sustentabatur.

731. Quatuor ex scholasticis in Societatem se admitti postulabant; sed quia nec statura [4] nec aetas justa erat, dilata

[1] Qui nuper sacerdotio debuit initiari; nam mense Martio 1551 scribebat Polancus Doctori Olave: "No hay otra novedad en casa ni en el Colegio, sino que luégo después de Pascua comenzarán á oir theología Mtro. Guido y Mtro. Rogerio.„ Vide supra, t. IV, pag. 10, annot. 3.ª

[2] De his duobus mentio jam facta est supra, t. V, pag. 136, n. 386.

[3] Vide supra, t. II, pag. 496, n. 201.

[4] Meminisse oportet mensuram jam ante aliquot annos ab Ignatio in Societatis Collegia missam fuisse, quam saltem attingere admittendorum statura debebat.

fuit eorum admissio. Horum autem occasione suggereba P. Pelletarius aliquod collegium vel domum esse debere, ubi tales admitti et institui possent; nam multi hujusmodi, praeclaro ingenio praediti, ad alias religiones se conferebant; et plures quam triginta hujusmodi, ex quo Ferrariam Collegium missum erat, id est, paucissimis annis, ad monasteria diversorum ordinum fuisse admissos affirmat, qui multo libentius nostram Societatem fuissent ingressi; et quod ad hos quatuor attinet, temporis successu alius alio dilapsi sunt.

732. Idem Pelletarius suggerit expertum se esse nocere quibusdam novitiis quod facile a votis Societatis absolverentur, et hoc illi sperarent, si qua tentatione pulsarentur; et difficilius hujusmodi absolutionem impendendam censebat.

733. Quemdam alium lucensem, admissum ad probationem, Argentam misit.

734. Antequam Romam accederet Mag. Joannes [1], ecclesiam Ferrariensem auxit et ornavit et chorum quemdam in ea confecit. Domum etiam, quae non parum indigebat, concinnavit et multo commodiorem reddidit.

735. Cum emeretur domus illa, quam nostri Ferrariae habitabant, Dux Hercules aliquam pecuniae summam, id est, octoginta libras eis mutuo dedit, licet eas hac aestate quaestores, qui aerario Ducis praeerant, a nostris satis acerbe repetebant; et cum procrastinaretur P. Pelletarius, donec domus quaedam Mag. Joannis [2] venderetur, cui jamdudum emptor quaerebatur, non eam admiserunt; sed ducentorum aureorum eleemosynam, quam Dux singulis annis Collegio assignaverat [3], se retenturos dicebant. Et ita serio de solvendi ratione quaerenda P. Pelletarius egit. Cum etiam domus illa Mag. Joannis vendenda esset, ejus vectigal exigebant, quod male habebat P. Pelletarium, quod ecclesiasticam immunitatem laedi videbat; quamvis Principi supplicare ipse posset et obtinere hujusmodi immunitatem.

736. Sub initium Novembris studia renovata sunt, versibus et orationibus praemissis; et frater noster Joannes Calaber, quod aetate maturior esset, primae classi praefectus est, licet,

---

[1] Joannes Tristanus, de quo nuper dictum est, n 729.
[2] Tristani.
[3] Vide supra, t. III, pag. 141, n 285; et t. IV, pag. 66, n. 119, 120.

quia minus audax esset quam eruditus, non amplius quam novem aut decem discipulos externos habebat.

737. Mag. Joannes de Majoribus a prima ad secundam [classem] descendit; quia satis humilis erat, tamen propter obedientiam id libenter fecit.

738. Exercitia spiritualia quibusdam proposita fuerunt, inter quos juvenis quidam sartor, qui sacramenta frequentabat et Societatem ingredi decrevit et admissus est; quemadmodum et juvenis quidam gallus, in humanioribus litteris recte versatus; et ita familiola illa fuit aucta, quamvis alia ex parte imminuta fuerit, cum juvenis quidam gallus, nomine Claudius [1], qui nobilis erat, cum non bene se gereret Ferrariae, nec Argentae, nec Romae, quo revocatus fuit, postquam multum negotii Societati exhibuisset, dimissus fuit, quod multo ante fieri oportere cum similibus experientia docuit [2].

739. Vigesima secunda Novembris P. Guido Roiletus, in Collegio Romano theologiae Doctor creatus [3], et inde Ferrariam missus, venit cum Mag. Joanne Baptista de Jesu [4], qui Argentam inde destinatus est loco P. Andreae Bonainsegna, inde Lauretum translati. Alios etiam quosdam secum deduxit, et ita ad quindecim in Ferrariensi Collegio commorari coeperunt. Vidit [5] autem P. Guido multis in rebus illius Collegii gubernationem a formula Collegii Romani differre; et re cum ipso P. Pelletario collata, ad praedictam normam exigere omnia curavit.

740. Cum autem P. Laynez, Vicarius, eo animo Ferrariam misisset praedictum P. Guidonem ut onere illius Collegii P. Pelletarium sublevaret; vigesima sexta Novembris P. Pelletarius, congregatis fratribus, eum Rectorem declaravit, et in Collegii possessionem eum induxit. Superintendentia nihilominus ipsi P. Pelletario in Ferrariense, Mutinense et Argentense Collegium reservata est; et gratissimus illi fuit Patris Guidonis adventus, cum quartana etiam tunc laboraret, cum alioqui Parisiis eum in Domino ipse genuisset [6].

---

1 Huic cognomen fuisse Forset ait ipse Polancus infra, n. 779.

2 Jam sub anni initium scribebat Polancus, *ex com.*, Patri Pelletario: "Circa Claudio già altra volta fù scritto che N. P. si rimetteva a V. R. nel licentiarlo o ritenerlo, se li parerà che non sia atto alla Compagnia.„ 7.ª Martii.

3 His confirmari possunt quae animadvertimus supra, pag. 198, n. 727.

4 Joannes Bapt. Velati, alias a Jesu.—Vide infra, n. 805.

5 Ms. habet *venit;* sed sensus aliud requirit verbum: ideo *vidit* posuimus.

6 Vide supra, t. I, pag. 419, post medium n. 441.

741. Hic autem numerus cubicula ejus Collegii implevit et lectos etiam hospitibus reservatos; nec potuisset ulla ratione aut hic numerus hominum sustentari aut debita Collegii dissolvi, nisi charitas Dominae Mariae del Giesso Collegium sublevasset ac debita ejus solvisset; quae plane ut matrem [se] omnium in sollicitudine et charitate erga omnes collegiales Ferrarienses exhibebat [1].

742. Quemadmodum Bononiae, ita et Ferrariae P. Vicarius Laynez, missis idoneis operariis ac scholasticis, disciplinam renovare studuit; et ita magna quiete Ferrariense Collegium et mutua concordia fruebatur et ad spirituale profectum aspirabat.

743. Praeparabat autem se P. Guido ut in ecclesia nostra canonicas epistolas praelegeret, prout P. Pelletarius diu fecerat [2].

744. Decembri mense sacerdos quidam dioecesis Brixiensis, nomine Organtinus [3], qui, multis auditis de Societate tum Brixiae, tum alibi, jam ab Aprili mense eam ingredi constituerat, Ferrariam venit; et quidem non solus; nam, ad maternam domum Brixiam se conferens, duos fratres suos, Joannem Antonium, qui decem et octo, et Joannem Baptistam, qui sexdecim annis nati erant, ad Societatem eamdem ingrediendam adhortatus, et sui propositi et itineris comites efficiens, a nostris Ferrariensibus admitti se cum fratribus postulavit. Viginti quinque annos ipse natus erat et in litteris humanioribus versatus. Sed cum mature procedendum nostri existimarent, non facile eos admittendos censuerunt et Romam eundum esse insinuarunt. Sed cum triduo singillatim eos et diligenter examinassent et sinceros ac idoneos invenissent, ut hospites Ferrariae eos admiserunt, donec P. Vicarium consulerent. Fuit autem commendatione digna ipsorum mater, vidua, cui cum nullus filius super-

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 32 et seq. cum suis annot.; pag. 55, 100, 202, et saepe alias. De ea etiam frequens est sermo in *Chronico*, t. III, pag. 139, 140, n. 280, 281, t. IV, pag. 56, 57, n. 96-98 et alibi passim, ubi de rebus Collegii Ferrariensis agitur.

[2] Vide supra, pag. 191, n. 699.

[3] "Fué el P. Organtino conocido en el mundo, y es celebrado en las historias por solo este nombre; en lo demás hay duda, porque, segun Nicolás Trigaulcio, se llamó Soldo; segun Francisco Sachino, Gneco; pero él por su patria se llamaba algunas veces Brixiense por haber nacido en Bresa, ciudad de Italia.„ NIEREMBERG, *Varones ilustres de la Compañia de Jesus*, edit. antiq. Matritensis, t. IV, pag. 369; recentioris Bilbaënsis, t. I, pag. 304.—In ipsius autem epistolis, quas nos vidimus, subscriptio legitur ORGANTINUS SOLDO.

esset, vocationem tamen, quam Dei esse existimabat, nullo modo impedire voluit. Reliquerat autem ei P. Organtinus bona sua utenda (quae ad duo millia ducatorum ascendere dicebant) quandiu viveret, ut post mortem ejus id fieret, quod Superioribus Societatis faciendum videretur.

745. Tam tenera charitate Societatem nostram praedicta Domina Maria [1] diligebat, ut obitum Patris nostri Ignatii significare ipsi nostri non auderent, ne nimium affligeretur; sed a quodam amico spirituali, qui Mutinae versabatur, post aliquot menses eum [2] intellexit cum magno suo dolore, et devote aliquid ex eis postulabat, quibus P. Ignatius usus fuisset, ut granum aliquod benedictum [3] vel quid hujusmodi.

746. Complures juvenes ex discipulis, bonis moribus praediti et in litteris provecti, instabant ut in Societatem reciperentur, quos tamen de industria Rector differebat.

Et haec de Collegio Ferrariensi.

DE COLLEGIO MUTINENSI

747. Initio hujus anni P. Philippus Faber [4] cum P. Stephano Baroëllo [5] et duobus fratribus coadjutoribus Mutinae versabatur, et his ministeriis, quae ad Domos Professorum pertinent, potius quam quae ad Collegia, dabant operam; quamvis nomen Collegii retinerent, postquam scholae anno superiore sublatae fuerunt [6].

748. Quam autem incommoda sint exigui numeri Collegia,

---

1 Maria Frassona del Gieso, de qua supra, n. 741.

2 Ms. *eam*.

3 Quid haec grana benedicta sint qui ignorent, eruere possunt ex his, quae habet BRAUNSBERGER, *B. P. Petri Canisii Epistulae et Acta*, t. I, pag. 223, annot. 1.

4 Joannes Philippus Leernus, flander. Cognomen Leernus "non multo post tempore mutatum est in *Faber*„ *Chronicon*, supra t. IV, pag. 85, n. 154, annot. 4.ª—Vide etiam pag. 102, n. 192, annot. 1.ª

5 Vide supra, t. V, pag. 142, n. 402.

6 Vide *ibid.*, pag. 150, n. 426.

praesertim si valde probati homines in eis non teneantur, inde cerni potuit, quod unus ex praedictis coadjutoribus usque adeo fuit perturbatus, ut excuteret frenum obedientiae [1]; et ideo Lauretum in peregrinationem missus est.

749. Quidam autem sacerdos Argentensis, nomine Dominicus, ad sublevandum P. Philippum missus (aegrotabat enim confracto crure, ut diximus [2], P. Stephanus); sed vix ille integrum diem Mutinae exegit et Ferrariam statim redire voluit. Incommoda etiam magna P. Philippo subeunda erant, cum ministeriis spiritualibus satisfaciendum esset et curando P. Stephano et aliis ministeriis domesticis danda opera. Merito itaque fratrem nostrum Dominicum de Majoribus, virum maturum et pium, qui cum tribus filiis Societatem ingressus erat, ex patria redeuntem et Mutina transeuntem, retinere optabat, vel alium ei similem sibi mitti. In rebus nihilominus ad proximorum auxilium pertinentibus, strenue et cum fructu P. Philippus, et etiam, postquam convaluit, P. Stephanus laborarunt.

750. Sub finem anni praecedentis diximus [3] foeminam quamdam, P. Philippi opera, ad famam restituendam publico testimonio fuisse adductam, cum inter maritum et uxorem discordiae seminatrix cum summo utriusque incommodo et infamia fuisset. Primis ergo mensibus hujus anni litteras nostri acceperunt ex illo oppido, quibus significabatur cum magna omnium consolatione finem laboribus et ruinae illius familiae fuisse impositum, et summas nostris gratias agebant.

751. Alia etiam quaedam mulier egregium daemonis instrumentum ad Dei offensas erat: a concubinatu et aliis gravissimis peccatis revocata, marito suo restituta fuit; et uterque firmiter promisit (obligatione addita in forma juris) honestam se vitam acturos, quam ipsos observasse constabat.

752. Postquam, utcumque consolidato crure, P. Stephanus laborare in vinea Domini potuit, in sacello domestico conciones solitas habere coepit, ad quas aliqui etiam nobiles accedebant, inter quos Comes quidam erat eidem P. Stephano confessus cum sua familia. Partim autem in dicto sacello, partim in

---

[1] Ms. *ut excusso freno obedientiae, et ideo* etc.
[2] Vide supra, t. v, pag. 146, n. 412.
[3] Vide supra, t. v, pag. 145, n. 410; et *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 50.

ecclesia Conversarum, P. Philippus cum eodem Stephano messem habuit confessionum copiosam [1].

753. Fuit etiam quaedam matrona, quae cum aegrotaret et tamen P. Stephano confiteri cuperet, qui propter pedis imbecillitatem nondum recte incedere poterat, famulos cum equo, ut ipsum ad se deducerent, misit, et confessione peracta, cum eodem modo esset reductus, suam misit familiam ut eidem in sacello nostro confiteretur.

754. Commiserat etiam Episcopus [2] eos, qui in custodia publica capti detinebantur, curae nostrorum; et ita vix tempus suppetebat ut tam multis satisfieret.

755. Observatus fuit fructus insignis in matrona quadam, propter dotem luculentam pompae ac vanitati saeculari valde dedita [3], quae post confessionem ad eum humilitatis fervorem redacta fuit, ut domum rediens, omnia pristinae vanitatis ornamenta a se removeret, et societatem mundanam et omnia demum saecularia in nauseam sibi versa ostendit, praeter ea, quae ad animi profectum pertinebant; et, marito consentiente, unis *(sic)* vestibus induta est; et nuntium gratissimum fuit marito quod illa singulis mensibus aut crebrius cum sua familia nostris confiteretur; et idem se facturum uxori promisit.

756. Venerat etiam Mutinam loci cujusdam in agro Parmensi dominus, qui aliquot annis a confessione ideo abstinuerat, quod nollet id vitae genus relinquere, quod necessario relinquendum erat, si salubriter confessurus et communicaturus erat. Hic ergo P. Philippo cum magna illius et propria aedificatione ac satisfactione confessus, cum magno proposito vitae mutandae et actione gratiarum ad sua recessit.

757. Optabat quidem Episcopus ut esset ex nostris aliquis, qui concionaretur, et aliquis, qui in Cathedrali ecclesia dominicis ac festis diebus toto anno praelegeret; et ita P. Ignatio fuit scriptum. Sed tunc, cum nec domum nec templum commodum nostri haberent nec reditus ullos, potius videbatur hujusmodi operarios, qui pauci erant, ad alia loca mittendos, quibus So-

---

[1] Polancus tamen, *ex com.*, scribens Patri Philippo Leerno, haec aiebat: "Ci rallegramo che si frequenti la cappelletta di casa, il che è molto più decente che andar alle Convertite.„ 1.ª Aprilis.

[2] Fr. Aegidius Foscarari, O. S. D.

[3] Ms. *deditam*.

cietas magis obstricta videbatur [1]. Amici quidem utriusque sexus solliciti erant ut viderent si quid nostris deesset et eis prospicerent, nec eis in rebus necessariis eorum charitas unquam defuit, et si facultas par fuisset voluntati, sic Collegium dotassent, ut timorem sibi adimerent quod inde essent nostri revocandi.

758. Confitentium numerus satis magnus erat, foeminarum praesertim, et major quam praeteritis annis. Si tamen Collegium fundandum erat, virum aliquem mitti oportere majori talento praeditum, quam qui Mutinae versabantur, existimabat P. Philippus Rector; nam quodammodo Societas nostra abscondita fuerat ad id usque tempus.

759. Optabatur autem ab Episcopo aliquis ex nostris, non solum qui festis ac dominicis diebus praelegeret populo, sed etiam qui sacerdotibus feriatis diebus aliquid ex theologia sacra praelegeret [2].

760. Aedificatum fuerat sacellum quoddam in domo nostra, licet esset conductitia, ubi recusabat quidem initio Rector, sed tandem permisit, ut exhortationes ibi P. Stephanus haberet, qui sine concionibus [3] existimabat sacerdotem unum sufficere posse Mutinae, ut omnium crebro confitentium confessiones audiret.

761. Venerat Mutinam mense Majo P. Viola, ut ibi expectaret Roma mittendos fratres, cum quibus in Galliam iturus erat [4]; et aliquot concionibus, in templo Conversarum habitis, amicos et Societati addictos recreavit; et quia religiosus quidam ordinis S.ti Dominici Parmae [5] seminaverat quod nostri

---

[1] Iisdem fere verbis de hac re scripserat, *ex com.*, Polancus Patri Philippo Leerno. "Circa il mandar al Rmo. Vescovo alcuno che legesse theologia alli preti et che potesse poi nel Domo predicar o legger la Scrittura al populo, per adesso saria molto difficile; perche, oltra di trattener li Collegii già pigliati, ogni dì occorre l' occasione di fundar Collegii nuovi et in luoghi d' importanza per il servizio divino; e non essendo Collegio alcuno in Modena, nè casa, nè chiesa, pare non è poco trattener li duoi sacerdoti che costì sono. Quando dessino chiesa e casa e modo di trattener un Collegio, si potria veder se si trovarebbe alcuno qual si domanda. etiam discommodando qualche altro luogo, se altrimenti non si potesse. Se pur havessimo copia di tali lettori, senza altro rispetto si mandariano; perche in vero desideramo servir al Rmo. Vescovo et agiutar secondo le nostre forze la città, pur senza prejudizio di maggior ben comune e maggior servizio divino „ 1.ª Aprilis.

[2] Vide annot. praecedentem.

[3] Id est, si concionibus opera danda non esset.

[4] Vide supra, pag. 169, n. 622.

[5] Ms. habet hic perspicue satis *parum*; verum sensus exigit, ut nobis quidem videtur, ut scribatur *Parmae*.

ab Episcopo Mutinensi rejicerentur, ab ipso Episcopo litteras [habere curavit] in favorem Societatis ut Parmam eas ferret, quo profectus est cum Leonardo Massero, parmensi [1], et alii Roma missi brevi eos consecuti sunt.

762. Mutina etiam transivit sub idem tempus P. Salmeron et Episcopum invisit: cum Cardinali Motulae, Legato, tunc in Belgium, ut superius diximus [2], mittebatur.

763. Quamvis P. Stephanus in sacello domestico et P. Philippus in ecclesia Conversarum consuetis ministeriis vacarent, exiguus tamen fructus eis videbatur percipi posse, donec proprium haberent et idoneum locum; quamvis et domi audierit P. Stephanus magnam multitudinem personarum, ex vicinis pagis confluentium, inter quas singularem puritatem aliquando inveniebat.

764. Ipse etiam P. Philippus rogatu Episcopi (qui pedes ad visitanda loca dioecesis suae, in montibus sita, proficiscebatur, ne expensis pauperes sacerdotes gravaret) congregationi viduarum [3] aliquid praelegere coepit, quod ad ipsarum aedificationem, praesertim cum Missae sacrificio intererant, pertinebat.

765. Cum autem Mutinae Episcopus versabatur, referebat aliquis gratum sibi non esse quod in sacello domestico eodem tempore P. Stephanus concionaretur, quo in Cathedrali ecclesia ejus concionator verbum Domini praedicabat; quia tamen ipsemet nihil nostris dixit, conciunculas domesticas P. Stephanus non omisit.

766. Cum P. Stephanus consultoris officio in censura Rectoris nimium diligenter uteretur, dum nimium emungit, non solum ipsi Rectori fuit molestus, sed et P. Pelletarius judicabat intemperanter eum hoc syndicandi officio fungi, et non ea charitate, qua decebat. Quidam coadjutor, nomine Petrus Lusitanus, offensum se significabat ejusdem P. Stephani interrogationibus, quod ad Rectorem attinet [4], et a Societate recedere voluit

[1] Vide supra, t. III, pag. 54, annot. 1.

[2] Pag. 22, nn. 56 et 57.

[3] Vide supra, t. IV, pag. 54, n. 181.

[4] Non solum a nostris, qui domi erant, informationem de Rectoris gestis Stephanus emungebat, sed ab externis etiam: et utrumque reprehendit Polancus litteris, *ex com.*, ad ipsum Stephanum datis 1.ª Aprilis: "Circa le sindicazioni non accaderà pigliar informatione d' altri di fuora, nè di dentro di casa. Basta che notate quello che vedete; perche l' informarsi non è senza discredito del Rettor.„

(quamvis alia fuit causa major: quod, scilicet, aliquot menses religionem [1] tulerat), quod, cum in Societatem se admitti [peteret], dissimulaverat.

767. Ejus loco Laurentius Ferrara missus et Roma quidem Sebastianus [2]. Quintum etiam addendum P. Pelletarius censebat, quamvis non ad id P. Philippus afficiebatur, forte quia ex eleemosynis in Collegio commode sustentari non possent. Sub initium autem Novembris P. David, Hibernus [3], Mutinam venit et P. Stephanus Lauretum missus est.

768. Non deerat nostris Mutinae exercendae patientiae occasio; nam multi eis molesti erant; immo et insultabant aperte aliqui pueri et procaces juvenes.

769. Hac autem aestate ferebatur jussu Summi Pontificis, Pauli IV, aliquos ex primariis civibus Mutinensibus Romam evocari [4]; et Dux ipse [5] sub poena privationis bonorum temporalium obedire illos Pontifici jussit. Id autem perutile civitati fore, quod ad negotium religionis attinet [videbatur,] nam Mutinae Tribunal Inquisitionis parum feliciter et cum successu exiguo officio suo fungi posse dicebant. Et hoc fermentum [6] satis late sparsum Mutinae dicebatur; et macella tempore Quadragesimae perinde aperta et frequentata aut non multo minus quam aliis anni temporibus dicebantur. Non audebant tamen homines infecti palam confiteri; apud aliquos tamen ex civibus factum [7] hoc malevolentiam erga nostros auxit; nam Summum Pontifi-

---

[1] Scil., vestem aut habitum alterius a Societate religionis.

[2] Hujus, ut et Laurentii cognomina non reperimus.—Extant quidem quaedam ad Laurentium litterae, quibus Polancus, *ex com.*, eum acriter reprehendit quod dona quaedam miserit feminis quibusdam *devotis*.

[3] P. David Woulfe, natus in urbe Limerick. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 249, annot. 8.

[4] "Dilecte fili, Nobilis Vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Testimoniis multorum, qui dignissimi sunt ut omnem eis fidem adhibeamus, nobis certius in dies affirmatur esse aliquot Mutinae, qui haereticis opinionibus ac pravitate adeo jam infecti sunt ut, nisi praesentia remedia adhibeantur, maxime timendum sit ne brevi totam corrumpant civitatem. Quare, cum Nobilitati tuae... Capiendi autem hi sunt, videlicet, Bonifacius Valentinus, ecclesiae Cathedralis Mutinensis Praepositus; Philippus item Valentinus; Ludovicus Castelvedro, et Antonius Gabaldinus, bibliopola seu librarius. Qui cum in Vicelegati potestatem venerint, is huc eos ad Tribunal ac judices sanctae Inquisitionis perducendos curabit...„ Paulus IV Duci Ferrariae 1.ª Octobris MDLV, apud FONTANA, *Renata di Francia, Duchessa di Ferrara*, t. II, Documenti Vaticani, Docum. LXXII.—"La cosa trapelò, e la città ne fu commossa...; Il duca esitò, poi fece metter le mani sullo stampatore...„ CESARE CANTÙ, *Gli eretici d' Italia*, Discorso XXVIII.

[5] Scil., Ferrariae, cui et Mutina subjacebat.

[6] Hominum videlicet haeresi infectorum.

[7] Ms. *pactum*.

cem Paulum ex nostra Societate esse credebant, et ab ipso se scandalum accepisse dicebant, et a nostris se delatos tamquam lutheranos apud Ducem querebantur. Et partim ex ea causa, partim ob situm illum fossae publicae a Duce nostris donatum [1] exasperati, suo in consilio non solum negaverunt quod a Societate postulatum fuerat, ut scilicet, quemdam locum ipsius Communitatis cum annuo censu nostris habitandum darent, sed contra Societatem in eodem consilio gravissimas quorumdam calumnias audierunt, et unam ex Conversis domi nostrae versari dixerunt aliqui, et Episcopum Duci scripsisse ut quemdam ex nostris Mutinensibus, Ferrariam euntem, in carcerem conjiceret. Et occasionem ultimi dicti aliquam habuerunt, quod his diebus P. Philippus Ferrariam iverat, sed eo redeunte, impudentia maledicorum fuit convicta, et quamvis Episcopus non cum magno zelo calumniam hanc persecutus fuerat, illud Evangelii citans, *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* [2]; aliquem tamen ex conservatoribus allocutus est, qui nomine ipsius in publico consilio dixit calumnias falsas fuisse et sine ulla occasione quaecumque contra nostros dicta fuerunt; quodque male factum fuisset ut tam gravia et perniciosa mendacia in consilio dici permitterentur, aliqui ex amicis praedictae congregationi significarunt. Dixit etiam Episcopus auctorem hujus rumoris [se] invenire, quamvis sibi deesse brachium saeculare ad res hujusmodi significabat; sed statim cecidit et sepultus fuit rumor ille.

770. Curaverant nostri ut mulier quaedam, marito consentiente alterius facta concubina, ad Conversas deduceretur, ne ad vomitum rediret. Sed cum variis rationibus maritus restitui sibi suam uxorem curasset, et ipsa etiam, quae poenitentiam agere debuerat, ad pristinae vitae libertatem redire vellet, justo Dei judicio factum est ut, illa ad vomitum redeunte, novissima ejus pejora prioribus fierent; et cum infelix maritus ad ejus domum se conferret, cui uxorem suam in concubinam dederat, in ipso itinere misere vulneribus confossus fuit, et ipsius uxor in carcerem conjecta, cum gravissima ejus crimina morte digna detecta fuissent.

---

[1] Vide supra, t. VI, pag. 137, n. 389.
[2] Joan. XV, 20.

771. Toto hoc anno Mutinenses nostri de aliquo loco firmo obtinendo egerunt; nec enim in situ, quem Dux dederat, quidquam aedificare licebat, propterea quod civitas cum Duce de jure fossae illius publicae disputabat, et suo in adventu hanc litem dirempturum Dux affirmabat; et quamvis amici aliam domum nostris emere volebant et ad id aliquam pecuniae summam obtulerant; ne videretur injuria Duci fieri, domum ipsius relinquendo, nullum alium locum admittere potuerunt, donec in alterutram partem Dux aliquid statueret. At ille tota aestate adventum distulit et cum in autumno Mutinam venisset, tanta opprimebatur mole curarum propter bellum Pontificium cum Rege Philippo (nam a Rege Galliae Generalis Dux in Italia belli factus est [1]), ut negotiolo Collegii vacare non potuerit.

772. Cum tandem intellexerunt sibi prospiciendum esse proprio marte de loco, in quo Collegium institueretur, ad quasdam ecclesias, quae idoneae videbantur ad usum Societatis, obtinendas se converterunt, ut S.ti Bartholomaei et S.ti Barnabae et ad quaedam alia loca idonea, quae venalia erant; sed quia ecclesias obtinere non potuerunt ab eis, quorum intererat, nulla eorum diligentia successum habente, in sua conductitia domo toto hoc anno perseverarunt.

773. Decembri mense libere commissum fuit Domino Herculi Parino [2] ut domum quamdam, quae idonea videbatur, emeret septingentis aureis; nam Domina Maria del Jesse, Ferrariensis Collegii mater, etiam ad domum Mutinae emendam suum symbolum conferebat; sed cum illa quingentos aureos de loco idoneo peteret ejus dominus, non se potuit eo extendere nostrorum facultas [3].

---

[1] "Herculi, Ferrariae Duci, foederatarum copiarum imperium delatum esse fama erat.„ MAUROCENI, *Historiarum Venetarum*, t. VII, ad annum 1556.—A Pontifice etiam Paulo IV generalis dux creatus est. "Il duca, tratto nella lega con Paolo IV, era stato nominato capitano generale, con un breve, di cui non conosciamo il testo, ma per modi diversi il contenuto (Archivii secr. Vatic., *Lettere di principi e titolati*, a. MDLVI, t. II, fol. 163. Doc. CLXXV.„ FONTANA, *Renata, Duchessa di Ferrara*, t. II, cap. 9, pag. 417.— "Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apost. benedict. Cum superioribus diebus te Ducem Capitaneumque generale *(sic)* foederis a Nobis cum charissimo Nobis in Christo filio Henrico, Francorum Rege, initi delegerimus...„ Paulus IV Duci Ferrariae, die 3ª Decembris MDLVI.„ ID., *ibid.*, Documenti Vaticani, Docum. LXXV.

[2] Alibi scribitur Purinus, Porrinus et Paxinus. Vide supra, t. IV, pag. 106, n. 201; t. V, pag. 151, n. 434; *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 52.

[3] Sic, sententia, ut patet, non completa. Complenda autem fortassis esset hoc modo: "sed cum illa quingentos aureos [conferret ut nostris] de loco idoneo [provideret, et plures] peteret ejus dominus..„

774. Cardinalis Moronus, cum collegium Mutinam mitteretur, quinquaginta aureos singulis annis se daturum dixerat [1]; sed ad quatuor annos ea eleemosyna tunc limitata fuit, quibus item sub hoc tempus absolutis, Cardinalis oeconomus, qui Mutinam venerat, negabat se ulterius eam eleemosynam daturum; quia tamen solitus erat ante missum collegium hanc eleemosynam quinquaginta aureorum pauperibus dispensandam Episcopo relinquere, eam non subtrahendam esse nostris, cum pauperes essent, amici existimabant [2]; et cum Episcopus et aliqui ex amicis eidem Cardinali scripsissent, jussit ille eleemosynam prorogari.

Et haec de Mutinensi Collegiolo.

DE COLLEGIO ARGENTENSI

775. Cum Ferrariam P. Franciscus Palmius initio hujus anni se contulit, intellexit, et ita P. Ignatio retulit, non bene prospectum esse nostris Argentensibus [3] de domo et de rebus ad victum necessariis; et si bona cum venia Ducis fieri posset, illud dissolvendum censuit; sed, si omnino Dux id non permitteret, ab eo petendum esse existimabat ut stipendium illud, quod Communitas Argentensis ludimagistro solvere singulis annis solebat, in dotem Collegii perpetuam converteretur. Et tunc alterutrum facturus videbatur Dux, ut, scilicet, recedendi daret facultatem, vel illos reditus applicari juberet.

776. Alii etiam ex eodem oppido, Ferrariam venientes, eamdem applicationem impetrare a Duce nitebantur, quae sexaginta duorum scutorum singulis annis erat; interim P. Andreas Bonainsegna [4] scripsit Episcopo Assisii, qui praefectus erat domus Cardinalis S.ti Angeli [5] (sub cujus ditione spirituali

---

[1] Vide supra, t. II, pag. 453, n. 91.

[2] Idem Romae existimabant nostri. "Il Rmo. Cardinale Morone non penso che facilmente levarà la provisione che fa in Modena, perche c' è molto padrone, etc „ Polancus, *ex com.*, Patri Philippo Leerno, 1.ª Aprilis.

[3] Vide quae de hoc Collegiolo dicta sunt anno superiore, t. V, pag. 153 et seqq.

[4] Is nostris placerat Argentae. Vide supra, t. V, pag. 153, n. 438.

[5] Assisii Episcopus, Ranucii Farnesii, Cardinalis Sancti Angeli, domui praefectus,

erat Argenta), ac frumentum et vinum in usum Collegioli postulavit et obtinuit. Et sacerdos aliquis, qui in subsidium P. Andreae mitteretur, expectabatur.

777. Cum tamen P. Ignatius parum esset affectus huic Collegiolo , de eo inde auferendo P. Pelletarius cogitabat, quamvis aliquando animum resumeret et de domo idonea nostris emenda tractaret; et difficile admodum videbantur laturi argentenses, si Collegium inde auferretur; nam jam sub initium hujus anni fructus uberior provenire cernebatur [2], et eorum, qui concionem audituri veniebant, numerum sacellum non capiebat, et confessionis gratia plurimi ad P. Andream accedebant. Et populus, et qui primores erant in eo, benevolos se admodum nostris exhibebant; quamvis a maledicis aliquando in odium et contemptum nostrorum essent concitati.

778. Scholae progressum etiam bonum fecerant; quinquaginta erant scholastici et lectiones aliquas graviorum auctorum audiebant. Aliquid etiam ex praedictis litteris [3] eis praelegebatur, et in scholasticis exercitationibus diligentia adhibebatur.

779. Quatuor erant nostri primis anni mensibus. Solus P. Andreas sacerdos, et bona ex parte lectiones Claudius Forset, gallus, praelegebat.

780. In Quadragesima vero crevit magnopere messis poenitentium et fructus eorum, et tam multi P. Andreae confiteri volebant, ut cum uno die non possent prae multitudine, alio atque alio redirent; nec tamen eis satisfacere poterat; immo ne sex quidem alii sacerdotes, ut ipse asserit, tam multos po-

---

erat Galeatius Roscius de Interamna.—"Si è fatta diligenza con il Vescovo di Assisi et con il Cardinale di Santo Angelo per mezzo suo, dandoli la lettera di Mtro. Andrea. Adesso pare la pigliarà più calda. Di là vederanno lo effetto „ Polancus, *ex com.*, Patri Pelletario, 16.ª Maji.

[1] "Del collegio di Argenta, se non ci fusse casa et commodità di chiesa et commoda sustentatione per alcuno buono numero della Compagnia, è cosa chiara che ci è gravezza e non aiutto.„ Polancus, *ex com.*, Patri Pelletario, 7.ª Martii.

[2] Circa le cose di Argenta, il Rmo. Cardinale Sant Angelo ha ricevuto una lettera della Communità o della maggior parte di quella, come ci disse Mtro. Tobaldutio de Tobaldutii, che credo sia suo Auditore, il quale è venuto a parlar a Nostro Padre da parte del Cardinale, pregando si compiacesse alla Communità et al medesimo Cardinale di non rimuover li nostri di Argenta per la molta satisfactione et utilità che ricevono, etc.; e così Nostro Padre li concessi di modo che per adesso non bisognarà pensar a rimuoverlo di là, ma ad aggiutarsi per le vie oneste possibile a far li officii della Compagnia nostra liberamente.„ Polancus, *ex com.*, Patri Pelletario, 7.ª Junii.

[3] Sic, nec certo capimus quid his *praedictis litteris* significetur.

tuissent audire; et devotio populi mirum in modum crescere videbatur; multis enim cum lacrymis et contritione magna ad Deum accedebant, et familias integras audiebat, quarum aliqua triginta personas habuit.

781. Quidam etiam, qui se contrarium nostris exhibuerat, immo adversariorum caput erat, Mag. Albertinus nomine, eidem P. Andreae cum magna contritione et fletibus confessus est, qui inter primarios erat ejus oppidi et saepe legatus ad Ducem Ferrariae mitti solebat.

782. Optabant autem ut locum haberent nostri idoneum et amplum; nam ad illum valde angustum, quem nostri tunc habebant, non multi venire poterant; et ne contenderent de loco ibi obtinendo inter se, praecavendum erat.

783. Multi veniam petierunt quod nostris fuissent oblocuti, et si egissent nostri de recessu, eum affectum ostendebat populus, ut tumultum concitaturus videretur et recessum non permissurus. Dux etiam [1] non videbatur rem gratam habiturus, nec Cardinalis S.ti Angeli; et si patienter nostri aliquandiu aliqua ferrent incommoda, tandem recte constituendum illud Collegium P. Pelletario videbatur et interim necessaria non defutura [2].

784. Haec usque ad initium Aprilis ita se habebant; sed ante ejus finem longe alia rerum facies Argentae cerni coepit, cujus occasio haec fuit: quod cum tota multitudo conciones P. Andreae audire non posset, saepius ab oppidanis rogatus fuit et a quodam Vice-comite, qui oppidi Gubernator erat, ut in parochiali quadam ecclesia, quae primaria est ejus oppidi, vellet concionari. Cum autem P. Andreas recusaret varias ob causas, visum est Patri Pelletario, Superintendenti, piis desideriis eorum hominum satisfaciendum esse.

785. Postulavit ergo facultatem concionandi in dicta parochia a Vicario [3] Cardinalis et eam obtinuit, sed injunxit ut prius verbum unum diceret pastori ejus parochiae. Ille autem prima dominica significavit non concionandum esse, et illa eadem die suae parochiae homines congregavit ad pulsum campanae, quod non mediocriter homines commovit. Significavit ergo

---

1 Scil., Ferrariae Dux, cui etiam subjacebat Argenta.
2 Vide supra, t. v, pag. 155, n. 442.
3 Vide de hoc Societatis adversario supra, t. v, pag. 153, n. 438, et pag. 155, n. 443.

populo se multos annos officio pastoris apud eos functum esse; sed tunc velle P. Andream venire ad concionandum in ipsorum ecclesia, et quod suggestum nostri a dominicanis erepturi erant, quodque ipsi cogerentur, licet nollent, nostros perpetuos concionatores habere, quodque in servitutem ipsorum ecclesia redigeretur, et alia his pejora, quae quemvis facile commovere potuissent, licet Societati benevolum. Aliqui ergo ex eis incipiunt indignari, alii clamare; non deerant qui praedicationem Patri Andreae concedendam esse sentiebant, alii suggestum auferendum esse; erat qui nostros in Padum projiciendos diceret; et res propemodum ad seditionem pervenit: multi enim (quamvis ea in congregatione fuerunt) Societatem perspectam habebant et hunc tumultum ex invidia sacerdotum exortum pro certo habebant, cum aliqui eorum aperte dicerent, cuivis molestum fore suis lucris privari.

786. P. Andreas, juxta Episcopi Suffraganei consilium aliquando ei datum [1], privilegia Societatis Vicario ostendit, qui simul cum quodam religioso S.ti Dominici affirmavit juxta eorum tenorem nostros posse concionari. Et cum Cardinalis S.ti Angeli et Dux Ferrariae nostros ibi retinerent, minus adhuc dubitari poterat, cum praesertim facultas concionandi [esset] cum eorum beneplacito, et post meridiem, quo tempore vacua erat ecclesia, concionaturus erat.

787. Sed quia non satis hoc videbatur, concitarunt etiam dominicanos, obnixe rogantes ut hoc certamen contra nostros susciperent, qui suggestum eis auferre volebant; et urgebant ut scriberent ipsorum Provinciali et Generali Capitulo, quod fiebat Ferrariae, ut suum suggestum defenderent. Sed qui tunc praeerat his religiosis, respondit eis sine ratione fore, si de nostris conquererentur, nec ad se suggestum illum pertinere potius quam ad alios.

788. Id tamen sacerdotibus postulantibus concessum est, ut aliquis eorum ad aliquot saltem menses eo tempore concionaretur, quo P. Andream concionaturum putabant. Qui autem ad praedicandum electus fuit, in media concione publice dixit omisisse se profectionem ad Capitulum, quod rogatus esset a Vicario, pastore et sacerdotibus et aliis ut manuteneret et defende-

[1] Vide supra, t. IV, pag. 89, n. 161.

ret suggestum Ordinis sui contra quemcumque, qui illum usurpare cum auctoritate aut sine illa vellet; quae res usque adeo populum concitavit, ut periculum alicujus magni scandali fuerit, et ad verba aspera inter aliquos ventum est, ac prope erat ut ad manus veniretur, quamvis nostri non amplius de concione agerent. Et ita illi homines totum populum contra Societatem commovere nitebantur.

789. Accidit insuper ut quidam libellus, qui *de decem praeceptis* inscriptus erat, sine nomine auctoris, in manus nostrorum incidens, haereticus deprehenderetur; et ideo P. Andreas cuidam religioso, qui officium Inquisitoris agebat, id denunciavit. Rogatus autem ut interesset congregationi cum Vicario et aliis sacerdotibus ad eum condemnandum, id ita fecit; et die S.ti Marci liber fuit combustus. Fuit autem seminatus rumor apud multitudinem, quod nostri auctores erant ejus libri [1]; alii quod nostri eos deferri Argentam curaverant, ut Argentenses de haeresi suspectos redderent; et falsus hic rumor per totum oppidum et loca vicina sparsus est. Et tamen Vicarius et fratres S.ti Dominici, quibus constabat denunciatum esse a nostris et damnatum libellum, nihil ad hanc infamiam arcendam dixerunt, etiam cum occasio offerretur [2]; quod magnopere hanc vulgi opinionem confirmavit. Evocatus fuit ante Gubernatorem qui hujus falsi rumoris seminator fuerat, qui confitebatur quidem id dixisse, sed ab aliis audivisse. Et cum ab aliis convictus fuisset mendacii et confusus, veniam sui erroris postulavit. Sed non propterea falsa persuasio tollebatur ab aliis, et sacerdotes, qui magna cum licentia, juxta publicam famam, vivere soliti erant, fovere vel auctores esse credebantur totius tumultus.

790. Scripsit ergo Patri Pelletario necessarium videri ut

---

[1] Sermo hic procul dubio est de libro, quem ita describit ipse Polancus: "Questa sarà per avisare quello, che mi son dimenticato l' altra settimana: et è un certo libro stampato in Vinegia al segno della Speranza, cui titolo è: *Exposizione di Santo Antonino, Arcivescovo di Firenze sopra i dieci comandamenti et sopra il Credo et molte altre cose le quali appartengono ad ogni christiano.* Questo libro detto tiene verso il fine attaccato un' altro, che tiene il titolo seguente: *Brevi annotationi come si deve havere et essercitare il vero christiano verso Iddio et il prossimo suo.* Questo trattatello è lutherano e pieno di quel spirito maledetto. Et la R. V. procuri di haverne uno per mostrarlo al Legato acciò lo faccia abbruggiare o tagliare lassando l' altro di Santo Antonino; et se non ci fossi quella commodità per via del Legato, forse per via dell' Inquisitore ce sarebbe. Che questi tristi vanno mescolando il veneno fra li boni cibi.„ Rectori Veneto, 23 Maji.

[2] Ms. *ferretur.*

Duci haec manifestarentur, cum aliunde sperari remedium humanitus non posset, et recedere nostros Argenta non posse sine magna nota sentiebat. Dux autem admonitus scripsit Gubernatori ut admoneret Vicarium et pastorem et ejus populi homines, ut bene se gererent cum nostris et privilegia nostra observari facerent, alioquin se animadversurum esse, etc.

791. Cardinali etiam S.ti Angeli, cui, ut Archiepiscopo Ravennati, suberat Argenta, scribendum esse visum est ut, si nostri recessuri non erant Argenta, provideret ut Vicarius et pastor, atque alii clerici molesti nostris non essent. Et quod aliquando cum Episcopo Tiburtino seniori factum fuerat, videbatur P. Pelletario cum his faciendum; ut vigorem nostrorum privilegiorum via juris silentium eis imponeretur [1]. Alia ex parte Suffraganeum Cardinalis aliqui ex adversariis terrebant, quod scilicet tumultus consecuturus erat. Ille autem, qui Ravennae versabatur, tempori aliquandiu cedendum putabat, nec de praedicatione in parochia S.ti Nicolai agendum esse; ut, cum animadverterent nostros contentiose non agere, ex ipsorum humilitate placarentur, cum praesertim eis constaret hanc esse Superiorum voluntatem tam ecclesiastici quam saecularis, ut nostri concionarentur.

792. Contulit etiam se P. Pelletarius Argentam ut tumultus hos sedaret, sed, gravi febri correptus, conducta navi Ferrariam redire coactus est. Prius tamen Vicarium Argentae allocutus, effecit ut veritatis capax esset, qui promisit prolixe suum officium et recte omnia componenda. Allocutus etiam est Gubernatorem et alios ex primariis. Sed Dux serio per edictum publicum, Argentae promulgatum, praecepit ut sub poena centum scutorum nullus auderet impedire nostris praedicationem. Sed et is, qui negotia Cardinalis agebat, nomine ipsius Cardinalis efficere curavit ut nostri in praedicta parochia concionarentur; quamvis odium multi ex illis hominibus videbantur contra P. Andream concepisse, cessuri tamen auctoritati Superiorum videbantur. Sed aliquandiu non tentavit quidquam de praedicatione P. Andreas, et expedire judicabat ut aliquis concionator Societatis eo veniret et ipse alio mitteretur.

793. Omnes interim rumores jam conticuerant, et cogno-

[1] Vide supra, t. II, pag. 16, n. 30.

scebatur unde ortum habuisset molestia nostris exhibita, qui tamen cogebantur tacere, cum existimationem Societatis apud Superiores suos et alios, tam ecclesiasticos quam saeculares Principes, viderent. Cum tamen jam concionaturus esset, obstinatus ille parochus, vel alii ejus socii, a campanis ferrum, quo pulsantur, abstulerunt. Et cum secundo concionaturus esset, suggestum illi perfoderant, et ita in sede ad altare concionari debuit.

794. Cum autem Suffraganeus, haec intelligens, merito succenseret clericis, suam auctoritatem dedit Gubernatori, ut, simul cum Vicario [1], clericos in carcerem posset conjicere. Sed cum Vicarius adversariorum esset caput, non sunt inventi auctores hujus rei, quamvis ex publica fama constaret esse quosdam ex sacerdotibus. Nec id nocuit Societati, nam ea ratione [2] etiam adversarii se amicos esse profitebantur.

795. Pulsatis ergo campanis, tertio concionatus est cum frequentissimo auditorio; quamvis cum primo et secundo praedicaret, Campanae pulsari non potuerint, frequentes tamen auditores convenerant; et ita, quod attinet ad ipsorum existimationem et auctoritatem Societatis, hac ratione consultum fuerat. Unus inventus est Romae, qui in favorem parochi illius scriberet; et illum [3] haereticum et depravatum hominem esse ferebatur.

796. Postquam autem ter in praedicta parochia concionatus esset, ad sacellum domesticum se recepit, et id ob modestiam, ne facultate sibi concessa praedicandi in illa parochia nimium uti videretur, quamvis attentissime et benevole, ut videbatur, auditus fuisset, nec ipsa Communitas quicquam contra nostros attentasset, sed quidam privati homines, et quae sua sunt quaerentes, totius tumultus causa fuerunt.

797. Visum est nihilominus expedire ut P. Andreas Argenta Lauretum transferretur, quod cum intellectum esset illo in oppido, aegre admodum optimi quique tulerunt; et ita Gubernator et Ducalis Chamarlengus ac multi de Consilio litteras ab omnibus subscriptas Patri Laynez, Vicario, scripserunt, quibus vitae exemplum et doctrinam praedicti Patris

---

[1] Scil., ut ipse et Vicarius.
[2] Sic; rectius fortasse *occasione*.
[3] Scil., scripti auctorem.

magnopere commendabant, ac ne Argenta removeretur instabant, et consilio adversariorum Societatis scribebant effectum esse ut de P. Andrea inde removendo ageretur; ut quod non successerat priori contradictionum via et fraudum [1], hac ratione, scilicet, removendi illius Patris, obtinerent; et sic spirituale fructum, qui coeptus fuerat, a daemone impediendum affirmabant.

798. Sed verbis bonis eis satisfactum est, et P. Baptista Velatus vigesima sexta Novembris Argentam pervenit, Roma, ut superius dictum est, missus [2], cui status rerum temporalium et spiritualium statim coepit valde displicere.

799. Judicavit autem sibi a concionibus supersedendum esse usque ad primum ver anni sequentis, eo quod Argentenses tempore Adventus et Quadragesimae suum concionatorem haberent, ut scholis vacare melius possent, ad quas in primis Societas eo in loco tenebatur, et in eis non plene videbatur Argentensibus juxta ipsorum desiderium satisfieri.

800. Confessionibus etiam audiendis et animis adversariorum conciliandis vacare hoc tempore volebat. Erat autem scholasticorum numerus sub aestatis finem sexaginta, et aliqui eorum et in graecis litteris et in rhetoricis exercendi erant.

801. Jam ab initio hujus anni agebatur de domo in usum nostrorum Argentensium emenda; et quia bona cum venia Ducis Collegium inde removeri non posse putabat, sibi permitti a P. Ignatio petebat [3], ut propriam domum nostris Argentae emendam curaret.

802. Locus quidam maxime idoneus nostris offerebatur, ubi domus erat optima et saluberrima, et ecclesia jam facta prope plateam, et sexcentis aureis obtineri poterat, et ad quingentos P. Pelletarius se extendebat, et, si manendum fuisset Argentae, non videbatur propter centum aureos talis commoditas negligenda. Sed forte quia Dei voluntas non erat ut nostri perseverarent eo in loco, emptio transacta non fuit, cum transigi potuit; venditor sententiam mutavit, et non nisi multo majori pretio eam domum dare volebat; et de alia agi coeptum est.

---

[1] Earum videlicet, de quibus actum est supra, t. IV, pag. 87-90, nn. 159-164.

[2] Vide supra, pag. 200, n. 739.

[3] Scilicet, aut P. Andreas Bonainsegna, aut P. Pelletarius, de quibus infra; non enim id a P. Ignatio petere valebat Joannes Baptista Velati, qui non prius quam vigesima sexta Novembris Argentam appulerat.

803. Valde propensus erat P. Andreas ad stabiliendum Argentae Collegium, et propter vilitatem rerum ad victum necessariarum non magnis cum reditibus posse sustentare nostros existimabat, cum praesertim utcumque suppellectilibus instructi essent, quae ad quatuor vel quinque ex nostris erant necessaria.

804. Antequam recederet Argenta P. Andreas, domum omnino emendam curabat; et quidam amicus ducentis aureis de qùadam emenda convenit, et contractum stipulavit. Pater quidem Pelletarius a P. Ignatio acceperat, cum adhuc viveret, facultatem domum emendi [1], si nostris Argentae manendum erat; et ita non contradixit emptioni jam dictae.

805. Communitas ipsa Argentae suos illos sexaginta aureos [2], aut paulo amplius applicabat. Et Cardinalis S.ti Angeli subsidium frumenti et vini daturus erat. Agrum etiam quemdam, Argentae vicinum, a Duce se habiturum post cujusdam senis mortem sperabat; et interim sex posse de nostris sustentari ajebat; et inter alias causas, propter quas Argentenses retinere P. Andream cupiebant, haec erat, ut empta domus aedificari et ornari posset, nam ejus propensionem bene noverant ad res Societatis Argentae stabiliendas.

806. Sed P. Baptista Velati aliter sentiebat, et non paucos esse scripsit, qui emptionem interire vellent, sicuti et bis impedierant, cum alios situs essent nostri empturi; et ideo secreto transigebatur haec ultima emptio, cujus contractum suspendere P. Baptista nitebatur, donec sententiam suam P. Vicarius Laynez scriberet. Si tamen quatuor aut quinque annis mansura esset Societas Argentae, expedire et ipse judicabat ut emptio conficeretur; et hoc in statu mense Decembri res argentenses P. Andreas, Lauretum profecturus, reliquit, et Ravennam veniens, Suffraganeo commendavit P. Baptistam Velatum.

807. Non tamen videbatur eidem Suffraganeo nec amicis tandiu supersedendum esse a concionibus P. Baptistae praedicto [3]; et ita Suffraganeus scripsit Vicario Argentensi ut sug-

---

1 Vide supra, t. v, pag. 155, n. 442 et pag. 156, n. 447.
2 De quibus supra, t. IV, pag. 84, n. 152.
3 Vide supra, pag. 217, n 799.

gestum offerret P. Baptistae et ad praedicandum eum hortaretur.

808. Idem Suffraganeus agebat de Collegio in quodam oppido dominii Lucensis instituendo, et ad quinque sustentandos necessaria ipse offerebat. Sed significavit ei P. Andreas hujusmodi Collegiola se non credere admittenda.

809. Aliqui etiam amici de Collegio Ravennae instituendo agebant, et ad res praeparandas concionatorem mitti optabant. Et cum fere quadringentas ecclesias haberet Ravenna, unam sub invocatione Sancti Spiritus opportunam fore dicebant, quae ad quamdam Abbatiam pertinebat.

810. Ariminum inde progrediens, intellexit ab amico Societatis, D. Joanne Modesto, canonico [1], a multis exoptari Societatem et, quod mirandum videbatur, etiam a sacerdotibus; et ostendit ei illud palatium insigne, quod ad usum Collegii designaverant [2], cum ibi P. Olave concionatus fuisset. Quaedam etiam confraternitas frumentum ad usum viginti personarum, et civitas aliquam pecuniae summam, quam singulis annis ludimagistro dare solebant, dare parata erat.

811. Inde Lauretum profectus [3], vigesima nona Novembris eo pervenit.

DE COLLEGIO VENETO

812. P. Caesar Helmus huic Collegio praecrat [4], et tamen diebus festis lectionem sacrae Scripturae prosequebatur. Prius quidem Evangelium interpretabatur satis frequenti auditorio; deinde psalmos poenitentiales enarrare coepit frequentiori etiam multitudini, quae cum maxima attentione et devotione eum audiebat, adeo ut animos illi faceret, qui alioqui subtimidus in hujusmodi functionibus esse solebat. Sed cum pestis illi civitati infesta esse coepisset, lectionem omittere coactus

[1] Vide supra, t. III, pag. 21, n. 31.
[2] Vide ibidem, pag. 6, n. 2.
[3] P. Andreas Bonainsegna.
[4] Vide supra, t. V, pag. 165, n. 475.

est; omnes enim concionatores ab his, qui sanitati praeerant, jussi sunt publica auctoritate a concionibus cessare, ne propter congregationes hominum lues pestifera augeretur.

813. Idem P. Caesar cum P. Alberto [1] pro more suo confessionibus audiendis vacabat, inter quas multae generales fuerunt, cum magna poenitentium contritione factae; et tanta erat multitudo confitentium, ut vix unquam nostri sacerdotes consuetis horis cibum capere possent. Qui autem singulis hebdomadis confiteri soliti erant, in spiritus fervore et sanctis operibus perseverabant, et partim exemplo humilitatis et charitatis, partim exhortatione alios ad poenitentiam et frequentem usum sacramentorum alliciebant. Et ut duo erant nostri sacerdotes, si decem fuissent, non potuissent eis instruendis satisfacere, qui ad eos confluebant.

814. Et nobiles aliqui viri mirum in modum devotionem ac fervorem hujusmodi hominum laudabant, quos, velut statuas, immobiles in oratione manere stupebant. Fere omnes hi in spiritualibus exercitiis primae saltem hebdomadae versati fuerant, et meditationis ac orationis mentalis gustum retinebant; et in aliquas decurias se ipsos dividentes, quosdam inter eos magis versatos in rebus spiritualibus selegerunt, ut quisque aliorum octo vel decem curam susciperet, et in orationibus exerceret; ac absolutis precibus horariis B. Virginis, tum demum ad confessionem eos adducebant, et sacram communionem simul dominicis ac festis diebus sumebant; et quod eorum dierum supererat, psalmis etiam et orationibus et piis lectionibus occupabant.

815. Tam multos autem homines confitendi gratia ad ecclesiam nostram adducebant, ut nostri dolore afficerentur, quia eos instruere et consolari minime possent; nam fere omnes hi generalis confessionis instituendae rationem edoceri cupiebant; et fere hi homines pauperes erant, qui profestis diebus labore et industria victum quaerebant.

816. Quidam ex poenitentibus, admoniti ut aliena quaedam restituerent antequam absolutionis beneficium consequerentur, diligenter obediebant, et cum absolutionis gratia redirent, affirmabant quod, si alii confessarii eos, quemadmodum nostri, astrinxissent, prius utique suae conscientiae satisfecissent.

---

[1] P. Albertus Ferrariensis hic est, de quo vide supra, t. IV, pag. 52-55, n. 89-93.

817. Ex frequentantibus sacramenta quatuor saltem aut [1] plures ad capuccinorum religionem aspirarunt; quidam autem alii in Societatem nostram admitti postulabant.

818. Jam ab initio hujus anni Joannes Baptista, quondam hebraeus, in Veneto Collegio instructus ac deinde baptizatus [2]; sed Romam venit et ibi, cum viginti et duos annos natus esset, admissus est, et Baptista Romanus nuncupatus.

819. Undecima Februarii Fulginum P. Caesar, Rector, ut de rebus suis et temporalibus disponeret, bona cum venia P. Ignatii profectus est, et secum duxit juvenem quemdam Patavinum, Antonium Murarum nomine, cum quo Romam et ipse P. Caesar accessit. Sed laboriosum admodum iter habuit; cum enim mari partem itineris conficere decrevisset, tempestate coactus, terrestre iter cum socio aggressus est; et cum Meldulam venissent et inde Apenninum transire vellent, tanta vis nivis ceciderat et tunc cadebat, ut Meldulam redire coacti fuerint, ubi a Domino Leonello Pio magna cum humanitate excepti fuerunt.

820. Et inde ortum habuit missio P. Fulvii, de qua superius egimus [3]. Reliquerat enim moriens frater noster Stephanus Caposacchus [4] summum sui desiderium tum Domino Leonello tum reliquis oppidanis. Postulabat autem sacerdotem aliquem ad se mitti praedictus Leonellus, qui et vitae exemplo et doctrina fratri nostro Stephano similis esset.

821. Nec facile credi potuisset qualem suae virtutis odorem ac memoriam in omnium animis utriusque sexus, ac praecipue in ejus domino et ejus familia reliquerit, quam sic reformatam ab ipso Stephano dicebant, immo et oppidi totius pueros, et in eam concordiam oppidanos inter se adduxerat, ut religiosorum monasterium populus ille videretur. Aliqui, de eo loquentes, lacrymabantur, alii ea reverentia eum prosequebantur, ut caput detegerent cum de eo loquebantur.

822. Cupiebat autem in usum Societatis dare Dominus Leo-

---

[1] Ms. *et*.

[2] Hic non hoc anno 1556 in Collegio Veneto instructus et baptizatus, immo et in Societatem admissus, sed anno 1551. Vide supra, t. II, pag. 215, nn. 105 et 110. Quare illud *sed*, quod statim hic sequitur, redundare videtur.

[3] Pag. 30, n. 80, et uberius pag. 72-74, nn. 224-233.

[4] Vide supra, t. I, pag. 492, n. 550.—Sancta hujusce fratris mors notatur supra, t. II, pag. 57, n. 127.

nellus quoddam hospitale cum ecclesia et habitatione, ubi praedictus Stephanus christianam doctrinam pueros edocuerat, et successu temporis ecclesiam quamdam S.ti Francisci quibusdam fratribus non bonae famae adimere et nostris applicare destinabat. Et inde P. Ignatius motus fuit ut Laureto P. Fulvium Androzium eo mitteret.

823. Discedens inde P. Caesar, Ariminum venit, itinere Apennini relicto, ubi ab hospite Societatis, canonico Modesto alias nominato [1], rogatus, in quodam monasterio cum consolatione religiosarum concionatus est. Cupiebat autem ille saltem ad dies aliquot concionatorem mitti Ariminum, ut excitaret magis ejus civitatis homines ad Collegii institutionem [2].

824. Romam deinde perveniens cum socio, et aliquot ibidem diebus versatus, inde Fulginum rediit, et a bonis temporalibus sese expediens, sub finem Quadragesimae Venetias rediit.

825. Aliqui juvenes ex his, qui sacramenta frequentabant, jam ab anni initio admitti se in Societatem petebant; sed non ea facultas Collegio Veneto tunc suppetebat, ut multos admitteret, nec omnes Romam mitti expediebat.

826. Octo vel novem tamen erant ex nostris primis mensibus, et pauciores in anni progressu propter pestem; et tamen cum magna difficultate alebantur, et aliquando hebdomada integra a recenti carne abstinendum erat, et ovis paucis vel piscibus victitandum, nec panis etiam, qui necessarius fuisset, facile haberi poterat; quod nullo modo ex mala Prioris [3] voluntate aut benevolentiae defectu, sed ex paupertate, in quam ipsum charitas conjecerat, proveniebat [4]. Et ideo non esse mittendos censebat homines P. Ignatius Venetias, nisi eos, qui hujusmodi victus rationem ferre possent.

827. Quidam turcarum doctor primis mensibus hujus anni nostros allocutus est, qui affirmabat cognovisse turcarum sectam falsam esse et christianorum veram; et, ut referebat Secretarius quidam reipublicae venetae, turcissae linguae peritus, vir ille in religione turcarum valde doctus erat et satis

---

[1] Supra, pag. 219, n. 810.

[2] Vide supra, t. III, pag. 6, n. 2, et in hoc ipso tomo, pag. 219, n. 810.

[3] Andreae Lipomani, Prioris Trinitatis.

[4] Vide supra passim, t. II, III et IV, ubi de Veneto et Patavino Collegiis agitur, praesertim vero t. V, pag. 171, n. 497; et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 192.

magnam nostrae fidei cognitionem consecutus videbatur. Missus fuit a Legato [1] ad Collegium nostrum, ut catechismo instrueretur, brevi postmodum baptizandus.

828. Quamdiu absens fuit P. Caesar, in exhortationibus ad scholasticos die veneris habendis et in confessionibus audiendis sedulam operam P. Albertus navavit, et in diebus carnisprivii a mundanorum confusione multi spirituales homines utriusque sexus ad sacramenta percipienda veniebant, ac praecipue nobiles aliquot matronae.

829. Eodem tempore, quo absens erat Rector, congregatio quaedam piorum hominum inchoata est, qui cum ad ecclesiam nostram confessionis gratia venirent aliquot diebus ante Quadragesimam et confessiones generales Patri Alberto fecissent, alios atque alios ad hoc Dei beneficium percipiendum invitabant, quod ipsi perceperant; nam sibi videbantur ante id tempus Deum non cognovisse. Et ita crevit eorum numerus, qui bona ex parte juvenes erant, et ad centum quinquaginta paucis mensibus pervenit.

830. Quaedam etiam matronae, ex quorumdam suorum morte occasione accepta, a Domino commotae fuerunt ut se totas divino servitio manciparent, et ad eumdem P. Albertum confessionis et instructionis gratia accesserunt.

831. Nobilis cujusdam viri filius in Societatem se admitti postulabat, aetate jam virili; sed Patri Alberto parum stabilis videbatur, et ideo admissus non est.

832. Cum autem hac Quadragesima fere tota absens fuisset P. Caesar, evocatus fuit ex villa [2] Astiani P. Sanctus [3] ut Patri Alberto subsidio esset; et tamen tam multae confessiones erant audiendae, ut existimaverit dictus Albertus confessiones

---

[1] Scil., Apostolico Venetiis tunc agente.—Sermonem hic fieri existimamus de Joanne Baptista Alliata, quem statim ac ad Summum Pontificatum evectus est, Legatum ad Dominium Venetum misit Paulus IV, anno 1555. Mauroceni, *Historiarum Venetarum*, lib. VII, ad ann. 1555.—Hoc tamen anno 1556 speciales ad idem Dominium a Pontifice Legati missi sunt, primo quidem sub anni initium Antonius Caraffa, Marchio de Montebello, deinde vero sub anni finem "Joannes Franciscus Commendonus, Zacynthi Episcopus, qui ab Senatu opem atque auxilium exposceret.„ Id., *ibid.*, ad ann. 1556.

[2] Ms. *via*. Cf. tamen supra, t. IV, pag. 129, n. 256; et t. V, pag. 170, n 491; et infra, in hoc t., n. 844.

[3] De hoc nihil aliud a Polanco accepimus, nisi quod bononiensis erat. Supra, t. V, pag. 170, n. 491.

generales, quas multi facere volebant, post Pascha differendas esse.

833. Ex his, qui Domino Priori inserviebant, unus bonae indolis adolescens, post reditum P. Caesaris, in Societatem admitti cupiebat et ad id urgebat, quemadmodum et alii nonnulli. Et satis ferax erat hujusmodi hominum ea civitas; quamvis pauci ex eis (praeter quosdam scholasticos nostros) litteris essent instructi [1].

834. Invenit autem messem confessionum auctam in suo reditu P. Caesar propter illam congregationem [2], et in dies augebatur; et generales confessiones, praecedente instructione et aliquando etiam exercitiis primae hebdomadae, late admodum patere coeperunt. Peracta vero confessione generali, aliqui singulis mensibus, alii quintodecimo quoque die, alii singulis festis confiteri pergebant.

835. Cum Roma typographia domi nostrae institueretur [3], in characteribus Venetiis mittendis suam operam P. Caesar praestitit [4].

836. Pergebat autem et ipse in lectionibus sacris et in exercitiis tradendis primae hebdomadae, quae tam late patebant, ut

---

[1] Hujus rei causam affert Polancus supra, t. II, pag. 480, sub finem n. 151.

[2] De qua paulo supra, n. 829.

[3] Vide supra, pag. 33, n. 88.

[4] "A un mercatante, chiamato Gabriel Vignes, si scrive dia quaranta ducati, di valuta di dodici julii per ducato, a V. R., li quali sono per pagare certe lettere di stampa, di stanno, per stampar qua in Roma, ad un corrispondente di Mtro. Vincenzo, libraro romano, il quale farà ricorso a V. R., o al P. Mtro. Cesare, quando sarà arrivato, et il medesimo haverà cura di mandare le lettere insin' a Roma drizzate a Mtro. Vincenzo. Se si accorgesse V. R. o che le lettere non siano bone, o che siano troppo care, et che si trovariano altrove a meglior prezzo et migliori, non dia li danari et avisili che non facciano la spesa. Vero è che Mtro. Vincenzo dice che sia suo amico et molto fidato, et, se non ci contenta il prezzo o le lettere, si contenta esso di pigliarle per se.„ Polancus, *ex com.*. Patri Alberto Ferrariensi, 14.ª Martii 1556.—"Il libraro che ha da mostrar le lettere a V. R. in nome di Mtro. Vincenzo Lucchini, libraro, secondo si scrive nell' altra, si chiama Mtro. Andrea di Domenico, libraro agente degli heredi di Mtro. Giovan Antonio Sarafini.„ Idem eidem, postscripta.—Pater etiam Ludovicus de Coudretto, ut opus hoc typographiae promoveret et Patres romanos juvaret, iis suggessit obtineri a Duce Florentiae posse typographiam quamdam, quam Romae Dux ipse habebat. Respondit autem Patri Ludovico, *ex com.*, Polancus: "L' aviso datoci della stampa del Duca, che sta in Roma, è molto buono, e vederemo d' intendere se si adoperi al presente o no, et alhora si potrà scrivere se accaderà.„ 21.ª Martii.—Ipse quidem Ignatius, licet gravioribus curis districtus et afflicta nimis valetudine, minimis etiam rebus ad hanc typographiam spectantibus per seipsum invigilabat. Scribit enim Polancus, *ex com.*, Rectori Veneti, 16.ª Maji: "Le lettere della stampa paronu a Nostro Padre molto piccole, et quella del carattere antico in ogni modo bisogna che si muti, benchè costassi qualche cosa: la piccola lettera potrà passare, quantunque la vorriamo etiam maggior, se si trovasse.„

aliquando sex, immo et decem ea susciperent; et inter alias meretrix quaedam ad amarissimam compunctionem et vitam suam deflendam per ea mota est, et, facta generali confessione, vitam mutavit.

837. Illi autem boni viri novae congregationis praedictae [1], facultate obtenta a Domino Priore, in quadam ex nostris scholis ad sua divina officia recitanda conveniebant, et a nostris adjuvari se postulabant, in eo saltem ut aliquis ex Societate, cum suos creabant officiales, ipsis adesset; sed P. Caesar id non solum judicandum esse judicabat [2], sed auctoritate praelati spiritualis et reipublicae, immo et ipsius Dominii indigere existimabat, cum jam ad centum et quinquaginta, ut diximus, numerus ascenderet. Et se consulturum esse P. Ignatium dixit, an expediret in nostris scholis eos congregari.

838. Ipse autem Prior pro sua pietate recepit se curaturum, ut auctoritate Ill.mi Dominii Venetiae et Patriarchae [3] praedicta congregatio approbaretur.

839. Sed P. Ignatius censuit nostris in scholis eos non debere congregari, nec nostros eorum caeremoniis interesse debere; et ita P. Caesar est executus. Et ut cum aedificatione illorum hominum fieret, satis justam occasionem pestis praebuit, quae grassari jam tunc Venetiis incipiebat; et ita Prior ipse, qui facultatem prius concesserat, admonuit P. Caesarem ut illos bonos viros non permitteret sequenti die dominica in Collegio nostro congregari; in posterum aliam honestam excusationem, ne illi perturbarentur, accepturus [4].

840. Quod in exiguis Collegiis accidere solet, in Veneto etiam hoc anno accidit, ut novitii, qui radices in vocatione firmas non egerant, variis tentationibus agitarentur; et aliquis etiam eorum recedere ab instituto decreverat, quamvis postea stabilitus est. Inter hos erat ille, qui Patri Simoni adjutor datus fuerat, quem Ferraria fugisse diximus [5], et comprehensum et deinde a Societate dimissum fuisse.

---

[1] Nn. 829 et 834.

[2] Sic, nec sensum satis capimus, et suspicamur aliud verbum loco istius *judicandum* scribi oportere.

[3] Erat is "Vincentius Diedus, nobilis Venetus, in Veneta Republica publicis sustinendis muneribus clarissimus, Patriarchalem evasit ad sedem anno 1556, die 24 (GAMS, 25) Januarii.„ UGHELLI, l. c., t. v, col. 1317.

[4] Sic, *allaturus?*

[5] Supra, pag. 195, n. 717.

841. Cum corrector scholis venetis necessarius esset, nec haberent nostri unde ei stipendium solverent, piae quaedam matronae hoc onus susceperunt, et tantum se pecuniae contributuras, quantum satis esset, promiserunt, donec aliquis perpetuos reditus ad illud officium applicasset; et ita corrector fuit adhibitus.

842. Scholastici autem, qui sub anni initium ad sexaginta non ascendebant in utraque classe, nam duae tantum erant, creverunt et usque ad octoginta pervenerunt; et multi ex eis et in litteris et in virtutibus egregie proficiebant. Quia tamen debiles erant praeceptores, aliqua ex his matronis, quae id, ut credendum est, ab aliis audierat, admonuit ut curarent idoneos praeceptores Venetiis habere. Philippus Castellanus [1] primae classi praeerat, et alium magis in litteris versatum, etiam ipse P. Caesar expetebat; sed ne hoc tempore id fieret, pestis etiam prohibuit, propter quam sub medium Junii scholae claudi debuerunt; ad quas id temporis octoginta quinque scholastici accedebant.

843. Numerus etiam nostrorum fuit imminutus et ad quatuor vel quinque redactus; et opportune id accidit, si spectetur paupertas Domini Prioris, cujus reditus cum essent imminuti, forte ob eamdem pestis causam, cum magna difficultate etiam domui suae necessaria providebat. Et ideo, cum P. Caesar juxta consilium P. Ignatii ab eo petiisset, ut certi aliquid assignaret ad nostrorum sustentationem, libentissime se id facturum respondit, sed tunc minime posse [2]. Et cum ab eo peteret idem Pater, num P. Andream Frusium vel alium similem Venetias mitti vellet (amabat autem magnopere praedictum Patrem [3] Prior), significavit se id non expetere, quod ille non posset Venetiis sic tractari, ut valetudinario et ut aegrotanti opus erat [4].

844. Jam ab initio hujus anni in villa Astiani utilem operam agricolis et eorum filiis P. Sanctus navabat, qui magna cum devotione sacramenta ab eo excipiebant, et satis multi, si loci qualitas consideretur; et fere viginti pueri et christianam do-

[1] Is suum nomen ita ad litterarum calcem subscribit: *Jacobus Philippus Castellanus.* Vide *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 33.—Et italice: *Jacomo Philippo Castellano. Ibid.*, pag. 36.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio,* t. VI, pag. 192.

[3] Andream Frusium. Cf. dicta, praesertim supra, t. II, pag. 62. n. 138.

[4] Aegrotabat ad mortem Frusius phthisica febri. Vide supra, pag. 48, n. 138.

ctrinam et litteras docebantur; nec deerant aliqui, qui singulis dominicis ac festis diebus confiterentur et communicarent.

845. Invisit autem eum Aprili mense P. Caesar, et animadvertit parum eruditionis [ad] illorum puerorum [institutionem] requiri, quia legere, scribere et rudimenta grammatices tantum aliqui eorum [discere] debebant.

846. In illo tamen loco humani affectus suum locum habebant. Nam ex his, qui ad sacramenta accedebant, aliqui, irrisiones aliorum timentes, qui dicebant eos velle sanctos fieri, intepescebant. Alii autem perseverabant, nec hujusmodi irrisionibus cedebant. Post vespertinum autem officium praelegebat eis ille Sanctus [1] christianam doctrinam satis frequenti auditorio. Pueri autem prae caeteris proficere videbantur, et multum aedificationis sua quiete et devotione, cum in templo essent, aliis praebebant [2].

847. Postquam scholas [3] clauserant, eadem hac aestate eas aperuerunt, cum sese pestis suspicio remitteret; sed cum paulo post vehementius saeviret, omnino relictae sunt, et publico civitatis edicto omnes scholae fuerunt clausae, et ita aliqui ex nostris, qui litteris dabant operam, et ipse P. Albertus, Patavium missi sunt; et tunc mansit P. Caesar cum tribus aliis usque ad hiemem; et unus eorum, qui ibidem fuerant admissi, hospite etiam insalutato, recessit, ut facile esset animadvertere quantopere Probationis Domus esset necessaria, et quod in exiguis Collegiolis, ubi occupati Patres non possent, perinde atque opus esset, novitiis adjuvandis vacare, non illi admodum utiliter suum tyrocinium deponunt.

848. Hujus pestis occasione, ut ejus scilicet remedium a Domino obtineretur, cum Patriarcha indulgentiam concessisset, confessionum messis aucta est; quamvis alioqui satis abundaret, et generales confessiones toto anno negotium nostris exhiberent.

---

[1] Supradictus, scilicet, P. Sanctus, bononiensis.

[2] Durum quidem illud vitae genus erat, quod in villa Hastiani P. Sanctus gerebat. Ideo scribit, *ex com.*, Polancus Patri Caesari Helmi, Collegii Veneti Rectori: "A Don Santo si procuri consolarlo et animarlo con lettere; e non deve esser poca pruova il star come sta, solo et in tal luogo. Al suo tempo Dio Nostro Signore provederà.„ 9.ª Maji.

[3] Scholas intellige, non villae Hastiani, de qua hucusque sermo factus est, sed Veneti Collegii, ut ex sequentibus patet.

849. Et spiritualia etiam exercitia primae hebdomadae cuidam medico Fulginati, inter alios, a P. Caesare proposita fuerunt, qui ejusdem aliquando condiscipulus fuerat. Sed cum ipsemet [1] in aliis, praeterquam praedictae hebdomadae primae, non satis versatus esset, praesertim in his, quae ad electiones [2] pertinent; non aliis commode proponere poterat, quamvis Venetiis multi erant ad religionem idonei, qui adjuvari vehementer potuissent, si operarium aliquem in his exercitiis versatum nacti fuissent.

850. Cum autem cresceret piorum illorum hominum novae congregationis [3] numerus, qui se exercebant, tam in saecularibus quam in ecclesiasticis personis ad vitae mutationem alliciendis et fundamentum spiritualis vitae per generalem aliquam confessionem faciendum; non deerant qui se hujusmodi exercitiis instruendos exhiberent.

851. Quamvis autem solus esset P. Caesar, qui confessionum ministerio vacaret, in festo Assumptionis B. Virginis magnum poenitentium numerum expedivit; inter quos aliqui fuerunt, qui salutis instrumenta ad alios juvandos se exhibuerunt, et praecipue ad insignem quamdam meretricem, quae in laqueum et muscipulam pedibus multorum insipientium fuerat.

852. Hoc autem fortassis Dominum Priorem movit, quod, scilicet, unicus esset confessarius de Societate, ut quemdam sacerdotem, qui de Societate non erat, in ecclesia nostra confessiones audire permitteret, et id sine injuria Societatis sibi facere videbatur, quia nondum ecclesiae et domus illius donationem fecerat. Sed nisi scipio [4] ille recessisset, decreverat P. Caesar eidem Priori clare significare, se numquam in eo templo confessiones auditurum, si externum aliquem confessarium ibi esse permitterent: timebat enim, si quid ab eo male actum esset, ne Societati adscriberetur [5].

---

[1] P. Caesar.

[2] Ms. *lectiones*.

[3] De qua supra, pag 223 et 224, nn. 829 et 834.

[4] Sic; et, si recte scriptum est, hoc verbo *scipio* non sacerdotis nomen exprimitur, sed officii, quo fungebatur, *baculi*, scilicet, quo juvaretur P. Helmi.

[5] Prudentem autem timorem hunc fuisse demonstrant ea, quae Patri Francisco Palmio Bononiae jam olim acciderant. Vide supra, t. II, pag. 505, n. 222; et t. III, pag. 132, n. 262. Aderat insuper specialis quaedam ratio ut cautior etiam Venetiis Rector in hujusmodi rebus esset. Vide supra, t. II, pag 208, sub finem n. 91.

853. Cum in ingressu hyemis satis libera civitas a peste videretur, agebat P. Caesar de scholis restituendis; sed Dominus Prior hujus erat sententiae, quod scholae nostrae Venetiis parum essent utilitatis allaturae, et fere ab initio id sensit [1], quod ea urbs mercaturae, potius quam studiis, operam daret; utiliores autem fore operarios, qui praedicationibus et ministerio sacramentorum populo illi juvando vacarent.

854. Ipse tamen P. Caesar satisfaciendum arbitrabatur Priori, sacerdotum numerum augendo, sed unum praeceptorem eruditiorem cum aliquo ipsius in scholis coadjutore Venetias mittendum censebat, praeter illum, qui in villa Astiani cum utilitate versari tum in schola, tum in doctrina christiana, tum in ministerio sacramentorum pergebat. Obtulerat autem P. Jacobus Laynez, Vicarius, hoc autumno subsidium alicujus operarii, si eo opus esset.

855. Quidam frater noster, Jacobus nomine [2], diebus festis exhortationem quamdam habebat ad quosdam spirituales viros, qui in domum Prioris conveniebant, sed hoc anno lectio vel concio alia in templo nostro non est habita, ne ab ipso quidem P. Caesare, etiam postquam Patavio nostri, eo missi propter pestem, hac ipsa hyeme redierunt. Cum enim P. Albertus quartana laboraret, confessionibus ipse Caesar vacare debuit.

856. Juvenis quidam, Joannes Baptista Vignes nuncupatus, honestis parentibus natus et in litteris latinis et graecis nonnihil versatus, in Societatem admitti postulabat, et alius ejus socius, egregiae indolis, id ipsum postulabat, nomine Valentinus, qui furtim et subsecivis horis latinas et graecas litteras ipse attigerat; et uterque hoc autumno Romam erat venturus. Sed cum in aegritudinem P. [3] Baptista incidisset, Valentinus Venetiis admissus est.

857. Quidam etiam alius, qui barbitonsorius erat, admissus fuit et Patavium missus.

858. Tunc etiam Raphaël Radius, qui Secretarius erat Archiepiscopi Mediolanensis, Archinti, olim Vicarii Summi Pon-

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 127, n. 251.

[2] Jacobus Philippus Castellanus? Vide supra, pag. 226, n. 842.

[3] In ms. legitur *P.* Baptista: ex dictis autem non constat eum esse sacerdotem, et forte pro *P.* scribendum esset *J.*, scilicet, *Joannes*.

tificis [1], suum desiderium Societatem ingrediendi significavit, et, Romam postea cum venisset, ibi admissus est.

859. Erat et alius quidam, qui inserviebat Domino Priori, qui in hoc proposito perseverabat [2].

860. Hoc eodem autumno Franciscus Veronensis, qui picturae artem tenebat, Venetiis animum ad Societatem adjecit, et Romae fuit admissus.

861. Fuit et alius quidam juvenis, qui negotiationem exercebat, cui cum dotem non mediocrem eodem tempore offerrent, magno tamen cum fervore se in Societatem admitti postulavit, et id a P. Caesare obtinuit.

862. Quamvis in angustiis rei familiaris nostri versarentur, nec adhuc ut propriam domum illam haberent, quam habitabant; nihilominus ad nostrorum commoditatem aliquid P. Caesar hoc anno aedificavit, et praesertim cubicula quaedam concinnavit, ut sine infirmitatis periculo nostri habitare eadem possent.

863. Nobilis quidam venetus, Dominus [Dominicus] Loredanus nomine, de Societate benemeritus [3], Octobri mense diem obiit extremum; et, ut testaretur animi sui voluntatem erga Societatem, libros suos Collegio nostro legavit, quorum valor centum fere ducatorum erat, ita ut cum religiosis (quos *Theatinos* vocant) dividerent. Scripta etiam sua, quae erudita esse dicebantur, aliquot voluminibus comprehensa, eisdem reliquit.

Et haec de Veneto Collegio.

DE COLLEGIO PATAVINO

864. Initio hujus anni sex tantum de Societate nostra in Collegio Patavino versabantur, praeter Patrem Simonem Rodriguez, qui partim Patavii, partim Bassani, partim Venetiis versabatur [4].

---

1 Philippi Archinto, olim "almae Urbis Vicarii.„ Vide supra, t. I, pag. 210, n. 169.
2 Vide supra, pag. 224, n. 833.
3 Vide supra, t. IV, pag. 126, n. 250; et pag. 128, n. 256.
4 Vide supra, t. V, pag. 164, n. 473.

865. Praeerat autem Collegio P. Baptista Tavonus [1], valetudinarius quidem, sed quia unicum socium sacerdotem habebat, P. Aloysium Napum [2], confessionum pondus magna ex parte sustinebat; nam in scholis P. Aloysius occupabatur.

866. Primis diebus Januarii significabat [3] se interdum affligi, quod tanta quiete frueretur et tanto in honore Patavinis haberetur; aliquando enim, ne in hac vita praemium reciperet, timebat; et tamen fere eadem hebdomada tam gravi syntomate fuit oppressus, ut sibi mortem imminere putaret; ab ea tamen relictus est. Ejus vitae exemplum, patientia, humilitas et charitas et in Collegio regendo prudentia magnopere ab aliis commendabatur; corporis imbecillitas a laboribus eum minime revocabat.

867. Praeter Patrem Aloysium, erat Mag. Emerius [4], qui primae classi praeerat, et P. Aloysius secundae classi; et hi soli litteris operam dabant.

868. Juvenis ille, Antonius Murarus, quem cum P. Caesare Romam venisse diximus [5], olim scholam nostram frequentaverat; sed jam quindecim menses ab ea abstinuerat, et tanto desiderio ad Societatem aspirabat, ut ultimis duobus mensibus diceret se dormire aut quiescere non posse, et Romam se venire velle; et ita ad P. Caesarem Venetias missus est.

869. De quinque aliis adolescentibus, qui Societatem magno affectu postulabant, simul P. Ignatio scriptum est; unus Annibal Otellus dicebatur, decimum sextum annum ingressus, in rhetoricis versatus; secundus ejusdem aetatis erat, nomine Antonius Nauta, in Cicerone satis versatus, et ab ipsa natura eloquens; tertius ejusdem aetatis et studii et praeclarae indolis, qui etiam logicae in publico studio [6] operam dederat, sed in scholis nostris lectionem rhetorices non omittebat, nomine Antonius Fontegharus; quartus, raro ingenio et memoria et in rhetoricis eruditus, quatuordecim tantum annos natus erat, in disputationibus acer supra aetatem; quintus etiam rhetorices et logices auditor, ejusdem aetatis, nomine Claudius; omnes

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 175, n. 449.
[2] Vide in eodem t. v, pag. 164, n. 471; et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 661.
[3] P. Tavonus.
[4] Vide supra, t. IV, pag. 120, n. 235; et t. v, pag. 160, annot. 1.
[5] Supra, pag. 221, n. 819.
[6] Scil., in Patavina Academia seu Universitate, dicta *il studio di Padova*.

erant discipuli Mag. Emerii, et praeclara indole praediti. Sed constantiae eorum periculum faciendum esse visum est.

870. Fuit praeter hos quidam Antonius de Ariva, qui Romam ut admitteretur venit, daemonis et parentum certaminibus superatis. Duo autem Hispani, qui ad Societatem apti videbantur, a P. Simone Bassanum deducti sunt, ut eis exercitia spiritualia proponeret. Neuter tamen consilia Christi sequenda sibi constituit, eo saltem tempore [1].

871. Schola propter pestem anni praecedentis [2] satis dissipata fuerat; nam quatuor vel quinque menses a studiis vacandum fuit, et fere ad dimidiam partem redactus erat numerus initio hujus anni; nam triginta quatuor tantum erant, qui tamen ipso primo mense Januario ad quinquaginta ascenderunt et paulo post ad sexaginta accedebant; et praeter duos praedictos [3], tertius praeceptor a P. Rectore expetebatur. Tertium ad studia publica philosophiae vel juris dimiserant [4].

872. In compositionibus et exercitationibus satis diligenter exercebantur, et ita non mediocriter proficiebant; sicut etiam in moribus bene se gerebant, qui praesertim regulas observare contenti erant; nam aliqui aegre id faciebant, et, si urgebantur, relictis scholis nostris, ad publicas se conferebant.

873. In universum spiritualis fructus non exiguus capiebatur, in confessionibus praesertim; quia tamen imminutus erat numerus operariorum, cum duo tantum essent sacerdotes, et alter eorum [5] propter scholarum occupationes profestis diebus [erat] impeditus, minus late, quam praecedentibus annis, patebat. Vix tamen poterant nostri diebus festis multitudini poenitentium satisfacere.

874. Cum Patavii P. Simon [6] versabatur, suam operam ad

---

1 Postrema haec verba: *Neuter tamen* etc. a Polanco inter lineas adjecta sunt.

2 Vide supra, t. v, pag. 157, n. 449.

3 P. Aloysium et Mag. Emerium. Supra, n. 867.

4 Tres quidem ad hunc usque annum clases fuerant in Patavino Collegio, proindeque lectores tres. Vide supra, t. IV, pag. 120, n. 233. Verum quis hic tertius lector fuerit et quid hoc sibi velit quod ad studia publica philosophiae vel juris dimissus sit, prorsus ignoramus.—Ni forte ille sit Georgius quidam graecus?, de quo ita Polancus litteris, *ex com.*, Rectori Patavino datis 7.ª Martii: "Essendo mandato a Venezia Giorgio grego (sic in apographo, *greco?)* atto per la classe superiore, potria essere che qualch' uno de Venezia se ne potesse cavare per aiutarsi in Padova: se potrà conferire col P. Alberto, intanto che va la Mtro. Cesare.„

5 Scilicet, P. Aloysius Napi.

6 P. Simon Rodriguez. Vide supra, pag. 230, n. 864.

viros audiendos in sacristia vel domi offerebat. Sed frequentia bona ex parte [eorum] erat, qui tantum in ecclesia poterant audiri, nec pro exiguo Dei beneficio habuit P. Baptista, Rector, quod in Quadragesima non succubuerit laboribus, cum solus propemodum pondus confitentium ferre debuerit, non alioqui firma utens valetudine; sed animavit eum Dominus et consolatus est, dum spiritualem fructum, laboribus respondentem, percipit.

875. Inter alios autem a peccatis abductos, mulier quaedam fuit, quae, cum gravida esset, destitui maluit a viro, cui concubina fuerat, quam in peccato perseverare, spem totam in Deo constituens.

876. Erant autem tres vel quatuor piae foeminae, piscatrices hujusmodi foeminarum, quae in peccatis erant, et ad confessionem eas adducere nitebantur, et necessaria etiam ad victum eisdem, cum indigebant, procurabant: et augebatur in dies poenitentium numerus.

877. Concionabatur etiam interdum idem P. Baptista, et experiebatur quamdam peculiarem Dei providentiam, cum non haberet quid diceret dum praecogitabat, et tamen, cum concionandum erat, dabat illi Dominus quae opportune audientibus loqueretur.

878. In consiliis etiam dabat illi Dominus gratiam. Accidit enim ut aliquis, qui totos novem annos in peccato vixerat et Venetiis atque Patavii fere omnium Ordinum religiosos consuluerat, nec tamen remedium aut consilium ab eis propositum ei placuerat, aut efficax illud invenerat; missus autem ad P. Baptistam, cum bis eum fuisset allocutus, per eum a Domino auxilium accepit; ut et quaedam alia mulier, quae, ut in Conversarum monasterium ingrederetur, ejus colloquiis adducta est.

879. Exercitia spiritualia perpaucis proponebantur, quia commoditas personarum exigua erat ut possent eis vacare.

880. Per familiaria colloquia et confessiones plures juvari poterant; inter quos quaedam fuit mulier, quae, cum decem annis parum honeste vixisset, ad cor rediit, et per confessionem generalem totius vitae purgata, vitam christiana dignam instituit. In quodam etiam monasterio, ipsius exhortationibus religiosas ad vitam communem Dominus adduxit; et quamvis daemonis fraude oppugnabantur, et ut redirent ad pristinum

vivendi genus tentabantur, a ratione tamen vivendi in communi, Deo propitio, non recesserunt.

881. In progressu hujus anni scholae imminutae fuerunt, ut fere ad nonaginta non ascenderent: fortassis suspicio pestis, etiam hoc anno, Patavii, sicut et Venetiis, aliquos inficientis, in causa fuit; et quamvis videretur Mag. Emerio suam operam non esse necessariam in scholis, quod ejus discipuli vel ad religionem vel ad alia studia se conferre vellent, et reliquis, qui debiliores erant, P. Aloysius sufficere videbatur, Rector ipse aliter sentiebat, et inde evocato Mag. Emerio [1], alium similem ipsi mittendum ejus loco censebat, immo et tertium praeceptorem addendum esse judicavit.

882. Cum magnopere indigerent ad domestica ministeria coadjutoris alicujus opera (creverat enim familia usque ad decem, et deinde quatuor Roma missis et alio aliunde, ad quindecim pervenerunt), Mediolanensis quidam juvenis in Societatem admitti postulavit, quem ad eadem ministeria aptissimum invenerunt.

883. Hospites aliquando habebant, ut P. Salmeronem, ex Polonia redeuntem [2], et duodeviginti illos, qui Ingolstadium missi sunt [3], praeter P. Simonem.

884. Quinque illi juvenes, de quibus superius [4] mentio facta est, a P. Ignatio admissi fuerunt, et magno cum desiderio Romam venire ipsi cupiebant. Sed partim propter pestem, cujus timor itinera claudebat, partim propter bella, quae Romae et in ditione Ecclesiae gerebantur, differri oportuit eorum in Urbem adventum, cum alia Probationis Domus, ubi admitterentur, in Italia nulla esset.

885. Interim quidam frater illius, quem Claudium nominavimus [5], animum etiam ad Societatem adjecit, et quidam Bartholomaeus Quarantotto [6], et Horatius ejusdem cognominis, idem postularunt; et fere omnes rhetoricae dabant operam, quamvis et logicae plures eorum studuerant. Sed dilatio occasionem dedit daemoni quosdam ex eis ab hoc proposito abducendi, inter

1 Vide supra, t. v, pag. 163, n. 471.
2 Vide supra, pag. 21, n. 55.
3 Vide infra, dum de Ingolstadiensi Collegio sermo fit.
4 Vide supra, pag. 231, n. 869.
5 Vide supra, pag. 231, sub finem num 869.
6 Ms. *48*.

quos Horatius Lignarius fuit, quem parentes, in villam abductum, precibus et minis expugnarunt, nec ad scholas redire permiserunt.

886. Annibal [1] etiam Romam, nihil nostris dicendo, cum quodam alio proficisci voluit, a quo deceptus et in alium locum abductus, tandem a suo patre revocatus, in proposito suo nihilominus perseveravit. Sed omnibus his diuturna expectatio molestissima erat, quae tamen propter tempora illa videbatur necessaria. Dedit tandem illis facultatem P. Laynez, Vicarius, Romam veniendi et summa eos laetitia affecit.

887. Quidam etiam, nomine Henricus, qui in Collegio Germanico vixerat aliquandiu, et, cum non posset, ut diximus [2], sustentari ea multitudo, quae tempore Julii III ibidem alebatur, cum socio quodam in Germaniam remittebatur. Cum ergo Patavii apud nostros divertissent et inde versus Germaniam profecti essent, sexto die rediit alter eorum, scilicet Henricus Arboreus [3], ut in Societatem admitteretur, et admissus bene in ea se gessit.

888. Morbis satis multi ex nostris Patavii hoc anno laborarunt, et accidit ut simul septem aegrotarent, cum omnes numero quindecim essent. Unus eorum, Andreas nomine, integrum annum decubuerat. Ipse etiam P. Simon, ut valetudinarius erat, ita etiam aliis occupationis in victu et in aliis ministeriis causa erat; itaque exercendae patientiae Patri Rectori et aliis non defuit occasio.

889. Postulabat tamen auxilium alicujus concionatoris et confessarii, et hoc illi desiderium cum externis non paucis commune erat; nam eorum, qui praedicationem cum vitae exemplo conjungerent, magna erat in ea civitate penuria. Immo et in confessariis multis hi mores inveniebantur, ut non sine causa Veneti aetatem provectiorem in hujusmodi confessariis requirerent [4].

890. Paupertatis incommoda etiam nostros Patavii exercebant, quamvis prudentia et sollicitudo Rectoris non parum sublevavit nostrorum penuriam; immo et domum ex parte con-

---

[1] Annibal Ottellus.
[2] Supra, t. v, pag. 31, n. 54.
[3] Hujus meminit BRAUNSBERGER, *Canisii epistulae et acta*, t. I, pag. LIX, annot. 1.
[4] Vide supra, pag. 228, n. 852; et t. II, pag. 208, sub finem num. 91.

cinnavit. In eas angustias se Dominus Prior [1] conjecerat, ut, licet maxime vellet, non posset tamen nostris, licet paucis, de rebus ad victum et vestitum necessariis prospicere, cum ad propriae familiae sustentationem vestes aliquando et libros oppignorare cogeretur.

891. Curavit ergo P. Baptista eleemosynas aliunde, ut nostros contra frigus muniret, et necessaria ad victum aegrotantibus et sanis curaret. Et hoc interim accessit ad ejus meritum, quod putabant aliqui, etiam ex nostris, ipsum tenacem esse et plus satis conservare quae domesticis erant impendenda; adeo ut rerum omnium, quas habebat, catalogum conficere debuerit.

892. Agnoscebat nihilominus peculiarem Dei providentiam his duobus annis, quibus non licuit Priori necessaria, ut coeperat, nostris subministrare, [quod] vel ex legatis vel ex aliis eleemosynis suae familiae utcumque consuluit, quamvis, Venetias ad Dominum Priorem profectus, nihil inde reportare auxilii potuerit.

893. Cum autem locasset [2] bona praecipua Collegii Patavini, villam scilicet Astiani, per biennium, et, anticipata solutione, pecuniam accepisset, alium etiam agrum per triennium eodem modo accepta pecunia locasset; timeri poterat ne sequentibus annis Collegio nostro subsidium nullum dare posset. Unicus ager supererat locandus; et P. Baptista, facultate accepta a P. Ignatio, cuidam amico commendavit, ut eum conduceret suo nomine, sed in Collegii usum; et ita fecit ad unum annum, unde aliquid emolumenti ad Collegii sustentationem redibat.

894. Admittendum etiam in Collegium et Societatem censuit virum quemdam quadragenarium, rusticum et coelibem, ut horti Patavini curam gereret; ex quo etiam utilitatem non minimam ad Collegii usum percepit.

895. Quamvis P. Simon cum socio expensis Collegii Patavini viveret, quia tamen quibusdam, propter valetudinem parum prosperam, indigebat, viginti aureos P. Ignatius singulis annis in subsidium mittere coeperat. Et cum ipse, ne onerosus esset paupertati Domus Romanae, scripsit se ab amicis, si

---

[1] Andreas Lipomanus, de quo supra, cum de Collegio Veneto actum est, qui et hujus Patavini Collegii instituendi auctor fuerat.

[2] Ipse Prior.

P. Ignatio videbatur, subsidium postulaturum, non magnopere id probavit [1], cum ex Portugallia videretur cum aedificatione talia non obtenturus [2].

896. Bassanum interdum ibat, et Ferrariam hac aestate se contulit, cujusdam lusitani verbis commotus, qui eum Venetiis convenit, et hortatus est ut ad salutem aliquarum animarum eo veniret.

897. Ex his erat lusitanus ille, qui baptizatus quidem fuerat, sed ad judaismum declinaverat, et sacris Scripturis se convictum ostendebat ut ad christianam religionem rediret, et satis eruditus et pio zelo motus videbatur [3]. Rogavit autem P. Simonem, forte in Portugallia notum, ut ad ipsius uxorem convertendam et alios etiam veniret. Illum autem lusitanum auctoritate Inquisitoris absolvendum putabat Ferrariae, ut deinde Romae absolutio in utroque foro confirmaretur.

898. Fuit autem exceptus, cum Ferrariam venit, amantissime a praedicto lusitano; quem cum ad reductionem ac reconciliationem adducturus jam esset, domum ille cum sua uxore mutavit, nec amplius a P. Simone visus est. Suspicabatur autem P. Simon, ut id genus hominum astutum est et suspiciosum, quod putarent ipsum aliquid secrete moliri contra ipsos, et quod illum hominem, tamquam emissarium et exploratorem, ad eum miserunt, ut aliquid elicere ab eo possent.

899. Persuaserant etiam sibi quod Portugalliae Regina ipsum [4] Hierosolymam mittebat ob filii sui [5] mortem, et ut ipsam ac regnum liberaret. Et ita dubitabat P. Simon quod illi, ut Regi Portugalliae rem ingratam facerent, curaturi erant, ut, si eo profectus esset, a turcis in servitutem redigeretur, ut ipsi eum ad sibi serviendum emerent; et ita ille, quem exploratorem suspicabatur, diligentissime Venetiis inquirebat, an Hierosolymas P. Simon navigaret.

---

[1] Ignatius.

[2] "Recibió Nuestro Padre la de V. R. de 25 del pasado, y acerca de la provision se escribe á Maestro César que provea de lo que fuere menester, y así lo hará. Con eso tampoco tenga escrúpulo V. R de tomar lo que le dieren por limosna, ni de lo pasado se tenga, pues es nuestra profesion vivir de limosnas. Lo que Nuestro Padre vedó fué el pedirla en Portugal, por buenos respetos.„ Polancus, *ex com.*, Patri Simoni Rodriguez, 2.ª Maji.

[3] Vide supra, pag. 191, n 714.

[4] P Simonem.

[5] Principis Joannis, qui 2.ª Januarii anni 1554 obierat. Vide supra, t. IV, pag. 394, annot. 2.

900. Antequam Ferraria recederet, P. Ignatio scripsit omnino Mag. Ambrosium Pollicinum inde removendum esse, nec tamen causam explicavit; ideo P. Ignatius, ut superius diximus [1], Ferraria [Ambrosium] migrare jussit.

901. Cupiebat autem Domina Maria del Jesse, fundatrix Ferrariensis Collegii, magno affectu P. Simonem ibi retinere, et, quod ad corpus attinet, melius omnino quam Patavii aut alibi eum tractabat. Sed quia aër ille palustris valetudini parum conveniebat, non diu Ferrariae mansit, et simul atque remisit sese rumor pestis Venetiis, sub finem Junii eo rediit.

902. Antequam tamen Ferraria recederet, visus est sibi agnoscere polonum illum, nomine Florianum Rolis, qui Romae et in multis Hispaniae et Portugalliae locis sua fraude non parum detrimenti Societati intulerat [2], et litteras ille petebat commendatitias ad P. Ignatium, ut in Societatem admitteretur.

903. Viderat ipse Florianum praedictum in Portugallia, et ab eodem deceptus etiam fuerat. Et quamvis paulo obesior factus videretur, eumdem tamen esse existimans, cum P. Pelletario magistratum adiens, eumdem in carcerem detrudi curavit, protestatus ejus se mortem nolle, sed ut restitueret quae Societati abstulerat. Confessus est autem ipse se carthusianum et aliorum ordinum fuisse et alia delicta, sed numquam, quae in Societate egerat, confessus est. Et quia intellectum est venetum hominem fuisse, nihil [3] verisimile fit Florianum illum non fuisse; quamvis, cum id crederet omnino P. Pelletarius ob P. Simonis assertionem, confiteri sacramentaliter volentem audire noluit.

904. Cum intellexisset P. Simon ex hac vita P. Ignatium migrasse, mense Augusto, statim Patri Vicario scripsit de suo in urbem adventu, etiam ante Congregationis tempus, et illos quinque juvenes, de quibus superius facta est mentio [4], deducturum recipiebat; sed bella, paulo post Romae subsecuta, ut differretur ejus adventus, in causa fuerunt.

905. Admonitus interim de Collegio, ubi versaretur, juvando confessionibus audiendis, perlibenter suam operam

---

[1] Vide supra, pag. 196, n. 719. Et videndae etiam litterae Patri Pelletario datae 7 Junii.

[2] Vide supra, pag. 181, n. 662.

[3] Sic; sensus tamen exigere omnino videtur ut, loco vocis *nihil*, scribatur *nimis*.

[4] Pag. 234, n. 884.

obtulit; et juvenem quemdam Venetiis bonae indolis, cujus audierat confessionem, adjuvit ut in Societatem ingrederetur, et in festis Natalitiis, ut strenas, a P. Vicario [ut admitteretur] postulavit et impetravit.

906. Cum Bassanum se recipiebat P. Simon, amanter a P. Gasparo Gropillo recipiebatur in illo eremitorio, quod sub Societate etiam tunc erat. Ipse autem P. Gaspar sub obedientia ejusdem perseverabat, et in solidis occupationibus, cum illa praesertim sua confraternitate [1], versabatur. Quia tamen ejus apes, in quibus praecipuum habebat reditum, hoc anno prorsus inutiles ipsi fuerunt, satis eremitice ex mendicato vitam traduxit; non tamen sine aliquo fructu et confessionum et concionum et visitationis infirmorum hoc etiam anno laboravit. Nec ex Missis ullam eleemosynam accepit, morem Societatis ea in re servans, licet non exigua paupertate premeretur.

907. P. Vicarius, immo et ipse P. Ignatius, Bassani Collegium aliquod libenter institui vidissent, et ea de re P. Gasparo scriptum est; sed nullam inire rationem P. Gaspar ad hujusmodi fundationem poterat quam ex stipendio, quod oppidum illud ludimagistro solebat persolvere; et annonae vilitas, ut ipse credebat, efficere poterat, ut plus centum aurei Bassani, quam Venetiis ducenti, valerent ad Collegii sustentationem. Sed tota mentio Collegii erigendi eo tempore omissa est [2].

908. Parmae aliqui ex amicis Societatis, Collegium institui cupientes, Ducem Octavium Farnesium, ea de re sunt allocuti per quemdam civem ejus urbis [3]; sed Dux ea de re quidquam audire noluit, et causas quasdam attulit ex his fortassis, quae

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 122, n 239.

[2] "Della difficultà di fundar Collegio in Bassano deve essere come scrive la R. V. Dall' altro canto la Compagnia per adesso è ricercata da tanti altri luoghi, che non puo servir a tante imprese. Al suo tempo Iddio Nostro Signore essaudirà i vostri desiderii in questo, se è a maggior servitio suo.„ Polancus, *ex com.*, Patri Gasparo Gropillo, 4 ª Aprilis.—Vere adhuc unus de Societate erat P. Gaspar Gropillus; nam, cum in desideriis habuisset hoc tempore peregrinationem ad quaedam intra Italiam sancta loca instituere, missae ad eum fuere patentes pro omnibus in Italia Praepositis litterae ut "la R. V. lo raccoglia con la carità che si conviene; et se qualche cosa le accadesse prestare, noi sodisfaremo.„ Eadem die 4.ª Aprilis.—De qua re scriptum est etiam eadem die Patri Simoni Rodriguez.

[3] Duos praesertim novimus Parmae Societatis amicos, quorum opera Ignatius, Polancus et Viola frequenter utebantur: Joannem, scilicet, Linato, de quo jam supra, t. IV, pag. 141, annot. 2 ad n. 288, et Joannem de Vario, vel Devario, ad quem exstant Polanci, *ex com.*, litterae, ultima die Februarii hujus anni 1556 datae, et aliae plures.

a Mathia, cursorum seu postarum praefecto [1], quondam audierat, sed cum Parmam venisset mense Majo P. Viola, antequam in Galliam proficisceretur, vir quidam religiosus ordinis S.ti Dominici, nomine Bernardus, Ducem Octavium hortatus est, ut hoc pium opus amplecteretur et eos cives audiret, qui ea de re acturi cum ipso erant.

909. Acquievit ergo Dux illi religioso erga nostram Societatem bene affecto, et cum per sesquihoram quatuor cives Parmenses audisset et cum eisdem hac de re multa ultro citroque contulisset, dixit Dux se cogitaturum quid facto opus esset, cum multa in utramque partem de Societate ipsi relata fuissent; sed aliquis eorum civium retulit non bene affectum esse.

910. Cum autem eodem tempore P. Salmeron Parma transiret cum Legato superius nominato et intellexisset a P. Viola quae a Duce audita fuerant, propter quae Societatem non libenter amplecteretur, visum est ei expedire ut eumdem inviseret; et ita, comite P. Viola, Ducem et ejus uxorem, Dominam Margaritam de Austria, salutarunt P. Ignatii ac P. Laynez nomine.

911. Uterque autem humaniter nostros excepit, sed ad negotium Collegii ventum non est, cum nulla occasio ab eis data fuisset. Tam autem Dux quam ejus uxor Societatem in universum laudabant; ipsa autem Ducissa a praedictis civibus satis propensa inventa est ad opus Collegii amplectendum [2]; et ita se cessare nolle affirmabant, donec impetrarent quod proposuerant.

912. Et hoc in statu rebus Parmensibus tunc relictis, tam P. Salmeron quam P. Baptista Viola cum sociis [3] ad loca, ad quae obedientia eos destinaverat, perrexerunt; et praeter pretium venditae domus ipsius P. Violae, quaedam alia ex suo patrimonio vendi curavit, ut viaticum et ipsi et sociis in Galliam usque suppeteret, hoc onere Romanam Domum sublevando [4].

---

[1] Vide supra, t. I, pag. 169, n. 114.

[2] Ni inventa sic esset, valde sibi ipsi dissimilis fuisset Margarita de Austria, ab illa, quae pluribus antea annis tam familiariter Ignatio, Coduri aliisque sociis Romae fuerat usa, ut videre est in *Cartas de San Ignacio*, t. I et II et apud omnes fere, qui *Vitam Ignatii* scripsere.—Caeterum ita Polancus, *ex com.*, scribebat Patri Viola, 2 a Maji: "Di Madama non dubbitamo che haveria piacer del collegio; ma le forze per aggiutarlo non so quante siano „

[3] Socius Patri Salmeroni erat quidam nomine Giofredo (vide supra, pag. 21, annot. 5) vel Jaffre; Patri autem Viola quidam Balthasar. Ita in litteris ad P. Viola a Polanco, *ex com.*, in urbem Fornoli missis 5.a Martii.

[4] "In Parma Mtro. Giovanni Linati ha venduta la casa per mille e cento lire, e le

913. Cum autem paucis post mensibus secutus esset P. Ignatii obitus et litteris tam Ducissae Parmensi quam Cardinali Farnesio, qui tunc Parmae versabatur, significata fuisset, officiose P. Vicario responderunt [1] et operam suam obtulerunt. Cardinalis etiam ad electionem unanimiter faciendam amanter est hortatus.

914. Nec omittam quod clerici regulares S.ti Pauli et Barnabae ex suo monasterio Mediolanensi amantes admodum litteras et consolatorias Societati miserunt atque officii plenas [2]. Et hactenus de Provincia Italiae sit dictum.

DE COLLEGIO NEAPOLITANO

915. P. Christophorus de Mendoza hoc anno Collegio Neapolitano praefuit [3]. Sub initium ejus, viginti, in progressu plures aliquanto fuerunt.

916. Servata est non sine fructu consuetudo, superiori anno instituta, tradendi diebus festis populo christianae doctrinae praecepta; diebus autem veneris scholasticis de more ea explicabatur, et satis frequentes auditores accedebant.

917. Illa vero crebro communicantium societas, de qua superius mentio facta [4] est, virtute et numero in dies augebatur.

918. Conciones autem dominicis ac festis diebus in templo nostro semper habitae sunt; sed in virginum sacrarum etiam

---

cinquecento hebbe alla mano; ma il buon huomo per essere obbligato disse volere prima ricevere un Breve, dove il Papa ratifichi quello che Ntro. Padre ha fatto. Pare che habbia poca confidenza nella Compagnia nostra, o vero la natura sua è così fatta. Quel Breve insieme con altre cose desiderammo spedirlo; ma non possiamo per la suspensione dei negotii in questa corte. Così presto V. R. li potrà dare animo, acciò mandi quelli denari senza dubitare. Delle altre cose che sono a vendere, come si trovi in Parma la R. V., potrà dare ordine, et lì ancora potrà pigliare per se il viatico necessario per andare in Francia di quello denaro che lì si trovarà, o vero lo pigli a cambio sopra di noi, o prestato insino a tanto che noi habbiamo lo aviso e paghiamo.„ Polancus, *ex com.*, Patri Viola, 5.a Martii.

[1] Ms. *respondisse*.

[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 542 et 412.

[3] Vide supra, t. V, pag. 173, n. 498.

[4] Vide supra, t. IV, pag. 174-175, nn. 365-367.

ecclesiis, praecipue Quadragesimae tempore, eodem officio charitatis nostri functi sunt.

919. In eodem templo nostro profestis diebus addita fuit hoc anno casuum conscientiae lectio, quam P. Antonius de Soldevilla, Roma missus, cum satisfactione non mediocri praelegebat [1].

920. Crescebat apud nostros confitentium et sacram synaxim sumentium in dies multitudo. Inter alios autem fructus nominatim referunt quod, cum meretrix quaedam uni ex nostris confessa esset et vitam in melius mutare decrevisset, xenodochio incurabilium operam suam dum viveret addicere (erat enim ei loco satis necessaria) constituit. Forte autem in eodem hospitali vir quidam graviter aegrotans inventus est, qui Deo voverat, si convaluisset, meretricem se in uxorem ducturum. Cum autem valetudinem recuperasset, opportune mulier illa, de qua diximus, ei oblata est, quam ille sibi matrimonio copulavit. Aliquandiu enim [2], ut mulieris continentia magis confirmaretur, communi consensu in hospitali manserunt, suamque operam indigentibus magna cum charitate praestiterunt.

921. Diebus autem Quadragesimae et aliis festis solemnioribus sic sacerdotes nostri in confessionibus erant occupati, ut quodammodo multitudine confluentium obruerentur, et vix cibi capiendi otium eis suppeditaretur; et quamvis non admodum pauci erant sacerdotes, licet totidem alii fuissent adjuncti, tantae messi in horrea Domini congregandae sufficere non potuissent.

922. Scholasticorum numerus sub initium anni ad centum et sexaginta plus minus ascendebat; in progressu nonnihil decrevit, quamvis fere centum quadraginta accederent; nec poenitendum fructum sui laboris praeceptores capere videbantur, cum eruditione et spirituali profectu progressum facerent.

923. Inter foeminas nobiles, quae nostro in templo profecerunt, duae virgines, sorores cujusdam fratris nostri, et tertia vidua, ejusdem amita, spiritualibus exercitiis aliquandiu vacantes, sic profecerunt, ut vidua quidem cum altera ex virginibus castam et continentem vitam domi suae agere, altera

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 178, n. 511.
[2] Sic; rectius fortassis *autem*.

autem virgo monasterium etiam ingredi ac Deo perpetuo se consecrare decerneret.

924. Earumdem virginum frater ad scholas nostras accedebat; bonae indolis adolescens, Societatem nostram ingredi omnino statuit.

925. Alter autem juvenis, nomine Thomas, confectis spiritualibus exercitiis, in Societatem nostram admissus, in moribus ac pietate non mediocre sui specimen praebebat [1].

926. Quatuor aliis praeterea, primis mensibus hujus anni, Societas aucta est. Unus eorum fuit Dominus Joannes de Mendoza, de quo plura inferius [2]; et Horatius Gentilis, qui constantiam admodum virilem adversus multas, tum patris sui tum aliorum clarissimorum virorum, oppugnationes praestitit [3].

927. Duo alii Cosentini fuerunt, Innocentius Spatafora et Joannes Paulus [4], qui Neapoli juri civili operam dabant, et vix biduum spiritualibus exercitiis impenderant, cum se Societati adnumerari velle, spiritu Domini impulsi, dixerunt. Visum tamen est expedire ut in eisdem meditationibus progredientes magis in sua sententia confirmarentur. Uterque illorum, Romam veniens, admissus est. Tres etiam alii fere eodem tempore Neapoli Romam venire ad hoc ipsum constituerunt, quorum unus vir jam aetate et doctrina ac rerum usu ad Dei obsequium idoneus erat.

928. Duo praeterea ex Africa servi catechismo instructi fuerunt, quorum alter Domini Joannis de Mendoza servus erat, de quo plura inferius [5]; nec enim solum christianus fieri, sed Societatem etiam ingredi voluit; et quia arabicam linguam callebat et ingenio ad litteras addiscendas valere videbatur, non mediocrem de se spem excitabat.

929. Hoc etiam anno Joannes Nicolaus, qui biennium juri civili operam dederat, et Marcus Antonius Gazianus [6], in no-

---

[1] His corrige dicta in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 260, annot. 5.

[2] Egit jam Polancus de juvene hoc optimo, cujus ingressum in Societatem vide supra, pag. 5 et seq., nn. 4 et seq., obitum autem pag. 47, n. 137.—Infra nihilominus distinctius fusoque calamo narrantur quae Neapoli in illius negotio transacta sunt. Vide n. 949-963.

[3] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 261.

[4] Joannes Paulus Mirabellus. Vide infra, n. 970.

[5] Vide infra, n. 955.

[6] Sic; infra tamen, n. 1282, appellatur *Gaianus*, ut et nos eum appellavimus in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 260 et 617.

stris scholis in humanioribus litteris instructus, et Antonius de Leva, Neapolitanus, qui, aurifex erat et fere sexagenarius, Societati sese adjunxerunt.

930. Josephus autem Fabricius, qui, Roma missus, humaniores litteras docebat, sub finem hujus anni ad sacerdotium promotus est, et ipso die Circumcisionis, qui primus erat anni sequentis, primum sacrum celebravit; et eodem die ante biennium dictum [1] Societatem fuerat ingressus [2].

931. Matrona quaedam illustris, quae apud nostros sacramenta frequentabat, Collegium nostrae Societatis in oppido quodam suo instituere volebat; sed ne satisfieret pio ejus desiderio, penuria operariorum effecit [3].

932. Idem cives Massae [4] in urbe sua fieri cupiebant, et quia saluberrimus aër ille habetur propter ejus optimam temperiem, non solum ipsorum spirituali saluti, sed valetudini etiam corporali nostrorum utile fore hoc Collegium videbatur; nam valetudinarii Neapoli eo deduci facile poterant; sed ne illud quidem admitti potuit.

933. Joannes Bernardinus Ferrarius hujus anni initio in Societatem vigesimo aetatis anno admissus est, cum jam logicae operam dare coepisset.

934. Hujus etiam anni initio opusculum de frequenti usu sacramenti Eucharistiae, a P. Madridio concinnatum, Neapoli typis excusum fuit [5]; et quia multitudo frequentantium sacramenta, ut diximus [6] magna erat Neapoli, libenter praedictus libellus ibi exceptus est [7].

---

1 Ms. *doctum*.

2 Vide supra, t. v, pag. 44, n. 83.

3 Vide infra, nn. 1023 et 1024.

4 Plura sunt per Italiam oppida et urbes hoc cognomine *Massa* distincta; verum nulli dubio locus est quin hic sermo fiat de urbe *Massa di Sorrento*, ut dictum est in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 260.

5 Vide supra, t. IV, pag. 28, annot. 2 ad n. 35.

6 Supra, pag. 242, n. 920.

7 Hic libellus ut denuo Neapoli excuderetur auctor praecipuus fuerat Hieronymus Vignes. "La ringraziamo etiam delli libri stampati, che ci mandò del Santissimo Sacramento; e la spesa che parerà a V. S. si potrà metter a nostro conto, o vero mandaremo li libri che li pareranno in ricompensa.„ Polancus, *ex com.*, Hieronymo Vignes, 23.ª Februarii.—Tot tamen erroribus scatebat hic libellus, prout Neapoli editus fuerat, ut Romae judicatum sit oportere ut non prius divenderetur, quam illorum errorum tabula ipsi posset affigi. "Nel libretto stampato della frequentatione dell' Eucharistia si troveranno molti errori della stampa, e qualche uno d' importanza. Il rimedio è fare all' ultimo stampare l' errori commessi in un poco di carta, a chi non volessi emen-

935. Augebat etiam aedificationem quod, cum numerus esset exiguus sacerdotum, usque ad meridiem in templo nostro Missae sacrificia inveniebantur; et ideo nullum sacerdotem ibi removendum, nisi alius ejus loco mitteretur, nostri sentiebant.

936. Erat Neapoli vir quidam Societati amicissimus, nomine Alphonsus de Samano, qui electus fuerat Episcopus Caprensis [1], et jam Litteras Apostolicas expeditas habebat ut consecraretur. Ille sub finem Januarii, ad Rectorem nostri Collegii [2] accedens, significavit ei animi sui deliberationem post crebram et diuturnam cogitationem de Societate nostra adeunda et Deo in ea serviendo. Et res videbatur magnae aedificationis Neapoli futura, ubi hominem noverant plurimi et amaverant.

937. Vir erat alioqui prudens et in humanioribus litteris [3] eruditus, sed podagra nonnihil laborabat. Ea de re tum ipse tum P. Ignatio [4] scripserunt. Sed P. Ignatius quaedam consideranda esse rescripsit, et ita effectum est, ut hoc animi sui propositum ille exequi non potuerit [5].

938. Alius autem, nomine Vincentius Charillus [6], in coadjutorem eodem tempore admissus est.

939. Initio Februarii Dux Montis Leonis [7] P. Ignatio per litteras significavit quod esset necessaria ad stabiliendum Collegium nostrum Patris Salmeronis praesentia, et tum ob hanc causam, tum ob spiritualem civitatis fructum, ut Neapolim re-

---

darli tutti a mano; e la settimana che viene si potrà mandare costà una copia delle tali emendationi. In questo mezzo, quanto manco si estenderà il libretto, meglio: benche si potranno dipoi dare le emendationi a quelli che si ricercaranno havere li detti libri.„ Idem, eidem, 16.ª? Martii.

[1] Sic videtur legendum hoc nomen, quod in ms. obscure emendatum est. De hoc autem viro haec ad rem nostram Ughellus: "Alphonsus Somerius, Hispanus, Clericus Calaguritanus, die 16 Decembris 1555 Capritanus evasit Episcopus. Novem annis hanc rexit Ecclesiam, eamque libere cessit, cum titulo et denominatione Episcopi Capritani.„ *Italia Sacra*, t. VII, col. 265, n. 28.—Gams eum appellat *Somario*.

[2] P. Christophorum de Mendoza.

[3] Ms. *non eruditus*, sed lapsus librarii sine dubio est.

[4] Perspicue admodum in ms. est *Ignatio*. Quare et aliqua verba deesse et scribendum putamus hoc modo: "Ea de re tum ipse (Alphonsus de Samano), tum Rector Collegii Patri Ignatio„

[5] Non podagra tantum, sed alio quodam impedimento laborabat Samano. "De Savano *(sic)* no es menester hablar, porque hemos entendido que tiene impedimento esencial; y por ventura, entendiéndolo él, ha desistido de hablar en ello.„ Polancus, *ex com.*, Rectori Collegii Neapolitani, 3.ª Maji.

[6] Sic; *Carrillo?*

[7] Hector Pignatelli, de quo saepius jam in hoc *Chronico* et in *Cartas de San Ignacio*.

mitteretur postulabat. Cum autem P. Ignatio res quidem placeret, sed situm in ejus potestate non esset ex Polonia [illum] revocare, nec etiam postquam inde venisset, contra Pontificis voluntatem Neapolim eum remittere; civitas Neapolitana scribere cupiebat Pontifici, ut eum impetraret.

940. Sed quia regia curia prohibuerat in universum ne Pontifici civitas scriberet, Comiti Montorii, Pontificis nepoti [1] praedicta civitas et Dux Montis Leonis scripserunt, ut eum impetrarent, et Cardinali etiam Motulensi [2]. Sed et P. Ignatio scripsit civitas, ut non solum ad Quadragesimam sequentem, sed ut Neapoli perpetuo maneret, ut concionibus et lectionibus sacrae Scripturae daret operam; postulans eumdem P. Salmeronem, quem velut tubam Evangelii fuisse in illa sua civitate, et in universum et singillatim omnibus pergratum affirmabat [3].

941. Nihil tamen a Summo Pontifice obtinuerunt hac aestate, cum Summus Pontifex statuisset cum Cardinali Motulensi, ad Regem Philippum Legato, [eum] mittere.

942. Plures quam decem, praeter eos qui jam ingressi erant, in Societatem admitti primo vere postulabant; sed paulatim probabantur, nec statim omnes admittebantur.

943. Inter alios monachus quidam ordinis S.ti Benedicti, ex monasterio insigni Montis Serrati, ex Hispania ad hoc tantum venerat, ut in Societatem ingrederetur, et a suo Superiore generali facultatem ad id acceperat, et litteras Domini Marchinae [4] commendatitias ad hoc ipsum ferebat. Vir alioqui judicio valens et litteris excultus, sed facile erat, opponendo ipsi Constitutiones [5], a Societate arcere, ut factum est [6].

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 24, n. 38.

[2] Vide supra, pag. 22, n. 56.

[3] Ignatii responsum ad *Electos* urbi Neapolis habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 179.

[4] Hunc, cujus, ut viri, jam lectoribus cogniti, mentionem hic injicit Polancus, existimamus illum esse, de quo in *Litterae Quadrimestres*, t. I, pag. 37, annot 2.—Ni forte ille sit Petrus Marquina, Conchensis canonicus, de quo supra, t. IV, pag. 426, annot. 3; et t. V, pag. 445, annot. 3.

[5] *Const. Soc. Jesu*, Exam. gen., cap. II, § 3.

[6] Reprehensus tamen fuit Neapolitanus Rector, quod illum fratrem non praemonuerat. "Quel Frate di Monserrato doveria haver inteso da V. R. che la Compagnia nostra non accetta Frate nissuno; e come è venuto a posta, così se ne potrà tornare per il suo monasterio o altro di sua religione, reputando grave tentazione la tal uscita sua.„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 8.ª Martii.—"Circa Fra Gaspare di Medrano credo non aspettarà V. R. risposta nuova, poiche cognoscerà tanto più chiaramente esser tentatione grave quella che mosse a detto Padre a lasciare l' ordine suo,

944. Sed nec alius quidam sacerdos, Franciscus Benedictus nomine, qui philosophiae et theologiae dederat operam, [admissus est].

945. Sub initium hujus anni Dux Albae [1] ex Longobardia Neapolim venit, quem male affectum erga Societatem, et pejus adhuc ejus uxorem [2], ferebatur; et ideo cum litteras P. Ignatius eis scripsisset, quibus Societatis officia atque obsequia ei deferebat [3], P. Christophorus de Mendoza, Rector, existimavit eas reddendas non esse, quod nos tamquam haereticos propter spiritualia exercitia, vel saltem suspectos, habere dicebatur. Sed P. Ignatius poenitentiam praedicto Rectori injunxit, eo quod litteras non reddidisset, et ut statim reddendas curaret, jussit [4].

946. Fuerunt etiam scriptae litterae ad Dominum Franciscum Pachecum, postea Cardinalem, et Dominum Bernardum de Bolea [5]; et demum Rector, ad Ducem deductus, P. Ignatii litteras ei reddidit, quas coram ipso legit et suam operam obtulit in Societatis favorem satis officiose.

947. Ajebat autem Dominus Bernardus de Bolea non ipsum Ducem sed Ducissam Albae de nostris non bene sentire, quod de Societate mala multa ipsi relata essent. Alii autem ejusdem esse sententiae Ducem opinabantur, sed ut virum prudentem dissimulare [6], quod minime faciebat Ducissa; cum enim equitem illum Ruffum (de quo superius meminimus, cum de Florentino Collegio agebamus [7]) alloqueretur, interrogavit eum, num

---

quanto sia impossibile si accetti nel nostro; et lui faria bene di tornarsene a Monserrate a gli piedi del suo superiore, o almeno in altro monasterio dell' ordine suo degli più riformati.„ Idem, eidem, 19.ª Aprilis.

[1] Ferdinandus Alvarez de Toledo.

[2] Vide supra, pag. 150, n. 561.

[3] Ignatii litterae sunt in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 180.

[4] Vide *ibidem*, pag. 188.

[5] Hae litterae scriptae fuere a P. Jacobo Laynez. "Circa la lettera di Nostro Padre per il Duca di Alva in ogni modo vuole li sia data; se convenga mostrare a sua Eccellenza quella che Nostro Padre vi scrive, o no, sarà secondo che parerà conveniente, conferendo la cosa col Signor Don Bernardo di Bolea o Don Francesco Pacieco, il quale intendiamo essere molto intimo al Signor Duca, e tutti doi sono molto amici nostri e molto divoti del P. Mtro. Laynez, il quale scrive a tutti doi.„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 8.ª Martii.

[6] Ms. *disimularet*.

[7] Vide supra, pag. 149, n. 560, ubi tamen eques ille amicus Societatis non Ruffus sed *Fulvus* appellatur.

ex Theatinis esset. Ille statim respondit: "ex toto corde sum Societatis Jesu„. At illa: "nunc te minus amo quam prius„ [1].

948. Hac occasione accepta, eques ille multa de Societate Ducissae dixit, et monuit ne animam propriam damnaret, dum Societatem damnare vult, et ut curaret certior fieri de rebus Societatis, ne fructus, qui impediri poterat propter ejus animi aversionem, ipsi imputaretur. Tunc Ducissa satis multas esse religiones et Ecclesiam non indigere Societate nostra respondit. Et cum eques dixisset, "plusne vis sapere quam Summus Pontifex et Cardinales?„ Sed illa quavis data occasione, quam [2] male de Societate sentiret, explicare non cessabat; nec Dominus Franciscus Pacheco [3] tunc quidem quicquam respondit, quamvis coram ipso Ducissa loqueretur; forte eam videbat Ducissae habitudinem, ut nihil se bene effecturum judicaret [4].

949. Ex praescripto P. Ignatii procurator sanitatis Neapoli institutus est post ingressum Domini Joannis de Mendoza [5]; qui initio Februarii Romam ad Societatem proficisci volebat, quod aliter numquam se, vel sero, obtenturum facultatem a Rege existimabat. Cum autem aliud non posset P. Christopho-

---

[1] "L' officio fatto per il Cavalier Rosso non ci è parso nuovo, che ci a fatto altri rilevanti, et è molto buona cosa con tutte le sue facezie. Haveremo caro di vederlo in Roma.„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 22.ª Martii.

[2] Ms. *quamvis*.

[3] Alius, ut videtur, a Cardinali, qui Pro-regis vices Neapoli gesserat.

[4] Simile quid accidit paucis post mensibus Cardinali de la Cueva, ut videre est infra, n. 994.

[5] Vere quidem post Joannis de Mendoza ingressum procurator sanitatis Neapoli institutus est; sed ejus instituendi occasionem non Joannis ingressus praebuit, sed Octaviani Neapolim adventus. Quem autem procuratorem hujusmodi designabat Ignatius ipse fuit Octavianus. "et perche nel Collegio non manchi la cura che si conviene degli indisposti, Nostro Padre vuole che si faccia procuratore della sanità, come nel Collegio Romano, e però si mandano qui le regole di esso, quali vi darà il P. Rettore insieme con l' officio detto, perche, essendo voi bisognoso di ajuto, saprete compatire agli altri: e vi ordina specialmente Nostro Padre che essercitate detto officio verso di voi diligentemente. Si presuppone però che possiate farlo, il che se non potrete, il P. Rettore darà questa cura ad un' altro, insino a tanto che voi possiate tenerla.„ Polancus, *ex com.*, Octaviano Cesari, 22.ª Februarii.—"Non havendo in Napoli procurator della sanità, Nostro Padre vuole si faccia uno, e li pare sia Ottaviano. V. R. vederà sue lettere e regole dell' officio, che si usano in Roma, e li darà. Se pure non potesse attendere Ottaviano, V. R. faccia un' altro, et habbia cura, di grazia, che non si manchi a esso il governo conveniente„ Idem, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 23.ª Februarii.—At cum pejus in dies tum corpore tum animo valeret Octavianus, commissum hoc munus est a Rectore Collegii Domino Joanni de Mendoza, recens in domum admisso. "Ci pare bene l' officio dato a Don Giovanni di procuratore della sanità. Le regole che di qua si usano, ho fatto copiare e si mandano quì.„ Idem, eidem, 8.ª Martii.—Itaque existimamus scribendum hic esse non *Domini Joannis*, quod perspicue habet ms., sed *Dominus Joannes*.

rus Mendoza, Rector, obtinere, hoc saltem obtinuit, ne ex urbe Neapoli recederet, donec P. Ignatium consuleret; et, si in castello manere nollet, secreto in Collegio nostro mansurum esse, quamvis potius in castello manendum censebat.

950. Quinta ergo die Februarii, impatiens morae, in Collegium venit in curru, quam minime potuit ornato, et vilissimis, quas habebat vestes, indutus; et cum Rector ei persuadere non potuisset ut in castellum rediret, ut hospitem tandem admisit.

951. Hoc hora prandii acciderat: eadem nocte cum in Castello Novo eum non redire cernerent, statim quod erat suspicati sunt; et nobilis quidam ad Collegium venit, et quamvis omni studio ei persuadere niteretur ut ad arcem rediret, nihil impetravit; immo ut suasores hujusmodi importunos vitaret, eadem nocte Dominus Joannes ad cujusdam amici domum secreto secessit. Eadem nocte Dominus Bernardinus de Mendoza, qui tunc Pro-rex Neapoli erat, misit stipatorum praesidii sui praefectum ut Rectorem ad se adduceret, quandoquidem Dominus Joannes, quem primo loco accersebat, in Collegio non inveniebatur.

952. Quinta ergo noctis hora in palatium se contulit Rector, et magnum desiderium Dominus Bernardinus ostendit saltem ad unam horam alloquendi Dominum Joannem de Mendoza; sed cum intellexisset in Collegio non esse, conquievit.

953. Postridie rediit ad Collegium Dominus Joannes et per ipsummet Rectorem litteras Pro-regi, Domino Bernardino, quibus sui propositi rationem reddebat et arcem eidem commendabat, [misit]. Hae litterae Pro-regem magno gaudio affecerunt, et significari Domino Joanni jussit ut bono animo perseveraret in sancto suo proposito, nec timeret ullum impedimentum ad ejus executionem datum iri.

954. Similes litteras [Dominus Joannes obtulit] Duci Albano, qui recens venerat Neapolim; praeerat autem tam neapolitano regno quam mediolanensi ditioni et omnibus locis, qui in Italia parebant [Regi Hispaniae]. Et Dux Albanus similia respondit, ad perseverantiam eum adhortatus, et ne recederet Neapoli injungens, donec aliud constitueretur [1].

955. Eodem die, cum jam late patere coepisset hic rumor

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 170.

per urbem cum magna multorum admiratione, decrevit Dominus Joannes de Mendoza palam suam vocationem profiteri, animatus ad ferendum contemptum et quidquid accidere in animi sui proposito manifestando posset. Et admisit ad colloquium suum fratrem, qui Neapoli versabatur, et alios amicos, inter quos aliqui Duces et Barones fuerunt, et ejus animi constantia summae omnibus aedificationi fuit. Nec alia de re Neapoli quodammodo homines loquebantur; et quamvis initio juxta varios affectus hominum varie loquerentur, fere tamen Dei opus esse vocationem hanc agnoscebant.

956. Ipse autem cum magna spirituali laetitia et omnium domesticorum aedificatione domi versabatur, nec sibi in victu, vestitu, lecto et cubiculo quicquam prae aliis fratribus deferri volebat, et ultimo in loco in refectorio sedere cupiebat; nec in his, quae ad orationem et alia spiritualia exercitia pertinebant, de aliorum more praetermittebat. Accepit etiam pileum ac vestem nostrorum scholasticorum; et quia miles erat ordinis S.ti Jacobi, obligationes [1] illius in nostrae Societatis onera commutari facile obtinuit.

957. Interim, cum admonitus P. Ignatius fuisset de ejus recessu ab arce, cum nec Pro-regis nec Ducis Albani animum intellexisset, eidem Domino Joanni scripsit videri sibi in arcem redeundum esse [2]; et quidem paratus erat, licet magno cum rubore suo, id exequi. Sed cum judicaret Pro-rex nullo modo id fieri debere, satis intellectum est voluntatem P. Ignatii eamdem fore.

958. Magnam tamen occasionem habuit Dux Albanus et Pro-rex aedificationis capiendae, cum eis constaret quam sincere Societas in hoc negotio ipsius Domini Joannis processisset.

959. Exercuit autem se illa hebdomada in exercitiis spiritualibus magno cum fructu, et servum quemdam suum, nomine Galiferum, adhuc Mahometanum (de quo superius [3] obiter mentio facta est) in Collegium venire jussit.

960. Juvenis is erat novendecim annos fere natus, prudens et modestus, qui, [cum] in Collegio versaretur, stupebat quod ad

---

[1] Ms. *obligatione*.
[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 122.
[3] Vide supra, n. 921.

mensam Domini sui admitteretur; immo quod aliquando ipse Dominus ei in mensa inserviret. Et cum prius ne in cubiculum quidem ejus ingredi auderet, quodammodo aequalem ac velut fratrem ipsi se factum esse videbat.

961. Adjutus ergo hoc exemplo Domini Joannis et aliorum fratrum, instructus etiam de christianae religionis mysteriis, ad fidei lumen a Domino excipiendum se disposuit, et demum se christianum fieri professus est, et ex Gallifero nomen in baptismo cum Petri nomine mutavit.

962. Alii plurimi ad saecularia relinquenda exemplo Domini Joannis commoti fuerunt; erat enim notissimus et magnatibus et populo, cum a Domino Petro de Toleto, Pro-rege Neapolis [1], ut filius educatus fuisset, et illius arcis nobilissimae Praefectus, et in ornatu splendidissimus atque aliis in rebus externis fuisset.

963. Cupiebat autem ille [2], simul atque a curia Regis [3] expectatae litterae venissent, Romam venire; et ita cum vigesima nona Martii jam constitisset Regem Philippum Domino Alvaro de Mendoza, ipsius fratri, arcis praefecturam contulisse, Romam, ut optaverat, Dominus Joannes profectus est.

964. Ejus locum Joannes de Rosa, Neapoli admissus, supplevit.

965. Post recessum autem praedicti Joannis, Dominus Hieronymus Vignes in gravissimum morbum incidit, ut parum admodum de ejus vita medici sperarent; et tamen ex eo, humanitus [4], saltem magna ex parte Collegii Neapolitani sustentatio pendebat [5]; sed tandem placuit Deo eum sanitati restituere.

966. Venerat Romam, simul cum praedicto Domino Joanne, Mag. Theodorus Peltanus, qui primae classi praeerat; fuit etiam evocatus, ut in Galliam proficisceretur, P. Nicolaus Paredensis. Et ita scholae neapolitanae non mediocre detrimentum subiisse videbantur.

967. Sed missus Mag. Joseph Fabricius ac quidam alius

---

[1] De hoc saepius sermo factus est in praecedentibus hujus *Chronici* voluminibus.
[2] Joannes de Mendoza.
[3] Philippi II, Hispaniarum Regis.
[4] Ms. *humanitas*.
[5] Vide supra, t. III, IV et V, dum de hoc Neapolitano Collegio sermo est, praesertim t. V, pag. 180, nn. 518 et 519.

Mag. Franciscus [1] detrimentum, quod scholae pati aliorum absentia potuerant, instaurarunt; et multi ex eruditioribus scholasticis ad Societatem admitti se postulabant. Et ita crebro admodum descriptiones hujusmodi juvenum Romam mittebantur; quamvis nec omnes nec statim admittebantur.

968. Missus autem fuit Romam quidam sacerdos, nomine Bonifacius [2], cum alio juvene, quem Scipionem de Barleta vocabant.

969. Missus etiam fuit quidam Sanchius Cocci, jam vir, ad multas res idoneus, cum quo Bartholomaeus Sguarcialupi ex oppido Colle, in Hetruria, venit, et uterque Romae admissus est.

970. Venit et Horatius Gentilis simul cum Joanne Paulo Mirabello, ac Innocentio Spatafora superius nominatis [3], quamvis enim aliquandiu Horatius in Collegio Neapolitano fuit, pater ejus, qui medicus erat Principis Artigliani [4], miras turbas excitabat ut eum a Societate avelleret, et omnem ad id movebat lapidem.

971. Misit ergo praedictus Princeps quemdam ex suis, petens a Rectore ut concederet facultatem patri Horatii suum filium alloquendi. Cum id negaret, misit Vicarium [5] Archiepi-

[1] Vide annot. seq.

[2] Aut aliquis hic latet error, aut duo fuere eodem tempore eodemque nomine *Bonifacii* sacerdotes, unus qui Neapoli Romam, alter qui Roma Neapolim missus est. Scribit enim, *ex com.*, Polancus Neapolitano Rectori: "L' apportatori di questa sono cinque nostri fratelli; uno di loro è sacerdote, chiamato Don Bonifacio, il qual potrà, oltra la Messa, agiutare in confessioni et in una clase bassa, se fusse necessario, et attendere allo studio dell' humanità „ 9 [a] Aprilis.—Quatuor alii, cum hoc Bonifacio missi, erant Joseph Fabricius, Franciscus Hercules, Joannes Baptista de Bianchi et Antonius paduanus vel patavinus. IDEM, *ibid.*—Jam vero Bonifacius ille, qui Neapoli Romam missus est, altero postquam advenit die dimissus est. "Gionse Don Bonifacio et il dì seguente per certe cause se li è data licenza. Scipione di Barletta sta in probatione e pare buon suggetto. Il suo compagno stette una notte in casa, et il dì seguente dopo mangiare, se n' andò a visitar un' altro abbate, mostrando non aver risolution d' esser religioso, il che dal principio si era osservato in lui.„ Idem, eidem, 2.[a] Junii.

[3] Pag. 243, n. 927.

[4] Sic.

[5] Hic Vicarius, de quo statim iteratur sermo, et infra, n. 1025, vocatur Episcopus Vestanus, est Fr. Julius Pavesius Brixiensis, Ord. Praed. Creato enim Pontifice Maximo Paulo IV, qui Neapolitanam Sedem regebat, cum ab eo "requireretur, ut Ecclesiae Neapolitanae Praesulem daret, respondit non vacare Ecclesiam se ipso vivente: se nedum universalis, sed et suae particularis Neapolitanae Episcopum esse. Julius vero Pavesius, ejusdem Pontificis in hac Ecclesia Administrator, in ejus actis hoc modo reperitur inscriptus: Julius Pavesius, Episcopus Vestanus, S. D. N. Papae in Archiepiscopatu Neapolitano in spiritualibus et temporalibus Vicarius, et Officialis Generalis.„ UGHELLI, *Italia Sacra*, t. VI, col. 156. Surrentinorum Archiepiscopus renunciatus est 20 Julii 1558.—Vide supra, t. V, pag. 179, n. 515, annot. 2.

scopi ad hoc ipsum; sed cum ne illi quidem concederetur, venit ipsemet Princeps, sed respondit ei Rector in his, quae ad Dei honorem pertinent, nullius Principis rationem esse habendam. Aegre admodum repulsam tulit ille, et alibi contra Societatem non pauca ab eo audita sunt.

972. Rediit Vicarius simul cum patre Horatii, et tandem illi concessit Rector ut Horatium pater coram ipso alloqueretur, et ea pater dixit et egit ut filium removeret a suo proposito, ut Vicarius ei jusserit inde recedere, nam vel saxum, ut ipse ajebat, movere poterat. Unde non mirum erat, si juvenis animus emolliri videretur. Recedente tamen ipsius patre, ad se rediens, nullo modo voluit patrem suum sequi, sed Deo in Societate nostra servire.

973. Venit paulo post idem Vicarius cum Regente Vilano [1], et constantem adhuc invenit juvenem, et cum aedificatione recesserunt, et Duci Albano Regens Vilanus id retulit; et ita necesse non fuit ut praedicto Duci (quod P. Ignatius injunxerat) informatio facti hujus daretur; sed ut se expediret ab hujusmodi molestiis P. Mendoza, praedictum Horatium, ut diximus, Romam misit.

974. Duae autem tempestates Neapoli exortae fuerunt hac ipsa aestate; altera levior occasione Octavii accidit, de quo non semel est facta mentio [2]. Hic cum Romae infirma uteretur valetudine, remissus est Neapolim, et liber ipse relictus est (nam constantiam non mediocrem prae se ferebat) ut vel in Collegio nostro vel domi paternae valetudinem curaret.

975. Ille ergo fervens, et in itinere interdum concionatus, et familiaribus colloquiis etiam aliquos adjuvare studens, in Collegio curari voluit, quamvis ejus parentes singulis mensibus se velle confiteri et communicare cum sua familia promitterent; et constantiorem se numquam fuisse litteris suis testabatur. Rogavit etiam per litteras P. Ignatium, ne permitteret se ex Collegio ad patris domum deduci.

976. Cum autem Rector morbum prolixiorem animadverteret, hujus sententiae fuit, ut ad patris domum curationis gra-

---

[1] Sic, et statim recurrit etiam *Vilanus*.—*Reggente della gran Corte della Vicaria*. Vide supra, t. III, pag. 184, n. 391, annot. 3.

[2] Vide supra, t. III, pag. 190-192, n. 401-404; t. IV, pag. 17, n. 17, et pag. 222, n. 495. Etiam *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 44, 46, 118, 296 et saepe alibi.

tia veniret [1]; et cum repugnantia id fecit juvenis, ut scribit, quamvis augeri ipse sentiebat, ut testabatur, odium erga suos (juxta Evangelii sensum odium intelligendo) et sic se cum illis gerebat, ut indignati parentes ejus apud Rectorem conquererentur; et injunctum illi fuit, ut mansuetius se cum suis gereret.

977. Cum autem melius habuisset, mensem unum domi paternae commoratus, ad Collegium rediit, et tamquam ex cruce sibi descendere videbatur. Sed cum in Collegio male habere et ad febrem ethicam tendere videretur, melancholico etiam humore, quod se inutilem judicaret, interdum afligeretur, in villam quamdam patris missus, uno aut altero mense sic profecit, ut omnino voluntatem sequendi institutum abjecerit, et ita P. Ignatio scripsit, quod se inhabilem atque inutilem cognosceret, cum consilio medicorum corporis et animi se extra Societatem mansurum : si omnimodam sanitatem consecutus esset, quod promiserat, observaturum.

978. Sed Rector scripsit pejus se eum habere quam scriberet, et sic abhorrere a Collegio, ut ne videre quidem illud, aut nominatum audire vellet; et ad patres Theatinos se contulit, petens in ipsorum admitti religionem, quem tamen illi non admiserunt. Et omnia haec ex humore melancholico provenire Rector existimabat.

979. Perturbationis causa etiam fuit amicis, quod qui in Societatem admitterentur, propter aegritudinem ad suos curandi remitterentur [2].

980. P. Ignatius haec intelligens scribi voluit Octaviano litteras, quibus amanter de animae suae salute admonebatur [3]. Accersitus est ad Collegium ut eas acciperet, sed id recusavit; et non solum a medicis sed a fratre Francisco de Mede, Ordinis S.ti Francisci, hoc sibi consilii datum asserebat (erat enim is

---

[1] Haec Rectoris sententia Romae probata fuit. "Napoli, ad Ottaviano Cesari se gli scrive, rispondendo alla sua di 22 di Febraio, essortandolo a procurar la sanità corporale, dicendogli si lasciava in sua libertà di stare in casa delli suoi o nel collegio, et che in ogni luogo si servirebbe di lui Iddio Nostro Signore. Al primo di Marzo 1556.„ *Reg. litt. S. Ignatii,* vol. IV, fol 9 v.—Vide infra, annot. ad n. 979.

[2] "Del haverlo mandato in casa sua per rihaver sanità, facendo tanta instantia suo padre e di qua alcuni signori principali, non si poteva secondo la ragione far di meno. Questo dico perche si scrive di là che qualchuno mormora del haverlo mandato a casa sua essendo infermo.„ Polancus, *ex com.,* Patri Christophoro de Mendoza, 21.ª Junii.

[3] Illae esse videntur, quas scripsit, *ex com.,* Polancus 2.ª Junii.

non mediocris auctoritatis Neapoli [1]), ut ne memoriam quidem Collegii retineret. Sed duo ex nostris eum adeuntes, domi suae litteras ei dederunt, sed parum ejus animum commoverunt.

981. Pater autem ac mater ipsius, immo et ipse, solutius contra Societatem loquebantur, ipsumque Octavianum seductum fuisse, et quidquid scribebat, in gratiam Superiorum scripsisse, ac vota sine judicio emisisse, et alia similia; et murmur contra Societatem per urbem spargi incipiebat, et timebatur ne aliqui, ad Societatem propensi, ab hoc proposito recederent, quamvis hoc eodem tempore Caesar Pontanus in Collegium admissus est.

982. Secunda tempestas multo fuit gravior, quae orta fuit occasione cujusdam adolescentuli, qui Vincentius Cortesius, Petri Antonii filius, dicebatur; qui cum ad Societatem aspiraret, consultus P. Ignatius, habita facultate parentum et non aliter, concessit ut Romam mitteretur; hoc enim juxta institutum Collegiorum erat, cum ad scholas nostras veniret [2]. At ejus pater quinque vel sex annos eum expectare volebat.

983. Cum autem cuidam Patri Joanni Francisco [3], sacerdoti Collegii, aperuisset quod ad salutem suam cupiebat domum patris egredi et Romam venire, ille hoc dedit consilii, quod poterat id facere, et quidem de domo paterna accipere quae sufficerent ad viaticum, dummodo sine scandalo id fieri posset. Et cum eo tempore ille, de quo superius [4] memini, Sanctus Cocci Romam esset profecturus, ei commendavit juvenem praedictus sacerdos.

984. At pater juvenis, ad hunc sacerdotem veniens et ubi filius esset petens, se nescire dixit num esset Neapoli an extra illam. Ille autem, iratus et minitans, magnas tragoedias coepit excitare.

985. P. Christophorus de Mendoza, Rector, qui prohibuerat praedicto sacerdoti ne se immisceret in praedicti Vincentii ne-

---

[1] Aliqua jam intercesserat per litteras consuetudo inter Sanctum Ignatium et Fratrem Franciscum de Medde (Vide *Cartas de San Ignacio*, t. I, pag. 321). Sed incerti sumus an ille, qui Perusii anno 1547 degebat, unus idemque sit cum hoc, qui anno 556 Neapoli versabatur.

[2] Vide supra, pag. 171, n. 630.

[3] Sic; cognomine non expresso. Eritne P. Joannes Franciscus Araldus, qui a Collegii primordiis Neapoli versabatur? Vide supra, t. III, pag. 170, n. 355.

[4] Vide supra, pag. 252, n. 969.

gotio, evocatus fuit ad domum Hieronymi Vignes, qui adhuc aegrotabat, et accersito etiam illo sacerdote, de quo supra, in virtute sanctae obedientiae ei Rector injunxit, ut diceret si quid de illo adolescentulo noverat. Ille autem, intelligens sibi praecipi juxta quemdam sensum, negavit se quidquam scire; et cum secundo coram Duce Montis Leonis in simili virtute sanctae obedientiae idem praeciperetur, tantumdem respondit.

986. Cum autem rumor increbresceret, inventus fuit a patre adolescens in domo, apud Sanctum Cocci, de quo intellectum erat quod Romam profecturus erat ut in Societatem admitteretur, et statim in carcerem conjectus; et tam ipse quam adolescens dixerunt cum consilio praedicti sacerdotis haec fuisse facta, etiam quod domi suae Vincentius fecerat, ut nonnulla ex auro vendenda in viaticum caperet.

987. Et usque adeo scandalum hoc crevit, ut etiam apud graves et primarios homines et Societati addictos se extenderet, et hac occasione diabolus notas infamiae gravissimas, licet omnino falsas, contra Collegium seminabat, adeo ut tota civitas fere commota esset ad Ducem Albanum adeundum, et ei supplicandum ut juberet Neapoli Societatis nostrae homines excedere. Et inter plurimos cives hac de re serio agebatur, et Electi civitatis, ut ea de re Ducem alloquerentur, in palatium se contulerunt.

988. Videbatur autem expedire ut praedictus sacerdos Romam statim mitteretur, quo scripserat pater adolescentis litteras ad quemdam Abbatem Campanilem, Societatem a culpa praedicti negotii immunem significans. Et illae litterae a nostris neapolitanis repetitae fuerunt, ut Cardinali de la Cueva, qui sub initium mensis Junii Neapolim [venit] ad Pro-regis officium exercendum, ostenderentur, et ille cum Duce Albano communicaret [1].

989. Expetebatur etiam Patris Jacobi Laynez adventus, ut illum populi rumorem suarum concionum aedificatione sepeliret. Patri tamen Ignatio visum est Cardinalem praedictum, qui Societati amicissimus erat, auxilium esse nostris allaturum.

990. Et quia hujusmodi occasionibus addebatur alia cujus-

---

[1] Vide Ignatii de hac re ad Cardinalem de la Cueva litteras in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 333; et Patri Antonii Cortés ad Abbatem Campanile, *ibid.*, pag. 696.

dam spiritualis foeminae (quam Felicianam vocabant [1]), quae aliquot virgines domi suae prope Collegium habebat, et suspiciones in ore multorum circumferebantur, injunxit Rector ut inde recederent ad locum remotiorem: alioqui nec ad confessiones nec ad communionem in templo nostro admittendae. Et Duci Montis Leonis, et Comitissae Nolae [2] atque aliis amicis hoc omnino expedire visum est.

991. Praeter hanc autem infamiam, illud incommodi accedebat, quod, cum eleemosynis Collegium viveret, valde illae imminuebantur, quandiu falsi hujusmodi rumores vigebant.

992. Ingressus etiam Domini Joannis de Mendoza, quamvis alia ex parte multum aedificationis attulerat, nocuit tamen in hac parte, cum vulgus existimaret decem vel undecim millia ducatorum Collegio Neapolitano ipsum dedisse; et eo res redierat, ut cum vigesima Junii quaedam confraternitas quamdam eleemosynam pro more peteret, ex qua media pars in usum Collegii cedebat [3], res horrendas audiebant, et eleemosynam eis dare recusabant; ex qua tamen praecipuam sustentationem Collegium habere solitum erat.

993. Major autem pars eorum, qui soliti erant sacramenta in templo nostro frequentare et Missae sacrificiis interesse, a nostris recesserunt.

994. Ducissa Albae, alioqui satis male erga Societatem affecta, sic se gerebat Neapoli, ut cum Cardinalis de la Cueva apud ipsam de Societate bene loqui coepisset, ut ex ejus mente sinistrum conceptum auferret, usque adeo duram invenerit, ut suspendendum ab hujusmodi charitatis officio apud ipsam censeret [4].

995. Dicebat nostros in Hispania nimium esse familiares vel amicos, ut ipsa dicebat, mulierum; et quia Rector audiebat in arce Castelli Novi confessionem Dominae Catharinae de Men-

---

[1] Vide plura, quae de his dicta sunt, supra, t. IV, pag. 189-190, n. 405 et seqq.; et infra, n. 1000.

[2] Mariae Sanseverino, feminae lectissimae, quae Henrico Ursino nupserat. Haec Collegium Nolanum anno 1558 condidit. Vide Remondini, *Della Nolana Ecclesiastica Storia*, t. I, pag. 209; Sacchini, *Hist. Soc. Jesu*, p. II, lib. II, n. 76.

[3] Sermo est de confraternitate, quam *Alborum* vocabant. Vide supra, t. III, pag. 180, n. 383, et pag. 187, n. 394.

[4] "Il Cardinal de la Cueva va con animo di far grande amicizia fra la Signora Duchessa e noi, e credo che agiutarà in ogni accorrentia caldamente.„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 14 Junii.—Vide supra, pag. 248, n. 948.

doza, sororis Domini Joannis, et quarumdam aliarum, prohibuit ne aliquis de Societate praedictam arcem ingrederetur; et hujusmodi erat illa amicitia, quam mordebat [1].

996. Existimabat ergo Cardinalis praedictus et alii amici necessarium esse adventum Patris Jacobi Laynez Neapolim: sic enim existimabant ejus doctrina et exemplo conciliari posse Ducissam Albae, quae sic affecta erat propter ea, quae audierat a quibusdam religiosis viris contra Societatem, ac praecipue a fratre Melchiore Cano, qui quodammodo apertas et testatas contra Societatis institutum inimicitias gerere videbatur, et magnam auctoritatem habebat apud Ducissam, quae alioqui pia et bonae mentis esse credebatur.

997. Interim domi morbis Rector ipse et alii ex primariis collegialibus laborare coeperunt. Itaque domi et foris divina bonitas nostros exercebat; et tamen, licet nec sacerdos superius dictus [2] Neapoli excessit (nec enim Patri Ignatio expedire visum est, cum simplici animo et putans se obsequium praestare Deo in negotio Vincentii Cortesii errasset [3]), nec P. Jacobus Laynez Neapolim venit; gregis sui pusilli Dominus curam habuit.

998. Et ille juvenis, scilicet Vincentius, constanti animo et desiderio ingrediendi Societatem perseverabat; et a Rectore, ut in Societatem admitteretur, licet domi retentus, urgebat; et paulatim ad confessiones et conciones homines redibant; et in festo Assumptionis B. Virginis tam multi venerunt, ut etiam qui soliti non erant homines primarii (inter quos Dux quidam et Pontificis Pauli IV soror fuit [4]), nostris confiteri cum suis familiis coeperunt.

999. Libenter tamen vel Patrem Laynez vel Patrem Salmeronem Neapolim misisset P. Ignatius (post reditum [5] cum Legato), si Summus Pontifex consensum ad id praestitisset; sed

---

[1] Hoc est, tota cum mulieribus familiaritas vel amicitia in eo tantum erat, quod earum confessiones a nostris audirentur.

[2] Joannes Franciscus. Vide supra, pag. 256, n. 988.

[3] "Circa Gio. Francesco, essendosi sparsi tali rumori, pare meglio che non faccia absentia di Napoli, perche non habbino occasione di pensar qualche gran male quell che tanto volentieri con tanto poca occasione mormorano.„ Polancus, *ex com.*, Rectori Neapolitani Collegii, 28.ª Junii.

[4] Beatrix, scilicet, Carafa, de qua vide supra, t. IV, pag. 190, n. 407 cum annot. 2.

[5] Scil., Patris Salmeronis.

cum jam glisceret bellum, non poterat ulla ratione ab amicis neapolitanis adventus eorum a Pontifice postulari.

1000. Curabat etiam inter alios Domina Martia Maramaldi ut praedicta Feliciana [1] cum suis virginibus ad sacramenta domi nostrae admitteretur, ne propter rumores ineptos et sine ullo veritatis fundamento sacramentorum beneficio illae privarentur; Duci tamen Montis Leonis et aliis amicis non est visum id expedire [2].

1001. Antequam bellum aperte moveretur, post initium mensis Julii, aliquis amicus Societatis admonuit, ut P. Ignatio scriberetur expedire ut, quam citissime fieri posset, multos ex nostros ex Urbe dimitteret, significans propter bella statim consecutura hoc consilium se dare; et satis multi alio missi fuerunt, ut superius dictum est [3], quamvis fere centum et quinquaginta Romae manserint.

1002. Rector hujus Collegii ex praescripto P. Ignatii tres consiliarios ex collegialibus designavit, ac eidem Patri, si videretur, confirmandos, vel, si mallet, alios nominandos, repraesentaret: fuerat autem hoc ipsum aliis Rectoribus etiam injunctum.

1003. Cuidam monasterio religiosarum ordinis S.ti Benedicti, habita facultate a P. Ignatio, spiritualia exercitia proposita fuerunt.

1004. Quidam ex fratribus, Jacobus Chalamoza nomine, qui anno praecedenti Societatem ingressus fuerat, et, propter morbum curatu difficilem, Neapolim, quod ibi curaretur, remissus esset, initio mensis Julii domi suae diem obiit extremum. Juvenis fuit, quem virginitatis dono Deus ornavit, et singulari virtute praeditus. Licet octo menses in lecto decubuerit, ab obedientia semper regi cupiebat juxta votum suum, et octavo

---

[1] Vide supra, pag. 256, n. 990.

[2] "La provisione circa madonna Feliciana è stata bona; pur si faccia suavemente quanto si può, facendo capace a lei di quello conviene.„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 28.ª Junii.—"Questa infamia (rumor occasione Vincentii Cortesii) e quella della Feliciana, essendo senza fundamento alcuno di verità, non si debbono troppo stimare; ma è ben levar ogni occasione dal nostro canto, e così il partirsi della vicinanza la Feliciana sarà conveniente, et il mezzo, che si è pigliato, ordinato a ciò, pare etiam bene.„ Polancus, *ex com.*, Hieronymo Vignes, 28.ª Junii.—Videndae etiam ejusdem ad Rectorem Neapolitani Collegii litterae, et aliae ad Dominam Martiam Maramaldi, datae 19.ª Julii.—Appellatur haec quandoque *Marramalda*.

[3] Pag. 55, n. 163.

quoque die communicabat. Missae enim coram ipso dicebantur [1].

1005. Incisionibus et adustionibus quorumdam apostematum et aliis cruciatibus miram patientiam ad ultimum usque diem exhibuit; et cum ossa tantum et pellem habere videretur, duas horas ante obitum, quodam ex nostris evocato, cui confiteri voluit, placidissime ad Dominum migravit, omnibus Ecclesiae sacramentis acceptis, et a quodam ex nostris usque ad extremum assistente adjutus; et quamdam, ut scribunt, faciem prae se ferebat, quae ejus animi quietem et pulchritudinem referebat.

1006. Bona sua omnia Collegio Societatis Neapolitano reliquit. Postea tamen a nostris intellectum est ab ejus patre vinculum quoddam in his bonis fuisse relictum, ut, uno filio sine liberis decedente, alter in haereditate succederet. Poterant nihilominus quadringenti vel quingenti ducati recuperari, sed non sine lite et multorum obtrectationibus. Et simul atque fratris Jacobi testamenti tenorem percepit [pater], strepitum non mediocrem excitare coepit. Sed hanc rationem nostri inierunt, ut totum hoc negotium in manibus Domini Scipionis de Arezo relinquerent (hic postea Episcopus Placentinus et Cardinalis effectus est [2]), ut, quidquid facto opus esset, de jure vel aequitate faceret; et ita murmuris occasio sublata fuit.

1007. Acceperunt nostri Neapoli praeceptum ut, si in eorum templum Dominus Ascanius, vel ejus filius, Dominus Ascanius [3] Columna ingrederentur, statim a divinis cessarent, donec ex ecclesia illi egrederentur; praecessit enim excommunicatio hujusmodi privationem bonorum [4], quam Paulus IV armata

---

1 "Che dia tanto buona edificatione nella sua infirmità Giacobo Calamazza, è non piccolo dono d' Iddio, a cui piacerà fortificare e dar perfettione nella virtù nella sua infirmità.„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 19.ª Aprilis.

2 Vide supra, t. IV, pag. 179, n. 377.

3 Sic; Ascanii tamen filius, cujus hic est sermo, quique a Paulo IV et excommunicatus et bonis spoliatus est, Marcus Antonius Columna dicebatur. Vide inter plurimos, qui de his scripsere, NORES, *Istoria della guerra di Paolo IV contro gli Spagnuoli*, in *Archivio storico italiano*, serie I, vol. XII, pag. 21 et seq.; et hic, annot. seq.

4 "C' è stato ordinato a noi et anche a tutte le religioni, che quando il Signor Ascanio, overamente il Signor Marcantonio, suo figliolo, volessino intrare nelle chiese nostre, cessetur a divinis, insino a tanto che eschino fuora, perche sono escommunicati per Sua Santità, da cui parte c' è stato fatto tal comandamento. La R. V. lo farà observar, perche non manchiamo del debito dell' obedientia...„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 19.ª Julii.

manu mox intulit, et deinde, progressus ulterius, ad bellum neapolitanum descendit; et ita hoc autumno litterae ultro citroque non facile mittebantur.

1008. Cum autem Cardinalis de la Cueva, Pro-rex, intellexisset obitum P. Ignatii, litteras Societati, quae Romae versabatur, officiosas scripsit [1], animi sui sensum de talis amici obitu significans, et laudans electionem P. Jacobi Laynez in Vicarium, ac suam operam Societati offerens [2].

1009. Domina Leonora S.ta Severina [3], cum intellexisset morbum Domini Joannis de Mendoza, rogavit per litteras P. Vicarium ut concederet eum apud Cardinalem Pachecum [4] valetudinem curare, vel saltem Neapolim ad Collegium nostrum eum mitteret. Cum autem prius illud minime conveniret, et posterius ipsi etiam Domino Joanni gratum videretur, ut superius dictum est, in lectica Neapolim versus, nostris comitantibus, missus, eadem nocte, qua Roma profectus est, in Villa Marii obiit [5].

1010. Juvenis quidam juris studiosus, Nicolaus Pedilongus nomine, admitti se in Societatem hac aestate postulaverat, et in Septembrem ejus admissio fuerat dilata [6]; sed interim litteras ex patria accepit, quibus ei significabatur matrimonium inter ipsum et virginem bene dotatam tractatum et constitutum jam fuisse, et procuratorias ab eo litteras ad firmandum matrimonii contractum petebant. Ille itaque, oppugnari se animadvertens, urgere coepit ut statim admitteretur; si enim expectasset ad tempus condictum, consanguineorum impedimenta timebat; et ita, cum consultus esset P. Ignatius et id probasset, statim admissus est; et aliquanto post Marcus Antonius Gagianus [7].

1011. Juvenis praeterea genuensis, quem Neapoli missum

---

[1] Has habes in t. VI, *Cartas de San Ignacio*, pag. 373.

[2] Hoc Cardinalis responsum habes etiam *ibidem*, pag. 409.

[3] Cognata Joannis de Mendoza. Vide infra, n. 1021.

[4] Societatis amicissimum, Pro-regem olim Neapolis, de quo saepe annis superioribus actum est. Vide supra, t. IV, pag. 32, n. 45; pag. 171, n. 358 et seq.; t. V, pag. 175, n. 504, etc., et hic supra, pag. 248, n. 948.

[5] Vide supra, pag. 47, n. 137.

[6] "Le parti di Giovancolà Pedelongo paiono bene; ma, non essendo tempo adesso di venire a Roma, in questo mezzo si provarà sua constantia.„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 12.ª Julii.

[7] Prius scriptum erat *Gazianus*, sed emendatum est ab ipso Polanci librario ita ut legatur *Gagianus*. Vide supra, pag. 243, n 929.

diximus [1], ad Collegium venit et in Societatem admitti magno conatu studuit. Et quamvis ingenio, constantia, animi judicio, et spiritu pollere videretur, quia tamen ejus consanguinei potentes erant, et Principibus grati admodum, et tragoedias magnas excitaturi videbantur, permisit P. Mendoza, Rector, ut ex Collegio eum abducerent, et Genuam illi denuo, ut scripsit, remiserunt, postquam aliquot hebdomadas clausum obtinuissent.

1012. Sub initium Septembris litterae Regis Philippi ad Ducem Albanum in commendationem Collegii Neapolitani et rerum ad id pertinentium Duci eidem redditae fuerunt; sed cum totus esset in bellica expeditione, parum attendere videbatur hujusmodi litteris, quae etiam exciderunt, nec inveniri amplius potuerunt.

1013. Quidam ex nostris, Ferdinandus nomine, ut ministraret aegrotantibus in magno hospitali incurabilium missus, cum magno fructu ibidem versatus est; nam praefecerunt eum fere omnibus aegrotantibus, quod ad rationem victus eorum pertinebat, eo praesertim tempore, quo *aquam ligni sancti,* ut vocant, praedictis aegrotantibus in universum dabant, mense, scilicet, Septembri.

1014. Sub festa Natalitia tanta hominum multitudo, confessionis gratia, ad templum nostrum confluxit, ut ne duplicatus quidem numerus confessariorum eis satisfacere posset.

1015. Cum intellectum esset Neapoli Patrem Salmeronem Romam rediisse, litteris urgere Patrem Laynez, Vicarium, coeperunt ut ipsum Neapolim mittendum curaret. Scripsit autem inter alios Dominus Antonius Minturnus, Ducis Montis Leonis Secretarius et postea Episcopus [2], tam necessarium [esse] ejus reditum Neapolim, ut ab eo quodammodo pendere stabilimentum Collegii, etiam in rebus temporalibus, diceret, et ait illud fuisse ruiturum, nisi diligentia Domini Hieronymi Vignes adjutum fuisset [3].

1016. Optabant autem multi ut in ecclesia Annunciatae se-

---

[1] Sermo hic esse videtur de "nobili juvene ex Adornorum familia„, de quo supra, pag. 171, n. 628; sed, si ita est, hic, ubi ms. habet *Neapoli,* scribendum videtur *Neapolim,* et legendum sic: *quem Neapolim missum diximus.*

[2] Antonius Sebastianus de Minturno, anno 1559 Ugentinus, et anno 1565 Cotronensis Episcopus. Vide *Cartas de San Ignacio,* t. II, pag. 376, annot. 2.

[3] Vide supra, t. V, pag. 180, n. 518, 519

quenti Quadragesima concionaretur [1]. De re eadem, cum esset Tybure, ut diximus [2], Dux scripserat et demum id impetratum est bona cum venia Summi Pontificis.

1017. Mense Decembri Neapolim pervenit, et vix dici posset quanto cum gaudio, non solum a nostris, sed etiam ab externis, ac praecipua nobilitate, fuerit exceptus; optabant enim magnopere ipsum concionantem audire, et statim significatum ei fuit suggestum S.ti Joannis majoris [3] a nobilibus Sedium portus (sic vocant partem quamdam nobilitatis ejus urbis [4]), ei fuisse ad Quadragesimam sequentem decretum. Et suscepit provinciam ibidem concionandi. Sed ipso die S.ti Stephani in regio palatio coram Duce ac Ducissa Albae hispanice concionatus est, ubi mirum auditorum studium in eum perspectum est, quorum fuit amplissimus consessus.

1018. Ipso autem die Circumcisionis sequenti, coram Cardinale de la Cueva et quibusdam Episcopis et aliis utriusque sexus claris hominibus, secundam habuit concionem; et tam celebris erat ejus fama Neapoli, ut, alludendo ad nomen Salmeronis, alterum Salomonem dicerent.

1019. Fuit autem peropportunus ejus adventus ad res Collegii stabiliendas, et in meliorem statum redigendas, et ad sepeliendos oblocutorum rumores; quamvis enim alii conciderent, alii subinde excitabantur. Et ex Hispania intellexerat Ducissa Albae decretum Doctorum parisiensium, quo Societatis Institutum damnabant [5]; et libenter a Ducissa id intellectum esse dicebatur, et aperte dicebat Doctorem Melchiorem Canum, tam sanctum Dei servum tamque doctum, eam hortatum esse ut a nostris bene caveret. Et incurabilis videbatur Ducissae plaga in hac parte.

1020. Invenit statum Collegii internum P. Salmeron satis bonum, postquam Rector, concionibus relictis, gubernationi Collegii et confessionibus externorum dabat operam [6]. Lecto-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 174, 175, n. 502 et seqq.

[2] Dux, scilicet, Albae. Vide supra, t. v, pag. 177, n. 509; et in hoc t. iv, pag. 61, n. 187.

[3] Vide supra, t. iii, pag. 171, annot. 2; et De Stephano, *Descrittione dei luoghi sacri di Napoli*, fol. 19.

[4] Vide supra, t. iii, pag. 179, annot. 1 ad n. 376.

[5] Vide praesertim supra, t. iv, pag. 328, n. 703.

[6] Ut ita se gereret, admonitus Roma fuerat P. Christophorus de Mendoza; et cum non statim perfecte, quod admonitus fuerat, exequeretur, scripsit ei, *ex com.*, Polancus:

rem tantum graecae linguae desiderabat, ut Collegii nomen augeret.

1021. Invisit Dominam Leonoram, cognatam Domini Joannis de Mendoza defuncti [1], ac Dominum Didacum, ejus [2] fratrem, et de testamento fratris nihil illis diebus ei dixerunt, quamvis Romam scripserat Domina Leonora, illud ad se mitti postulans, et cum dexteritate procedendum esse in hoc negotio merito existimabat, ne, qui fabricae Sancti Petri praeerant Neapoli, in bona illa, tamquam ad pias causas incertas legata, manus injicerent. Et ideo applicanda esse praedicta bona primo quoque tempore et ipse P. Salmeron et Hieronymus Vignes censebant [3].

1022. Cum dexteritate etiam procedendum erat, propter fratrum et cognatorum defuncti auctoritatem et amicitiam cum ipsa Societate, et litterae procuratoriae postulatae sunt ab his, quos haeredes, distributores atque executores Dominus Joannes reliquerat (hi autem fuerunt aliqui ex antiquis Patribus Societatis, qui mentem ipsius defuncti ore tenus intellexerant), ut sic demum vel per compromissionem vel alia ratione res pacifice transigeretur, ut anno sequenti, missis praedictis litteris, transacta est.

1023. Superius dictum fuit [4] illustrem quamdam foeminam Collegium quoddam in oppido suo instituere voluisse; huic respondit P. Ignatius non mitti posse collegium numeri tam exigui, quam illa postulare videbatur; si tamen aliquem posset Rector Collegii Neapolitani ad tempus ad illud oppidum mittere (quod S.ti Marci de la Chatula dicebatur), gratum id sibi fore [5].

"V. R. deve stare tanto occupato nella mente colle prediche et altre cose simili, che non si è ricordato di quello li è stato scritto, facendo l' opposito.„ 19.ª Martii.

1 Vide supra, pag. 261, n. 1009.

2 Intellige fratrem Eleonorae.—Vide *Cartas de S. Ignacio*, t. VI, pag. 339, annot. 4; et supra, n. 1009.

3 Qui a Polanco in hoc numero dicuntur *fabricae Sti. Petri* praeesse, hi in unum coalescebant *Collegium sexaginta virorum*, ad perficiendam Sti. Petri Basilicam institutum. Huic Collegio, quod suos habebat *Commissarios* per diversas provincias, plurima a Summis Pontificibus privilegia donata fuere; inter quae illud erat, ut legata pia incerta sibi vindicare posset. Vide, si lubet, DE LUCA, *De Testamentis*, Disc. 92; BARBOSAE, *Summa Apost. Decisionum*, Collect. CCCL, aliosque juris canonici scriptores.— Etiam GIANNONE, *Istoria civile del regno di Napoli*, lib. XXXII, cap. IX, §. I, *Origine del tribunale della Fabbrica di S. Pietro, e come e con quali condizioni si fosse fra noi introdotto*.

4 Pag. 244, n. 931.

5 "Nostro Padre ha ricevuto una lettera della Signora Lucretia di Storento, et un gentiluomo gli è venuto a parlare per sua parte. Nostro Padre farà risposta. Non pare conveniente mandar tre o quattro, perche non si può far collegio con minor numero

1024. Statim illa urgere coepit Rectorem; sed cum non haberet quem ad hujusmodi pium opus idoneum mitteret, quo Neapoli carere posset, convertit sese matrona illa (Dominam Lucretiam Storenti vocabant) ad rationem ineundam collegii in sufficienti numero instituendi; et quia locuplex erat, praeter domum commodam cum horto, et reditus, quos ipsa assignare poterat, beneficium quoddam simplex juris patronatus domus suae applicandum curatura, et oppidanos ut ipsi aliquid conferrent suasura, ad praedictum oppidum se ipsa contulit.

1025. Majoris momenti fuit alia Collegii institutio, de qua mense Julio Vicarius Neapolitanus (qui Vestanus Episcopus erat [1]) Patri Ignatio scripsit, quamvis post ejus obitum Romam litterae pervenerunt.

1026. Est Neapoli insigne hospitale, sub Annuntiatae nomine [2], in quo singulis annis triginta millia scutorum et eo amplius in pietatis opera expenduntur; ut autem quae spiritualia sunt, ut oportebat, tractarentur, agebatur de hujusmodi rerum spiritualium cura Societati nostrae committenda.

1027. Assignabant autem locum Societati commodum, et nullum Superiorem, nisi a Societate constitutum, habere nostros volebant, et reditus duorum millium ducatorum et amplius assignare parati erant; nam haec summa in saecularium sacerdotum stipendia singulis annis distribuebatur, qui tamen in rebus spiritualibus fere nihil praestabant [3].

1028. Proponebant autem ut Collegium nostrum venderet domum illam, quam emerant anno proximo [4], ut aedificium absolveret domus ipsi assignandae, in qua viginti quinque cubicula jam facta erant et reliqua facile confici poterant; habebat enim duas areas cum fontibus in medio ipsarum et situm ad aedificandum idoneum.

---

che quattuordici, come dee sapere V. R.; ma si potria far questo di mandare alcuno per un trenta o quaranta giorni e poi tornarsene, e questo quando in Napoli avessino il modo, il che non vedo sia per adesso, essendo che ci domandano qua aiuto di sacerdoti, etiam per Napoli necessarii. La summa di questo si risponderà a detta Signora.„ Polancus, *ex com.*, Patri Christophoro de Mendoza, 19 Aprilis.

[1] Vide supra, pag. 252, n. 971.

[2] Vide De Stephano, *Decrittione dei luoghi sacri della città di Napoli*, fol. 46-55.

[3] "La detta Chiesa dell' Annunziata è ufficiata da Preti quaranta e Diaconi trenta, e tutti ben pagati, che hoggi in Napoli non ci è chiesa che sia così ben servita come essa.„ Id., *ibid.*, fol. 48.

[4] Vide supra, t. v, pag. 180, n. 518.

1029. Sed respondit [1] eis P. Christophorus de Mendoza non relinquendum esse Collegium, ubi scholae apertae fuerant, licet novum illud admitteretur, ubi tantum rebus spiritualibus Societas vacaret. Et id quam maxime praefectis illius hospitalis placebat, qui hoc tantum a Societate exigebant, ut templum Annuntiatae Missis non destitui sinerent (erant autem viginti sex quotidie celebrandae) duos praeterea in usum hospitalis aegrotantium, qui eisdem sacramenta ministrarent, et unum aut alterum, qui trecentis vel quadringentis virginibus [2], praeter Missae sacrificium, christianae doctrinae praecepta traderent et suis temporibus eorum confessiones audirent.

1030. Itaque triginta sacerdotes cum viginti laicis, applicatis reditibus, sustentare parati erant; nec cantu divinorum officiorum gravare nostros volebant; nam aliunde sibi sacerdotes ad hujusmodi cantum providissent, et prorsus, si ea admittebatur provincia, ad magnam utilitatem spiritualem plurimorum cessura videbatur, et Societati haud dubie benevolentiam et auctoritatem in ea urbe conciliasset, et primariam ecclesiam ad praedicandi et confessiones audiendi officium Societati dedisset. Sed cum eo tempore P. Ignatius ad Dominum migrasset, ejus sententia de hujusmodi Collegio intelligi non potuit.

---

[1] Ms. *cum respondisset...*

[2] "E più ci sono figliuole, volgarmente dette Gettatelle, circa cinquecento, quali stanno nel loro luogo appartato appresso detto hospidale.„ DE STEPHANO, l. c., fol. 47.

DE PROVINCIA SICILIAE

AC PRIMUM

DE COLLEGIO MESSANENSI

1031. Praeerat P. Antonius Vinck initio hujus anni [1] Messanensi Collegio, quamvis Catanam postea missus est. Aderat et ipse P. Hieronymus [2], Provincialis, cum Joannes de Vega, Pro-rex, Messanae versaretur.

1032. Crescebat in dies scholasticorum, qui in Collegio instituebantur, numerus et profectus; et ita etiam crescebat auctoritas ac nomen scholarum, ut moverentur aliqui ex primoribus ad filios suos ab aliorum disciplina subtrahendos et nostris tradendos; ut inter alios accidit summae curiae regiae judici, qui tres filios, et alii cuidam nobili viro, qui quinque adolescentulos filios suos nostris formandos in litteris et moribus commiserunt: et res ipsa docebat praeclara ingenia magno reipublicae commodo ex illis scholis emergere, quae, et pietate et disciplinis exculta, ad publicas functiones valde idonea cernebantur; et diligentia professorum ac solers industria efficiebat, ut, qui bene prospectum esse suis liberis vellent, nostris eos [3] instituendos concrederent.

1033. In his etiam, quae ad casus conscientiae pertinebant, consilium a nostris, etiam ab eis petebatur, qui alioqui non exiguae auctoritatis erant, etiam inter religiosos. Fuit etiam [qui],

---

[1] "Usque ad Augustum mensem„ Rector Collegii fuit P. Annibal de Coudreto. "Tunc P. Antonius Vinck Rectoris curam suscepit.„ *Chronicon*, t. v, pag. 193, n. 555.

[2] Domenech.

[3] Ms. *in eos*.

quadraginta milliarium itinere confecto, semel atque iterum ad nostros hujusmodi consiliorum gratia veniret.

1034. In sacris concionibus atque lectionibus frequens etiam admodum erat auditorum concursus, et conciones et sacramenta frequentantium admirandus profectus, ut tam in spiritualibus mentis elevationibus quam in perfectae virtutis actionibus sectatores se Christi consiliorum, licet in monasteriis inclusi non essent, ostenderent.

1035. Praeter domesticas autem conciones, exponebatur in Collegio diebus veneris Liber Sapientiae; necnon in Cathedrali ecclesia lectio praeceptorum Decalogi, inaudito omnium fere aetatum et hominum concursu, nec minori admiratione hominum et fructu praelegebatur.

1036. In decem autem parochiis ejus urbis totidem ex nostris collegialibus christianam doctrinam explicare pergebant, quam anno praecedenti inchoaverant [1]. Sed cum Cardinalis Messanensis [2], qui hac aestate Messanae versabatur, curam docendi hujusmodi pueros ad suos parochos transtulisset, ut experiretur (quemadmodum ipse dicebat) an illi possent sine tanto nostrorum labore hoc ipsum praestare, cessarunt nostri in praedictis parochiis aliquandiu a praedicto munere obeundo; sed cum comperisset idem Cardinalis in omnibus fere paroeciis aedificium spirituale, nostrorum labore satis foeliciter erectum, corruere; accersiri jussit P. Provincialem, rogavitque ut Societatis operam hoc in munere sibi iterum commodaret. Mense ergo Augusto, eodem modo atque ordine quo prius, in praedictis paroeciis pueri a nostris institui coeperunt, et quidem cum ipsorum non mediocri profectu.

1037. Quidam ex nostris, diebus dominicis ac festis (ut taceam de consuetis templi nostri concionibus) in quodam monialium monasterio concionabatur, praeterquam alii frequenter, licet non statis temporibus et locis, in monasteriis variis concionabantur: itaque verbum Dei diligenter proponebatur.

1038. Eorum, qui sacramenta frequentabant utriusque sexus, fervens admodum studium erat et fructus non minor; et,

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 123.

[2] Joannes Andreas de Mercurio, de quo incidit mentio supra, t. V, pag. 194, n. 560 annot. 2.

ut quaedam singillatim attingantur, mulier quaedam fuit, cujus maritus, a piratis turcis captus, in vinculis detinebatur. Cum autem illa aliud auxilium praestare non posset, crebro confitendo, jejunando, piis operibus et ferventibus orationibus incumbendo, id, quod optabat, a Domino obtinuit, et maritum reducem domi excepit.

1039. At ille, mutatos in uxore mores et ingenium observans, et magis deditam audiendo verbum Dei, jejuniis et orationibus quam reliquerat, inveniens; non bono usus consilio, eam revocare nitebatur ab hac sancta consuetudine, quae multum ipsi contulerat; et cum verbis non facile posset, addebat minas et verbera. Consulit illa quemdam ex nostris: jubetur mariti affectibus connivere, illi [1] sese modis omnibus commodam praebere, et obsequiis maritum ad meliora provocare; quod cum illa fecisset, maritus, uxoris probitate perspecta, sic se ad eam imitandam in pietate convertit, ut eam non assequi solum, sed etiam praevertere videretur; et palam sibi congratulabatur quod conjugis monitis acquievisset, quae nisi talis ipsi contigisset, omnium hominum fuisset miserrimus.

1040. Domina Isabella [2], Bibonae Ducissa, non solum concionibus aderat, ut ne uno quidem die Quadragesimae propter inclementiam aëris vel distantiam Collegii a palatio se subtraheret; sed in ipsa etiam ecclesia et confitebatur et communicabat, et suo exemplo familiares omnes ad sui imitationem incitabat.

1041. Ipse etiam Dux Bibonae non raro eisdem concionibus aderat, et in templo nostro pridie resurrectionis Domini communicavit. Similia de Domino Suero de Vega [3] dici possent, qui sororis suae sedulitati [4] in concionibus audiendis non multum cessit.

1042. Interdum et ipse Pro-rex, cum scilicet ei vacabat, in-

---

[1] Ms. habet: *jubetur mariti affectibus conhibere, illic...* Vide tamen *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 316, ubi haec scripta reperies uti nos hic scribimus.

[2] Joannis de Vega, Siciliae Pro-regis filia. Vide supra, t. V, pag. 183, n. 528; pag. 193, n. 559 et passim, ubi agitur de rebus siciliensibus. Item *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 126 et seq.—Extant plures Sti. Ignatii epistolae ad Isabellam, inter quas: *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 138, 220; t. III, pag. 179, 330, ubi Comitissa de Luna appellatur, quemadmodum deinde Ducissa de Bibona. Vide in oper. cit. t. III, pag. 328, ann. 2 Caeterum de eadem redibit sermo infra, cum agatur de ejus Collegio Bibonae.

[3] Pro-regis etiam filio.

[4] Ms. *sedulitatem*.

tererat; qui solita benevolentia nostros amplectebatur, nec solum verbis sed rebus ipsis id prae se ferebat, ut apparuit in cujusdam Abbatiae concessione, quae titulum habebat *Rochae amatoris* [1], ad quam obtinendam, ad augmentum Collegii Messanensis, omnem operam navavit; et quia vivebat Abbas plusquam sexagenarius, egit cum eo ut post ipsius mortem Abbatiam praedicto Collegio cederet, et ad id consensus Imperatoris Caroli expectabatur, quamvis translatio regnorum in filium, quae sub finem praecedentis anni facta fuerat [2], executionem hujus negotii tunc impedivit.

1043. Satis solliciti fuerunt nostri sacerdotes non solum de his [3], qui ad templum confluebant, sed de inclusis etiam [in] coenobiis et carceribus et qui etiam in triremibus detinebantur; et de aegrotantibus etiam in privatis domibus [ut] bene morerentur; nec tacebo quod quidam ex nostris, cum in via mortuum hominem reperisset, cujus sepeliendi curam nemo suscipere videbatur, propriis humeris eum imposuit et in templum, sepulturae gratia, deportavit. Idem alium quemdam semimortuum, despectum et in via jacentem, humeris sublatum, in hospitale publicum detulit.

1044. Patris vero Provincialis cura erga pauperes hoc anno etiam eximia fuit, et eorum necessitati ac etiam aegrotantium sic opitulari studuit, ut ad extremum usque vitae spiritum eis adfuerit. Et ejus charitas primatibus regni in magnam admirationem adducebat; et aliqui eorum publice dicebant vetera sanctorum exempla, quod ad charitatem attinet, in nostris renata esse.

1045. Curavit autem ille ut Pro-rex ex una parte, civitatis magistratus autem messanenses ex altera, in pauperes et languentes eleemosynarum largitione non mediocri uterentur; nam panis, vinum et jus quotidie, carnes autem bis in hebdomada, mille et quingentis fere pauperibus distribuebantur, et interim suis manibus ipsemet Provincialis pauperibus ministrabat. Et aliqui ex nostris semper hoc pietatis officio fungeban-

---

[1] Vide supra, t. III, pag. 225, annot. 1 ad n. 493, et infra ubi agetur de Provinciali Siciliae.

[2] A die, scilicet, 25 Octobris 1555. Vide supra, t. V, pag. 314, n. 853, ubi ordo a Caesare Carolo in *regnorum translatione* servatus enucleate statuitur.

[3] Ms. *ut de his.*

tur; et quia hospitalia pauperibus plena erant, ut jam turmas adventantium etiam ex Calabria capere non possent, novum hospitale, cui etiam nostri praefuerunt, instructum est, ubi multorum aegritudini et egestati consuli potuit.

1046. Christianae doctrinae exercitatio, quae Messanae tam uberem fructum afferebat, ad alia etiam loca extendenda esse Pro-regi visa est. Pater ergo Daniel [1] fuit delectus, qui per oppida Messanensis dioecesis missus est, quae quadraginta et tria numero fuerunt, et in eis christianae doctrinae documenta tradidit et ejus docendae in posterum formulam induxit. Id ipsum in Syracusana civitate et ejus territorio agi coeptum est cum non mediocri animarum fructu.

1047. Et cum odor Societatis hac ratione latius spargeretur et ejus institutum quibusdam potentibus viris cognosceretur, ad expetenda Collegia Societatis multi incitabantur. Alii ad spiritualia exercitia et animarum suarum profectum accendebantur.

1048. Juvenis quidam armenius, viginti fere annos natus, in Collegium Messanense deductus est. Christianus quidem ille fuerat, sed simul cum duobus fratribus a turcis captus, cum duodecimum aetatis annum ageret, Mahometi perfidiam profiteri coactus est.

1049. Frater ejus, natu major, maluit flammis concremari, quam fidem deserere, martyr Christi effectus. Frater alter, fugiens in Hispaniam, evaserat.

1050. Hic juvenis, postquam per aetatem melius quantum errasset cognovit mahometarum more vivendo, fugere decrevit; et cum herus ejus Chium venisset, christiani, qui ibidem habitant, ejus [2] voluntate cognita, secreto Genuam [eum] transmiserunt. Inde Messanam delatus, cum cuperet aliquo in loco Deo famulari, ad Collegium nostrum deductus est; et exceptus a nostris, sic instituto Societatis fuit affectus, ut inde non recessurum affirmaret.

1051. Bono ingenio praeditus erat, et turcarum ac sarracenorum linguam tenebat, et italicam brevi adeptus est. Et ita non inutilis futurus ad Dei servitium in Societate videbatur.

---

[1] P. Daniel Paëybroëck. Vide supra, t. v, pag. 190, n. 549.
[2] Scil., juvenis.

1052. Non solum pueri, doctrina christiana instituti, specimen suae virtutis praebebant, sed provectioris aetatis homines uberes doctrinae fructus referre videbantur, quos confessarii in templo nostro, et in hospitalibus et custodiis publicis, et in aliis privatis aegrotantium domibus colligebant.

1053. Fecerat autem hanc messem copiosiorem febris quaedam pestifera, quae famem secuta est. Multi, qui plurimis annis a confessionibus abstinuerant, a nostris confessariis sacramento poenitentiae Deo reconciliati fuerunt. Multa etiam restituta sunt, quae inique ablata fuerunt; multae inimicitiae compositae, et demum, ex aegritudine corporum, multarum animarum salus promota fuit. In multis effusae lacrymae et magna morum in melius commutatio, et insignis, in quibusdam praesertim sacramenta frequentantibus, devotio cernebatur.

1054. Complures virgines suam Deo virginitatem voto consecrarunt, et aliquae ad religionem se adstrinxerunt: nonnulli etiam adolescentes aliis in religionibus et etiam in nostra Deo servire decreverunt, inter quos quidam, non obscuris natalibus ortus, in latinis et graecis litteris nostro in Collegio diu versatus et hebraearum non ignarus, nomine Franciscus Birta, admissus est; qui, quoniam juventutis messanensis exemplar tam in pietate quam in litteris habebatur, multos in admirationem et imitationis etiam studium traxit, et in domesticis humilitatis obsequiis multum omnibus aedificationis praebuit [1].

1055. Duo quoque Abbates, quorum alterum ex Calabria fama [2] perduxerat, alterum modestia et charitas fratrum incitaverat, admitti ad infima Societatis ministeria ardenter postulabant.

1056. Ex his mulierculis, quae a turpi vitae genere in honestum conversae fuerant et in domum probationis (ut vocant), de qua superius egimus [3], habitabant, nonnullae matrimonio copu-

---

[1] Hic tamen prius in Collegium Germanicum destinatus est quam in Societatem admitteretur. "Quel giovane gentiluomo, Don Francesco Birsa *(sic)*, venendo al Settembre o al Ottobre a Roma, sarà accommodato nel Collegio Germanico per studiar le arti; pur se voglia guardar le regole, che simile persone che si accettano nel detto Collegio debbono guardare, quali a lui saranno facili, essendo tanto costumato; et questa risposta si potrà dar a Mtro. Annibale.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 24.ª Aprilis.

[2] Sic, quemadmodum | in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 515; at vide ibidem, pag. 512, annot. 2.

[3] Vide supra, t. V, pag. 191, n. 552; et t. III, pag. 221, n. 483.

latae fuerunt. Quatuor eodem tempore religionem susceperunt.

1057. De raris virtutum actibus in his, qui templum nostrum frequentabant, multa dici possent, iis similia, quae alias dicta sunt; de uno vel altero non tacebo, qui in remittendis injuriis, ut spirituales viros decebat, prorsus se gesserunt.

1058. Vulneratus erat quidam, honesto loco natus adolescens, ita ut [de] ejus vita prope desperatum esset. Quam ob rem, qui hujus delicti auctor fuerat, ne a vulnerati fratre per justitiae ministros puniretur veritus, latitabat. At frater praedictus, tantum abest ut percussorem illum odio sit prosecutus, ut etiam illum diu quaesierit, et invento noxam humanissime condonarit.

1059. Alter etiam non ignobilis colaphum ab alio acceperat, quem tam aequo animo sustinuit, ut a lacessente veniam sit precatus, et quidem genibus provolutus; et quia gens illa suapte natura ad vindictam prona est, et etiam antiquissimarum injuriarum memor, perfectiori virtuti adscribi debet hujusmodi tam liberalis injuriarum condonatio.

1060. Inter homines, qui a gravissimis peccatis emerserunt, quidam erat Messanae ob gravia flagitia omnibus invisus; et cum in exilium fuisset relegatus, ibidem homicidiis et expilationibus insignis diu vixerat. Hic cum in quemdam ex nostris confessariis incidisset, eique sua peccata confessus esset, sic ejus opera Dominus cor illius immutavit, ut deposito eo vitae genere animique et corporis habitu mutato, monachus effectus, se totum poenitentiae studiis ac devotioni dedit.

1061. Insignis etiam fuit cujusdam foeminae virtus, cum qua vir quidam de matrimonio contrahendo convenerat, et rebus constitutis, eam desponsaverat, et nihilominus, ipsa repudiata, aliam duxerat. At haec non in jus sponsum vocavit, sed ipsa etiam immortali sponso Christo se in monasterio consecravit.

1062. Quaedam alia simul cum filia nostrum templum diu frequentaverat; sed filia majori cum fructu quam mater, cui [1] cum sponsus quaereretur, a matrimonio se abhorrere significavit, quia Christo se dedicaverat. Urgebat nihilominus mater,

[1] Scil., filiae.

ac minis et interdum pugnis renitentem persequebatur, nec baculo parcebat. Puella nihilominus, animo constans, matri se obtemperaturam insinuans, occasionem captabat propositum vitae institutum captandi. At mater cum futuro genero conveniens, de dote et sponsalibus agens, eodem die quo nuptiae erant celebrandae, pro more filiam suam secum deduxit [1] in templum nostrum ut concionem audiret: hic filia, dum frequens mulierum multitudo simul ingreditur, a latere matris delapsa, virginum monasterium adiit et eisdem se adjunxit.

1063. Quaedam alia, Regio [2] Messanam veniens, et cuidam matronae concionibus nostrorum deditae adhaerens, cum in templum Divi Nicolai [3] venisset, et concionem, quae de virginitatis laude agebat, audivisset; sic accensa est ut, quamvis litteris et magnis promissis Rhegium ab hero revocaretur, cui quatuordecim annis servierat, maluit sui diuturni obsequii mercede et promissis bonis privari, quam ad eum redire, qui ipsius virginitati insidiabatur.

1064. Sequebatur P. Hieronymi Otelli conciones tam frequens auditorium, ut, vix illucescente die, sedes suas homines occuparent, et plurimi, templo jam repleto, domum redibant; immo non sine tumultu aliquo et periculo alii aliis nimium conferti incumbebant.

1065. In templo autem Cathedrali, quod capacius erat, multo plures eum audire poterant.

1066. Hujus anni primis mensibus ad trecentos et septuaginta et eo amplius scholasticorum numerus pervenit; et, quamvis in aestate fuit imminutus, in renovatione studiorum sub finem Octobris plures quam trecenti et viginti ad scholas accedebant, et fere circiter trecenti perseverarunt.

1067. Duae orationes in praedicta renovatione, una latina, altera graeca, habitae fuerunt. Latina, quia non vulgare continebat argumentum, scilicet, de optimo rerum gerendarum fine, non parum probata fuit. Graeca, rei novitate admirationem non mediocrem peperit. Numquam enim antea graeco sermone declamatum publice fuerat. Accessit his dialogus latinis versibus, de revocanda ab exilio sapientia, scriptus, qui omni-

[1] Ms. *deducens*.
[2] *Reggio*, Rhegium Julii, urbs est in Calabria.
[3] Hoc erat Societatis templum Messanae.

bus aetatibus spectatorum, tam his qui utilitatis, quam qui voluptatis rationem habebant, satisfecit.

1068. Spiritualia exercitia paucis proposita fuerunt; sed illis non sine fructu. Non admodum idonei ad hujusmodi exercitationes homines illi inveniebantur.

1069. Ex vicinis oppidis nostrorum opera ad praedicationem verbi Dei magnopere expetebatur. Quidam missus est Dromum, locum quatuor millibus passuum Messana distantem, ut verbo Dei populum illum consolaretur, quem magnopere dispositum ad praedicationem excipiendam ac vitam reformandam invenit. In littore etiam maris retia divini verbi non inutiliter jaciebantur.

1070. Magna laude digna erat charitas Pro-regis erga pauperes, erga quos ut liberalior esse posset, sumptus propriae domus, quoad ejus fieri poterat, restringebat, et in aliis rationibus ineundis ad hoc ipsum pauperum subsidium tam diligens erat, ut singulis hebdomadis magna pecuniae vis pauperibus distribuenda colligeretur.

1071. Cum P. Antonius Vinck post medium Januarium Catanam missus esset, ut de ratione Collegii ibidem instituendi ageret, rebus bene gestis, Februario mense Messanam rediit. Cum tamen P. Provinciali ad Collegium illud inchoandum ipsemet remittendus videretur, sub initium aestatis P. Pantaleon Rodinus curam Collegii suscepit, in quo triginta et septem collegiales [1] his mensibus versabantur. A mense autem Martio officio suo, tamquam substitutus, fungi coepit.

1072. Eodem autem mense, ipso die Annunciationis B. Virginis, P. Angelus Prosdocimus [2] ex hac vita migravit, integris sensibus usque ad extremum spiritum, et tanta animi cum laetitia, ut similem numquam vidisse P. Pantaleon affirmaret.

1073. Eodem tempore Franciscus Soto, desperata ejus salute a medicis, extremae unctionis sacramentum accepit. Post illud tamen valetudinem corporis paulatim recuperavit.

1074. Aprili mense recessit P. Provincialis in triremibus

---

[1] Fratres intellige, tum scholasticos, tum coadjutores, et Patres Societatis.

[2] Qui anno superiore ad sacerdotium fuerat promotus. Vide supra, t. v, pag. 203, n. 593. Ejus laudes persequitur AGUILERA, *Provinciae Siculae S. J. Ortus et Res gestae*, t. I, pag. 121.

cum Duce Bibonae in urbem, quam Terminum vocant [1] ut, postquam alia Collegia inviseret, Messanam veniret; quo tempore redierant ad sacerdotium promoti a Suffraganeo Montis Regalis [2], novi patres Christophorus Laynez et Ludovicus de Ungheria. Venit et cum eisdem novus P. Alphonsus de Villalobos, qui ipso die Paschae primum etiam Missae sacrificium obtulerat. Sed hic Syracusas erat iturus.

1075. Paulo post, qui convaluerat, Franciscus Sotus, ad sacerdotium promotus [3], suas primitias ipso die Pentecostes Deo obtulit.

1076. Rediens autem vigesima Maji P. Provincialis, domi invenit armenium, de quo superius facta est mentio [4], qui ei magnopere placuit. Erat in geographia et sphaera et in conficiendis horologiis exercitatus, et hoc tantum eum male habebat, quod, cum alios octavo quoque die communicantes videret, ipse ad communionem nondum admitteretur, quia [5] non videbatur sibi christianus haberi. Sed P. Provincialis ei concessit ut, praemissa confessione per interpretem, dominica sequenti communicare inciperet.

1077. Admissus est juvenis quidam in Societatem, nomine Jacobus Vacha, cum aliquot menses in quodam hospitali cum aedificatione pauperibus, probationis gratia, inservisset.

1078. Ipso autem die, qui Divo Petro sacer erat, P. Antonius Vinck Messanam venerat, [et] professionem solemnem emisit [6]; et inde Catanam mense Julio cum duobus fratribus remissus est.

---

[1] Duae sunt urbes, quibus *Termini* nomen est. Altera *(Termoli, Termulae)* caput Ducatus et Sedes episcopalis sub Archiepiscopo Beneventano, in provincia Capitanata, regni Neapolitani: altera *(Termine)* in Sicilia, ex reliquiis celeberrimae olim urbis Himerae excitata.—De hac videtur hic esse sermo.

[2] "Monteregalensis Ecclesia Metropolitana est... Duos habet suffraganeos, Catanensem et Syracusanum.„ ROCCHUS PIRRUS, *Ecclesiae Monteregalensis Notitia III*, lib. I, col. 420.—Verum hic non de hujusmodi suffraganeis est quaestio, sed de Vicario Cardinalis Alex. Farnesii, Ecclesiae Montis-Regalensis Archiepiscopi. Porro Vicarius, qui etiam suffraganeus Episcopus erat, vocabatur Pompejus Zambeccarius (vide supra, t. III, pag. 230, n. 506, annot. 2), cui "20 Junii 1557„ successit "Jo. Petrus Fortiguerra Prot. Apost. in Ecclesia Monteregalensi vices Alexandri gerens..., *Cirenensis* Episcopus, et Monteregalensis Archiepiscopi suffraganeus.„ ROCCHUS PIRRUS, loc. cit. col. 415.

[3] "Ad Resurrectionis usque diem cum morte conflictatus... paulatim deinde in pristinam restitutus valetudinem... a Purpurato Mercurio Pontifice Mamertino, qui per id tempus Messanam Roma venerat, sacris initiatus...„ est. AGUILERA, loc. cit.

[4] Supra, n. 1047 et seqq.

[5] Haec inter lineas inseruit Polancus, usque ad numerum sequentem.

[6] Vide supra, pag. 40, annot. 1 ad n. 108.

1079. Quamvis novi sacerdotes poenitentium concursum magnum haberent, homines tamen antiquiores confessarios et aetate provectiores non sine causa expetebant.

1080. Propter Ecclesiae perturbationem et afflictiones oratio quadraginta horarum in templo nostro sub initium Augusti fuit inchoata; et cum magno utriusque sexus concursu fuit absoluta.

1081. Nostrorum auctoritas apud vulgus magna erat, cujus signum illud est, quod, cum aliqui ex nostris quosdam publice ludentes, magna multitudine circumstante, vidissent et eos modeste reprehenderent, et etiam chartas auferrent, quibuscum ludebant, lusores non solum in malam partem id non acceperunt, sed qui inter eos primas gerebat, omnium nomine veniam postulavit sui erroris, et promisit se in ignem et mensam et chartas missurum.

1082. Initio Novembris repetita est oratio illa quadraginta horarum, partim pro defunctis, partim pro bellorum pacificatione; et hic etiam maximus fuit concursus, et ipso die Omnium Sanctorum sexcenti nostra in ecclesia communicarunt plus minus, praeter multas devotas mulieres, quae alio in templo communicarunt.

1083. Hoc autumno P. Provincialis Messana in triremibus recessit cum Pro-rege; sed cum ultra fauces illas maris, quae Calabriam a Sicilia dividunt, aliquantulum progressus esset, vento mutato, nec ulterius progredi nec Messanam redire post triduum potuerunt, sed demum Messanam triremes redierunt, et, expectata ventorum commoditate, denuo navigationem repetierunt et felicius confecerunt.

1084. Quae in populo, Itala vocato, gesta sunt, Messanensi Collegio vicino sunt adscribenda; distabat quingentis fere passibus hic populus a monasterio, cui subditus erat, et cujus Abbatia Domino Antonio de Vega, Pro-regis fratri, commendata erat [1]. P. Daniel Paribuch [2], eo missus, totum fere hunc annum ibi cum socio exegit.

1085. Italenses nostrorum praesentia valde in spiritu recreabantur; nec mirum, cum se suosque filios ad meliorem statum per eos reductos esse agnoscerent. Socius enim P. Da-

[1] Vide supra, t. III, pag. 202, n. 433 cum annot. 3.
[2] Paëybroëck. Vide supra, pag. 271, n. 1046.

nielis instituendorum puerorum in litteris ac bonis moribus curam susceperat, et in utrisque illi non parum promovebant. Ipse autem P. Daniel cum monachorum tum populi curam gerebat.

1086. Inde consecutum est ut praedicti monachi, qui, praeter nomen, parum admodum religiosorum hominum habere videbantur, cum ad meliora per Patres Elpidium [1], Antonium [2] et Joannem Philippum [3] (qui prius ibidem resederant) profecissent, a P. Daniele adjuti, ad anteriora se extendere pergebant; et qui prius apud omnes male audiebant, ut melius facere ita et melius audire coeperunt.

1087. Aliquandiu apud eos Genesim et casuum conscientiae lectionem interpretabatur, et quamvis eas lectiones deinde, ut in rebus utilioribus occuparetur, omisit, suis tamen exhortationibus et instructione eos juvare non destitit. Et ita illi in officio divino celebrando diligentiores, et in bono exemplo populo praebendo magis solliciti, et in labore manuum frequentiores effecti fuerunt.

1088. Populus autem Italae, qui antea alienus admodum a Dei servitio videbatur, et antequam nostri eo venissent, perexiguam Dei et eorum, quae ad salutem faciebant, notitiam habuerat, jam longe aliter se habebat; et qui prius nullum observabant festum, nullum Sacrum et minus utique concionem ullam audiebant, longe diligentiores facti, non solum dominicis et festis diebus Missae intererant et verbum Dei audire cupiebant; sed etiam profestis diebus ac praecipue Quadragesimae; cum enim instituisset P. Daniel singulis diebus, duobus in hebdomada exceptis, concionari, quamvis a populo, ut diximus, templum distaret, numquam ei satis frequens auditorium defuit; et singulis diebus lunae ac veneris aut ad templum monasterii aut ad aliud, situm ex altera parte et Divo Honori [4] sacrum, cum processione se conferebant. Sed diebus mercurii et sabbati ad majorem populi commoditatem Missam celebrabat et Evangelium explicabat in alia ecclesia, quae in medio oppidi sita erat, et tunc frequentius habebat auditorium.

---

[1] Elpidium Ugoletti. Vide supra, t. v, pag. 204, n. 597.
[2] Antonium Vinck. Vide supra, t. v, pag. 192, n. 555, et pag. 221, n. 639.
[3] Joannem Philippum Casinum. Vide supra, t. v, pag. 220 et 221, n. 636 et 637.
[4] Sic.

1089. Fuerat ille populus superstitionibus, incantationibus et moribus ethnicorum valde deditus; primo die mensis domum cujusquam intrare aut ignem petere nefas apud ipsos erat; sed ramum in portis, ut boni nuntium, apponebant. Tempestatem cultro, cujus capulum nigrum erat, conjurabant; bombicibus adhibito incenso, benedictionem tribuebant, ut serici abundantiam proferrent, et ad hoc homines larvati et tintinnabulis circumcincti designabantur, qui in vigilia Circumcisionis domos intrarent et sic illas benedictionibus replerent, ut quidquid interim ad victum pertinens habere poterant, auferrent, nec quidquam reclamare fas erat; in morbis et necessitatibus, incantatrix, varia remedia adhibitura, inveniebatur. Si quis moriebatur, omnes consanguinei voces diversas emittebant, viri barbam, mulieres comam, cadaver circumstantes, evellebant; et delato ad ecclesiam funere, quo quisque sanguine conjunctior erat, eo diutius ab ingressu ecclesiae et audiendo Sacro et oratione dominica abstinebant.

1090. Ab his et aliis gentilicis erroribus sic revocati fuerunt, ut valde ab eis abhorrere inciperent, et in aliis eosdem reprehenderent; et jam qui funus in ecclesiam comitabantur, et Sacrum audiebant et concioni etiam, quae habebatur, intererant, quam de quatuor novissimis, pro more, post evangelium Missae pro defunctis P. Daniel sedens ante altare faciebat; et gaudebat populus valde se non teneri ad ritus illos antiquos, quibus aliqui sibi ipsis mortis causa erant.

1091. Immo errorem veterem et agnoscebant et detestabantur, et assidui in ecclesiis et in confessionibus ac communionibus frequentiores solito cernebantur, et summas Deo gratias agebant, qui talis cognitionis lumine eos illustrasset; ac beatas eorum animas praedicabant, ad quorum loca Societas aliquando pervenerat.

1092. Aliquandiu praesentia P. Danielis italensis populus fuit privatus, cum per dioecesim messanensem, ut superius diximus [1]; discurreret, duos menses et decem dies in ea peregrinatione expendens, ab ultima, scilicet, Aprilis usque ad nonam Julii.

1093. Ferebat autem secum litteras Pro-regis seorsum scri-

[1] Vide supra, pag. 271, n. 1046.

ptas cuilibet oppido ad quod iturus erat; ac simul Vicarii [1] Cardinalis Messanensis.

1094. Cum autem causa adventus ejus ea esse intelligeretur, ut principium, scilicet, daretur et modus institueretur singulis dominicis et festis diebus pueros in ecclesiis parochialibus christianam doctrinam edocendi, pro magno beneficio Dei id ducebant et magno studio ad ecclesiam confluebant.

1095. Hoc autem illi consuetum erat, ut quotidie Missam celebrando, finito evangelio, aliquid de illo populo declararet. Deinde, finito Sacro et pueris convocatis et in ordinem distributis, modum eos docendi tradebat et aliqua documenta sui libelli hujusmodi doctrinae seriem declarabat [2]; aliqua de utilitate et necessitate ejus doctrinae praefatus, et in specie de ratione orandi Deum aliquid breviter proponebat.

1096. Gaudebant pueri et natu etiam grandiores dum et filios et seipsos instrui viderent, et avide expectabant sequentem lectionem.

1097. Hac ratione perlustratis majoribus oppidis, in quibus plusculum commorabatur; sed [3] ab aliis citius se expedivit, quod in nutritione bombicum eos occupari animadverteret. Nec solum cum fructu aliorum, sed cum proprio etiam Messanam et deinde Italam rediit, cum, praeter peregrinationis molestias, victus subinde penuriam pateretur.

1098. Sed ita omnia molesta Dominus temperabat, ut centuplo major fuerit consolatio animique confirmatio; immo et illustratio, tum in verbi Dei praedicatione, tum in dubiorum, quae proponebantur, solutione. Cum autem [4] libris destitueretur, Dei gratiam experiebatur, cum ea, quae dicenda erant, ultro occurrerent. Laetabatur etiam [cum perspiceret] concursum et fervorem populorum in Dei verbo avidissime audiendo, etc.

1099. Magna autem cum expectatione ac desiderio Italenses eum redeuntem exceperunt, apud quos reliquam partem hujus anni exegit, et aegrotantes, qui plurimi fuerunt, invisendos et pro viribus sublevandos studuit; nec propter valetudi-

[1] Vicarius erat adhuc Pompejus Zambeccarius. Vide supra, annot. 2 ad n. 1074, et t. v, pag. 208, n. 607.

[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 124.

[3] Haec particula redundare videtur.

[4] Rectius fortassis *enim*.

nem suam parum prosperam a solitis confessionibus et concionibus destitit; nam festis [et] dominicis diebus concionabatur, et diebus veneris in medio oppidi christianam doctrinam explicare frequenti populo perrexit.

1100. Id etiam consequutum est, ut complures, qui multis jam annis inimici inter se fuerant, in mutuam amicitiam redierint, et inter se litigantes ad concordiam adducti fuerint, et qui aliqua detinebant, restitutionem fecerint. Quod vero temporis supererat, studiis tribuebat.

Et haec de Messanensi Collegio sint dicta.

DE PANORMITANO COLLEGIO

1101. P. Paulus de Achilles hoc etiam anno Collegio praefuit [1], et cum occupationes aliae, praecipue confessionum, praedicationis officium exercere ei non permittebant, P. Angelus Policinus ejus locum supplebat, quod sub finem Julii facere satis feliciter inchoavit; et libenter eum populus audiebat, non solum quod siculus siculis gratus esset, sed quod spiritum Dei et eruditionem ejus conciones prae se ferrent.

1102. Non solum autem in templo nostro cum spirituali fructu, sed in monasteriis etiam, verbum Dei proponebatur. Duae mulieres monasterium Conversarum ingressae fuerant, sed cum tentationibus pristinae libertatis repetendae succubuissent et egredi monasterium omnino decernerent, exhortationibus et concionibus auditis animo confirmatae, religiosum habitum induerunt.

1103. Quaedam etiam fuit, quae ad deliberationem recedendi perducta eadem ratione, a Deo non solum confirmata fuit, sed pecunia etiam, quam habebat absconditam, se privavit et eam Abbatissae reddidit.

1104. In quodam alio ex primariis monasteriis, omnibus fere diebus festis, aliquis ex nostris concionatus est; et inter alios fructus, quos moniales perceperunt, [ille fuit], quod cum

[1] Vide supra, t. v, pag. 194, n. 561.

solitae essent nobiles matronas in monasterium quovis tempore admittere, in hac Quadragesima nullam admiserunt. Et cum omnes proprios reditus haberent, earum multae adductae fuerunt ut eos monasterio toti communes facere cuperent, et cum aliis in vera paupertate juxta suae regulae institutum vivere.

1105. Aliae etiam congregationes pro singulari beneficio habebant, si quem ex nostris concionatorem nactae fuissent. Ex saecularibus, qui concionibus intererant, non pauci verbo Dei permoti fuerunt ad priorem vitam immutandam, ex quibus aliqui religionem sunt ingressi: et magna prorsus cum aviditate verbum Dei nostro in templo audiebatur; et quamvis in remota quadam urbis parte Collegium esset, etiam qui longissime habitabant, studiose ad illud confluebant, tam nobiles quam plebeji, nec hyemis injuria eos ab hoc proposito revocabat vel impediebat.

1106. Fere quotidie praeterea (de festis intelligendo), invitati ad varia loca, nostri concionabantur; et si omnium devotioni satisfaciendum fuisset, etiam profestis diebus satis in eo munere fuissent occupati.

1107. Sed nec aegrotantes in hospitali consolatione verbi Dei privati fuerunt, et puellae parentibus destitutae, (quas *orphanas* vocant) de rebus ad christianam doctrinam pertinentibus instructae fuerunt.

1108. [Pater quidem Petrus Venustus] [1] diebus veneris nostro in templo, non solum scholasticos, sed et multos alios auditores habebat.

1109. Alii etiam fratres nostri in destinatis sibi parochiis (quemadmodum Messanae), praemissis conciunculis puerorum captui accommodatis, doctrinam christianam explicabant, quam toto in regno Siciliae Pro-rex latissime patere optabat, et ut proponeretur curabat [2].

1110. Confessionum frequentia, quamvis remoti essent, ut diximus [3], nostri, magna erat. Duo millia hominum ad festum

---

[1] Verba uncinis inclusa in ms. non sunt. Ibi compendiaria nota apponitur q̄. Sed haec sensum idoneum non refert. Ex contextu autem sensus complendus est. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 506.

[2] Vide supra, pag. 271, n. 1046, et pag. 279, n. 1093.

[3] Vide supra, n. 1105.

Paschae nostris confessi sunt; et cum jubilaeum hujus anni initio promulgaretur, tanta hominum multitudo ad nostros confluebat, ut vix cibi capiendi tempus eis relinqueret; inter quos multi, ut assolet in hujusmodi jubilaeis, multis annis confesionem intermiserant. Foemina quaedam fuit inter hos, quae magno dolore et uberrimis lacrymis peccata, quae multis annis confessa non erat, cum magno in melius vitae mutandae proposito confessa est.

1111. Alia, quae viginti et quinque annis semper in peccatis mortalibus communicaverat, cum fletibus et magnis verae poenitentiae signis sua peccata et deflevit et omnino relinquere constituit.

1112. Quidam etiam fuit, qui, ne inimico suo injuriam condonaret, non solum diu abstinuerat a confessione, sed quoties dicebat orationem dominicam, illa verba omittebat: "Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris." Sed in confessione ad veniam donandam et pro inimico orandum adductus est.

1113. Aliquis etiam, qui multos annos, uxore relicta, in incestu versatus fuerat, ad uxorem rediit.

1114. Alia hujus generis multa dici possent; sed illud insigne fuit, quod, cum mulier quaedam variis medicinis abortum curasset sed frustra, alio modo foetum interimere decrevit, et supina jacens, jussit ut ancilla quaedam valde robusta ejus ventrem calcaret, ut ictibus saltem proli vitam adimeret; sed cum ne id quidem sufficeret, stupefacta est mulier, et timore Dei magno correpta, ad ecclesiam nostram venit, et cum magno dolore et lacrymis suam crudelitatem, qua peccata abscondere nitebatur, et Dei miraculum in foetu conservando manifestavit.

1115. Sex meretrices, nostrorum opera, Dominus illo eodem tempore ad honestam vitam reduxit. Demum confessionum fructus satis uberes primis illis mensibus fuerunt; multae praeterea res injuste ablatae dominis restitutae fuerunt; multae etiam eleemosynae ad pauperum subventionem distributae.

1116. Sed in reliquo etiam anni decursu, et praecipue in festis solemnioribus, confitentium multitudo et fructus non mediocris extitit; nec nostri tam multis audiendis, qui in templo proprio et alibi eis confiteri volebant, satisfacere poterant.

1117. Vigebat Panormi abusus quidam non exiguus, nec parum late patens, quod, scilicet, neglectis sacramenti matrimonii caeremoniis, per fidem tantum sibi vicissim datam copulabantur, nec induci poterant multi ex his, aut aegre admodum, ad nuptias juxta Ecclesiae ritum celebrandas. Sed Deo adjuvante effectum est, ut, qui multis annis sic vixerant et liberos susceperant, de suo peccato poenitentes, quae ratio sacramenti et ritus Ecclesiae poscit, praestarent.

1118. Contentiones, rixae et odia diuturna inter maritos et uxores extinctae fuerunt, et alia hujusmodi, ex confessionibus, animarum lucra prodierunt; et inflammabantur complures ad devote frequentanda confessionis et communionis sacramenta; et in festis natalitiis is erat hominum concursus ad confessionem et communionem nostro in templo, ut potius dies Paschae quam natalis Domini videretur.

1119. Inter alios mulier quaedam, multis annis in coeno peccatorum versata, cum uni ex nostris confessa esset et cum optimo vitae mutandae proposito communicasset, deliberavit omnia sua bona male parta pauperibus distribuere: multi etiam, qui cum quibusdam consanguineis suis inimicitias exercuerant, post confessionem non solum in gratiam redierunt, sed eos semper adjuvare promiserunt, quibus vitam eripere prius nitebantur.

1120. Aliqui, qui Societati nostrae valde infensi, nihil boni aequo animo audire poterant, mutata sententia, nostris confessi, vitam in melius mutare coeperunt, et ad id studiose nostrorum orationes flagitabant; nec satis erat quibusdam a diuturnis peccatis, quibus servierant, [abstinere]; sed operibus etiam pietatis serio dare operam coeperunt. Et qui alias confessionem integram non fecerant, sui sacrilegii admoniti, plena atque integra confessione suis conscientiis satisfecerunt.

1121. Curatum est a nostris ut orphanae puellae eleemosynis piorum hominum in matrimonium collocarentur, et alia pia loca, in his quae ad cultum Dei pertinent, similibus etiam eleemosynis juvarentur, et alii multi pauperes sustentarentur; sed nec nostri templi altaria hujus liberalitatis fuerunt expertia; quaedam enim pia matrona vas argenteum auro tectum, satis magnificum, ad custodiam S.ti Sacramenti donavit. Eadem, in morbum incidens et testamentum conficiens, egenorum homi-

num et religiosorum inopiae non pauca distribui jubens, sacraria etiam nostri templi pulchris donis instruxit.

1122. Erat nobilis et dives haec matrona, ac vidua, et in templo nostro dominicis diebus post confessionem dominicum corpus accipiebat; adeo rebus divinis intenta, ut totam familiam, quam habebat amplam, et suam etiam matrem et alias nobiles foeminas ad pietatem exemplo et adhortatione incitaret [1]; et ideo ejus mortem, non familia solum, sed et vicinia hoc aegrius tulerunt, quod ipsa velut columna domus esset, quam non minori prudentia quam probitate instruebat. Referebat ejus confessarius, qui moribundae atque animam agenti semper astitit, felicem ejus matronae animam in nullam mortalem culpam unquam incidisse; et facile conjici potest qualis ejus mors fuerit, quam talis vita praecessit.

1123. Hujusmodi homines, templum frequentantes, non vulgaria pietatis opera quotidie exercebant circa viduas et homines in custodia publica detentos, et alia hujusmodi.

1124. Sex autem ex hujusmodi in carcere detenti, liberati nostrorum opera hoc autumno fuerunt, quibusdam nobilibus viris ad eorum debita dissolvenda adductis. Impetrata est etiam eleemosyna, qua virgo quaedam paupercula, in monasterium admissa, se Deo consecravit.

1125. Curavit etiam quidam ex nostris ut vir quidam ducentos aureos donaret cuidam virgini, quae in magno periculo castitatis versabatur, ut, ea dote adjuta, vel in matrimonio vel in monasterio collocaretur.

1126. Quod ad scholas attinet, in dies magis in spiritu et litteris scholastici proficiebant; et multi ex eis, bono ingenio praediti, instabant ut in Societatem admitterentur, inter quos duo rhetoricae dabant operam, egregiae indolis adolescentes; et omnium constantia et patientia in expectando admiranda videbatur.

1127. Non erat infrequens scholasticorum numerus; quamvis plures fuissent, nisi in angulo quodam amplae illius urbis sitae, ut diximus [2], scholae etiam fuissent. Initio hujus anni ducenti et octoginta erant.

---

[1] Ms. *incitabat.*

[2] Supra, pag. 282, n. 1105.

1128. Accedebat et illud incommodi, quod eo in loco essent structae, ubi tam praeceptores quam discipuli tota aestate mirum in modum solis ardore aestuabant. Quod cum intellexisset Pro-rex, Senatui per litteras mandavit, ut, si quid remedii adhibere posset, sedulo id curaret.

1129. Venit statim Praetor cum Senatu, ac minima quaeque diligenter perlustrarunt; singulae classes sua epigrammata, alii graeca, alii latina; rhetores suam orationem in laudem magistratus recitarunt; quae omnia cum magna audientium voluptate et actione [1] sunt peracta.

1130. Satis benevolus erat nostris alioqui Praetor, et saepius in Collegium sponte sua venerat, ut cum Rectore de ratione sustentandi pauperes, et praesertim in custodia publica detentos, ageret; et omnia satis bonum successum habuerunt, quae Rector suggesserat.

1131. In hoc autem adventu tam ipse Praetor quam magistratus suam operam et studium officiose nostris obtulerunt, et sumptu publico reparare commodiori loco quaedam aedificia statuerunt, ubi opacitate tectorum, umbris et aurarum flatibus, aestus molestia temperaretur.

1132. Scholastici plerique singulis hebdomadis confitebantur et communicabant, et sacramentorum fructus in morum pietate elucebat; et hoc observatum est, quod illi ipsi, qui morum probitate caeteris praestabant, doctrina etiam eosdem praeirent. Quamvis enim plus temporis in his, quae ad profectum spiritus [spectant], impenderent quam alii, minus tamen in ludis aut in otio expendebant, et studiosius litteris dabant operam.

1133. Multi autem ex hujusmodi ad religionis statum aspirabant, et quidem ad Societatem nostram selectissimi quique. Eorum tamen admissio consulto differebatur, ut, quo magis probati postmodum admitterentur, eo constantiores in animi proposito permanerent.

1134. Quinque autem selecti juvenes sub finem aestatis admissi fuerunt, qui diu et constanter id postulaverant; unus erat panormitani Senatoris filius; quintus, ultimo admissus, viginti et

---

[1] Sic; et fortassis deest vox *gratiarum*. "Et ciò con tanta admiratione et sodisfattione di tutti...„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 555.

duos annos natus, Doctoris cujusdam filius erat, a puero nostris in scholis in latinis, graecis et hebraicis litteris institutus, nec minus pietate quam doctrina inter alios insignis. Alii etiam ex scholasticorum numero hoc ipsum expectabant, inter quos quidam jurisperitus, aetate et moribus gravis, erat, et toto fere biennio ad ostium pulsaverat.

1135. Sed ad scholas redeundo, exercitatio litteraria, tum in componendo, tum in pronunciandis orationibus non mediocris erat; quibusdam enim diebus scholastici, consanguineis et amicis vocatis, tam venuste nostro in templo declamabant, ut non in mediocrem admirationem et expectationem sui auditores erigerent.

1136. Renovatio autem studiorum pro more facta fuit, una oratione graeca et duabus latinis ac multis epigrammatis recitatis, urbis magistratu et multis nobilibus et plebejis praesentibus.

1137. Rector ipse casuum conscientiae lectionem nostris sacerdotibus quotidie praelegebat.

1138. Missi fuerant Roma Arnoldus Conchus et Alphonsus Villalobus: prior, ut aliquid in scholis praelegeret; posterior, ut concionaretur. Quamvis autem talentum ad hoc munus Romae ostenderat, ejus tamen praedicatio Panormi parum libenter audiebatur, nec domesticis aut externis in concionandi munere satisfaciebat [1]; et ita Pater ipse Rector concionum curam suscepit; et postea Syracusas, ad sacerdotium promotus, P. Alphonsus missus fuit [2].

1139. Pater autem Arnoldus tantopere rhetorices auditoribus placuit, ut Mag. Gerardo Lapidano longe eum praeferrent; et ita Panormi in prima classe retentus est, et Mag. Gerardus Bibonam remissus.

---

[1] "Ricevemmo quelle di V. R. insino a dieci di febbraio, et ci rallegramo in Domino, che sodisfaccesi il M. Harnoldo nel officio di lettore. Quanto a Villalovos, in Loreto lo laudavano del predicare dottamente et con buona gratia, et a noi ci pare sia atto col tempo al predicare molto bene; ma bisogneria farlo exercitare bene... nella lingua italiana, se non le levano l' animo con le sindicature, perche non è molto animoso, ma destramente se dia aviso dove manca; et con attendere a studiare nelli dottori che fano al proposito, credo predicarà molto bene, et in qualche monasterio si può esercitare, se non lo uogliano metter in un' tratto nella sua chiesa, o vero in qualche altra parte fuor di Palermo. V. R. ci avisi come lo fa, et in qual cose si occupa.„ Polancus, *ex com.*. Patri Paulo d' Achillis, 5.ª Martii.

[2] Vide supra, pag. 276, n. 1074.

1140. P. Petrus Venustus monasterio novo *(del Roglion* [1] dicebatur) et interdum aliis in locis concionari solitus erat; et cujusdam insignis monasterii Abbatissa multis cum lacrymis ab eo postulavit, ut in praedictum monasterium novum eam admitti curaret, libentissime officium et dignitatem, quam habebat, relictura, ut inter minimas illius monasterii vivere posset.

1141. Singulis diebus Quadragesimae in nostro templo concio habebatur, propter scholares praecipue, qui fere trecenti numero erant, ne ipsorum parentes merito conqueri possent, quod verbo Dei sancto illo tempore privarentur.

1142. Iverat mense Januario Marsalam P. Paulus [2], ubi agrum egregium Abbatía, Collegio nostro unita [3], circuitu fere quindecim millium [4] passuum habebat; et quamvis in eo excolendo quingentos aureos expenderat, cum viginti quatuor boves ad ejus cultum emisset, ex proventibus primi anni facile expensas compensandas sperabat, cum trecenta fere modia *(salmas* vocant [5]) frumenti expectaret.

1143. Emit etiam mediam partem magni cujusdam horti, ut illum integrum haberet Collegium, ad quod [6] altera media pars spectabat; et ex oliveto, quod ibi commode augeri poterat, quingentos aureos annui reditus ad Collegium redire posse sperabat; et tamen illam mediam partem horti ducentis et septuaginta quinque aureis emit, cum ibidem versaretur.

1144. Drepanum accessit ut aliquid certi de P. Joanne Chotano [7] intelligeret; quaedam enim navis ex praesidio Goletae eo venerat. Invenit autem praefectum Goletae, Dominum Alphonsum de la Cueva, Drepanum remississe servum illum, qui ad Servienses [8] mittebatur, ut cum P. Chotano permutaretur. Erat enim frater illius, cui P. Chotanus serviebat. Sed intellectum est per quemdam mercatorem saracenum, qui de hac redem-

---

1 Vide supra, t. v, pag. 200, n. 583.

2 P. Paulus d' Achillis, Panormitani Collegii Rector.

3 Vide supra, t. v, pag. 212-216, nn. 621-629.

4 Ms. $\frac{m}{15}$.

5 Vide in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 346, annot. 7; sed consule in ejusdem tomi, pagina ultima, *Fe de erratas.*

6 Ms. *ad quem.*

7 Guttano sive *Goutte.* Vide supra, t. iv, pag. 147, 197, 212, 213; et t. v, pag. 205, n 599.

8 Sic; alibi *Zerbienses, Jerbienses,* hispanice *los Gelves.*

ptione agebat, et per quemdam etiam juvenem valentinum, a servitute vindicatum, quod praedictus Joannes Chotanus mortem obierat, a Domino in meliorem libertatem assertus quam nostri asserere potuissent. Tam inhumane autem ab illo barbaro tractabatur, ut verissimile sit mortem ex ea afflictione ipsi fuisse acceleratam [1].

1145. Mense Aprili P. Provincialis Panormum venit, et primo die Maji in ejus manibus P. Paulus de Achillis et P. Elpidius de Ugóletis solemnem professionem quatuor votorum emiserunt [2].

1146. Egit deinde cum Cardinale Panormitano et cum Praetore de quibusdam piis negotiis, et inde Marsalam profectus est ut bona Collegii Panormitani videret, ac deinde Panormum rediret.

1147. Mag. Gerardum Lapidanum, Bibona revocatum [3], Romam remiserat; et ipse postea eodem mense Majo Messanam reversus est; prius tamen constituit ut in octo parochiis nostri christianam doctrinam explicarent; propter aestum tamen, vel alias ob causas, pauciores confluebant quam nostri voluissent; nam prima dominica Pentecostes, id postulante Cardinale Archiepiscopo, inchoarunt.

1148. Admisit etiam ante recessum adolescentes illos, quos superius diximus [4]; scilicet, Ludovicum Agatham, Antonium Chalandrinum, Ferdinandum de Afflictis, Antonium Venetum et Joannem Baptistam Carminatam, in quo manifesta videtur exceptio regulae illius, quam nonnulli in ore habent, semel egressos religionem, et redeuntes, non perseverare; nam hic, primo et secundo exceptus in Societatem, ab ea recessit, non malignitate ulla, sed tenero quodam affectu parentum victus; semper tamen a vitiis cavit, et ecclesiam ac sacramenta frequentavit, et nostros amore ac reverentia prosecutus est; et

---

[1] Quoniam tamen adhuc prudenti dubio locus esse poterat an verum necne hi servi proferrent, scribebat, *ex com.*, Polancus Patri Hieronymo Domenech: "Recibimos las de V. R. hasta último de Enero pasado, y por ellas entendemos del tránsito de nuestro hermano carísimo Mtro. Juan Guttano, si se ha de creer á los esclavos que dijeron haberlo visto enterrar, y sería bien mirar no tomasen uno por otro, como ya otra vez se engañaron, diciendo ser muerto el mismo. De creer es que V. R. no dejará de hacer la diligencia que pudiere en este caso.„ 25.ª Februarii.

[2] Vide supra, pag. 40, annot. 1.

[3] Vide supra, pag. 287, n. 1139.

[4] Pag. 286, nn. 1133 et 1134.

demum tertio cum facultate P. Ignatii fuit admissus hac aestate; et non solum perseveravit, sed ferventer et cum magno desiderio compensandi inconstantiam praeteritam, facultatem postulavit et obtinuit vota emittendi, et bene semper se gessit; et hoc ipso anno scholae litterarum humaniorum praefectus fuit.

1149. Vigesima nona Maji Petrus Antonius Florentinus, qui diu cum adversa valetudine conflictatus fuerat, valde bonus et eruditus juvenis, spiritum Domino reddidit.

1150. Ad scholas nostras aliqui nobiles hoc mense Majo venire coeperunt; sed cum aestus jam gravis esset, numerus imminutus fuit et ad viginti quinque supra ducentos plus minus redactus; et P. Arnoldus, alioqui eruditus et gratus, morosus tamen valde erat; et sua melancholia parum stabilis effectus, ex Sicilia omnino recedere volebat; et publice, non habita ratione aliorum, id dicebat. Tamen suum errorem facile deinde cognoscebat et emendationem proponebat.

1151. Joannes tamen Michiaudi, sabaudus, de quo alias actum est [1], et Lucas, qui unicus ex Corsica erat in Societate, postquam multum negotii exhibuerant nostris, hospite insalutato, recesserunt, et magna molestia Collegium illud liberarunt.

1152. Praeerat scholae humaniorum litterarum P. Angelus Polizinus; sed ut posset liberius concionari, ad quod talentum acceperat non vulgare, ab ejus scholae onere, succedente Carminata praedicto [2], liberatus fuit, et graeca tantum lectio illi relicta fuit.

1153. Cum multi in morbum Panormi inciderent, quotidie nostri ad audiendas infirmorum confessiones ad varia urbis loca vocabantur; nec exigua messis haec erat, ut nec [3] religiosarum mulierum in variis monasteriis, ad quorum primarias religiosas audiendas et per sacramentum confessionis adjuvandas evocabantur. Sed peculiarem novi monasterii [4] curam gerebant; quod cum magna urbis aedificatione et diligenti sui instituti regularis observatione vivebant, et ita ejus confirmatio a Summo Pontifice postulata est, nam auctoritate Ordinarii, ex-

---

[1] Supra, t. v, pag. 203, n. 594.
[2] Supra, pag. 289, n. 1148.
[3] Supple: ut nec exigua etiam messis, illa censenda est religiosarum mulierum etc.
[4] Scil., *de Roglion*. Vide supra, pag. 288, n. 1140.

pulsis, ut diximus [1], aliis religiosis, in illud monasterium Roglione adductae fuerunt.

1154. Ipso die Conceptionis B. Virginis Fabius, post morbum diuturnum patienter toleratum, ad Dominum Panormi migravit.

1155. Revocatus fuit ex regno Siciliae hoc anno Pro-rex Joannes de Vega, quem multi, ut assolet, odio prosequebantur [2], quod justitiae severus vindex esset, quamvis postea absentis integritatem, et ad religionem ac commune bonum promovendum charitatem, ac simul strenuitatem et laudarunt et desiderarunt. Fuit autem a Rege Philippo constitutus Consilii regii Praeses [3].

1156. Sed interim in Sicilia nobiles panormitani non pauci Societati nostrae se adversarios ostenderunt, non alia ratione, ut videbatur, quam quod Pro-rex nostrae Societati amicissimus fuerat. Minabantur [4] autem quod, postquam ex regno Siciliae discessisset, auferre volebant quingentos illos aureos annui reditus, quos ad Collegii nostri dotationem perpetuam assignaverant [5].

1157. Ipse Praetor, ut nostris relatum est, dixerat nullum esse in Collegio nostro virum doctum, et curabat ut cuidam flandro, viro erudito, qui Panormi versabatur, centum aurei singulis annis a civitate donarentur, ut vel graecae linguae vel rhetoricae lectionem aliquam praelegeret; nec videbatur alia ratio hujus stipendii assignandi, nisi ut auctoritati nostri Col-

---

[1] Supra, t. v, pag. 200, n. 583.

[2] Manent hujus odii vestigia plura in pluribus illius aetatis scriptoribus, ut videre est in Gachard, *Relations des ambassadeurs vénitiens*, pag. 61: "Vargas (D. Diego de Vargas) était homme pratique: mais il avait coutume d'expédier d'abord les affaires qui lui tenaient à cœur, et ensuite celles qui étaient justes. On l'accusait d'avoir toujours celé les actes de tyrannie de Juan de Vega, vice-roi de Sicile, pour les présents qu'il en avait reçus.„ Non vacat hujusmodi calumnias refellere, nullis argumentis subnixas. Vide supra, pag 275, n. 1070, *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 97, annot. 2, et Aguilera, *Provinciae Siculae Soc. J. Ortus et Res gestae*, cap. v, n. 15, pag. 130. Hic, agens de Pro-Regis in Hispaniam discessu, post alia subjungit: "Vega in Hispaniam navigaturus conscendit, et praeter se ac suos et modicam supellectilem, minorem etiam quam attulerat, nihil imponit, nisi aes alienum, quod grande conflaverat, privatis publicisque operibus, quorum magnificae moles extant, conficiendis impensum.„

[3] *Presidente del Consejo de Castilla.*—Consilia, quae hoc tempore, mense Junio, Pro-rex mente agitabat (volebat enim se colligere et quietam privatamque vitam ducere), explicata invenies infra, n. 1311-1318: paratum autem discessum ipsius e Sicilia, mense Decembri absoluto, vide infra, n. 1344.

[4] Ms. *Mirabantur.*

[5] Vide supra, t. iv, pag. 214, n. 477, et t. iii, pag. 220, n. 479.

legii aliquid inde decederet, in quo quotidie et graeca lectio et rhetorica habebatur, nec tamen auditores externi, qui eas audirent, accedebant.

1158. Quaedam autem stipendia, quae aliis lectoribus solvebantur ex praescripto Pro-regis, eodem etiam recedente, auferenda dicebantur; et ita non sine timore erat Rector, quod tentaturi essent aliqui praedictos reditus Collegii nostris eripere, quamvis jure id facere non possent; sed divina bonitas protectionem Societatis nostrae se suscepisse rebus ipsis postea ostendit.

1159. Ut autem omnis occasio auferretur aliquid hujusmodi tentandi, cupiebat P. Paulus, Rector, aliquem dialecticae lectorem Panormum mitti, qui, logica absoluta, philosophiam etiam praelegeret; et hoc unus ex magistratibus, quos juratos vocant, qui in Collegio nostro filium habebat, suggessit. Libenter etiam rhetorices lectorem loco P. Arnoldi accepissent, quod, quamvis ille eruditus esset, profectui scholasticorum minus quam oportuisset se accommodaret [1]; et quia nonnulli viri in humanioribus his litteris bene docti Panormum venerant, id etiam a P. Paulo expetebatur.

1160. Quod attinet ad agrum Marsalae, quem magno labore nostri excolendum curaverant, cum trecenta modia expectassent, ne ducenta quidem habuerunt, ut vix expensis et labori fructus responderent. Forte docebat nos Dominus agrum spiritualem a nostris operariis proprie colendum esse; hos autem terrenos a peritis, et quorum id proprium officium est, coli debere; nam fere nihil industria et sollicitudo aut parum reditus auxit; et tamen ibi sacerdotem unum cum aliis fratribus nostris coadjutoribus a Majo mense tenuerunt, ut eorum et externorum etiam operariorum confessiones audiret, qui vel in praedicto agro vel in horto Rechaliae, superius dicto [2], versabantur; et in hoc ministerio sacramentorum et exhortationibus quibusdam aliquod spirituale auxilium illis contulit. Nec omittam quod ad hujus agri culturam aliquos reditus Panormitanum Collegium alienare debuit.

Et haec de Panormitano Collegio.

---

[1] Vide supra, pag. 287, n. 1139, et nuper, n. 1150.
[2] Vide supra, pag. 288, n. 1142.

DE COLLEGIO MONTIS REGALIS

1161. Praeerat initio hujus anni huic Collegiolo P. Sanchius Occhioa, navarrus [1]; sed cum mense Martio inde a Provinciali alio translatus esset, P. Elpidius de Ugoletis [2] a mense Martio ejus administrationem suscepit.

1162. Versabantur autem octo ex nostris ibidem; tres eorum sacerdotes, scilicet, praeter Rectorem, P. S.ta Crux et P. Joannes Rubies, qui cum fratribus Vincentio Romena et Julio Eugubino scholis praeerant [3]. Unus tamen frater studebat, et duo alii coadjutores erant; duo praeterea pueri decem annorum, alter in gratiam Pro-regis, alter nepos P. Juvenalis, nomine Joannes Boterus, ibidem instituebantur et alebantur; nam ex privilegio quibusdam id concedebatur eo tempore.

1163. Ad scholas centum et viginti pueri conveniebant, quamvis aestatis tempore aliqui ex hoc numero aberant; et in tres classes distributi sub tribus praedictis praeceptoribus, non mediocriter et in litteris et bonis moribus ac pietate proficiebant; nec solum singulis mensibus peccata confitebantur, pro more scholarum Societatis, sed plerique ex eis decimo quinto quoque die et aliqui singulis dominicis diebus sacramenta frequentabant; ex quibus nonnulli in Societatem admitti cupiebant, et ea in voluntate perseverabant. Plures quidem erant descripti, quam diximus, in album scholasticorum; sed, quia pauperes erant non pauci ex eis et domesticis negotiis crebro occupabantur, ad numerum praedictum et aliquando etiam ad centum dumtaxat veniebant.

1164. Christiana doctrina dominicis diebus cum satis magna frequentia puerorum docebatur in nostro templo, et diebus ve-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 207, n. 603.

[2] Vide supra, t. v, pag. 204, n. 597. Et in hoc ipso volumine, n. 1142.

[3] Pauca quidem de his tradunt nostrarum rerum scriptores. Quisnam autem fuerit P. Santacruz, cum plures tunc in Societate hoc cognomine insigniti versarentur, certo definire non possumus; tacent enim omnino *Litterae Quadrimestres*, Polancus, Orlandini et Aguilera.—De Vincentio Romena vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 617.

neris de eadem doctrina explicanda agebatur; et ad hanc lectionem, praeter scholasticos, alii etiam ex urbe conveniebant; et ut optata erat, ita cum fructu non poenitendo praelegebatur; dominicis autem diebus et festis praedictis exercebantur pueri a prandio in eadem recitanda.

1165. Conciones in eodem templo nostro dominicis diebus juxta consuetudinem fiebant, non infrequenti auditorio, habita ejus urbis exiguae ratione.

1166. Quod ad confessiones attinet utriusque sexus, homines satis negotii nostris exhibebant, inter quos aliqui quinque, septem, et decem annis a sacramentis abstinuerant; quidam etiam, et quidem non pauci, frequentare templum nostrum coeperunt, et devotione ad illud affici; et mulieres satis multae octavo quoque die, aliae decimo quinto, aliae singulis mensibus; alii quinquies aut sexies singulis annis communicare coeperunt.

1167. Cum autem Majo mense jubilaeum ibidem publicatum esset, multi in ecclesia nostra per confessionem et communionem ad eam indulgentiam obtinendam se compararunt; et haec messis satis fuit copiosa.

1168. Fuit autem mense Julio magnus aegrotantium numerus ea in civitate, et morbus [1] multos extinxit; et aliqui etiam ex Collegio nostro eodem laborarunt. Itaque alii ex nostris et cum domesticis et cum externis satis negotii habuerunt.

1169. Invisit autem P. Provincialis hoc Collegiolum sub finem Aprilis, et ibi ad professionem admisit Rectorem Collegii Panormitani et hujus Montis Regalis, ut superius diximus [2].

1170. Ibidem urgebat quidam scholasticus P. Provincialem ut se in Societatem admitteret, sexdecim annorum adolescens et bono ingenio praeditus, qui primam scholam frequentabat; et quod raro accidit, mater ipsius ad filium offerendum Societati Provincialem adiit; sed quod aliquid impedimenti [3] in altero oculo pateretur, non est admissus.

---

[1] Ms. *morbos*.

[2] Pag. 289, n. 1145.

[3] Ms. *impedimento*.—"Circa quel giovane che non vede da un' occhio, il quale è minor dell' altro, e conseguentemente ha deformità, non può essere accettato nella Compagnia nostra secondo le nostre constitutioni. Vedasi di consolarlo nel miglior modo che si può.„ Polancus, *ex com.*, Patri Paulo d' Achillis, 24.ª Junii.

DE COLLEGIO SYRACUSANO

1171. Postquam anno praecedenti ad Collegium Syracusis inchoandum aliqui ex nostris missi fuerunt [1], non parum in ferendis aequo animo injuriis et contradictionibus patientiam exercere debuerunt; quae tot tantaeque fuerunt, ut, aliae atque aliae subinde illatae, praeteritarum oblivisci facerent. Oriebantur autem partim a viris religiosis, partim a saecularibus sacerdotibus, partim etiam a viris saecularibus. Et initio eo molestiae hujusmodi graviores fuerunt, quo [a] majoris existimationis in sanctitate viris commovebantur.

1172. Objiciebant nostros delicatos esse, eo quod ex reditibus in Collegio vivere vellent, et mollibus indui et communi victu uti. Et addebant inopiam, qua maxime id temporis cives opprimebantur, nostrorum causa provenisse; cum tamen pauculi [essent] et pauperem victus et vestitus rationem [2], licet communem, nostri haberent; quo fiebat ut odio nostri essent hominibus, et plurimi torvis oculis eos respiciebant; nam et populum a nostris seduci dictitabant.

1173. Religiosi autem prae caeteris nostros oppugnabant, quod ad sacramenta confessionis et communionis frequentanda homines hortarentur; et foeminis, habitum tertii ordinis gestantibus, ne nostris confiterentur, interdixerunt. Palam superbos et hypocritas nostros vocabant.

1174. Sed inter haec ludibria non parum divina bonitas nostros consolabatur; quod enim in universa Societate suo in initio et in praecipuis ejus domibus acciderat, ut scilicet, supra firmam tribulationum petram earum fundamenta jacerentur, id sibi Syracusis accidere experiebantur. Sed, suaviter omnia disponente Domino, ubi Syracusani veritatem indagare coepe-

[1] Vide supra, t. v, pag. 221, n. 637 et seqq.
[2] In ms. inscritur hic *habentes*, quod supervacaneum videtur.

runt et rem, ut sese habebat, cognoscere, male conceptam de nostris opinionem, et quidquid odii in animo habebant, deposuerunt; immo qui acriores fuerant contra nostros, in eis diligendis ferventiores sunt effecti; qui negabant frequentanda esse sacramenta, eadem cum magno animi ardore frequentabant et alios ad idem exhortabantur.

1175. P. Philippus Cassinus hujus Collegii Rector mense Martio anni praeteriti missus [1], ubi concionari coepit, ut populo institutum nostri Collegii innotesceret, et quae commoda ex eo illi civitati emanatura erant; initio mirabatur civitas universa quod extra tempus Quadragesimae esset qui populo concionaretur, nam id inusitatum erat, quamvis inter alios Siciliae populos Syracusani ad pietatem propensi dicantur. Ubi autem degustare [populus] coepit fructum ex concionibus provenientem, tam frequens coepit confluere ad templum nostrûm, ut cum illud multitudinem non caperet, tam multi extra illud in via publica stabant, ut transeuntibus aditus occluderetur.

1176. Dominus Suerus de Vega, Pro-regis filius, qui hujus Collegii instituendi praecipuus auctor fuerat, et alii civitatis magistratus et primarii homines saepissime concionibus aderant, et fere non sine lacrymis discedebant.

1177. Aliquae etiam nobiles matronae his concionibus sic profecerunt, ut non solum vestium pompam et ornatum corporis deponerent; verum etiam, quod visum numquam fuerat, nonnullae earum in pauperum subventionem ostiatim eleemosynam petere non erubescebant; et alias mulieres ad idem misericordiae opus hortabantur; et brevi tempore tanta in eis morum immutatio facta est, ut, illecebris saecularibus contemptis, tantum quae ad animarum salutem pertinebant, studiose consectari cernerentur.

1178. Crevit magnopere Rectoris praedicti apud cives existimatio et ad illum, si quid difficile occurreret, confugiebant; quod et illi confratres fecerunt, qui titulo *charitatis* insigniti erant, et eos, qui capitali supplicio erant puniendi, animare ac juvare ex officio solebant. Cum enim non infimae conditionis miles ultimo supplicio afficiendus esset, cumque eum adducere non possent ad peccatorum confessionem, accersitus est

[1] Vide supra, t. v, pag. 220, n. 636, 637.

P. Joannes Philippus, ut in ea re tanti momenti ipsis adjumento esset.

1179. Cum ergo in carcerem se contulisset, et suo aspectu militis animum non mediocriter recreasset, statim ad confessionem et praeparationem ad mortem christiano dignam eum hortatus est; nec difficile quidquid voluit ei persuasit. Supplex autem ille, ne se desereret, [obsecrabat]: cum reo igitur in carcere de nocte manens, ubi divinum officium cum aliis sacerdotibus recitavit, jussit extingui lumina; et de Passione Domini ac beneficio ex ea ad genus humanum redeunte coepit disserere cum tam multis et ipsius et auditorum lacrymis, ut ipse reus, quanta pro ipsis Christus passus est animadvertens, propter ipsius amorem et in satisfactionem suorum criminum mortem aequo animo ferre decrevit; et illico vestibus se exuens, flagellis corpus suum caedere acriter coepit, quem alii omnes imitati, tantumdem fecerunt. Cum autem reus Sacrum in honorem B. Virginis in sui gratiam celebrandum a P. Joanne Philippo impetrasset, illud etiam impetravit, ut ipsi morienti adesset; nec illum, donec ultimum spiritum emitteret, reliquit.

1180. Hoc autem suspicionem et conceptum de nostris non bonum de populi animis eripuit, et exinde conciones multi frequentare coeperunt, et piorum numerus et universae civitatis in nostros amor auctus est. Successus autem felix scholarum benevolentiam magnopere auxit [1].

1181. Observabant cives nostros numquam otiosos esse; profestis diebus in scholis occupari; dominicis et festis in christiana doctrina docenda variis in locis versari: quaedam enim templa constituta fuerant Syracusis, ad quae pueri omnes, qui decimum quintum aetatis annum non egerant, convenire tenebantur; ibi nostri catechismo eos instituebant et exercebant; sed praeter pueros non pauci viri et mulieres eo conveniebant.

1182. In monasteriis etiam monialium nostri concionari soliti erant, quibus rebus usque adeo prius illud odium et detractiones in benevolentiam et laudem versa fuerunt, ut in hac etiam parte modum excederent, dum nostros nunc Christi milites, nunc apostolos vocant.

---

[1] Ut Syracusarum facies animorumque in nos fausta commutatio perspiciantur, legenda est omnino epistola CDLXXXVII, *(Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 165) unde Polancus plurima transtulit hisce numeris contenta.

1183. Concionatus est singulis Quadragesimae diebus P. Joannes Philippus, et ipso die S.ti Josephi, cui nostrum templum dicatum erat, Episcopus [1] cum magistratibus urbis, cum multis nobilibus et Doctoribus Syracusanis concioni interfuerunt. Qua cum ipsorum magna approbatione peracta, recitati sunt hymni et epigrammata, tum graeca tum latina, a pueris et oratio quaedam latina in laudem Divi Josephi habita fuit; quibus omnibus et Episcopus et reliqui, qui convenerant, admodum laetati sunt, dum eruditionis specimen a pueris praeberi vident.

1184. In templo autem Divi Dominici, in die S.to Thomae de Aquino sacro, idem actum est.

1185. In nostra autem ecclesia etiam post Pascha, tam nobiles quam plebeji, multi concionibus tanta cum satisfactione et compunctione aderant, ut crebris gemitibus et lacrymis eam testarentur.

1186. Multi etiam ex auditoribus ad statum vitae mutandum et ad perfectiorem vitae spiritualis rationem aspirabant. Et ita quaedam praesertim foeminae, de quarum matrimoniis agebatur, castitatem suam Christo consecrare voluerunt.

1187. Et quia monasteria religiosarum instituti sui non admodum observantia existimabantur, monasterium aliquod, nostrorum opera, Syracusis institui cupiebant, ubi cum magna reformatione, quemadmodum Messanae [2] et Panormi [3] in monasteriis Ascensionis et Roglionis, religiosae vivebant.

1188. Aliquae etiam viduae ad Dei honorem in statu castitatis vidualis manere decreverunt, inter quas illustris quaedam ejus urbis matrona erat, quae, optimum sui odorem in spirituali vita spargens, multas ad suum exemplum imitandum movit.

1189. Plurimae itaque, deposito superfluo ornatu, ad simplicem et spiritualem vivendi rationem se composuerunt, inter quas aliquae per generalem totius vitae confessionem majorem animae puritatem quaesierunt, et orationi mentali deditae, ad Sanctissimam Eucharistiam magno animi desiderio dominicis

---

[1] Hieronymus de Bononia.
[2] Vide supra, t. IV, pag. 194, n. 415 et 416.
[3] Vide supra, t. IV, pag. 209, n. 464.

diebus accedebant, profestis etiam diebus accedebant [1], et si concessum eis fuisset, etiam Angelorum cibum frequentius suscepissent.

1190. Centum numero erant utriusque sexus, qui octavo quoque die hac aestate communicabant, et in dies numerus crescebat. In festo Assumptionis B. Virginis duplicatus fuit communicantium numerus; quo die etiam non solum major solito numerus ad concionem accessit, sed ea absoluta, ad spatium aliquod temporis populus, velut suspensus, ad contemplationem gloriae B. Virginis suis in locis mansit, et partim ex propensione ad pietatem syracusani populi, partim ex affectu, quo concionatorem ipsum prosequebantur, fletus et suspiria auditorum in concionibus magnopere abundabant.

1191. Legebat idem diebus veneris Cantica Salomonis, et, ad hanc lectionem audiendam, devotionem peculiarem prae se auditores ferebant.

1192. Diebus autem festis post vespertinum officium casuum conscientiae lectionem idem praelegebat, quae pergrata etiam auditoribus fuit.

1193. Ipso die Apostoli Matthaei quadraginta horarum oratio, quam Provincialis injunxerat, in templo nostro inchoata fuit, et quidem magno hominum utriusque sexus concursu ac devotione, tam virorum quam foeminarum, ad finem perducta est; et cum ultima hora P. Joannes Philippus concionatus esset, tam valide commoti fuerunt auditores, ut non solum misericordiam Domini clamoribus implorarent, sed et aliqui ex magna vi compunctionis in deliquium venerint.

1194. Erat autem concursus hominum in concionibus non solum numerosus, sed etiam ex primariis hominibus, et magna cum diligentia et studio verbum Dei audiebant; et inde affectuum commotio tam insignis sequebatur.

1195. Accidit ut, ipso die B. Magdalenae, nobilis quaedam foemina, sed quae pompis saecularibus valde dedita existima-

---

[1] Sic; existimamus tamen verba quaedam deesse et scribendum sic: "dominicis ac profestis etiam quandoque diebus accedebant.„ Itaque congruit cum his, quae Michaël Angelus Labacus scripserat: "Imperochè qui non solo le domeniche et feste, ma etiamdio quasi ogni giorno, in grande moltitudine huomini et donne a gli sacramenti con incredibile desiderio concorrono.„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 600. "Huc non diebus dominicis modo et festis, sed etiam quotidie fere, ad sacramenta...„ *Ibid.*, pag. 606.

batur, nescio quo spiritu in templum nostrum veniret; et dum P. Joannes Philippus concionaretur, sic sagitta divini amoris transfixa fuit, ut non tantum solatia vana et delicias saeculares relinqueret, sed cum magna etiam humilitate sacramenta frequentare inciperet; et ejus ad Dominum conversio vix credi potest quantum aedificationis et admirationis toti civitati attulerit; et omnino ignis hic sanctus, quem Christus venit mittere in terram, in plurimorum animis ardere coepit. Nec solum conciones et Canticorum lectiones, sed nec Missam quidem singulis diebus, non sine magno suo dolore, nostro in templo reliquissent.

1196. Sacrista noster tam diligenter altaria ornabat, et pro temporum varietate mutabat ornamenta, ut non parum excitaret ad devotionem animos: sua etiam exhortatione non paucos ad honestioris vitae rationem adducebat.

1197. Exercitia spiritualia quibusdam matronis fuerunt proposita, quibus illae diligentissime dabant operam. Aliquae autem viduae monasticum habitum, Christo omnino se dedicando, sumpserunt, et magno exemplo virtutis omnes ad se convertebant. Virgines etiam, quae ad templum frequentes deducebantur, usque ad admirationem multorum in spiritualem profectum incumbebant, nec ullae deliciae, quibus ea aetas capi solet, perinde illis gratae erant atque in ecclesia orationi et pietatis officiis vacare.

1198. Charitas autem hujusmodi hominum, qui ecclesiam nostram frequentabant, ad alios juvandos sese extendebat; et cum aliquem extra salutis viam incedere intelligebant, partim orationibus, partim exhortationibus, eos ad meliorem mentem revocare et a peccatis deterrere studebant; et tanto studio ac diligentia id exequebantur, ut nihil illis charius quam animam aliquam juvare et ad Christum adducere videretur.

1199. Cum crebro nostri ad aegrotantes evocarentur, ut eos et animarent et consolarentur, diligenter eo charitatis officio fungebantur; et admirabantur multi quod, nulla commodi proprii aut quietis habita ratione, etiam media nocte, cum vocabantur ad aegrotantes, accedebant, et paternam in eos pietatem exhibebant.

1200. Quod ad scholas attinet, mense Novembri praecedentis anni, post festum S.^{tae} Catharinae, docendi initium fece-

runt; quamvis sub finem mensis Octobris publica oratio, summo in templo habita, hoc scholarum institutum declaraverat. Fuerant ibidem plurima et varii generis carmina, tum graeca tum latina, affixa. Adfuerat Dominus Suerus de Vega cum magistratibus, Vicario Episcopi, omnibus theologis diversarum religionum, monachis, et etiam ludimagistris, qui nostrorum labori non cessabant obstrepere. Quantum autem omnibus oratio placuerit, applausus, ea absoluta, satis declaravit. Secutus est et bombardarum strepitus et campanarum atque organorum sonitus, quibus publicam laetitiam explicabant.

1201. Magna etiam congratulatio Domino Suero a Doctoribus et civibus compluribus facta est, quod Collegium Syracusas evocandi auctor fuerat.

1202. In festo S.tae Catharinae altera oratio in laudem graecae linguae, quae publice legenda erat, habita est; in cujus studium multi Doctores ac ludimagistri, quorum discipuli omnes ad nostros se transtulerant, incubuerunt. Eodem die complura epigrammata a quibusdam adolescentibus Praesidi, Suero de Vega, et magistratui recitatae fuerunt.

1203. Mox autem filii multorum nobilium et doctorum virorum ad nostras scholas convenerunt et eorum in dies numerus augebatur; et cum in litteris ac bonis moribus institui et utrobique proficere cernerentur, eorum parentes in dies magis benevoli Collegio reddebantur [1].

1204. Libenter autem pueri singulis mensibus confitebantur; eorum indoles tam ad doctrinam quam ad virtutem praeclara erat; et in posterum multos ex eis ad Societatem idoneos fore existimabatur; et aliqui jam vehementer id optabant, et ut admitterentur urgebant.

1205. Satis etiam diligentes erant, tum in his quae ad pietatem, tum in his quae ad eruditionem promovendam faciunt. Modestia eorum et consanguineos et reliquos cives ad Deum laudandum magnopere excitabat; et miserrimam fore civitatem dicebant, si Collegium hoc ab ea sublatum esset.

1206. Christianam doctrinam tanto cum affectu discebant, ut ad scholas venientes et inde domum recedentes, eam decan-

[1] Ms. habet *eorum parentes in dies magis benevolos Collegio reddebat*, sed orationis subjectum desideratur; ideo vel aliunde mutuandum, vel passiva voce efferenda est oratio: postremum magis placuit.

tare consuescerent, et aliae cantilenae vanae oblivioni tradebantur.

1207. In disputationibus et exercitiis scholasticis sic se gerebant, ut doctrinae amatores eos esse satis cerneretur, et ipsorum exemplo alii etiam, ut ad easdem scholas venirent, invitabantur.

1208. Eorum numerus ad centum et quinquaginta [1] pervenit, et ex nobilioribus urbis erant, quamvis nonnulli ex vicinis montibus Syracusas studii gratia descenderant.

1209. In progressu autem hujus anni, cum puritatis conscientiae in dies studiosiores redderentur, non expectabant praefixum sibi menstruum tempus, sed et major pars eorum ad conscientiae tranquillitatem generales totius vitae confessiones instituebant, et, ut exactius id facerent, etiam scriptis memoriam juvabant; et magnam venerationem sanctis sacramentis omnino exhibebant, ut seniores, immo et ipsorum parentes, et admirabantur, et mutationem morum in filiis observantes, civitatem illam perpetuo obligatissimam fore praedicabant.

1210. Qui autem ad ingressum Societatis afficiebantur ex his discipulis, non solum pietate sed et ingenio inter alios eminebant.

1211. Dominus Suerus de Vega mira dilectione Collegium, immo et Societatis institutum, prosequebatur. Familiariter ad illud veniebat et cum fratribus cibum capiebat; nec dissimulabat impelli suum animum persaepe ad renuntiandum rebus saecularibus et Societatem ingrediendam, et dicebat non se spem abjecisse quod aliquando, eo Collegio constituto, ipsemet fratribus inservire in eo posset, quo honore nullum praestantiorem existimabat.

1212. Ipse etiam Episcopus Syracusanus magno affectu charitatis Collegium amplectebatur. Erant et cives multi, qui totis viribus eos reprimebant, quos Collegio detrahere audiebant; et licet sacerdotes, immo et religiosi essent, acriter eos reprehendebant. Sed Episcopus prae caeteris hanc existimationis [2] Societatis protectionem suscepisse videbatur; et quia

---

[1] Emendatus hic numerus est, nec satis apparet an legendum tandem sit *180*, an *190*, an vero *140*. Nos tamen *centum et quinquaginta* scribimus, quia perspicue admodum hic numerus est in litteris supra memoratis Michaëlis Angeli Labaci.

[2] Ms. *existimationem*.

semper aliqui inveniebantur, qui nostros insectarentur, immo et Collegium evertere niterentur, non erat otiosum hujusmodi patrocinium. Sed quanto magis obtrectatores experiebantur se oleum et operam perdere, nostris obloquendo, eo magis invidia et rabies quaedam in quibusdam augebatur, ut in quodam sacerdote ludimagistro accidit, qui versus quosdam in Collegii scholis affixit, quibus etiam gravissima damna Collegio minabatur, si Syracusis nostri non recederent; et omnino brevi, cum infamia et vitae periculo, nostros ex urbe ea expellendos esse.

1213. Dissimulabat quidem ille sacerdos se horum carminum auctorem; sed cum aliqui observassent eum injuriis aut conviciis praeceptores nostri Collegii proscindere, ex quibusdam signis suspicati sunt praedictorum carminum ipsum auctorem fuisse; et ita Episcopus eum in carcerem conjecit, quamvis precibus P. Joannis Philippi statim eum liberum dimisit.

1214. Fama autem Collegii in dies crescebat, et Societatis ministeria a nobilibus et multis aliis honestis viris laudibus efferebantur, et in ore omnium quodammodo versabantur. Immo et in aliqua loca extra Syracusas, ad quae solum negotiorum causa se conferebant, eamdem famam Societatis late spargebant.

1215. Cum autem in renovatione studiorum comoedia quaedam nostro in Collegio acta fuisset, quae de honestate morum agebat, aliqui nobiles cujusdam urbis, quae viginti quatuor milliaribus Syracusis distabat, Rectorem Collegii obnixe rogarunt, ut eos adolescentes, qui illam egerant, ad se mitteret, ut quam tantopere Syracusis laudare audierant, apud ipsos agerent; quod tamen minime illis concessum est; talia enim in Collegiis Societatis ad accendendam juventutem ad bonas litteras, non ad praebenda spectacula externis, fieri solebant.

1216. In eadem illa urbe de Collegio Societatis instituendo agebatur, et cum eo Dominus Suerus de Vega iturus esset, nam Drepanum iter facturus erat, secum deduxit P. Joannem Philippum, Rectorem, ut cum ejus urbis magistratibus commodius ea de re ageretur.

1217. Fuit autem Rector praedictus benigne et honorifice ab eis exceptus; et ab Episcopi Vicario rogatus, dominica die sequenti cum magna omnium admiratione in Cathedrali templo concionatus est; et facile cernebatur res ad Collegii institutio-

nem disponi posse; sed quia operarii pauci erant, in messem tam multiplicem se extendere non expediebat.

1218. Quod ad temporalia attinet, praeter ecclesiam et Collegii situm, Episcopus suis eleemosynis cum magna charitate Collegio subveniebat, et suos libros mutuo dabat, et omnia sua prompto animo offerebat [1]; immo et in aliis urbibus suae dioecesis collegia constitui cupiebat; ipsa etiam civitas, si quam nacta esset commoditatem, augmentum redituum assignatorum pollicebatur, nec interim necessaria nostris deerant et quae anno praecedenti assignata esse diximus [2]

Et haec de Syracusano Collegio.

DE COLLEGIO BIBONAE

1219. Primus hujus Collegii Rector, P. Eleutherius Pontanus, anno praecedenti Roma cum multis aliis in Siciliam missus, quinquagesimo primo die, postquam Roma profecti erant, Messanam pervenerunt [3], et cum nullam peregrinationem diuturnam et magis laboriosam unquam fecisset, nullam sibi leviorem aut faciliorem visam fuisse affirmat; dabat enim vires Dominus, ut, licet aliquando noctes integras, vel supra navis tabulas, vel super nuda humo, etiam sub dio, dormiendum esset, et pluviae atque alia incommoda subeunda, omnia tolerabilia Dei protectio reddebat.

1220. Cum septemdecim dies Messanae quievissent, postridie natalis Domini Panormum et Bibonam versus in duabus scaphis (*fragatas* vocant) instructis proficiscentes, felici navigatione, ipso die Innocentium mane, Panormum pervenerunt. Inde autem prima die Januarii hujus anni Bibonam pro-

---

[1] Ms. *ferebat*.
[2] Vide supra, t. IV, pag. 230, n. 516.
[3] Vide supra, t. V, pag. 220, n. 635 et pag. 223, n. 645.

fecti, eodem die eo pervenerunt; quamvis nox, antequam pervenissent, supervenerat.

1221. Quam autem gratus fuerit omnibus ipsorum adventus, vix explicari posset; statim congratulaturi, et quibus poterant signis suam laetitiam demonstraturi, multi ad nostros convenerunt. Inter quos fuit Gubernator ejus civitatis, quem judex et alii nobiliores comitabantur, qui omnem suam operam laetissimo animo nostris offerebant.

1222. Plebs etiam suos patres venisse dicebat; nec enim aliud nomen nostrae Societatis ipsis innotuerat; et ita, ut parentes, et amabant nostros et reverebantur. Haec autem inter ipsos vox erat, venisse nostros ut christianam religionem extinctam, in antiquum suum statum vindicarent [1].

1223. Erat ea civitas non paucis vitiis dedita, inter quae lusus alearum et chartarum late admodum patebat, in quo dies integros insumebant. Cura autem ac diligentia fratrum nostrorum effectum est, ut nullus aleator jam cerneretur.

1224. Cum etiam in carnis-privio, ut fieri solet, personati per urbem multi incederent, non pauci eorum, cum reprehensi essent de hac consuetudine ab infidelibus relicta, larvas deponebant; et quietius hac ratione illi dies, qui Quadragesimam praecedunt, elapsi sunt. Qui autem hac larvarum levitate utebantur, non audebant ante nostram domum transire.

1225. Circulatores, quorum in Sicilia magnus proventus esse solet, tribus in carcerem conjectis, qui superstitiosas quasdam orationes cum non mediocri lucro vendebant, caeteri primis mensibus hujus anni Bibonam *(sic)* fugiebant. Cum autem quidam cum serpentibus, ut assolet, in foro comparuisset, cum Paulus Mantuanus (unus ex primis fratribus Bibonam missis hic erat [2]) conciunculam ibidem inchoasset, territus ille cum suis serpentibus recessit.

1226. Inviserunt nostri familias quasdam, quae nullum finem faciebant suorum funera deflendi; et quamvis aegre, hoc tamen impetrarunt, ut ab hoc gentilico ritu abstinerent. Hic mos erat hujusmodi hominum, ut cum aliquis moriebatur, vestibus eum pretiosis suis aut vicinorum induerent, et cadavere in edito loco reposito, inducebantur quaedam mulieres, quae

[1] Ms. *vindicaret*.
[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 301, annot. 1.

stulta quaedam et puerilia cantabant, manus erga cadaver extendendo, et domum planctibus replendo, crines suos evellendo, et unguibus faciem conscindendo. Et hic luctus non unius, sed plurimorum dierum erat, et duos ac tres annos durabat, quo tempore, Missam non audiebant, nec ullum sacramentum suscipiebant; et dum viverent, nulla ratione in templum illud essent ingressi, ubi cadaver fuisset sepultum [1].

1227. Hanc consuetudinem Pro-rex Joannes de Vega, qui zelum Dei habebat, licet extirpare propositis edictis conatus fuerat, non tamen id obtinuit [2]. In quibusdam tamen locis abusus hic fuerat imminutus. Nostris itaque non exigua occasio inde suppetebat contra hunc gentilicum et pessimum ritum suos conatus intendendi.

1228. Capitales inimicitiae et odia non pauca extincta nostrorum opera fuerunt. Inter duos primarios cives tam graves intercesserant simultates, ut sola mors videretur eas posse dirimere; sed unus ex fratribus paucis verbis per Dei gratiam obtinuit, ut sibi mutuo injurias condonarent, et in amicitiam laeto animo redirent.

1229. Peculiarem curam eorum, qui in publica custodia detinebantur, nostri susceperunt, et crebro apud eos conciones habuerunt, et confessarios eisdem providerunt; quod pro maximo beneficio, qui ibi detinebantur, acceperunt, cum ante nostrorum adventum neminem haberent, a quo consolationem ullam spiritualem, aut, cum aegrotarent, absolutionem obtinere possent.

1230. Quidam etiam juvenis [3], quem gravius castigare judices, quam aequitas ferret, volebant, nostrorum intercessione

---

[1] Vide opus nuper cit. pag. 300 et 301.

[2] En summa quarumdam Pragmaticarum huc spectantium:

PRAGMATICA SECUNDA. In domibus, ubi quis defunctus fuerit, non conveniant mulieres praeficae, quae vulgo dicuntur reputatrices, nec possint mulieres magno ululatu et altis clamoribus deplorare, nisi per tres dies tantum.

PRAGMATICA TERTIA. Post tres dies, nec alio tempore transeuntibus processionibus, vel Sanctissimo Corpore Domini nostri Jesu Christi, vel in celebratione alicujus festivitatis, fiant ululatus cum clamore et altis vocibus.

PRAGMATICA QUARTA. Nulla possit accedere ad monumenta ad ibi plorandum, etiamsi serva sit.

PRAGMATICA SEXTA. Defuncti ad sepulturam perducantur per breviorem viam. — PRAGMATICARUM REGNI SICILIAE *Novissima Collectio*, t. I, Titulus LXXVIII, De variis ordinationibus Joannis de Vega registratis in officio Prothonotarii *(sic)* in anno duodecimae Indictionis, 1553.

[3] Ms. *Quemdam etiam juvenem.*

fuit liberatus. Alterum, qui ob levem admodum causam in carcerem erat conjectus cum gravi suae familiae detrimento, liberandum et uxori et filiis restituendum curarunt. Alium etiam, cujus bona et fideijussionem quamdam publice divendere cum summo ejus damno volebant, suis precibus apud judicem juverunt, ut mitius cum eo ageretur. Et alia ejusmodi, beneficia miseris illis hominibus conferendo, curabant.

1231. Aegrotantibus in xenodochio, nostrorum opera, saepe subventum est.

1232. Quam bene autem civitas de nostris sentiret, judicari poterat ex hominum concursu, [qui] ad nostros in suis periculis ac laboribus fiebat et eisdem confiteri cupiebant.

1233. Placuit autem divinae bonitati ut primis illis mensibus nullus frustra auxilium a nostris peteret.

1234. Insigne autem illud Dei donum fuit, quod, cum vicina quaedam mulier, duos jam dies in partu laborans, parere tamen non posset, nec, adhibitis multis remediis, ejus dolor mitigaretur; misit ad nostros, ut ipsi subvenirent. Respondit P. Eleutherius se non esse medicum, nec divinam habere virtutem, ut posset eam dolore liberare; quamvis Deo illam commendare poterat. Cum, quae missae fuerant, a precibus non desisterent, remedium aliquod petendo, victus earum precibus, aquam benedictam eis dedit, admonens ut signum crucis cum eadem aqua in fronte et pectore et ventre parturientis facerent, et orationes nostrorum obtulit; quae cum domi factae fuissent, et illae etiam obediissent, intra duas horas, feliciter pariens, doloribus liberata fuit.

1235. Initio Maji, cum jubilaei gratiam Bibonae accepissent, multi ad confessiones confluebant, quibus omnibus satisfieri a nostris non potuit; nam sacerdotes, etiam religiosi, cum dicerent se non teneri extra Pascha, quod in Quadragesima satis in ministerio confessionum laboraverant, poenitentes audire recusabant, et eo plures ad nostros conveniebant; et ita eorum opera multos divina bonitas a daemonis laqueis eripuit.

1236. Die veneris ante Pentecosten P. Marinus evocatus [1] fuit a judice ut trium hominum confessiones audiret, qui postridie capite plectendi erant, nec facile inveniebatur qui hujus-

[1] Vide supra, t. 5, pag. 223, n. 645.

modi homines audire vellet, nam pene toto in regno Siciliae ferebatur infame quid existimari reos mortis et ad supplicium ultimum condemnatos comitari.

1237. Haec etiam persuasio multorum animis insidebat, animas eorum, qui capite plectebantur, molestas esse eis, qui ad supplicium euntes comitabantur. Sed exemplo P. Marini, alii sacerdotes saeculares animosiores effecti, venerunt ad carcerem et quinque vel sex ex illis simul cum quodam ex nostris fratribus cum damnatis illis hominibus pernoctarunt.

1238. Exhortationibus autem praedicti fratris nostri, praeterquam quod omnes animati fuerunt et consolationem acceperunt, unus eorum mirum in modum a Domino illustratus fuit et compunctus, qui singulare Dei beneficium agnoscebat quod in manus ministrorum justitiae incidisset, cum occidi ex improviso facile potuerit, et sine poenitentia suorum peccatorum ex hac vita migrare.

1239. Hujusmodi autem homines in carcere retenti, saepius a nostris invisebantur et ad confessionem, ac contentiones [1] deponendas, excitabantur. Et fuit inter hos, qui non solum laeto animo quod admonebatur effecerit, sed alium etiam carceris comitem reprehendebat, quod se difficilem ad condonandam injuriam sibi illatam praeberet. Fere autem [omnes] hujusmodi homines Patri Marino confessi sunt.

1240. Bibonenses in dies magis nostris afficiebantur, et in suis afflictionibus ac necessitatibus ad nostros, ut patres et protectores, confugiebant, et in aegrotantium subsidium a nostris eleemosynam petebant. Nec parum animum P. Eleutherii cruciabat, quod paucis eorum posset subvenire, quamvis imitari B. Martinum in pallio dividendo cum eis cupiebat; sed tanta erat multitudo pauperum Bibonae, ut perexiguum esset subsidium quidquid Collegium de suo tribuere poterat; cum enim duo millia familiarum Bibonae habitarent, praeter quadraginta vel quinquaginta, reliquae omnes tam pauperes sunt, ut, qui inter eas satis habent panis ad vescendum, se divites existiment.

1241. Causa tantae paupertatis est quod nulla Bibonae mercatura exercetur, et ita pauperes, unde sibi victum suo labore

[1] In ms. legitur *ad confessionem ac confessiones deponendas;* sed error manifestus est.

comparent, non habent; quamvis autem per totam Galliam, Flandriam et Italiam multis in locis versatus esset, nusquam similem paupertatem se vidisse P. Eleutherius affirmabat [1]. Domunculas habitabant, in quibus unica tantum erat habitatio, sine ulla fenestra vel camino, praeter tecti rimas; et ita, cum ignem conficiunt, totam domum statim fumus implet; et in eadem habitatione et homines habitant et animalia, quae habent; et in uno lecto tota dormit familia; masculi, foeminae, parentes et filii et servi dormiunt; quod verisimile est non magnis incommodis [2], etiam spiritualibus, carere.

1242. Major pars foeminarum propter paupertatem vestes, quibus tegantur, non habent, et ideo toto anno ad Missam audiendam non accedunt; et tanta premuntur egestate, ut nisi festis etiam diebus laborent [3], familiam fame perituram credant.

1243. Inde accidebat ut ad confessionem et communionem frequentem adduci minime possent, ne, dum ipsi in spiritualibus occupantur, familia famem pateretur. Dicebant etiam se alia peccata non habere, nisi quod maledictis filios propter paupertatem prosequerentur.

1244. Ex eadem causa pauci ex plebejis ad conciones adduci poterant. Et cum ex more concio fieri soleat post symbolum Apostolorum in Missa recitatum, aliquando, cum videbant concionatorem suggestum ascendentem, fere omnes fugiebant extra ecclesiam, et quidem propere. Et videbatur id ab eis fieri, ne, si tantum temporis in ecclesia manerent dum concio et Missa absolveretur, domi inventuri non essent quid comederent, et ita infrequens satis auditorium esse solebat.

1245. Et ipso die Pentecostes, cum in ecclesiam concionaturus advenisset qui solitus erat concionari, neminem invenit. Secundo autem die, cum suggestum ascenderet sub mediam Missam, quotquot fere erant in templo, fugerunt et coeptam Missam reliquerunt; et ita rarius conciones habebantur.

1246. Et Vicarius ipse fatebatur tempus parum utiliter terendum esse, si singulis dominicis diebus pro more nostrae Societatis vellent concionari; ideo mirum non est, si magna igno-

---

[1] Insulis *(Lille)* natus erat P. Eleutherius Pontanus, et Parisiis in Societatem admissus. Vide supra, t. II, pag. 94, n. 221.

[2] Ms. habet *commodis;* sed sensus contrarium postulat.

[3] Ms. *laborarent.*

rantia is populus laborabat, et si propter eamdem, adjuncta paupertate, in vitia non pauca aut parum gravia incidebant.

1247. Cum autem tam difficile ad conciones audiendas adducerentur, nihilominus ad vana, quae circulatores in foro efficiebant, et quidem parum honesta, aliquando attentissimos ac valde frequentes ipso die Pentecostes se praebuerant. Curatum est tamen, ut circumforanei praedicti ex urbe facesserent.

1248. Fructus igitur in provectioris aetatis hominibus minor erat quam nostri optassent, eo quod tam parum essent affecti ad verbum Dei audiendum; quod tamen et a P. Eleutherio et a P. Marino proponebatur.

1249. Et quidem P. Marinus aliquando extra Bibonam cum satisfactione auditorum [concionabatur]. Idem tamen non sine causa concionari Bibonae timebat post symbolum, ut diximus [1], quia conciones in causa esse videbantur, ut populus diebus dominicis Missae praecipuam partem non audiret, dum ex ecclesia ob conciones fugit. Si autem alio tempore concionatus esset, nullum auditorem aut rarum habiturus erat.

1250. In monasterio monialium omnibus dominicis diebus idem P. Marinus concionabatur; et satis eruditae ejus conciones erant, quamvis parum suavis vox esset.

1251. Pater autem Eleutherius, praeter conciones, christianam etiam doctrinam explicandam susceperat dominicis diebus post prandium; et quamvis id faceret in ecclesia quadam prope plateam, et duos juvenes mitterent, quos et alii scholastici comitabantur cum tintinnabulo, ut homines ad audiendum invitarent; quamvis campanae etiam ejusdem ecclesiae pulsarentur, vix, praeter pueros triginta vel quadraginta, alii quodammodo inviti ad ecclesiam trahebantur; res enim omnino nova et inusitata erat, et homines ad agriculturam et victum quaerendum suas cogitationes convertebant.

1252. Ad aegrotos nostri persaepe vocabantur, et familiari colloquio dissidentes inter se multos conciliabant, inter quos duo viri primarii urbis Xachae [2] fuerunt.

1253. Xenodochium autem, nostris aedibus vicinum, magnam semper confessionum materiam suppeditabat.

---

[1] N. 1244.

[2] Vide supra, t. II, pag. 249, annot. 2; t. III, pag. 210, annot. 1.

1254. Detenti etiam in publica custodia, qui fugere non poterant, secura messis erat et exhortatoribus et confessariis: quinque ex his hominibus, cum ad supplicium ducerentur, nostrorum opera non parum adjuti sunt; et unus eorum ex desperationis barathro revocatus, cum in ea esset haeresi ut animam cum corpore perituram existimaret.

1255. Mulier quaedam concubinaria, milite quodam relicto, Bibonam nihilo honestius victura se receperat. Miles autem eam insecutus [est], qui se vel reducturum vel interfecturum eam affirmabat. Curarunt ergo nostri ut mulier praedicta, non jam in concubinatu sed in matrimonio legitimo, praedicto militi copularetur, et uterque illorum confessione salutari complurium annorum peccata delevit.

1256. Duae virgines Christo se consecrare statuerunt; plures id erant facturae, nisi a parentibus, invitae quodammodo et coactae, viris in matrimonium essent traditae.

1257. Privatis ergo [sermonibus] cum illis et his agendo, vel exhortando, vel reprehendendo, vel pacificando, vel confessiones eorum audiendo, compensare curabant nostri quod deerat concionibus; quae tamen non omittebantur, cum aliqua occasio se offerebat.

1258. Et quia propriam ecclesiam non habebant (nondum enim aedificium erat absolutum), minus mirum est, si populus nondum assuescebat, ut vel concionibus vel confessionibus crebrius interesset.

1259. Ex scholis uberior fructus et solidior quam ex aliis ministeriis sperabatur: primis mensibus ad centum et quinquaginta scholasticorum numerus accessit, qui et in litteris et in moribus in dies proficiebant, et peccata, quibus ea aetas est obnoxia, relinquebant, ut plane nulla jam ad nostros querela de hujusmodi adolescentibus deferretur.

1260. Singulis mensibus confitebantur, et magno cum desiderio multi eorum ad sanctissimam Eucharistiam accedebant.

1261. Mense Junio ad centum et octoginta et duos jam accesserant; sed hoc incommodum et illi patiebantur, quod, propter paupertatem, libros necessarios a parentibus non impetrabant, et aliqui magis tenues, domum redeuntes, a parentibus in variis ministeriis occupabantur; et aliquando non paucos dies ne venire quidem ad scholas permittebantur.

1262. Multa etiam mala exempla domi in suis parentibus videbant et addiscebant. Sperabant nihilominus nostri hanc rationem instituendae juventutis, non tantum ad scholasticorum, sed etiam ad parentum ac totius urbis bonum redundaturam; et ideo P. Eleutherius quamdam ex infimis scholis, licet Rector et concionator esset, sibi delegit, ut pueros legendo et scholastica exercitatione excoleret.

1263. Et affirmat auditores omnes eam vitae mutationem fecisse, ut non illi iidem, sed alii viderentur; quamvis inter eos aliqui erant, quos [1] nec parentes ipsorum nec ipsemet in initio eos [2] aequo animo tolerarent. Placuit tamen Domino eorum corda et mores in melius immutare, et multi jam ex eis ad Societatem aspirabant, inter quos duo ex doctioribus et magis ingeniosis ejus scholae, et tertius ex alia quadam schola, moribus et doctrina caeteris praestantior, idem petebat.

1264. Addiscebant autem satis feliciter scholastici christianam doctrinam, et per vias publicas cum audientium consolatione eam decantabant; et fere illi omnes, qui ad decimum quartum annum aut decimum quintum accedebant, post confessionem sanctissimum Christi corpus devote accipiebant.

1265. Cum autem aliqui percontabantur hos pueros an aliqua peccata, jurandi et alia etiam pejora, perpetrarent, se postquam ad scholas nostras venissent, omnino immunes affirmabant.

1266. Auctus autem fuisset numerus ad ducentos et amplius, nisi rumor quidam falsus id impediisset. Hic autem erat sparsus a quibusdam ludimagistris et sacerdotibus, quod, scilicet, nostri, post mensem Augustum a singulis scholasticis unum, duos, aut tres modios frumenti, et unum vel dua dolia vini, quaedam etiam animalia [3] juxta parentum facultatem essent accepturi, et, si quis scholasticorum moreretur, tertiam partem bonorum Collegii usibus applicandam esse.

1267. Et haec fama, non solum in animis Bibonensium infixa erat, sed ad loca circumjacentia sese extenderat; et ideo plurimi suos filios ad scholas mittere non audebant. Non pauci

---

[1] Ms. *quod*.

[2] Sic; *eos* tamen redundare videtur.

[3] Ignota quaedam manus, sed certo antiqua, subter voces *quaedam etiam animalia* lineam duxit et superscripsit haec; *duas tresve oves*.

tamen, cum animadverterent profectum scholasticorum, veniebant ad suos filios nostris offerendos, et se paratos esse dicebant ad modia illa frumenti singulis annis solvenda, quae fama mentiebatur.

1268. Et id non solum Bibonenses, sed externi quidam offerebant; nam optimus odor Collegii late patebat et ex civitatibus Xacha, Aggrigento, Leontinis [1], Burgio, Palatio, multi studii gratia Bibonam confluebant. Et admirabantur classium et praeceptorum distinctionem.

1269. Fuit autem Bibonae edictum publicatum, ne quis ludum litterarium aperiret, nec extra Collegium nostrum alia schola teneretur, quod magnopere sacerdotes quosdam commovit, qui ex hujusmodi institutione sua lucra percipiebant, et alia ministeria sibi a scholasticis exhibenda curabant; sed merito eo emolumento privati dicebantur, quod, cum ipsi sua reportarent commoda, pueros nihilominus in multis peccatis et ignorantia vivere permittebant.

1270. Duodecim ex nostris hoc Collegium Bibonense inchoarunt, et usque ad Majum mensem, immo et Junium, bene valuerunt, in conductitia quadam domo habitantes, eo quod nondum Collegii aedificium habitari commode posse videretur.

1271. Sexta autem die Junii in Collegium novum, consulto prius et consentiente medico, commigrarunt; cujus pulchritudo ea erat, ut nullum se vidisse fateretur P. Eleutherius ad illud usque tempus in Societate nostra ei simile, nec perinde amoenum. Sed res ipsa docuit minus esse salubre quam pulchrum, saltem eo tempore, quo recens aedificium erat.

1272. Quemdam Bibonae juvenem, nomine Benedictum, in Societatem admiserant, qui aegrotare coepit. Miserunt etiam Xacham quemdam ex fratribus, Alphonsum nomine, ut in quibusdam balneis salubribus, quae ibi sunt [2], [ablueretur], et cum dimidiato fere Majo mense eo se contulisset sic affectus, ut neutra manu uti posset, liber et sine dolore sub finem Junii Bibonam rediit.

1273. Et dum Xachae versaretur, egregie se gessit, et inter

[1] Vide supra, t. IV, pag. 224, annot. 4 ad n. 502.

[2] Thermae Selinuntiae; quo nomine etiam ipsa urbs Sciacca, balneis vicina, apud veteres saepe est appellata.

alia opera charitatis duos juvenes, ad ultimum supplicium deducendos, comitatus et consolatus est: et alterum eorum magnopere adjuvit, ut contentus et in optimo statu decedere videretur.

1274. Alterum non perinde potuit, quod sacerdos non esset, juvare. Nullus autem sacerdos, qui eorum audire vellet confessiones, inventus est. Quod usque adeo male habuit Praefectum urbis, ut omnes sacerdotes Xachae in carcerem conjicere voluerit. Sed illi, quemadmodum superius diximus [1], non solum quid infame existimabant hanc operam eis impendere, sed timebant etiam ne animae illorum ad se cruciandos venirent; et usque adeo haec falsa opinio animos siculorum invasit, ut raro aliquis moriatur quin aliquis ex ejus consanguineis vel amicis a spiritu nequam obsideatur, Deo, propter eorum fidem exiguam aut peccata, id permittente.

1275. Sed ad nostros redeundo, duo alii juvenes bibonenses, praeter Benedictum, Societati se consecrarunt, ex optimis [2] scholarum ingeniis; quartus etiam, qui caeteris omnibus in doctrina anteibat, mense Julio se Societatem ingressurum cuidam amico significavit.

1276. Post mortem autem P. Ignatii, eodem prorsus die, ultimo scilicet Julii, Guido Antonius, qui cuidam scholae praeerat, magnae puritatis et probitatis juvenis, ex Collegio Bibonensi ipsum secutus est.

1277. Tota quidem nocte, praedictum diem praecedente, in agone extremo laboravit, et hora fere eadem, qua P. Ignatius expiraverat, ad se reversus, dixit: "Mira hac nocte ostendit mihi Dominus, quorum memoriam, si supervixero, nulla unquam delebit oblivio.„ Et quamvis humilitatis conservandae gratia ea non aperuit, subindicare tamen visus est de migratione P. Ignatii sibi fuisse revelatum. Nocte eadem ad Dominum migravit [3].

1278. Mense autem Septembri P. Marinus ac Petrus Laurentius, frater noster, febribus laborare coeperunt. Statim autem sibi persuasit P. Marinus se moriturum, et decima quinta die

---

[1] Pag. 307 et 308, nn. 1236 et 1237.

[2] Ms. *optimarum.*

[3] Morbum mortemque hujusce religiosissimi fratris narrant *Litterae Quadrimestres,* quas vide t. IV, pag. 545 et seq.

Septembris in lethargum incidit, et Extrema Unctione accepta, postridie decessit, nihil sentiens.

1279. Singularis puritatis vir erat et eruditus, quamvis conscientiae scrupulis non mediocriter agitabatur.

1280. Ducissa Bibonae, quae ei confiteri decreverat, graviter admodum de ejus decessu doluit.

1281. At Petrus Laurentius, Pisis oriundus, juvenis viginti annorum, in graecis et latinis litteris non mediocriter provectus, in progressu febris in phrenesin incidit, et non parum nostrorum patientiam exercuit, et decima octava Septembris ad Dominum migravit.

1282. Inciderant eo tempore in morbum Joannes Baptista Gayanus, neapolitanus, et Jacobus messanensis: prior egregio ingenio et eruditione et placidissimis moribus erat, et prorsus magnae expectationis juvenis, qui supremae classi praeerat; sed tam ipse quam Jacobus praedictus Octobri mense ad Dominum migrarunt.

1283. Itaque primo anno, immo intra tres menses illius, ex duodecim quinque a Bibonensi ad coeleste collegium migrarunt [1].

1284. Ipse etiam P. Eleutherius, Rector, aliquid sanguinis spuere coepit; sed non ex pectore, ut medico et ipsimet videbatur, sanguis ille, quin potius ex capite, descendebat. Non tamen propterea aut lectiones aut confessiones, quas audire solitus erat, hominum aegrotantium, intermisit, ut nec pacificationes discordium et hujusmodi charitatis opera.

1285. Aliis autem, loco defunctorum, a P. Provinciali submissis, decem numero esse coeperunt; et tam lectiones scholarum quam alia ministeria, resumpta fuerunt.

1286. Scholae autem ob tam multorum praeceptorum mortem, cum parentes terrerentur, valde imminutae fuerunt; sed paulatim redibant, et mense Novembri septuaginta jam scholas continuabant.

1287. Loco Patris Marini missus est P. Alphonsus de Villalobos, et, ut scholis praeessent, Vincentius Romena, Dominicus

---

[1] Memorant eorum funera *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 617: "Quatro delli nostri fratelli intra questo spatio se ne sono andati al Signore„; quibus praeiverat Antonius Guido, supra, n. 1277.

Andalur, Joannes Ignatius et Joannes Galesius [1]. Potius tamen dilatum quam impeditum fructum P. Eleutherius sperabat.

1288. Si illi admissi fuissent in Collegium, quos ultro parentes offerebant, resarciri facile numerus defunctorum potuisset. Sed probanda diutius ipsorum constantia videbatur; nec occasio probationis deerat, cum illi, ob mutatam vitae rationem, nunc sanctos nunc hypocritas se vocari audirent; alii variis modis eos irridebant; alii pugnis etiam obvios et lapidibus etiam impetebant; et morum dissimilitudo in causa erat ut hujusmodi injuriis afficerentur.

1289. Delectabat autem [tam] hos quam alios scholasticos christianae doctrinae formula, in versus italicos comprehensa, unde suaviter domi forisque eam decantabant. Explicabat autem hanc doctrinam praedictus Villalobos; et in confessionibus audiendis [et concionibus] apud virgines religiosas habendis Patri Marino successit.

1290. Ingressus est in Societatem sub anni finem juvenis quidam drepanensis, hispanis parentibus in Sicilia natus, qui cum se in spiritualibus exercitiis probe gessisset Panormi, (quo missus ad probationem fuerat), in aliis etiam domesticis functionibus bonam sui expectationem concitabat.

1291. Judex praeterea cujusdam oppidi, itinere tridui Bibona distantis, ad nostros invisendos Bibonam venit, et Societatem se ingredi velle significavit: vir eruditus ac pius, cujus admissio ad Provincialem rejecta est.

1292. Dux Bibonae satis se benevolum ac munificum nostris praebebat. Abbatiam quamdam, a multis annis monachis destitutam et in speluncam quodammodo redactam, Collegio applicare conabatur, et ea de re Romam scripsit.

1293. Confessus est et communicavit apud nostros hoc festo Natalis Domini, non in templo nostro, quia nondum absolutum id erat, sed in quodam sacello, quod Divo Bartholomaeo sacrum erat et e regione Collegii situm. Illud enim nostris ad Sacra facienda, et confessionis ac communionis sacramenta ministranda, et etiam ad praedicandum concessum fuerat.

1294. Tam bonus hujus Collegii odor ad vicinas urbes se

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, loc. nuper cit. pag. 618, ex quibus suam Polancus contexit narrationem.

diffuderat, ut Hacha, quae inter praecipuas numeratur, de alio Collegio Societati erigendo cogitaret, et saepius ea de re cum nostris ageret [1].

Et haec de Collegio Bibonensi.

DE PROVINCIALI SICILIAE

AC INITIO COLLEGII CATANENSIS

1295. P. Hieronymus Domenech, Provincialis Siciliae, praeter administrationem Provinciae, stabiliendis collegiis et aliis pietatis operibus vacabat: et cum multum gratiae et auctoritatis apud Pro-regem et ejus liberos, immo apud omnes, haberet, non parum in utrisque negotiis praestare poterat.

1296. Ut autem Messanense Collegium augeretur, quamdam Abbatiam, quam *Rochamador* vocabant, peropportunam fore admodum existimabat; et cum eam Pro-regi proposuisset, tantumdem ipsi visum est, et curavit ut Abbati jam seni, cui data in commendam jam fuerat, persuaderetur ut in favorem Collegii eam resignaret; reditibus interim, quamdiu viveret, fruiturus [2].

1297. Hanc Abbatiam Imperator Carolus promiserat hospitali Messanensi, sed quia aliam habebat unitam, et, Abbatibus quibusdam defunctis, eam non applicaverat, credebatur nec in

---

[1] Ms. *agere*.—Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 547, ubi hoc civitatis votum luculenter exprimitur.

[2] Attigit jam haec Polancus supra, pag. 270, n. 1042.—Porro de hac Abbatia haec habet Giosrppe Buonfiglio e Costanzo, *Messina... descritta*, lib. I. pag. 3, b.

"Nel basso, puoco sopra via del Dromo, venendo verso Messina, si scorge nel piano di Trimosteri, fecondo per l' abondanza di gagliardi vini, l' Abbadia de Monaci Cistersiensi detta di Rocca Amatore, dote et fabrica di Bartolomeo di Luce, Conte di Paternione, et di Bucera, sì come si legge in un' antico Elogio in carta pecora, conservato da Monaci, di questo tenore:=In Narbonensi Galliae Regione Carsi mirae devotionis Templum sub nomine Divae Mariae Roccae Amatoris, et Ordine Cistersiensi visitur. Templum quidem nomen habet a praerupta rupe, in qua est positum, atque a Sancto Amatore, qui et ejusdem fundator, et locorum juxta positorum, venenatis anguib. expurgator extitit, ad cujus exemplum Dominus Bartholomaeus Luce, Comes Paternionis, ejusdem nominis Coenobium Messanae Siciliae ad quartum lapidem extruxit Anno D. MCXCVII."

posterum eam applicaturus [1]: et ita, Joannes de Vega, Imperatori scribens, supplicavit ut, si suum consensum non erat daturus in hospitalis favorem, eum daret ad praedictam Abbatiam Collegio Messanensi uniendam, quandoquidem primo vacaturam ei promiserat. Abbatem enim renuntiaturum esse, nec ullam in regno Siciliae magis opportunam ad Collegii dotationem esse, nec ex qua fructus uberior per ministerium religiosorum Societatis nostrae sperari posset, eo quod populum haberet numerosum prope Messanam, cujus spirituali utilitati vix quisquam vacaret.

1298. Scripsit etiam Regi Philippo et Domino Joanni Osorio, qui ipsius [2] negotia in curia Imperatoris gerebat, et misit ad eum instrumentum resignationis factae ab Abbate, qui statim suum jus ad ducentos et quinquaginta aureos annui reditus, in Calabria recuperandos, daturus erat, et administrationem ipsius Abbatiae, quam ille et quingentos aureos singulis annis nostris reddituram existimabat [3], licet minoris reditus existimaretur ac tunc esset [4].

1299. Videbatur autem a Deo motum Abbatem, qui prius longe aliter sentiebat, ut in hanc sententiam descenderet et statim nostrorum opera suum populum juvari vellet; et Patri Ribadeneyrae [5] hoc negotium commendari cupiebat.

1300. Responsum autem statim ex curia acceptum est quod ea de re statim esset agendum; et facilius negotium conficiendum sperabat [6], quod non jam per Secretarium Erasum [7] negotia hujusmodi transigerentur.

---

[1] Magis perspicua haec evaderent, si disponerentur sic: "sed tum quia aliam jam sibi unitam habebat hospitale, tum quia, Abbatibus quibusdam defunctis, hanc Imperator non applicaverat, credebatur nec in posterum eam hospitali applicaturus."

[2] Scil., Joannis de Vega.

[3] Emendavimus textum, qui sic se habet in ms... *et administrationem ipsius Abbatiae, quem ille et 100 aureos singulis annis nostris reditura existimabatur.*

[4] "Recibimos el consenso del Abad de Roca Amador, y holgamos de ver las letras del Sr. Juan de Vega para SS. MM. y Juan Oxorio, y hemos avisado dello á la corte á los nuestros y otros amigos que pueden ayudar. Speramos que con la authoridad y calor del Sr. Juan de Vega se ha de haber presto esse consenso del Rei, que tiene ya el todo." Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 25.ª Februarii.

[5] Is in curia Regis Philippi tunc agebat. Vide supra, pag. 21, n. 52 et infra, suo loco.

[6] Ipse, scilicet, P. Rivadeneira.

[7] Franciscus Eraso "est grand notaire de la cour, secrétaire du conseil de *la Cámara;* il a dans ses attributions les affaires des ordres militaires et la collation de offices et bénéfices." GACHARD, *Relations des ambassadeurs vénitiens*, pag. 46.—DELPLACE, *L' établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas*, pag. 28.

1301. Sed partim quod Imperator Carolus paulo ante Siciliae regnum reliquerat [1], et tamen, eo praesente, Rex Philippus negotia hujusmodi usque ad ejus recessum differebat, partim ob recessum ipsius Pro-regis ex Sicilia, res ad effectum deducta tunc non est.

1302. Promovebat etiam Provincialis officium illud charitatis, quod nominavimus [2]; a quo multa pietatis opera in regno Siciliae prodibant; et inter caetera curatum est, ut quemadmodum in parochiis messanensibus et panormitanis factum diximus [3], ita in tota Siciliae regno christiana doctrina proponeretur; et Messanae libellus hujusmodi catechismi impressus fuit, qui Roma missus fuerat, quibusdam tamen immutatis, prout in ea regione opportunum videbatur. Et quia mille et ducenta exemplaria tantum excusa fuerant, quae perpauca videbantur, curatum est ut denuo imprimerentur [4].

1303. Hanc autem rationem tenuit Pro rex, ut omnibus Praelatis scriberet, significans quid Messanae in hac parte constitutum fuisset et inchoatum, quodque pergratum ipsi futurum erat, si in toto regno per Praelatos ipsos idem institueretur; et suum ad id favorem et auxilium offerebat, ac urbium praefectis et juratis se scripturum, ut jubeant omnes pueros a sexto aetatis anno usque ad duodecimum ad suas parochias dominicis ac festis diebus deduci, ut ibi christianam doctrinam doceantur.

1304. Missa fuerat Messanam copia verborum et rerum, quam P. Frusius confecerat, ut, juxta P. Ignatii sententiam, Erasmi copia a scholis excluderetur [5]; et valde placuit nostris, quemadmodum et syntaxis ejusdem P. Frusii, sed utrique operi commentarium aliquod necessarium esse arbitrabantur [6]

1305. Initio hujus anni intellexit P. Hieronymus patrem

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 180, n. 380.

[2] Vide supra, t. V, pag. 218, n. 632.

[3] Supra, pag. 271, n. 1046.

[4] "Hubimos las doctrinas estampadas, y creemos lo que se mudó habrá sido bien mudado. Hasta agora no lo hemos considerado; si algo ocurriere, avisaremos, y tenemos por cierto que la órden que se ha dado de leer la doctrina por las parrochias será de grande y muy universal fructo en ese reino.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 25.ª Februarii.

[5] Vide supra, pag. 13, n. 30.

[6] "De la adicion ó comentario para la copia verborum con abundancia de ejemplos, responderá desde del colegio y así mesmo de la sintaxis.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 25.ª Februarii.

ipsius [1] Valentiae mortem obiisse, nec aliud ab ipso testamentum esse confectum quam quod aliquando fecerat, ipsum P. Hieronymum heredem relinquendo [2]. Sed cum plurimos annos professionem ob hanc ipsam causam P. Hieronymus distulisset, et tandem anno praeterito, ut diximus [3], Romae eam emisisset, paucissimos post illam menses pater obiit.

1306. Quia vero Domina Angelica Domenech, ejus [4] soror, virginitatis votum emiserat, et rogaverat P. Hieronymum ut, obeunte ipsorum parente, facultatem veniendi Valentiam curaret, ut rebus ipsius et statui consuleret, rem ille significavit P. Ignatio; et quia de rebus temporalibus agendum erat, potestatem ad easdem tractandas et constituendas postulavit.

1307. Utrumque P. Ignatius statim concessit, et liberum Patri Hieronymo reliquit ut pro suo arbitratu Valentiam navigaret [5].

1308. Postmodum alias accepit [6] litteras, quibus intellexit negotia paternae haereditatis implicatiora esse; et facultatem amplam ad res cum sua sorore componendas a P. Ignatio accepit, et quemadmodum ab eodem ipsi fuerat injunctum, rem con-

---

[1] Dominum Petrum Domenech, de quo jam saepius in hoc *Chronico*.

[2] "Por letras de Alicante, del P. M. Nadal, (que allegó sano á 30 de Noviembre) con sus compañeros, entendimos que habia tambien llevado Dios nuestro Señor al Sr. Pedro Domenech de la temporal vida á la eterna, y N. Padre ha dado orden que en las missas y oraciones de los nuestros fuese muy encomendado. Plega al que es salud y vida felicísima de todos los beatos de serlo á él perpetuamente, como speramos lo será. Del testamento no nos avisó nada; es verdad que llevó de aquí auténtico el de V. R.; no sé lo que podrá hacerse con él. Hemos inviado la copia de quanto scribe V. R. á este propósito, y que procure hacerlo viniendo á Valencia, de donde podria pasar á Mallorca y de allí á Sicilia, y en Putiam, ó por letras ha de dar informacion á V. R. de las cosas de allá, y despues, informado N. Padre, se rimette libremente á V. R. quanto al ir á Valencia ó no, en un tiempo ó en otro, solamente que lo que se hiciere sea con voluntad de S. Exc.ª„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 25.ª Februarii.

[3] Vide supra, t. v, pag. 42, n. 76.

[4] Scil., Patris Hieronymi Domenech.

[5] "Ricevemmo quelle di V. R. et del Mtro. Annibale de xi e xii del presente; et benche scribemo avantihieri, pur si risponderà per questa a quel punto della partita per Valenza, che in verità ci è occasione nuova de pensarci di sopra, vedendo le lettere della sorella, e di quello amico che scribe alla R. V.; et N. Padre, se non temesse il disaggio della navigacione, solo il respetto della sorella lo inclinarebbe a mandare V. R. in là, et tanto più habendo di dare ordine alla heredità et collegio; et l' informatione del P. M. Natale pare non sia neccessaria, habendola sufficiente V. R. per le lettere di sopradetto. Resti adunque alla R. V. liberamente il andare a Valenza o no, in un tempo o in altro, pur che sia col consenso et parere di S. Exc.ª; et potria essere che in puchi mesi, spedite le cose di là, la R. V. tornasse quando il P. M. Natale, o forse prima.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 28.ª Februarii.

[6] P. Domenech.

tulit cum Pro-rege [1], qui probavit hanc ipsius profectionem post duos vel tres menses, id est, mense Junio vel Julio; nam eo tempore responsum a curia Regis expectabat, quod attinet ad depositionem oneris, quod gerebat in regni Siciliae administratione.

1309. Et si eam facultatem obtinuisset, secum in Hispaniam iturum dicebat; sin minus, cum ipsius filio profecturum esse; et post sex vel septem menses in Siciliam ipsum redire cupiebat [2].

1310. Facultatem etiam postulavit [3] P. Hieronymus juvenes aliquos ex illa Provincia [4], qui sponte venire vellent et sine collegiorum detrimento possent, in Siciliam secum adducendi [5].

1311. Quia vero mentio facta est de recessu Pro-regis, hoc in causa erat, quod negotia Ducis Bibonae, generi [6] sui, in curia Regis sic tractarentur, ut tam genero quam socero injuriam fieri Pro-rex existimaret, cum Rex [7] vellet ea in Hispania judicari, eo quod adversarii Ducis suspectum sibi Pro-regem, ut socerum, affirmabant. Id autem contra privilegia regni Siciliae erat et auctoritati Pro-regis derogabat; et si aliquod remedium huic incommodo non adhibebatur, decreverat in Hispaniam ac domum suam [8] redire. Et ita Regi scripsit; et id communicavit cum P. Provinciali, ut res Domino commendaretur.

---

[1] Scil., Joanne de Vega.

[2] Rectius haec intelligentur, si disponantur sic: "Et, si eam facultatem obtinuisset Pro rex, secum Patrem Hieronymum in Hispaniam adducturum dicebat; sin minus, in sui filii comitatu eum missurum; et, postquam sex vel septem menses in Hispania Pater Hieronymus exegisset, in Siciliam eum redire cupiebat.„

[3] A P. Ignatio.

[4] Scil., ex Hispania, et non tantum ex Aragoniensi Societatis Provincia, cujus pars erat Valentiae regnum.

[5] "Del poter menar alcuni a Sicilia sarà molto giusto, parlando di quelli che V. R. accettarà di la. Se si parla degli altri, sarà necessario il consenso del P. Francesco, e così meni in buon' hora la gente che potrà.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 24.ª Aprilis.

[6] Ms. *generis*.

[7] Philippus II.

[8] In suum Marchionatum Grajalis *(del Grajal)*. Vide infra, n. 1315.—Est autem *Grajal de Campos*, oppidum in provincia et dioecesi Legionensi. Ibi, in ecclesia Sancti Michaëlis Archangeli, in utroque summi altaris cornu "se ven en bastante número preciosas reliquias dentro de preciosas alacenas, con fuertes rejas de hierro; es regalo hecho por Doña Leonor Osorio (Joannis de Vega, uxor. Vide supra, t. I, pag. 210, n. 170), á quien el Papa Paulo III distinguió con el singular privilegio de elegir las que gustase de su oratorio papal, escudándola con la competente auténtica, por un Breve, que se conserva en dicho relicario.„ MADOZ, *Diccionario geográfico y estadístico de España*, t. VIII, pag. 464.

1312. Et si recessurus esset domum suam, a P. Ignatio postulari voluit aliquem de Societate nostra, qui cum eo versaretur, a quo in his, quae ad propriam conscientiam et ad subditorum auxilium pertinerent, juvaretur [1]. Dicebat se jam senuisse et valetudinarium esse, nec labores gubernationis ferre posse; et ita sese colligere, et in postrema vitae parte rebus spiritualibus magis vacare velle [2].

1313. Cum autem respondisset P. Ignatius ac liberum reliquisset Pro-regi, ut quemcumque vellet de Societate sibi ipse deligeret, tantopere laetatus est Pro-rex, ut se pluris facere gratiam hanc diceret quam quidquid Imperator ipsi dare potuisset; et gratias egit quam maximas eidem P. Ignatio, et suo tempore se ipsius liberalitate fruiturum dicebat.

1314. Quamvis autem remedium adhibitum est negotiis Ducis Bibonae, nihilominus in desiderio se colligendi ac Siciliam relinquendi perseverabat; forte exemplum Imperatoris, praeter senectutem, ipsum ex parte movebat.

1315. Contulit itaque cum P. Hieronymo Provinciali quod serio cogitabat de vitae ratione magis quieta et secura instituenda; et res hujus mundi jam ipsi valde molestas esse affirmabat, et ex tribus locis unum se electurum significabat: unus erat propria domus in suo Marchionatu Grajalis [3]; secundus in quadam religiosa domo suae commendae [4]; tertius in Sicilia, et

---

1 "Lo que escribe V. R. del ánimo del Sr. Juan de Vega, en buena parte hemos hoido del Abad Jimenez, que de casa del Marqués lo había entendido, hasta decir que se pedia un confesor á N. Padre para ir á España: no sé de dónde haya esto salido; como quiera que sea, esperamos que Dios nuestro Señor ha de guiar las cosas de S. Exc.ª como vengan en mas servicio y gloria suya. Y la persona que pide para lo que toca á su conciencia y para predicar la podrá escoger S. Exc.ª entre todos los de ese reino, pues son todos suyos; y si en él no la ubiese se proveerá de por acá ó de España. Finalmente V. R. podrá, de parte de N. Padre, ofrecer que S. Exc.ª será servida y con especial devocion de todos.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 22.ª Aprilis.

2 "Hemos compadecido á la indisposicion de la gotta de lo Sr. Juan de Vega y damos gracias á Dios nuestro Señor que esté ya mejor. Tambien hemos participado de la parte que le cupo en las divisiones de SS. MM., aunque holgáramos fuera mayor, si Dios nuestro Señor fuera servido. Si se haya de mudar de ese reino ó no, desseamos tener aviso; V. R. nos le dé donde quiera que se halle; esperamos le hará Dios nuestro Señor muy útile instrumento para ayudar las cosas de su servicio y bien universal.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 25.ª Februarii.

3 Vide supra, n. 1311.

4 "Juan de Vega..., Señor de Grajal.., Comendador de Hornachos y Trece de la Orden de Santiago.„ RAMOS, *Aparato...*—Hornachos (in antiquo regno Legionensi) "llamada Hornos antiguamente, fué de grande extensión; despues de la conquista fué dada á la Orden de Santiago y á su Gran Maestre D. Pedro Gonzalez en el año 1235.„ MADOZ, op. cit.

quidem Bibonae, domum prope Collegium nostrum conficiendo, ubi cum paucis versari posset apud filiam et generum suum, Marchionatum filio renuntiando et partem aliquam redituum sibi reservando, partim ad sustentationem suae domus, partim ad augendos reditus Collegii nostri, ut plures collegiales alere posset, quorum colloquiis et aliqua lectione frui posset.

1316. Interrogavit autem P. Provincialem quid ipsi de hac deliberatione videretur. Ille rem esse arduam, et praemeditandam, ac Domino commendandam respondit: quamvis enim non dubitaret ipsimet (si tantum ipsius ratio habenda esset) id convenire, si habenda esset ratio communis boni ejus regni, majorem difficultatem in ea deliberatione inveniri. Et hortatus est Pro-regem ut rem Domino commendaret, ut ab ipso dirigeretur [1].

1317. Fatebatur autem Pro-rex se ad arctiorem vivendi rationem, quam quae dicta est, idoneum sibi non videri, et neminem debere onus suscipere, quod supra suas vires esse judicaret.

1318. Optabat autem ejus filia, Ducissa, ut, quando P. Hieronymus absens futurus erat, P. Jacobus Laynez ad spiritualem consolationem Pro-regis et suam, in Siciliam veniret. Mense Junio haec agebantur.

1319. Grassabatur Messanae, cum penuria victus, magna morborum vis, et ita Pro-regi visum est hospitalia extra urbem esse transferenda, ne civitatem inficerent; et nostrorum opera illis fuit impendenda.

1320. Missi sunt etiam tres ex nostris per tres Episcopatus, scilicet, Messanensem (de quo superius egimus [2]), Syracusanum, et Catanensem, ut christianae doctrinae lectionem et puerorum in eadem institutionem introducerent; et non sine spirituali utilitate eorum labores et industria in eisdem collocata fuit.

1321. Curavit deinde [3] a Pro-rege litteras ad Dominum An-

---

[1] Romae etiam haec Joannis de Vega deliberatio Domino commendata est.—"Sopra quelli disegni di N. del ritirarsi in una di quelle tre bande, o non ritirarsi, ma restare nel stato suo, si farà oratione; e se qualche cosa occorrerà, si potrà etiam dar l' aviso a V. R.; e quanto alla persona si guardarà il secreto conveniente.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 23.ª Junii.

[2] Pag. 271, n. 1046.

[3] P. Provincialis.

tonium Doria [1], quibus ei Collegium nostrum Genuense commendaret, et ut commendatio esset efficacior, in litteris, quibus agebat de aliis negotiis, hanc commendationem, ut quae ipsi cordi erat, inseruit.

1322. Tunc Panormum et Bibonam cum ipso Duce, ac deinde Marsalam, ut superius diximus [2], se contulit P. Hieronymus, et biduo ante Pentecostem Messanam rediit, ut confessionem Pro-regis audiret. Et post illos dies festos Cataniam et Syracusas ire constituerat: cum tamen id non posset, suo loco P. Antonium Vinchium ad ea Collegia visenda destinavit.

1323. Causa cur non potuerit proficisci, mors fuit D. Ferdinandi de Vega, qui frater erat Pro regis, et quem ipse et Ducissa Bibonae summopere diligebant; quamvis utriusque dolorem mitigavit ratio ac modus mortis ejus, quae merito magnam spem beatitudinis aeternae ab eo adipiscendae faciebat [3].

1324. Ducissa autem, quae paucis ante diebus ad confessionis et communionis sacramentum accesserat, rogavit nihilominus P. Provincialem ut ad suam consolationem ejus audire vellet confessionem, et rursus ei sanctissimam Eucharistiam communicare; et tam ejus quam omnium mulierum domesticarum auditis confessionibus, et Christi corpore communicato, uberem omnibus consolationem attulit. Consolationem etiam verbi Dei a P. Otello accepit, qui rogatus, coram ipsa et ejus familia concionatus est.

1325. Allocutus est mense Junio Dominum Joannem de Mendoza, classis praefectum, Pro-rex, ut P. Provincialem in Hispaniam deferret, et commendabat P. Hieronymo corpora Dominae Leonorae et filiae [4] ejus ut ea, in Hispaniam delata, in

---

[1] Vide supra, pag. 171, n. 629.

[2] Pag. 275, n. 1074.

[3] Obiit Ferdinandus de Vega, Pro-regis Siciliae frater, Bruxellis, in Regis Philippi curia, mense Majo.—"Del Sr. Hernando de Vega creemos será avisado S. Exc.ª Por una que aquí va entenderá V. R. cómo está acerca del M. Pedro de Ribadeneira, y un poco que se apartó un dia dél para predicar en Lovanio, le inviaron á llamar por la posta de caballos ligeros por orden del Conde de Feria. Da no menos edificacion y admiracion su constancia y paciencia y conformidad con la voluntad divina, que compasion el desastre, si tal se ha de llamar la visitacion de Dios nuestro Señor á toda aquella corte. Hácese oracion por él en esta casa y colegio, y se hará todavia.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 20 Maji.—Vide etiam litteras Patris Petri de Rivadeneira ad Ignatium, Bruxellis datas 27.ª et 28.ª Aprilis, in DELPLACE, l. c., pag. 48; et Ignatii ad Joannem de Vega consolatorias, in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 279. Rem totam narrat Polancus infra, a n. 1977.

[4] "Quanto alli corpi della Signora Donna Leonora (ch' è in gloria) e della sua

aliquo collegio Societatis deponeret, donec inde ad locum ab ipso Rege [1] destinatum deferrentur; et quamvis aegre ferebat P. Provincialis Pro-regem et ejus filiam in hac afflictione relinquere, serio tamen de profectione cogitabat.

1326. Sed interim litteras accepit quod ejus soror viro nubere volebat, et paulo post quod nupserat et omnia bona, etiam quae ad Collegii [2] dotationem erant destinata, occupaverat; et ita de sua in Hispaniam profectione minus sollicitus esse coepit, quandoquidem nec ad personam sororis juvandam nec ad bona recuperanda suam praesentiam esse necessariam existimabat; nam jure agendum erat, et prius [indigebat] facultate, a Rege accepta, amortizationis, quam vocant, qua posset Collegium bonorum stabilium capax esse.

1327. Nihil sorori condonandum esse censebat; sed ipsa sic se gessit, ut multos annos negotium facesseret Societati, etiam in recuperanda dote materna, quam P. Hieronymus ante professionem Societati dederat.

1328. Quidam sacerdos messanensis [3], nomine Martinus, natione gallus [4], et Michaël Spes cum Ignatio Florentino, ex Sicilia sine facultate Superioris recedentes, post aliquod tempus facti poenitentes, in Siciliam ad Societatem redierunt; et quidem P. Martinus confessarius erat, quem multi sequebantur [5]; sed ita se gessit tam ille quam Michaël Spes, ut parum admodum aedificationis praebuerint. Et demum successu temporis uterque ex Societate fuit dimittendus.

---

figliola, quanto Sua Eccellenza ordinarà da sua parte sarà fatto.„ Polancus, *ex com.*. Patri Hieronymo Domenech, 23.ª Junii. Nullam autem Joannis de Vega filiam in Sicilia obiisse noveramus, sed filium, et quidem primogenitum, Ferdinandum. Vide supra, t. II, pag. 51, n. 107.—Ad errorem autem vitandum oportet ut lector memoria teneat, post primogeniti obitum, secundo genitum, scilicet, Alvarum, nomen Ferdinandi assumpsisse, et hunc esse, de quo sub hoc nomine Ferdinandi sermo fit in hoc *Chronico* post volumen secundum. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 11, annot. 3.

[1] Sic; suspicamur tamen non immerito scribendum *Pro-rege*. Quo enim jure ad *Regem* spectare poterat loci designatio, in quo haec corpora tandem sepelirentur?

[2] Valentini in Hispania. Vide supra, t. I, pag. 148, n. 86; praecipue vero, t. II, pag. 353, n. 386.

[3] Hoc est, non Messanae ortus, sed in Collegio Messanensi degens.

[4] Martinus Mare? Vide supra, t. IV, pag. 199, n. 432, annot. 3.

[5] Hunc scrupulis vexari arbitrabatur ejus Rector Eleutherius Pontanus, ut videre est in litteris, quas ad ipsum P. Martinum scripsit, *ex com.*, Polancus, 24.ª Junii.—Romam venit mense Junio sub finem, sed a Patre Ignatio domi admissus non est et in Siciliam absque viatico remissus, ut ibi, si Patri Provinciali visum fuerit, ad poenitentiam admitteretur. Ita in Polanci, *ex com.*, litteris Patri Hieronymo Domenech, 30.ª Junii, et 14.ª Julii.

1329. Sub finem mensis Maji a P. Ignatio injunctum fuit, ut procuratores sanitatis [1] in Sicilia constituerentur, et ita factum est.

1330. Cum autem de divinis officiis decantari coeptis in diebus festis [2], in Sicilia intellectum est, statim interrogavit Pro-rex an in omnibus collegiis Societatis id esset observandum, in his saltem quae id onus ferre possent, et ad multorum consolationem id fore existimabat [3].

1331. Accepit idem Pro-rex mense Augusto facultatem quam a Rege postulabat relinquendi Pro-regis Siciliae officium; sed admodum amanter Rex significaverat velle se uti ejusdem Domini Joannis de Vega opera in officio majoris momenti in Hispania. Hoc autem erat officium Praesidentis Consilii regii, quod ipsi collatum est. Rescripsit itaque Pro-rex per totum mensem Octobris se gesturum hoc officium in Sicilia; et deinde primo quoque tempore se in Hispaniam navigaturum.

1332. Voluit tamen ut P. Hieronymus Domenech ex Sicilia [4] non recederet; saltem usque ad partum Ducissae Bibonae, qui mense Novembri vel Decembri expectabatur. Ipse autem Pro-rex, elapso mense Octobri, relicta cura regni, Drepanum proficisci constituerat, et ibi navigandi occasionem expectare.

1333. Postquam in Siciliam perlatum est nuncium de P. Ignatii obitu ex alicujus relatu, sensit dolorem non mediocrem tam Pro-rex quam ejus filia; sed postquam litteras accepit ad se missas et ad P. Provincialem, quibus de modo obitus certiores reddebantur, inter lacrymas tam Ducissa quam Pro-rex consolationem magnam acceperunt, et non minorem aedificationem, cum electionem Vicarii, P. Jacobi Laynez, et

---

[1] Ms. *Societatis;* sed vide supra, pag. 248, n. 949.—"Non sapiamo la cura che si tiene della sanità di qua. N. Padre tiene ordenato un Procurator della sanità et ce sono ogni settimana ordinate le sue recreationi alli scolari. Dia V. R. il medesimo ordine, et forsi per il primo li mandarò le regole del detto Procurator della sanità, et quantunque si attenda alle opere pie, la R. V. si sforzi di conservar li suppositi della Compagnia secondo che la discreta charità ricerca: nel resto quelli che s' andorno in Paradiso stanno meglio che noi.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 5 a Martii.

[2] Vide supra, t. v, pag. 33, n. 58, et in hoc t. vi, pag. 8, n. 14.

[3] Responsum autem fuit hujusmodi: "Del cantare il vespero nel Collegio e l' officio della settimana santa come in Roma, benchè quì si sia cominciato, non si è ancora fatta risolutione in quali Collegii si debbia fare, e quanto numero debbia essere di scholari nelli tali Collegii; fatta la risolutione, sarà avisata la R. V.„ Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 23.a Junii.

[4] Hoc nomen *Sicilia*, superposuit recte quidem Sacchinus: in ms. perspicue legitur *Hispania*, sed lapsus est.

modum, quo transacta fuerat, intellexerunt; et utrumque suis litteris Pro-rex ad eumdem P. Laynez abunde significavit, et quam alte de rebus P. Ignatii sentiret, suo modo militari eleganter expressit; et de progressu Societatis certiorem se fieri cupere, ut qui ex animo eam diligebat, significavit [1].

1334. Domina etiam Ducissa scribi voluit Patri Laynez se totam Societatis esse, et ejus obedientiae subjectam, cui libere P. Vicarius generalis, perinde atque aliis suis religiosis, quidquid in Domino videretur, praecipere poterat.

1335. Optabat autem magnopere, si Romae non posset Congregatio generalis propter bellicos tumultus haberi, ut in Sicilia Bibonae haberetur, et Ducem hoc ipso desiderio teneri, et utrumque inserviturum esse Patribus, qui ad Congregationem venissent. Et hoc desiderio commota, ut quod reliquum erat aedificii in Collegio Bibonensi citius absolveretur, bonam pecuniae summam eo misit.

1336. Rogavit autem P. Provincialem ut hac de re scriberet, et quod ipsa offerebat ad Congregationis commodum, Patri Vicario significaret, et si admitteretur oblatio, eidem significaretur ut habitationem et reliqua posset praeparare.

1337. Pro-regi hoc ipsum valde probabatur, et addebat eum se videre rerum statum in Italia, ut in nulla ipsius parte Congregationem nostram commode cogi posse existimaret; jam enim bellum cum Summo Pontifice, ut ipsemet Pro-rex dicebat, ad defensionem Rex Philippus suscipere coactus erat.

1338. Profectus est autem vigesima sexta Augusti P. Provincialis ad Zarum hortatu Pro-regis, cujus neptis Comiti ejus oppidi nupserat, qui circa id tempus mortem obierat; inde Catanense et Syracusanum Collegium visitaturus.

1339. Sollicitus erat Provincialis praedictus qui ad Congregationem generalem venturi erant: sex Professi quatuor votorum eo tempore in Sicilia versabantur, scilicet, praeter ipsum Provincialem, Patres Miona, Otellus, Paulus, Elpidius et Antonius Vinchius [2]; sed aliqui eorum tam erant necessarii Collegiis, in quibus versabantur, ut inde removeri sine gravi detri-

---

[1] Litteras, quibus Joanni de Vega nuntiatus est obitus Patris Ignatii habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 373; item Joannis de Vega ad Patrem Jacobum Laynez, pag. 421.

[2] Vide supra, pag 43, annot. 1.

mento non posse videretur. Patres tamen Elpidium et Antonium Vinchium minori cum incommodo abesse posse aliquantisper ab eo regno videbatur, et minori adhuc P. Mionam, ad cujus consolationem, ut Romam ipsum revocaret P. Vicarius, sup pliciter P. Hieronymus postulavit.

1340. Non parum sollicitum reddidit eumdem P. Hieronymum quinque illorum, qui Bibonae obierant, mors [1], non solum quod boni operarii et magnae expectationis illi essent, sed quia difficile alios ipsorum loco idoneos [mittere] posset. Augebat sollicitudinem quod P. Eleutherius expuere sanguinem coepisset [2], cujus loco P. Petrum Venustum Bibonam misit, ut Collegio praeesset, si ipsemet P. Eleutherius Panormum, suae valetudinis gratia, venire vellet.

1341. Sed cum bono animo esset praedictus Eleutherius ac melius haberet, nec Panormum ire, ut permittebatur, vellet; rediit ipsemet P. Venustus, ac retulit quaedam visa et audita, ex quibus colligi poterat, quamvis optimum illum virum [3], ad gubernationem tamen valde idoneum non censeri, et externorum etiam haec existimatio erat; cogitaverat autem [4] ad Collegium Montis Regalis P. Eleutherium transferre, quod aër ibi valde salubris esset, et inde P. Elpidium removere, quem ad alia potius quam ad gubernationem idoneum experientia demonstrabat.

1342. Concionatorum etiam penuria sentiebatur; et P. Otellum magnopere optabat Ducissa ad unam saltem Quadragesimam Bibonam mitti; et hanc penuriam, praeter alias causas, merito habere potuit Provincialis, ut omnino profectionem in Hispaniam omitteret, unde etiam ad praefixum Congregationis tempus jam redire commode non poterat.

1343. Et ita, quamvis Ducissa mense Novembri filium peperisset (quod magna laetitia totam illam domum Pro-regis et Ducissae affecerat), in Sicilia manere decrevit. Ideo etiam P. Annibalem de Coudretto cupiebat retinere, donec ipse a Congregatione generali in Siciliam rediisset, quod velut columna

---

[1] Vide supra, pag. 315, n. 1283.
[2] Vide supra, pag. 315, n. 1284.
[3] Patrem, scil., Eleutherium Pontanum.
[4] Provincialis.

esset Messanensis Collegii; et hoc Provinciali concessum est, quamvis Romam fuerat evocatus [1], ut studia sua absolveret.

1344. Ipse etiam Pro-rex ulterius quam cogitaverat in gubernatione manere debuit; et tamen, mense Decembri absoluto, omnino curam illam deponere volebat, et jam nuntium acceperat quod Dux Methymnaecoeli Pro-rex Siciliae constitutus erat, et donec ipse veniret, qui praesideret Siciliae etiam fuerat a Rege nominatus [2].

1345. Venerat in mentem Patri Provinciali ad commune bonum utile fore, si quemadmodum Societas disciplinarum tradendarum curam susceperat, ita et typographiae sumeret, et suis collegiis de libris opportunis prospiceret, et alia spiritualia opera et Societati nostrae convenientia imprimeret. Et res in dies latius patere poterat, nec difficile fore existimabat in Societate aliquos inveniri ad hoc munus idoneos. Quod si hoc munus Societas erat susceptura, Messanae potius quam alibi, propter portus commoditatem, institui debere typographiam judicabat, quia inde ad omnes orbis partes libri mitti poterant.

1346. Contulit autem hoc cum Pro-rege, qui non solum probavit, sed recepit etiam in [3] civitate se curaturum ut ad id nostros juvaret; est enim ea civitas satis propensa ad publicum bonum, praesertim suae reipublicae honorificum, quale hoc erat.

1347. Proposuit etiam Pro-regi molendinum ad chartam conficiendam institui posse, quia nullum erat in regno Siciliae, et hoc etiam magnopere a Pro-rege fuit probatum; quamvis circa pretium librorum paulo aliter sentiebat quam P. Provincialis, qui censebat viliori pretio libros vendi debere, nostrorum laboribus non computatis; Pro-rex autem paulo majori pretio

---

[1] P. Annibal de Coudretto.

[2] "Vega... ante novi Pro-regis adventum regni administratione se Drepani abdicat, eamque transfert ad Petrum Aragonam et Tagliaviam, S. R. E. Cardinalem, Pontificem et civem Panormitanum, Praesidis titulo...„ "Sed dum ad navigationem se [Joannes de Vega] comparat, Joannes Cerda Dux [IV.us] Medinacoeli in Siciliam a Philippo II cum imperio missus, Panormum appulit... Novus itaque Pro-rex... ad eum misit qui pro se rogaret; ne gravaretur Drepani tantisper subsistere; velle se cum eo de Republica communicare, ad quem propediem venturus esset...„ Aguilera, *Provinciae Siculae Soc. Jesu* .. loc. cit. pag. 129, 130; qui hunc primum congressum describit, exhibetque Joannis de Vega apud novum Pro-regem perhonorificam Societatis commendationem.

[3] Sic; rectius forte *cum*.

vendendos censebat, ut aliqui libri pauperibus gratis tribui possent; et injunxit ut Patri Ignatio ea de re scriberet. Et cum Provincialis diceret Abbatiam Rochamadoris ad hoc opus valde opportunam fore, sperari se adhuc dixit quod obtinenda esset a Rege.

1348. Cum autem quarta die Augusti haec scripsisset Provincialis, quo tempore P. Ignatius obierat, a P. Vicario Laynez nihilominus res permissa fuit. Et cum P. Hieronymus Magistratus messanenses sub anni hujus finem esset allocutus, res illis satis placebat, et typographiam, quae id temporis erat Messanae, ad initium assumi a nostris volebant, et interim characteres latinos, graecos, et hebraeos aliunde deportari posse; et ita cupiebat Provincialis vel ex Gallia, vel ex Belgio, vel ex Germania aut Venetiis hujusmodi characteres quam optimos quaeri, ad quos emendos pecuniam statim erant transmissuri; et quia Bononiae viderat aliqua molendina papyri, aliquem quaeri in ea civitate architectum aut artificem hujusmodi operum cupiebat (ut etiam Fabriani), cui stipendium a civitate Messanensi solvi curassent.

1349. Cupiebat magnopere Pro-rex, Joannes de Vega, ut Rex Philippus pensionem decem millium ducatorum super aliquo primario Episcopatu ad Germanici Collegii sustentationem daret, et suo tempore operam ad id non inutiliter [navaturus] sperabatur, cum, in officio Praesidentis Consilii regii, auctoritatem ad omnia habiturus [1] videbatur.

1350. Acceperat autem responsum, quod attinet ad Abbatiam Rochamadoris, sed quod illi parum satisfecit; hoc enim decretum in curia fuerat, ut primo vacans Abbatia ejusdem valoris, cujus erat quae Panormitano Collegio unita fuerat, Messanensi Collegio uniretur.

1351. Sed Pro-rex non satis rem intellectam esse, quam proposuerat, scripsit; et eidem [2] provisionem remisit, ut aliam, prout opus erat, decernerent. Scripsit etiam Comiti de Feria [3]

[1] Ms. *habiturum*.—Non tradunt Polancus, Sacchini nec Aguilera quid in suo novo amplissimoque munere pro Collegio Romano egerit Vega, tametsi multa et praeclara postremi hi scriptores de navata ab illo in Hispania laboranti Societati opera produnt. SACCHINI, *Hist. S. J.*, p. II, lib. I, n. 113; AGUILERA, loc. cit.

[2] Joanni, scil., Osorio, qui negotia Pro-regis in curia agebat. Vide supra, pag. 318, n. 1298.

[3] Gomus *(D. Gomez, D. Gome)* Suarez de Figueroa, V Comes et I Dux de Feria. Vide supra, t. IV, pag. 587, annot. 7.

et Secretario Vargas [1]. Sed existimabat Pro-rex aliquem ex nostris ad hoc negotium promovendum curiae regis assistere debere, si inde P. Ribadeneyra recessisset [2].

1352. Non autem placebat quod Rex decreverat, quia jam idem Imperator concesserat [3], et tamen alii, diligentiores, Abbatias vacantes impetrabant. Quia vero serio admodum Pro-rex scribebat, impetraturus id videbatur; et tunc Universitas vel generale studium in Sicilia institui posse (quod attinet ad facultates, quae in Societate nostra tradi solent) censebat, et collegia Siciliae idoneis operariis repleri, [et] typographia promoveri posse videbatur.

1353. Hoc autumno vacavit in Sicilia Prioratus S.tae Margaritae prope Bibonam, cujus praesentatio ad Ducem Bibonae pertinebat; et jam dudum tam ipse quam Ducissa ad illud applicandum Collegio suo animum adjecerant [4], et quam rationem inire possent ad praedicti Prioratus applicationem a P. Provinciali petebant.

1354. Ille autem Romam Patri Vicario scripsit; et quia forte timebant ne parum benevolum Pontificem ad hujusmodi unionem invenirent, si non posset ab ipso res impetrari, alicui ex nostris fratribus non professis conferendus videbatur, tam ipsi Provinciali quam Duci; et ita quemdam fratrem, cognomento Sanchez, Dux praesentare voluit, ut possessionem ejus caperet; nam frater ille noster familiariter Duci notus erat; et aedificando Collegio Bibonensi praefuerat [5].

1355. Valor Prioratus non magnus erat; sed, expensis deductis, reddere Bibonensi Collegio centum aureos singulis annis poterat. Duo ex nostris in eodem loco, qui amoenus erat valde, residere poterant. Habebat olivetum, et agros, et hortos

---

[1] "Diego de Vargas est secrétaire pour les affaires de justice et de grâce d'Italie.„ Gachard, l. c.; Delplace, l. c.

[2] Vide supra, pag 318, n. 1298. "En la corte hace diligencia M. Pedro de Ribadeneira sobre el Abadía para Mesina, y presto espérase habrá buena espedicion. La otra que vacó no la quisieron dar al colegio, porque el Rei quiso remunerar los criados de su Padre en esta distribución; no dejaremos de acordárselo cuando escribiremos, y ahora que M. Salmeron va allá con el Legado que envía el Papa, lo llevará tambien encomendado." Polancus, *ex com.*, Patri Hieronymo Domenech, 22.a Aprilis.

[3] Vide supra, t. III, pag. 223, annot 2; et pag. 224, n. 493.

[4] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 13, annot. 3; Aguilera, *Provinciae Siculae Soc. Jesu Ortus et Res gestae*, p. I, c. VI, n. XXXI, pag. 117, et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 618.

[5] Vide supra, t. V, pag. 222, n. 644.

ac vineas, et quatuor millibus passuum a civitate Politii [1], qua iter erat Panormum, distabat. Ad spiritualia exercitia et contemplationem locus peropportunus erat.

1356. Cum Roma penuria rei frumentariae laboraret, scriptum est in Siciliam, cum adhuc viveret P. Ignatius, ut viderent an facultas frumentum extrahendi in Societatis usum extrahi posset. Pro-rex autem ea de re ad Regis curiam scripsit, ut facultatem ad centum quinquaginta vel ducentas [2] *salmas* [3] sive modia extrahenda, impetraret. Quia tamen pro singulis modiis non mediocris pecunia Regi solvenda erat *(novum impositum* vocant), impetrata praedicta facultas potius vendi debere visa est, ut cederet in utilitatem Societatis Romanae.

1357. Hoc anno Catanense Collegium P. Provincialis inchoandum curavit, cujus origo haec fuit. Dominus Ferdinandus de Vega, primogenitus filius Pro-regis [4], illi civitati praeerat, quemadmodum Dominus Suerus, minor natu frater, Syracusis. Tam ergo Ferdinandus praedictus quam Episcopus Catanensis [5] initio hujus anni Provincialem urgebant, ut aliquem ex nostris eo mitteret, cum quo de Collegio Catanae instituendo agerent.

1358. Missus ergo fuit Januario mense P. Antonius Vinch [6], qui non solum Dominum Ferdinandum, sed Episcopum etiam valde affectum huic operi invenit; et opportune collegium institui posse videbatur, tunc quod esset in itinere pergentibus Syracusas, tunc quod generale studium et praeclara ingenia Catanae inveniebantur.

1359. Cum etiam eo tempore de multis extra Domum et Collegium nostrum Romanum mittendis P. Ignatius cogitaret pro-

---

[1] Polizzi.

[2] Habes hic numerum, quem in exemplo litterarum Ignatii *(Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 346), legere non valuimus.

[3] Vide supra, pag. 288, n. 1142.

[4] Primogenitum intellige inter eos, qui hoc tempore superstites erant; nam qui omnium primogenitus erat, obierat jam Septembri mense anni 1550. Vide supra, n. 1325.

[5] Nicolaus Maria Caracciolus.—Vide supra, t. V, pag. 218, n. 631.

[6] Vide supra, pag. 267, n. 1031; pag. 275, n. 1071, et nuper, n. 1322.

per causas superius dictas [1], scripserat Provinciali Siciliae ut intelligeret num aliqua nostrorum multitudo in Sicilia excipi posset, si necessitas id postularet. Provincialis autem bono animo se excepturum dixit quos P. Ignatius misisset. Et cum id cum Pro-rege familiariter contulisset, probavit ille, et libentissime nostros excipiendos et per Siciliae regnum dividendos dixit, et ita nova admitti collegia, praesertim in locis opportunis, posse videbantur.

1360. Pater ergo Antonius cito negotium hoc transegit, et civitas tria millia ducatorum tribus annis se daturam promisit ad reditus emendos, quibus centum unciae, id est ducenti et quinquaginta aurei annui reditus emi possent. Ipse autem Episcopus addebat reditus septuaginta quinque ducatorum de suo, et suis praeterea sumptibus P. Antonium et duos ejus socios alebat.

1361. Prima die Octobris hujus anni prima solutio mille scutorum a civitate facienda erat; quod si distulisset summae promissae solutionem, promiserat civitas pro singulis millibus, septuaginta aureos se soluturam; et ita in consilio civitatis decretum fuit; quod curia regia Siciliae confirmare debuit.

1362. Quod autem Episcopus addidit, jus quoddam erat, quod a civitate catanensi sibi deberi praetendebat; et si effectum ea [juris sui cessio] sortita esset, ad ducentos aureos annui reditus pervenisset. Sed si obtineri id non potuisset, tunc demum septuaginta [2] aureos praedictos se singulis annis daturum obtulit.

1363. Tam bene autem de Societate sentiebat Episcopus, ut significaverit decrevisse se nec officium nec beneficium ullum, immo nec ordines sacros conferre affirmaret [3], nisi nostrorum approbatio praecederet; et prorsus magnum aperiri ostium videbatur ad spiritualem fructum ex illa Domini vinea capiendum; et proxima Quadragesima duos ex nostris sacerdotibus Catanam mitti postulabat, ut eorum opera grex ille pasceretur.

1364. Assignatus est autem Collegio situs quidam in medio urbis, satis commodus, cum ecclesia satis ampla et commoda,

---

[1] Vide supra, pag. 67, n 210.
[2] Sic, cum tamen supra, n. 1360, *septuaginta quinque* scriptum sit.
[3] Sic; verum aut hoc *affirmaret*, aut superius *significaverit* redundare videntur.

nam centum et septuaginta pedum erat ejus longitudo et sexaginta sex fere latitudo, sub invocatione S.tae Ascensionis; et hujus loci possessionem cepit P. Antonius; et ipsemet Episcopus apud Pro-regem instabat ut Collegio applicaretur; et in quadam alia civitate ejusdem dioecesis satis magna alterum collegium idem Episcopus institui volebat.

1365. Cum haec mense Februario Catanae transacta essent, et rediisset Messanam P. Antonius, ac desiderium Episcopi de operariis statim habendis Provinciali explicasset, quamvis reditus stabiliti non essent, ipsemet P. Antonius, qui Rector fuerat Messanensis Collegii [1], cum fratre quodam duodecima Martii Catanam a P. Provinciali remissus est, et in aedibus Episcopi usque ad vigesimam sextam ejusdem mensis commoratus est; necessaria enim obtulerat Episcopus.

1366. Quia tamen Romam recesserat, nec aliud quidquam constitutum reliquerat praeter victum, occasio exercendae patientiae in aliis non deerat. Sed praedictis diebus curavit [P. Antonius Vinch] utcumque instrui designatam domum, et in ecclesia, quae nostris oblata erat, Sacrum facere statim coepit et exhortationes aliquas habere, quibus ad confessionem populum hortabatur; nam jam ultima pars Quadragesimae agebatur.

1367. Vigesima sexta Martii pervenit etiam Catanam, ab eodem Provinciali missus, P. Sanchius Occhoa, navarrus, qui Collegio Montis-regalis praefuerat [2], cum alio socio, et ita quatuor ex nostris, duo illorum sacerdotes, Catanae versari [coeperunt], et hebdomada sancta et Paschae magnam poenitentium messem habuerunt, et quidem supra expectationem, quia recens erat eorum adventus et non admodum civitati innotuerat; sed qui eis confessi fuerant, ut assolet, aliis referebant cum quanta sua consolatione et satisfactione confessi fuissent; et ita tam multi accedebant, ut eis satisfacere minime possent. Multi autem polliciti fuerant crebro se ad confessionem et communionem accessuros, sed non omnes id praestiterunt.

1368. Ipso die sabbati sancti Dominus Ferdinandus de Vega confessus est Patri Antonio in monasterio S.ti Dominici, ad quod illis diebus se receperat.

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 192, n. 555, et in hoc ipso volumine, pag. 267, n. 1031, et pag. 275, n. 1071.

[2] Vide supra, t. v, pag. 207, n 603.

1369. Octava Paschae P. Sanchius coram ipso Domino Ferdinando de Vega, Praeside, Magistratu urbis, et multis nobilibus concionatus est, et omnibus abunde satisfecit; ac omnibus dominicis ac festis diebus conciones est prosecutus, nec auditorium mediocriter frequens ipsi deerat, quod in dies augebatur.

1370. Ante recessum Episcopi fuit constitutum ut in quatuordecim templis urbis christiana doctrina pueris proponeretur; et quamvis ille recessit medio fere mense Aprili, pia haec exercitatio magna cum laetitia civium fuit inchoata: extra urbem etiam ad omnia loca dioecesis praeceptum et ratio christianae doctrinae docendae, ut mitteretur curatum est.

1371. Nostri autem jam in illa ecclesia observabant quomodo a sacerdotibus ea doceretur, qui ad id designati erant, et, ubi opus erat, eos adjuvabant; et prorsus illi expectationem in hoc munere obeundo superabant, dum diligenter suum officium faciunt.

1372. Ante recessum ejusdem Episcopi conveniebat ille cum nostris, ut singulis hebdomadis duae lectiones de conscientiae casibus praelegerentur, diebus scilicet mercurii et veneris, et ut dominicis diebus post vespertinum officium in Cathedrali templo de decem praeceptis Dei lectio fieret. Vigesima secunda ergo die Aprilis P. Antonius Vinch, eum toto fere clero catanensi et multis doctoribus ac nobilibus audientibus, lectionem praedictam casuum aggressus est, et quidem cum satisfactione auditorum non mediocri; et consequentibus diebus mercurii et veneris, cum alia impedimenta id non prohibebant, quod coeperat, continuavit; et praeter clericos multi etiam alii in lectionibus audiendis perseverarunt.

1373. Lectionem praeceptorum autem in aliud tempus commodius rejecit, nam jubilaei occupatio, quod fere eo tempore Catanam perlatum est, et a P. Sanchio pro concione promulgatum, [1] tam copiosam atque assiduam attulit poenitentium messem, ut etiam praedicta lectione praeceptorum omissa, nostri sacerdotes tam multis confluentibus satisfacere non possent.

1374. Sexta Junii, acceptis a P. Provinciali litteris, nostros syracusanos P. Antonius invisit, et res satis bono in statu repe-

[1] Ms. *promulgata.*

rit; quamvis Michaël Spes facesseret nostris negotium, qui cuidam classi praeerat, et fere minabatur se rumorem apud scholasticos excitaturum, si Societas non se cum ipso gereret, ut ipse convenire judicabat. Et inde eum removere decrevit, quod parum in vocatione firmum eum inveniret, quod diceret se persuasionibus Patris Ignatii ad Societatem fuisse adductum et se nimium credulum fuisse [1].

1375. Inserviebat hic juvenis Romae Domino Ludovico Gonzalez [2], conservatori Aragoniae, qui familiaris fuerat Patri nostro Ignatio; et cum modestus videretur et aptus ad Dei servitium, aliquod illi verbum exhortatorium ad Christi consilia sectanda P. Ignatius dixit et de Societate etiam aliquid attigit, quamvis persuasionibus non uteretur; et tamen vel hic juvenis Dei donum ac vocationem non conservavit, per P. Ignatium factam, vel, ut ipsemet dicebat, non fuit Dei vocatio, et ita nunquam satis conquievit, donec liber dimissus est.

1376. Dominus Ferdinandus de Vega singularem benevolentiae affectum erga Collegium hoc [3] gerebat, et quia incommode habitabant, curavit ut domus quaedam cum area satis ampla ecclesiae nostrae vicina emeretur, ubi septem cubicula fieri poterant in superiori parte praeter refectorium, culinam et alias officinas, quae in inferiori parte confici poterant. Totus autem situs quadringentis et viginti quinque aureis [emi posse] judicabatur, et sperabat P. Antonius non solum emendum situm illum, sed aedificandum etiam auxilio ejusdem Domini Ferdinandi, qui nec sorori Ducissae nec fratri Suero cessurus videbatur in Catanensis Collegii commodis curandis.

1377. Empta est ergo praedicta domus; quamvis enim Dominus Ferdinandus Catana recessit, magistratibus urbis commendatum reliquit ut illam compararent. Erat autem civitas in universum satis propensa ad res Collegii juvandas, sed vires et facultas debiles erant.

1378. Ecclesia etiam in meliorem statum reducta et pulchrior effecta; pecunia etiam ad id relinquente Domino Ferdinando, sine cujus auxilio non videbatur aedificium confici posse.

---

[1] Vide supra, pag 325, n. 1328.

[2] Vide supra, t. II, pag. 355, n. 391, ubi Joannes Ludovicus appellatur.

[3] Catanense, scilicet; non enim jam sermo est de Syracusano, quod visitaverat P. Antonius Vinck.

1379. Habebat autem empta domus puteum aquae optimum; et paulo majus pretium, quam creditum initio fuerat, pro domo hac solvi oportuit; sed commodius nostri habitare coeperunt, et in praedictis ministeriis sane et cum magna populi utilitate pergebant.

1380. Et quamvis res esset valde nova, assuescebant nihilominus ad frequentem usum sacramentorum, quae ex assiduo auditu et concione doctrinae christianae sequebatur.

1381. Cum sub finem Junii P. Antonius Messanam venisset ad professionem, ut diximus [1], emittendam, in morbum incidit; ideo non ante finem Julii, cum jam convaluisset, Catanam rediit, ubi Patrem Sanchium cum sociis minime otiosos invenit; nam in concionibus et confessionibus primariorum ejus urbis, et in morituris juvandis perutilem operam et civibus pergratam navabat [2].

1382. Ab aegrotantibus autem vocari nostri incipiebant; quod initio non fecerant, quod existimarent nostros extra suam ecclesiam confessiones non audire, eo quod alia sacramenta a nostris ministrari, praeter communionem et confessionem, non videbant; et tamen in ecclesia nostra et baptismus et extrema unctio et matrimonium ministrari hominibus solebat; Catana enim nullas habet parochias [3], et ita in omnibus ecclesiis presbyteri omnia sacramenta ministrabant, et ideo a nostris hoc ipsum expetebatur, quamvis sine animarum cura.

1383. Quod si hoc munus ministrandi sacramenta nostri admisissent, tota civitas ad eos ventura credebatur. Optabat etiam Episcopus ut nostri hoc onus subirent; sed P. Antonius talem non esse consuetudinem Societatis respondit in aliis Collegiis; et tres alii vel quatuor operarii necessarii fuissent, si omnia sacramenta ab eis fuissent administranda; et ut singularem gratiam Episcopus et Vicarius hoc a P. Ignatio postulabant; sed litterae, prima Augusti ad eum scriptae, in terris eum non invenerunt.

---

[1] Supra, pag. 276, n. 1078.

[2] Ms. *navaverat*.

[3] Intellige quo tempore Polancus scribebat *nullam* esse *parochiam*, cui certa et definita urbis regio fuerit attributa: nam ex Rocchi Pirri, *Catanensis Ecclesiae Notitia*, I, col. 529: "Sunt [tempore quidem ipsius] Catanae VIII Ecclesiae parochiales, quas Sacramentales appellant, quod in eis omnia Sacramenta a presbyteris saecularibus administrantur."

1384. P. Sanchius ex pectore laborare sub finem aestatis coepit (quamvis conciones non relinqueret), propter aestum.

1385. Etiam P. Antonius semel in hebdomada casus conscientiae praelegere coepit; quia etiam Vicarius Episcopi ejus opera uti voluit in visitatione urbis, haec occupatio alteram ex duabus lectionibus relinquere coëgit.

1386. Mense Octobri civitas mille aureos, quos promiserat, dedit; et centum alios ad sustentationem nostrorum, quamvis pars eorum in pretium emptae domus cedere debuit.

1387. Quia etiam Episcopus tantum usque ad mensem Octobris panem et vinum nostris subministrari jusserat (quia eo tempore reditus emi incipiebant), scripsit tamen ei P. Antonius ut ad unum vel alterum annum eleemosynam illam continuaret, et extenderet ad duos alios, ut operarii plures possent ipsius vineam excolere.

1388. Invisit etiam Provincialis Collegium novum Catanense, et judicabat expedire ut [mitteretur] concionator aliquis, qui talento majori quam P. Sanchius praeditus esset. Non existimavit magnopere numerum nostrorum augendum, quia redditus adhuc erant exigui et pretium domus nondum solutum, quamvis legatum quoddam in dies expectabant ad ejus solutionem destinatum.

1389. Coepit autem sub finem Octobris P. Antonius post meridiem lectionem de decem praeceptis explicare, et interruptam, propter occupationes Vicarii, visitationem [1] urbis denuo resumpserat, et circa monasteria monialium versabantur; ex quarum visitatione non exiguum fructum divini servitii expectabant, nam prorsus in summae ignorantiae tenebris versabantur, et illa etiam ad quae, votis emissis paupertatis, obligabantur, ignorabant.

Et haec de Provinciali et Provincia Siciliae sint dicta.

---

[1] Ms. *visitationis*.

DE PROVINCIA GERMANIAE

AC PRIMUM

DE COLLEGIO VIENNENSI

1390. Tribus Collegiis, scilicet, Viennensi, Pragensi et Ingolstadiensi haec Provincia tunc constabat, hoc ipso anno missis duobus posterioribus collegiis, et titulo Provinciae ei [1] dato, cui, [ut] diximus [2], P. Canisius primus Provincialis praefectus est.

1391. Rector autem Viennensis Collegii hoc etiam anno fuit P. Nicolaus Lanoyus [3].

1392. Nullus autem fructus uberior cernebatur nec solidior quam in his, qui scholas nostras frequentabant, quorum numerus ultra trecentos et viginti ascendebat. Nec mediocriter in pietate et litteris proficiebant.

1393. Confitebantur autem singulis mensibus, et quidem cum exultatione animi magna ad hoc sacramentum, et etiam ad communionem, plurimi eorum accedebant. Et praeter patriae communem consuetudinem (in qua diximus generaliter tantum homines confiteri, non ad species peccatorum descendendo [4]), minores pariter et majores exacte et discutiebant et confitebantur sua peccata, in quo longe suos parentes superabant.

1394. Nulla inter eos, aut certe rarissime, audiebatur conten-

---

[1] Ms. habere videtur *eo*.

[2] Vide supra, t. v, pag. 224, n. 649. — Ad Germaniae res nostras illustrandas multum conferet laboriosum opus, magno studio confectum, quod in lucem editur: BRAUNSBERGER, *Bti. Canisii epistulae et acta*, Friburgi Brisgoviae, sumptibus Herder. Prodiere vol. I et II. Equidem ille vir, dum summa diligentia epistolas Canisii facit publici juris, multa de rebus et personis dicit, quae hactenus paucis erant in comperto. Ab eo huc plura nos transferre, licet facile ac jucundum esset, brevitatis ratio vetat: nobis enim providendum est ne praesens hoc volumen mole nimis augeatur.

[3] Vide supra, t. v, pag. 225, n. 650.

[4] Vide supra, t. v, pag. 231, n. 664 et t. IV, pag. 241, n. 529.

tio, nullus dolus. Gloriabantur in orationibus suis et rosariis gestandis, etiam si ob id a malevolis et erga religionem non bene affectis domi et foris irriderentur.

1395. Praeceptores una cum litteris pietatem et christianos mores inculcabant; curabantque in primis ut Deum precari et sanctos ejus assuescerent. Quo autem facilius orationem dominicam, et salutationem angelicam, symbolum et id genus alia ediscerent, quotidie, statuto tempore, unus eorum altiori voce haec omnia recitabat, quem reliqui omnes, eadem verba repetendo, sequebantur; et promptissimos animos ad capessenda salutis documenta afferebant. Cum magna aviditate et adstantium aedificatione Missam quotidie audiebant; et, libellis precatoriis utentes, cum magna veneratione mysteriis sanctis intererant.

1396. Cum recreationis tempore pila palmaria in ludo uterentur, victus victori non aliud pretium quam aliquam orationem, genibus flexis recitandam in media aliorum turba, exsolvebat.

1397. In studiis autem multi magnos progressus faciebant, adeo ut etiam ad promotionis gradus merito aspirarent. Et cum Rector Collegii a Rege Romanorum petiisset, ut qui nostras scholas frequentarent, absoluto apud nostros studiorum cursu, licet publicas Universitatis lectiones omisissent, ad examen admitterentur, et idonei reperti ad magisterii gradum promoverentur; his rationibus facile cessit Rex, et spem dedit ad optata pertingendi.

1398. Progressus autem hujusmodi juvenum etiam homines alienos a catholica religione permovebat, ut suos filios, ab aliis scholis revocatos, nostrorum disciplinae subjicerent. Non deerant aemuli, qui piis conatibus nostrorum sese opponerent; sed nihilominus alacrius aut diligentius nostri suis officiis fungebantur.

1399. Non omittam quod quidam nobilis puer et optimae indolis, decem circiter annorum, omnibus aliis ex Collegio ad domos suas digressis, forte in schola remanserat: qui, cum siti urgeretur et incautius profundi putei situlam manu arriperet, simul cum ea praeceps, nullo praesente vel spectante, in puteum venit; licet ob strepitum rotae unus aut alter ad puteum accessit. Et placuit divinae bonitati ut non modo vivus, sed

prorsus incolumis et illaesus, et omnino praesenti animo extractus esset; et cum rogaretur a Rectore quid eo die orasset, respondit, inter alia rosarium B. Virginis se recitasse.

1400. Familiaritas et commercium cum nostris hos pueros in doctrina et moribus christianis magnopere juvabat: si inter natu majores aliquae dissensiones oriebantur, statim componebantur; et his potissimum accidebat ut peccata, quae nunquam confessi erant propter praedictum morem [1], ingenue aperiendo, magnam conscientiae pacem obtinerent.

1401. Declamabant aliquando de sanctorum laudibus vel de aliqua virtute consectanda, et quidam puer de puero Jesu et ejus salutifero nomine latinum sermonem habuit; quae exercitationes germanis apprime gratae erant, et mirifice aliorum animos ad studia capessenda excitabant.

1402. Et efficiebat divina bonitas ut hac ratione parentes aliqui per filios ad sanam doctrinam reducerentur.

1403. Praeter hos humaniorum litterarum studiosos, P. Nicolaus Gaudanus [2] triginta alios auditores plus minus habebat, [quibus], in publica lectione, [catechismum] Patris Canisii [3] in scholis, juxta Regis voluntatem, interpretabatur; quae lectio quantum fructus attulerit, ex duorum adolescentum [conversione] haeretica pravitate infectorum, colligi potest; quorum alter, his lectionibus Patris Gaudani auditis, non modo suos errores agnoscere, sed etiam deponere coepit, voluitque alteri adolescenti, socio suo, valedicere, nec cum eo amplius versari, nisi et ille catholicam veritatem audire et amplecti vellet.

1404. Persuasus ergo alter ille adolescens ad lectiones P. Gaudani accessit, et vestigia prioris, rejectis haeresibus, secutus est. Sic de aliis non paucis spes erat quod veritatem, quam nunquam forte audierant, et agnituri essent et amplexuri.

1405. Venerat P. Salmeron Viennam ex polonica illa legatione [4] satis exhaustus, et aliquandiu cum nostris commoratus [est] cum magna ipsorum consolatione et aliorum, qui ad eum invisendum accedebant, (accedebant autem non pauci, praesertim nobiles Hispaniae); et postquam ex catharro molesto melius

---

[1] Supra, n. 1393.
[2] Vide supra, t. v, pag. 228, nn. 657, 658 et seqq.
[3] Sermo est de catechismo B. Canisii, de quo vide supra, t. v, pag. 232, n. 670.
[4] Vide supra, pag. 21, n. 54, 55, et infra, a n. 1478.

habuit, cum id optaret Regina Bohemiae [1] et complures hispani [2] nobiles, (quorum confessiones etiam audierat), bis coram Regina et ipsis concionatus est hispanica lingua. Aderant alii multi, et omnes magnopere et fervorem et doctrinam ejus mirati sunt; cum tam multis rationibus confutari haereses modernas viderent, carni, [ut] fundamento, innixas; nec solum consolationem catholici acceperunt, et in religione confirmati sunt; sed etiam haeretici, qui concioni aderant, de suis erroribus confusi fuerunt, et nunquam similem ecclesiastem se vidisse fatebantur.

1406. Optabant quidem catholici ut quotidie in ecclesia illa concionaretur, sed honestas ob causas id praestare recusavit; nam Vienna Romam versus incedendum ipsi fuit, ut inferius dicetur [3].

1407. Concionati sunt et nostri variis in locis; et ex semine sparso verbi Dei non exiguum fructum retulerunt; nam confitentium et communicantium in templo nostro, more catholico [4], numerus fuit hac Quadragesima longe quam antea frequentior, nec solum hispanorum, italorum, gallorum et flandorum, sed etiam germanorum; id quod magis nostri mirati sunt, quo plura quam antea nostris concionatoribus nova oborta sunt impedimenta; sed Dei bonitas ac sapientia ex malis bona elicere solet, ut hoc anno Viennae fecit.

1408. P. Nicolaus Gaudanus saepius egit Regis Ferdinandi ecclesiastem cum omnium et praesertim catholicorum admiratione et aedificatione; et cum in morbum incidisset, alius ex nostris vices ipsius in hoc munere gessit.

1409. In templo etiam nostro diebus dominicis et festis ordinaria fiebat concio, cui succedebat catechismus a parvulis, praesente populo, germanice recitatus.

1410. P. Dirsius [5] in aede sacra Divo Laurentio, P. Carolus Grin [6] in templo Divi Jacobi idem praestiterunt: nec deerant

---

[1] Maria, Caroli V filia et Maximiliani II uxor. Vide supra, t. v, pag. 229, n. 660 et seqq.

[2] Ms *hispaniae*.

[3] A n. 1513.

[4] Sub una, scilicet, tantum panis specie.

[5] Mag. Joannes Dirsius vel Dyrsius, qui anno superiori ad sacerdotium fuerat promotus. Vide supra, t. IV, pag. 241, n. 530, et t. V, pag. 227, n. 656, annot. 3.

[6] Vide supra, t. III, pag. 251, n. 563.

qui conciones catholicas nostrorum et veritatem pluribus in locis constanter praedicatam avide et cum fructu perciperent.

1411. Discessurus autem Romanorum Rex ad comitia [1], Collegio nostro injunxit ut Cathedrali ecclesiae omnibus dominicis ac festis diebus concionatorem praeberet; et id quidem, Deo adjuvante, cum magno populi applausu et concursu effectum est. Nec solum confirmabantur catholici, sed haereticorum multorum reductio, quamvis paulatim, consecutura sperabatur.

1412. De confessionum fructu multa his similia, quae alias dicta fuerunt, dici possent; sed hoc tantum dicam quod aliqui, hoc sacramento adjuti, ab haeresi emerserunt et suos errores reliquerunt.

1413. P. Martinus Stevordianus [2] in civitate quadam, viginti germanicis milliaribus Vienna distante, hanc Quadragesimam transegit, a parocho magnopere sollicitatus; et ibidem cum magno fructu et satisfactione civium omnium, nec tantum in praedicatione verbi Dei, sed in ministerio etiam sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae, de illo populo benemeritus [est], qui simul cum pastore eum diutius penes se retinere cupiebant. Sed quia sacerdotum paucitas in Collegio Viennensi ejus operam requiri faciebat, revocatus eo rediit.

1414. Missus etiam fuit frater noster Jonas Adlerus [3] cum Episcopo Labacensi [4], qui eum a P. Rectore postulaverat, et Labaci aliquandiu strenuum concionatorem egit; et cum magna satisfactione tam nobilium quam ignobilium, immo et tam catholicorum quam haereticorum, veritatem evangelicam promulgavit; et populi applausus ac favor, illi exhibitus, quam gratus ei fuerit ecclesiastes testabatur; et aegre admodum ejus reditum Viennam tum canonici tum alii tulerunt.

1415. Pater etiam Canisius, Provincialis, [5] Ratisbonae in summo templo, coram frequentissimo auditorio, ipso die Assumptionis B. Virginis, et die dominico id festum subsecuto, concionatus est; et auditores ita commovit, ut omnes stupere viderentur, etiam ipse Snepius, qui lutheranorum haeresiarcha, ibidem versabatur. Et auditae sunt voces quarundam mulierum

---

1 Vide infra, n. 1427 et 1428.
2 Sacerdotio auctus superiori anno. Vide supra, t. v, pag. 227, n. 656, et annot. 2.
3 Vide supra, t. III, pag. 239, n. 536.
4 Vide supra, t. v, pag. 233, n. 674; pag. 241, n. 691; pag. 244, n. 694, etc.
5 Vide supra, t. v, pag. 240, n. 689.

lutheranarum, quae dicebant: "Si Ratisbonae pergat concionari novus iste concionator, actum est de fide nostra.„

1416. Cum autem Ingolstadium rediturus esset, canonici omnes pariter ipsum adierunt, ut ibidem commorari et in concionibus catholicam veritatem proponere pergeret, uberrimum fructum pollicentes; et ad Regem Romanorum se scripturos, ut sibi concederetur, affirmabant.

1417. Soliti erant nostri, tam sacerdotes quam alii fratres, aegrotantes invisere, eosdem consolari ac salutis spiritualis cibum ministrare. Cum igitur mercatorem quemdam, in lutherana haeresi obstinatissimum, saepius inviserent, et ad saniorem mentem adhortarentur, nihil minus ille se facturum affirmabat quam ut nostris crederet. Sed tandem Christi gratia durum ejus animum emollivit, et ignorantiae, aut forte malitiae, velamen ab oculis cordis ejus abstulit; cujus conversio majus a quibusdam Dei miraculum existimabatur quam si mortuum ad vitam revocasset. Quidam etiam alii germani ad catholicam religionem per nostrorum ministerium a Domino sunt adducti. Et ad vitam spiritualem restitutam haec pertinent.

1418. Ad corporalem autem illud pertinet, quod cum matrona quaedam honesta ad mortem usque aegrotaret et nulla medicinae arte jam juvari posset, cum quidam ex nostris eam inviserent, statim sanitati est restituta.

1419. Quod ad convictorum [1] statum attinet, si unquam alias, hoc anno se optime gesserunt, et eorum pacificus convictus et in moribus et studiis profectus ita excitabat nobilium ac magnatum animos, ut complures ipsorum magnis precibus contenderent suos liberos apud nostros collocare, sed illorum votis propter habitationis angustias satisfieri non poterat; quamvis duo primariae dignitatis viri per se et per alios magnae auctoritatis homines sic sollicitarunt nostros, ut coacti sint in arctum alios redigere, ut eos, pro quibus urgebantur, exciperent. Alii suis sumptibus cubicula nova aedificare cupiebant, ne eorum defectu liberi ipsorum excluderentur.

1420. Novitiorum domus, quae conjuncta erat Collegio, immo pars illius [2], hoc anno numero novitiorum aucta fuit.

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 225, n. 651, et seq.

[2] Vide supra, t. IV, pag. 260, n. 561, et t. v, pag. 237, n. 684.

Fuit autem admissus inter alios Martinus Leibestain [1], Joannes Magnus [2], Volfangus Viringerus, et Volfangus Faber. Quintus etiam Philippus Widmanstadius [3], qui, sicut caeteri praedicti, germanus erat, et frater praeclari viri, Joannis Alberti Widmanstadii, Austriae Cancellarii [4], adolescens permodestus et non mediocribus animi dotibus insignitus, qui cum animum ad Societatem propensum diu celasset, tandem fratri suo aperuit, qui, ut prudens vir erat, ratus juvenile desiderium esse posse, dissimulabat; immo et urgentem serio Philippum objurgabat acrius et pollicitationibus ejus animum pertentabat.

1421. Sed cum animadverteret adolescens nimium protrahi negotium, nec se responsum certum a fratre obtinere posse, die quadam, clam se subducens, ad nostros se contulit, ac Rectori se obtulit ut Societati adjungeretur. Sed et ipse Rector, de ipsius constantia facturus periculum, domum suam juvenem cum aliquot ex nostris remisit; sed postridie summo mane secundo ad nostros confugit, se nolle diutius manere apud suos affirmans. At Cancellarius, ejus frater, ipsius constantiam cernens, non solum aegre non tulit secundum hunc discessum, sed etiam plurimum laetatus est.

1422. Alii etiam duo adolescentes, Georgius alter, natione germanus, alter vero holandus, nomine Petrus, admissi sunt.

1423. Non parum animati erant omnes fratres nostri ut religioni catholicae ac pietati in dies prolabenti illis in regionibus, quoquomodo fieri posset, subvenirent, et errantes sine pastore

---

[1] "Martinus leibenstain, ex obernndorf algey „ Ita inscriptus hic erat in matricula Universitatis Viennensis anno 1551/52 in hiemali semestri. Braunsberger, *l. c.*, pag. 414.

[2] Huic, argumento ex similibus aliis deducto (Vide Braunsberger, *l. c.*, pag. 88, annot. 4), cognomen fuisse putamus *Groote*. Ejus tamen, ut et duorum proxime sequentium, nullum, praeter hoc Polanci, vestigium adhuc reperimus.

[3] Ex Nellingen (antiquis quibusdam scriptoribus *Nelligen)*, Suebiae oppido, Societatem Viennae ingressus 5.a Martii 1556, aetatis decimo septimo, obiit Cracoviae 18.a Jan. 1588. Cf. *Hist. Soc. Jesu*, part. v, lib. viii, n. 30-33; Patrignani, *Menologio*, et Boero, *Menologio*, ad diem 18.am Januarii; Rostowski, Lituanicarum Societatis Jesu historiarum, lib. iii, n. 61; Socher, *Historia Provinciae Austriae, Soc. Jesu;* etc.

[4] "Joannes Albertus Widmanstadius (1506-1575), ex Nellingen, Suebiae pago ortus, cum Italiam et Orientem adiisset, anno 1553 Austriae inferioris cancellarius factus est et anno 1555 Viennae ex typographia Michaelis Zimmermann syriacam evangeliorum versionem in lucem emisit, quem librum primum omnino fuisse ferunt, qui in Europa syriace syriacisque typis editus sit. Conjuge mortua, sacerdos et canonicus ratisbonensis factus est.„ *Aschbach* et *Schlossar* apud Braunsberger, *l. c.*, vol. i, pag. 450, annot. 3.—Vide etiam supra, t. iv, praesertim pag. 236, annot. 2.

e faucibus luporum eriperent; et ad id spargi cupiebant per illas provincias. Sed interim in domestica palaestra, in virtutibus ac litteris et concionandi modo se exercebant.

1424. Ipsi etiam novitii non vulgarem de se expectationem concitabant, quod, scilicet, germanicae nationi post paucos annos magna essent auxilia subministraturi.

1425. Aliqui etiam in progressu hujus anni sunt admissi; duo, scilicet, germani et unus italus.

1426. Fama ac bonus odor Societatis per Austriam et alias septentrionales regiones in dies magis spargebatur. Inde fiebat ut haeretici non parum sibi a Societate timerent; ne scilicet, fidem apud populum perderent, quem pro suo more misere seducebant; ac proinde verbis contumeliosis et mendacibus in Societatem debacchabantur, quibus et suos libellos replebant, ut ea ratione regnum suum Babiloniae stabilirent. Non tamen nostri propterea a consuetis suis functionibus quidquam remittebant, immo eorum animi hac occasione augebantur.

1427. Romanorum Rex initio hujus anni revocari P. Canisium Ingolstadio jussit, ut Universitatem Viennensem in quibusdam propositionibus colligendis, quas usui futuras esse in Diaeta ratisbonensi sperabat contra protestantes, adjuvaret.

1428. Profectus est autem Rex, 9.ª die Januarii, Possonium ad hungaricam Diaetam, inde rediturus Viennam, ac inde Pragam, Bohemiae caput, iturus.

1429. Magister novitiorum erat P. Erardus Avantianus [1]; quamvis ejus spiritus Viennae non satis conquiescebat, nec illam probationis formulam magnopere probabat; et aliquem esse praeficiendum novitiis exercitatiorem et dono discretionis spirituum praestantiori praeditum [judicabatur].

1430. Cum autem ipse a P. Natali novitiis praefectus esset, sibi non constare libertatem, affirmabat, ea faciendi, quae ipsi conscientia dictabat; nec sperabat se eam habiturum, quamdiu sub illo P. Rectore, aliter sentiente, novitiorum curam haberet; et magno desiderio teneri Romam veniendi, ut in probationibus Societati consuetis exerceretur, significabat.

1431. Pater autem Ignatius id petenti concessit; et Romam

---

1 Vide supra, t. v, pag. 237, n. 684; et t. iv, pag. 260, n. 561.

versus hac ipsa aestate missus est, et propter bellicos tumultus, Laureti, ut superius diximus [1], substitit.

1432. Inter novitios, praecedenti anno admissos, Michaël germanus et Cyrillus [2] fuit, qui hoc anno suum votum emissum P. Ignatio destinavit; juvenis Bohemiae linguae peritus, et egregiis animi dotibus egregie ornatus.

1433. Cum autem Franciscus Emerulus [3] in Belgium mittendus esset, quinque aut sex ex hujusmodi germanis novitiis Lovanium et Coloniam mittendos P. Lanoyus censebat, ut a suis familiaribus et patria ablactarentur; quamvis id non ita sit effectum; sed Mag. Petrus Coloniensis cum Emerulo in inferiorem Germaniam missus est.

1434. Prima die Februarii rediit P. Canisius Ingolstadio Viennam, et his quae agenda erant expletis, Pragam cum Regis litteris se contulit, ut ad collegium venturum necessaria praepararet.

1435. Germanus quidam lutheranus, et quidem pessimus, scripsit idiomate germanico librum, hoc tempore editum, contra catechismum P. Canisii, quem blasphemiis et conviciis tam contra [4] doctrinam catholicam quam contra personam auctoris replevit, et multorum manibus hic liber circumferebatur.

1436. Monuerunt autem P. Canisium quidam boni et docti viri, inter quos erat Dominus Cancellarius Regis, Dr. Jonas [5], ut librum illum confutaret; et visum est nostris, cum quibus contulit, ut omni cum modestia et latine potius quam germanice responderet.

1437. Voluit tamen P. Canisius Romam scribi ut P. Ignatii sententia intelligeretur [6]; et ipsi permissum est ut scriberet [7].

---

[1] Pag. 107, n. 380.

[2] Vide quae diximus supra, t. v, pag. 238, n. 686.

[3] De eo supra facta est mentio, pag. 29, annot. 2 ad n. 76. Is supra, t. III, pag. 267, n. 595, a Delplace vocatur Daghverlies (*Hemerollus*). Cf. *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 615, annot. 5.

[4] Ubi nos posuimus *tam contra*, in ms. legitur *tamquam ad*.—Porro auctor refutationis catechismi canisiani est Joannes Wigand, lutheranorum magdeburgensium superintendens, de quo vide Braunsberger, *l. c.*, t. I, pag. 605, et t. II, pag. 47; et supra, t. v, pag. 262, n. 729, annot. 1.

[5] Jacobus Jonas, Ferdinandi Vicecancellarius, Societatis amicissimus, quem Polancus Cancellarium saepe vocat. Braunsberger, *l. c.*, t. I, pag. 473, annot. 1.

[6] Has ad Ignatium litteras habes apud Braunsberger, *l. c.*, t. I, pag. 637-642.

[7] Litteris, quibus Canisio copia respondendi fiebat, rescripsit ipse Ratisbona initio sequentis anni 1557: "Responderò circa il catheçismo aquello heretico con la gratia de

1438. Jam autem a mense Februario hujus anni, cum intelligeret Rex Romanorum Ferdinandus nulla ratione induci posse P. Canisium, ut episcopatum Viennensem susciperet, scripsit Domino Didaco Laxo de Castigla, qui ipsius negotia in curia romana agebat, ne ulterius urgeret hoc negotium obtinendae confirmationis praedicti episcopatus, sed omnino supersederet ab ea petenda, ut ex ejus litteris constat [1].

1439. Idem Romanorum Rex circa hujus anni initium litteras scripsit, prout ab eo postulabantur, ad negotium collegiorum Societatis admittendorum in inferiori Germania, Regi Philippo subjecta.

1440. Urbanus Pataviensis vota sua, quae ipso die Natalis emiserat, P. Ignatio transmisit.

1441. Postulavit Rector a Romanorum Rege confirmationem redituum mille et ducentorum florenorum; et respondit, ut videretur num quid deesset ad firmitatem concessioni prius factae, nam libenter quidquid roboris opus esset se additurum [pollicebatur].

1442. Tam peculiarem autem curam rerum et personarum nostrarum Rex habebat, ut vellet coram ipso nostros minus exercitatos concionari, ut eorum talentum cognosceretur; et ita secundo die Paschatis P. Joannes Dyrsius etiam ex tempore coram Rege concionatus est, et abunde ipsi et auditoribus satisfecit.

1443. Jonam etiam Adlerum postridie audivit; (quamvis id initio recusaret, quia tantum diaconus et non sacerdos esset), et prae caeteris tam Regi quam caeteris satisfecit. Et hic movit Labacensem Episcopum ut eum sibi dari peteret cum ad episcopatum suum proficisceretur [2].

1444. Prohibebatur eo tempore a Rege communio sub utraque specie sub poena capitali, praeter omnium bonorum privationem; sed in ultimis comitiis hujus anni executionem hujus

---

Christo, pregando que possa essere aiutato per meso delle messe et oratione poi que V. R. [Jacobus Lainez, Vicarius generalis Societatis] iudica così espediente; pur mi guardarò siempre de ogni immodestia.„ BRAUNSBERGER, *l. c.*, t. II, pag. 47.

[1] Vide summam rerum gestarum in hoc negotio apud toties laudatum BRAUNSBERGER, *l. c.*, t. I, pag. 756-760. De Oratore vero sive Legato Regis Ferdinandi in Urbe, Didaco Lasso de Castilla, egimus supra t. V, pag. 23, n. 35, annot. 2; et pag. 246, n. 6 8, annot. 3.

[2] Vide supra, n. 1414.

decreti usque ad proxima comitia suspenderat. Et idem de Duce Bavariae referebatur, quod ad suspensionem attinet. Ferebatur autem quod jesuitae auctores fuissent tam severae illius poenae, et ideo odio magno plurimi nostros prosequebantur; et tamen ita res non [se] habebat, nec poenam illam capitis P. Lanoyus magnopere probabat, habita ejus regionis ratione.

1445. In hebdomada sancta cum praedicaturus esset coram Rege P. Gaudanus de Passione Domini per duas vel tres horas, sub illud idem tempus in febrim incidit, a qua fuit impeditus. Eodem tempore P. Lanoyus, Rector, confessiones germanorum audire coepit, cum germanicum idioma, quantum satis esset, didicisset. Gallos et italos P. Ursmarus [1], qui cum suis pragensibus tunc Viennae versabatur, sacramento confessionis juvare potuit.

1446. Cum haeretici ad evertendam Societatem nostram, ut suis conatibus sese opponentem, satis essent propensi, nec occasionem, quae se offerret ad vitam et famam nostrorum sugillandam, omitterent; nacti sunt hoc tempore non exiguam occasionem nostros insectandi, cum in eorum manus incidissent quaedam P. Canisii litterae ad Regem Romanorum et Episcopum Labacensem missae, quas illi seditiosas esse interpretabantur, eo quod patrem contra filium Maximilianum excitare viderentur; quamvis religionis gratia, et ut filium in officio contineret, optimo zelo scriptae fuerant [2].

1447. Aliam etiam contra nostros viennenses occasionem habuerunt; quia scilicet, confessionis et communionis sacramenta quibusdam male de fide sentientibus ministrare voluerit [3].

1448. Religiosi etiam ordinis S.ti Dominici contradictionem contra nostros aliquam suscitabant. Sed Regem haec minime a

---

[1] Ursmarus Goysonius. Vide supra, pag. 23, n. 60; et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 453 et 132.

[2] Multa de Maximiliano lutheranis favente Canisioque adversante tradit Braunsberger, *l. c.*, quae huic loco inserviunt; praecipue vero, t. I, pag. 524-530, 532-535.

[3] Ita perspicue in ms. legitur. At potius legendum esset *noluerint*. Primo quidem, quia consentaneum est ut *male de fide sentientibus confessionis et communionis sacramenta* jesuitae viennenses *ministrare noluerint*.—2) Quia si contrarium accidisset, non est putandum nimiam jesuitarum benignitatem adeo ingratam adversariis nostris fuisse, ut contra Societatem eos vehementer concitasset.—3) *Noluerint* magis quam *noluerit* grammaticae leges requirunt: non repugnabimus tamen, si quis, ut singularis numerus retineatur, subaudiri velit *Canisius* tamquam orationis subjectum.

sua benevolentia retardabant, qui etiam liberaliter suis eleemosynis nostros ad extraordinarios quosdam sumptus juvit, et partem ejus eleemosynae P. Lanoyus Romam misit.

1449. Mense Aprili Suetonius de Crescentiis et Otho Leodiensis Romam missi sunt, quibus adjunxit sese Vandelinus, qui nostris Viennae inserviebat, et inscio Rectore, cum praedictos fratres ad currum usque comitaretur, invitatus ab Othone currum ascendit, et Romam usque venit, ubi in Societatem admissus est.

1450. Prius tamen quam Vienna recederet, ad Societatem animum adjecerat, et brevi in probationis domum, si mansisset, erat admittendus.

1451. Nuncius Apostolicus promittebat nomine Pataviensis Episcopi quadringentos aureos annuos ad novem scholasticos Romae in Germanico Collegio alendos: et de Archiepiscopo Salisburgensi majora etiam sperabat. Et prorsus haec videbatur unica ratio et canonicatus et ecclesiastica beneficia conservandi, si novi ministri constituerentur, cum veteres admodum in moribus et fide corrupti essent; sed ad maturitatem hae promissiones non venerunt [1].

1452. Jubilaeum Viennam missum est, et 27 Aprilis a nostris acceptum est; sed oportuit juxta Nuncii Apostolici sententiam procedere in ejus promulgatione. Ille autem capitulo S.ti Stephani [rem] commendavit; et ita successum per exiguum tantae gratiae nostri expectabant.

1453. Cum 16.ª Aprilis collegium Pragam missum Vienna discessisset [2], P. Henricus Blysemius valetudinis causa ibidem substitit: postmodum ei sese adjunxit comitem ad hoc iter P. Gaudanus, ut a reliquiis sui morbi hac mutatione aëris et exercitatione liberaretur. Ultima vero ejusdem mensis P. Martinus ex civitate nomine Pruch, ubi in Quadragesima et paschali tempore strenue in illa vinea Domini laboraverat, Viennam est revocatus; et experientia satis docebat hujusmodi mis-

[1] Nuncius Apostolicus, cujus hic fit mentio, est Zacharias Delfino, Episcopus pharensis, de quo vide supra, t. v, pag. 34, n. 59, annot. 1; et infra, n. 1472 et 1508. Episcopus vero pataviensis seu passaviensis tunc erat Wolfangus v. Closen, cujus incidit mentio supra, t. v, pag. 236, n. 680. Denique Archiepiscopo salisburgensi nomen erat Michaël a Küenburg, de quo supra, t. v, pag. 266, n. 742, et BRAUNSBERGER, *l. c.*, t. I, pag. 508, annot. 2.

[2] Vide supra, n. 1445, et loca ibi adnotata.

siones magnae utilitatis populis esse; bonum etiam Societatis odorem contra calumnias et mendacia haereticorum spargebant; nam modestia, charitas et studium de proximis bene merendi, nullas pecunias admittendo pro suis laboribus, facto ipso calumnias adversariorum confutabant.

1454. Erant in Viennensi Collegio, post pragensium discessum et eorum, qui in inferiorem Germaniam et Romam missi fuerant, triginta tres collegiales, ex quibus quinque sacerdotes erant, reliqui magna ex parte novitii; quamvis ex illis, octo rhetoricae ac simul dialecticae operam dabant.

1455. Classibus praeerant Mag. Rogerius, Dominicus Manginus et Gulielmus Helderensis, praeter alium, qui quartae classi praeerat. Optabat autem P. Erardus, tunc novitiorum praefectus, ut aliqui ex illis praeclarioris indolis Romam mitterentur, ut in rebus, ad Institutum Societatis pertinentibus, melius instruerentur.

1456. Sub finem Junii cum Rex Bohemiae et Regina Maria, ejus uxor, ad Imperatorem invisendum in inferiorem Germaniam proficiscerentur, valde imminutus est eorum numerus, qui ad templum nostrum accedebant; donec, redeunte Regina, et auditores redierunt.

1457. P. Nicolaus Gaudanus, qui avidissimus erat operarius copiosi fructus animarum, cum videret concionum et lectionum laboribus exiguum fructum, prout ipse sentiebat, respondere, animo cruciabatur et mutationem in aliam partem vineae Domini cupiebat; quamvis, habita ratione sterilis illius regionis septentrionalis, non poenitendum fructum colligi, etiam P. Salmeron, ex Polonia rediens, judicabat.

1458. P. Canisius sub finem anni praeteriti Ingolstadii adhuc versabatur, et negotio reformationis Ingolstadiensis Universitatis et Collegii ibidem instituendi vacabat. Et ita cum inter eum et Ducem Bavariae ac ministros ejus convenisset, Romam, ut superius diximus [1], scriptum fuit, unde Patres aliqui Societatis summo desiderio a bonis quibusdam expetebantur, ut Secretarius Ducis pie admodum scripsit, ut scilicet, reliquias abjectas in catholica religione consolarentur, dubios confirmarent, lapsos erigerent, errantes reducerent, perditos

[1] Supra, pag. 25, et seq. a n. 66.

requirerent, si adhuc inveniri possent, ac demum operarios novos in ultimam messem mitterent ante faciem Domini.

1459. Et quamvis ipse P. Canisius libenter ibi responsum expectare non gravatim videretur, existimabat ipse non se urgeri a Rege Romanorum ut Viennam rediret, ne, cum in Cathedrali templo concionaturus esset, zelum contra duos praedicatores regios, quorum alter satis manifeste haereticus erat, ostenderet; quamvis enim catholicus admodum et pius Rex erat, amatorem nihilominus quietis et modestiae sic erat, ut inde detrimentum catholica fides, quod ad praedicatores attinet, accipere videretur.

1460. Cum autem gravis tempestas Austriae, belli turcici [occasione], immineret, non levis tentatio fuit quod status Austriae a quibus auxilium expetebat, omne subsidium pollicebantur contra hostes, dummodo communio sub utraque specie libere ipsis permitteretur.

1461. Nobilitas etiam Bavariae ferventer admodum usum calicis expetebat.

1462. Sed ad Canisium redeundo, cum diutius ille Vienna abesset, quamvis publicam theologiae lectionem ejus loco P. Lanoyus praelegeret; nihilominus consistorium Universitatis Viennensis eidem P. Canisio scribendum decrevit, ut scriberet possetne lectionem illam theologicam praelegere, necne; quod si responderet se minime id posse praestare, tunc demum munus illud praelegendi religiosis S.ti Dominici collaturi erant; cum Patres illi apud excelsum regimen, quod vocant, Austriae instarent ut theologica illa lectio ipsis demandaretur, quia stipendium habebat mediocre; et eo facilius id erant obtenturi, quod nostri nullo modo instabant ut ea lectio penes Collegium nostrum relinqueretur.

1463. Regina Bohemiae eximiam semper charitatem nostris exhibebat, cui recedenti in Flandriam, ut paulo ante diximus, cum valedicturus ei P. Lanoyus [ivisset], gratias etiam egit de multis donis, quibus templum nostrum ornaverat, et obsequium et orationes Collegii nostri obtulit; et benigne admodum ab ea exceptus est, et rebus ipsis se ostensuram affirmavit suo tempore quantopere Collegium illud diligeret. Et cum ab ea postulasset idem Pater ut juberet depingi quaedam in altari, quae ad devotionem et cultum Dei pertinebant; misit illa bonam sum-

mam aureorum ad illud opus, et duos pannos telae auri, suffultae serico, ex quibus sacerdotales vestes, quas casulas vocant, et frontalia altarium confici possent. Sperabatur autem ipsam locupletiorem a patre Imperatore redituram, et debitis dissolutis; et tunc etiam liberaliorem in Collegium futuram.

1464. Die prima Julii, Mag. Joachimus, natione belga, post morbum diuturnum phthisis ad Dominum migravit, cujus vita ut aedificationis plena fuit, ita et mors: celebrata Missa in ipsius cubiculo, ut devotioni ejus satisfieret, sanctissimum Eucharistiae sacramentum accepit; non raro, cum morti etiam vicinus esset, in psalmis et canticis spiritualibus decantandis occupabatur: testamento confecto, Patribus Leonardo et Adriano ejus executoribus, facultatem fecit de omnibus suis bonis in pios usus expendendis.

1465. In ecclesia nostra, quae olim carmelitarum fuit, Missa decantata est, ex praescripto P. Natalis, dominicis et festis diebus, non a nostris sed a quodam sacerdote, qui inter nostros convictores versabatur. Cum enim olim id templum carmelitarum fuisset et decantari Missa et officia divina solita essent, ad aedificationem id pertinere videbatur; et quia juxta Constitutiones eo tempore cantus Missae inductus non fuerat, visum non est P. Natali ut aliquis ex nostris Missam cantaret. Sed cum recessisset ille sacerdos externus, injunxit [nostris onus illud] P. Lanoyus, timens fortassis ne cum populi offensione relinqueretur hujusmodi cantus, quamvis non esse magnopere timendam P. Natali idem proposuit.

1466. Cum id autem rescivisset P. Ignatius, poenitentiam injunxit P. Lanoyo, quod sine facultate ritum hunc in Collegium suum induxisset, et expresse mandavit ut in posterum a Missa decantanda abstineret; et statim paruit; jussus enim fuerat externum sacerdotem ad eam decantandam invenire, si scandalum timeret; sed ille hoc minime timebat, et cum mentem P. Ignatii eo inclinatam videret ut non caneretur, prorsus abstinuit. Vespertinum tamen officium ex praescripto P. Natalis festis diebus et dominicis a novitiis simul cum convictoribus canebatur; unus autem ex nostris antiquioribus ad alios dirigendos intererat.

1467. Cum Praga recessurus esset P. Canisius Ingolsta-

dium, postulavit a P. Lanoyo (ut concionaretur Archiduci Ferdinando) Mag. Martinum Stevordianum vel Mag. Jonam Adlerum. Cum autem posteriorem mittere decrevisset, et brevi cum Episcopo Labacensi ex ejus episcopatu rediturum speraret, a nescio quo intellexit quod Labacho Mag. Jonas secreto se seduxisset, quae res magno dolore P. Lanoyum affecit, quod a Societate ipsum defecisse arbitraretur, et timebat ne ob reprehensam ipsius libertatem quibusdam in rebus, quae nostrum Institutum parum decebant, recessisset; sed longe aliter res habebat. Cum enim evocatus fuisset Mag. Jonas a praedicto Patre, et non facile speraret se bona cum venia civium avelli posse, eo quod magistratus et Senatus et primores urbis eum perlibenter audirent, ipsum etiam Capitulum Labacense, [et] Archiepiscopus aegre ferret recessum, secreto se subduxit ut Viennam ex obedientia veniret, decano tantum et duobus vel tribus aliis suum recessum significans, quamvis canonicus quidam, qui id resciverat, per equos dispositos illum est sequutus, ac multum conquestus quod ille sic recederet.

1468. Voluit autem Capitulum pecuniam ei pro more offerre ob susceptum praedicationis laborem, sed Institutum Societatis declarando, quo quidquam hujusmodi admittere prohibebatur, nihil admisit.

1469. Viennam ergo rediens, Pragam, ut concionaretur Archiduci Ferdinando, missus est [1].

1470. P. Gaudanus hoc tempore molesta tussi et diuturna laborabat, nec tamen lectionem publicam theologiae intermittebat. Concionem tamen, cum apud Regem habere solitus erat, omisit, et ejus locum Mag. Martinus aut Mag. Jonas supplebant.

1471. Misso autem Romam P. Erardo, novitiis praefectus est P. Carolus Grus, novus sacerdos, qui suas primitias ipso die Nativitatis B. Virginis obtulit. Pater autem Joannes Dyrsius ministri officium suscepit, quod Carolus exercebat.

1472. Nuncius Apostolicus Delphinus [2], quibusdam nostris et aliis theologis vocatis, egit cum ipsis an Diaetae ratisbonensi expediret ipsum interesse, licet Rex ipse eo non veniret,

[1] Hic tamen Jonas Adler, qui facto suo Lanoji timores nunc dispulit, ac strenue per plures adhuc continenter annos concionibus habendis desudavit, a Societate denique defecit anno 1562. Vide supra, t. v, pag. 266, n. 738; BRAUNSBERGER, *Beati Canisii epistulae et acta*, t. II, pag. 61, annot. 3, et auctores in his locis laudatos.

[2] Zacharias Delfinus. Vide supra, n. 1451.

et etiam an expediret Regem ipsum Diaetae praedictae potius adesse quam in Austria manere, ad quod Rex propensior erat, ut bello turcico necessaria inde commodius prospiceret; quod si judicassent expedire ut tam Rex quam ipse Nuncius Diaetae interessent, an expediret Summo Pontifici scribere ut hortaretur Regem, ut primo quoque tempore ad Diaetam se conferret.

1473. Omnium autem nostrum immo et aliorum sententia fuit, Diaetas celebratas cum detrimento catholicae religionis fere semper fuisse; et ita impediendam esse, si fieri posset, hujusmodi Diaetam illi censuerunt, quod ad negotia religionis attinet; sed tantum de rebus saecularibus, ut de modo resistendi turcis, esset agendum. Si tamen necessarium esset [1] hujusmodi Diaetam celebrari, in qua etiam de religione ageretur, tam ipsum Regem quam Nuncium interesse debere; et viriliter protestantium conatibus se opponere, ac principes et praelatos animare, et ad id Summi Pontificis exhortationem fore opportunam. Voluit etiam Nuncius ut per aliquem ex nostris hoc ipsum Pontifici significaretur.

1474. Religiosi S.ti Dominici nostris obtulerunt, quemadmodum et alias fecerant, in oppido Crems suum monasterium: in magno enim periculo versabantur ne in manus civium deveniret, et ab eis ad profanos usus converteretur. Et ideo P. Ignatio scriptum fuit, ut videret num eo in oppido ex praedicto monasterio vellet [gymnasium] institui [2]; et non minus utilitatis extra Viennam et ejus Universitatem, quod ad institutionem juventutis attinet, quam in ipsa urbe Viennensi sperabatur, [3] nisi facultatis theologicae et philosophicae totius curam Societas Viennae susciperet.

1475. Mense Augusto ad finem vergente, cum de P. Ignatii migratione ad Dominum intellexisset P. Provincialis Canisius, evocavit Passavium Patres Lanoyum et Gaudanum, quo ipsemet Canisius, praescripto die, venturus erat, ut de his, qui venturi erant ad generalem Congregationem, ageretur.

1476. Fuit autem constitutum ut ipsemet P. Canisius et P. Lanoyus venirent; et ita statim in Italiam venientes, intelle-

---

[1] Ms. *esse*.

[2] Vide supra, t. IV, pag. 268, n. 576, annot. 3, ubi de Societatis statione ad oppidum Krems agitur.

[3] Ms. *sperabat*.

xerunt Patavii dilatam esse in aliud tempus Congregationem, et ad suam provinciam redierunt; et quia properarunt plus quam necesse erat, hoc itineris dispendium et laborem subierunt; nam statim quoquoversus de prorogatione Congregationis fuit scriptum.

1477. Quia initio Martii hujus anni P. Salmeron Vienna Romam profectus est, hic de missione polonica usque ad ejus reditum quae referenda sunt addam.

1478. Diximus anno praecedenti [1] P. Salmeronem a Summo Pontifice Paulo Augustam missum, (quo 20.ª die Augusti pervenit), ut ibidem usque [ad] Diaetae Augustanae finem cum Veronensi Episcopo manendo, inde ad Regem Poloniae proficisceretur.

1479. Jam autem ad finem accedebat Diaeta, et curandum erat ex parte Pontificis ut nihil de rebus ad religionem pertinentibus in ea tractaretur, quamvis de Rege Romanorum non dubitabatur quod nihil contra fidem catholicam decerni passurus esset.

1480. Allocutus est autem P. Salmeron, nomine Pontificis, Romanorum Regem quae ore acceperat a Pontifice Paulo III circa negotia in Diaeta tractanda. Respondit autem ille magno cum zelo catholicae religionis, quod potius sua regna et status omnes ac suam et filiorum suorum vitam perire permissurus esset, quam ulla in re favorem haereticis impendere; et quamvis oppugnaretur valde diligenter et promissis et minis haereticorum, nihil se permissurum in hac Diaeta quod in detrimentum catholicae religionis cederet.

1481. Deinde nomine P. Ignatii Regem allocutus est, a quo [2] negotia quaedam ipsi P. Ignatio fuerant commissa; et ita pergratas sibi fuisse litteras ejus ostendit. Alia etiam ad Collegium Germanicum pertinentia cum eo tractavit, de quibus supra.

1482. Interim Litterae Apostolicae et instructio Pontificis ad Episcopum Veronensem pervenerunt circa legationem ad Poloniae Regem, qui de ea Regem Romanorum est allocutus: nullas ei facultates communicandas Pontifex impertitus est, quamvis aliqui optabant ut eas haberet, ut bene mereri de quibusdam haereticis, redeuntibus ad Ecclesiam, et de aliis posset.

[1] Vide supra, t. v, pag. 37, n. 66; et pag. 274, nn. 758, 759.
[2] Scilicet, a Rege.

1483. Hoc tamen movit, ut credibile est, Summum Pontificem, quod nullam avaritiae speciem in Sedis Apostolicae Legato cerni volebat; et ita diligenter Episcopo Veronensi commendatum est; quamvis vir alioqui magnae integritatis, non magnopere tali exhortatione indigere videretur.

1484. Cogitabat etiam P. Salmeron a Rege Romanorum litteras esse postulandas ad Regem Poloniae, ut ipsum ad collegium aliquod in Polonia instituendum hortaretur.

1485. Profecti sunt demum Septembri mense, et itinere duorum et triginta dierum Augusta Varsoviam pervenerunt; totum Bohemiae regnum et Slesiae provinciam transeuntes, ut in Poloniam ingrederentur.

1486. Ibi Reginam, nomine Bonam, Regis Poloniae matrem, invenerunt, quae in procinctu jam erat ut in Italiam rediret. Sed Vilnam usque, ubi Rex eo tempore residebat, iter quindecim aut viginti dierum reliquum erat.

1487. Quamvis autem in Hibernia versatus [fuisset] aliquando P. Salmeron [1], ubi non solum incommoda hospitia sed nulla sunt in complurimis locis; in hac parte Poloniam non cedere Hiberniae existimabat; et quamvis diligentiam adhibuerat Episcopus, raro admodum aut vinum aut cervisiam ad potum inveniebant, et aqua libenter usi fuissent, si bonam illam invenissent. De lectis ad dormiendum nulla mentio, immo difficile admodum erat aliquid palearum invenire, ut super humo dormiendum non esset, nec stragulum ullum, quo se quis tegeret, inveniebatur. Sed iter, quod supererat a civitate Varsovia Vilnam usque, multo erat asperius.

1488. Quod attinet ad negotium religionis, intellexerunt Varsoviae nobilitatem ejus regni magnopere infectam esse, et Regem ad id usque tempus conniventem habuisse. Et si ab eo impetrari potuisset punitio haereticorum, non exiguum operae pretium se facturum Nuncius existimabat.

1489. Allocutus est P. Salmeron Reginam, et de aliquo collegio in Polonia constituendo eam alloqui rursus constituerat; sed cum illa jam accincta esset ad iter italicum, parum sperare poterat ab ea in Polonia praestandum.

1490. Inde profecti Vilnam, Lituaniae caput, quindecim

---

[1] Vide supra, t. I, pag. 96, n. 34, et pag. 98, n. 38.

diebus perdifficile admodum iter confecerunt; et si a Regina Bona adjuti non fuissent, vix incolumes eo pervenire potuissent; necesse enim erat secum non modo lectum ferre, si quis illo uti vellet, sed et reliqua omnia ad cibum et potum necessaria; immo et suppellectilia quaecumque necessaria essent, et in ipsis silvis, hospitiorum loco, subsistere et corpus curare oportebat; et non sine Dei protectione peculiari et auxilio incolumes ex eo regno egressuri sibi videbantur.

1491. Exceptus fuit Nuncius Apostolicus parum amanter et honorifice; et cum ibi in more ejus regni esset, ut Apostolicis Legatis omnia necessaria, nomine Regis subministrarentur, nihil ut Nuncio ab eo oblatum est; nec ipse ab alio quoquam accipere quidquam voluit.

1492. Regis curia infecta valde inventa fuit, et sinistre admodum de Summo Pontifice et de catholica religione homines multi impune loquebantur; et quamvis Rex catholico more viveret, timebatur vehementer ne pravi consiliarii ejus animum perverterent; qui enim primas inter ejus ministros et curiales habebat, publice haereticus erat, et diebus veneris et Quadragesimae carnibus uti non erubescebat; et cum sanctissima Eucharistia in Missae sacrificio elevabatur, vultum avertere, ne ipsam cerneret et adoraret, cernebatur.

1493. Ferebatur autem quod Rex Nuncium brevi expediturus et in Poloniam remissurus erat, et cogendum esse nationale concilium [1] fama erat, quod Nuncius nunquam concessurus nec ipsi interfuturus erat; et quod a Regina Bona Varsoviae intellexerant, re ipsa experiri videbantur: frustra enim eos venisse in Poloniam et nihil boni effecturos praedixerat.

1494. Cum ergo 28 die Octobris Vilnam pervenissent, et Nuncius Regi exposuisset suae legationis summam, hoc ipsi responsum a Rege datum est [2]: Poloniae regnum, quod ad religionem attinet, alterum tantum ex duobus remediis habere posse: prius erat universale concilium, quod tamen propter bella inter christianos Principes eo tempore congregari non poterat; posterius concilium nationale in regno Poloniae, et conjunctis illi coronae statibus. Et tamen in Ecclesia catholica

---

[1] Ms. *collegium*.

[2] Ms. *quod.... posse*. Sed vel illud *quod* redundat, vel dicendum *posset*.

ad decidendas fidei controversias nunquam hujusmodi nationalia [concilia] in usu fuerunt.

1495. Cum itaque haec Regis esset sententia, nihil, quod magni momenti esset, in negotio religionis fieri posse videbatur; praesertim majori nobilitatis parte haeresibus corrupta.

1496. Itaque male collocatus labor et incommoda itineris in hac legatione censebantur. Aliqua deinde colloquia cum ipso Rege et cum quibusdam catholicis ac primariis viris habita sunt; et omnia videbantur usque adeo clausa, ut nullus fructus nec spiritualis consolatio speraretur, quod ad res universales attinet.

1497. Allocutus est etiam P. Salmeron privatim quemdam secretarium regium, nostris amicum, de aliquo collegio in Polonia instituendo, ut videret num aliqua ratio ad id posset iniri. Sed ille non solum difficile, sed impossibile esse respondit, si res in eo statu, quo tunc erant, permansissent.

1498. Quod enim reliquum erat religiosorum in Polonia paulatim dissolvebatur; et nobiles bona monasteriorum ac redditus occupabant, eo dissimulante ad cujus officium spectabat hujusmodi homines ab his rapinis arcere; et eo res redierat, ut hujusmodi nobiles etiam ex Episcoporum manibus castra et alios populos eriperent, nec quisquam eorum sacrilegiis sese via juris opponebat; nec Episcopus ullus contra haereticos procedere in suis dioecesibus poterat [1], et ita zizania in dies crescebant.

1499. Hujus rei causa consiliarii quidam Regis existimabantur, qui plus, quam [par] esset, auctoritatis apud eum habebant. His animadversis, facile Nuncius Apostolicus in Italiam rediisset, si ad id facultatem a Summo Pontifice accepisset. Sed ut decentius recederet, et acerbissima hyemis frigora interim mitescerent ut se posset itineri dare, decrevit Summum Pontificem prius commonefacere; et quamvis litteris duplici exemplo id fecerat, suum Auditorem mittendum existimavit, ut ea verbo referret, quae litteris commendari non expediebat.

1500. Obtulerat suam operam P. Salmeron ad praedicandum Regi italice; sed ejus oblatio non est admissa.

1501. Cum ergo Nuncius consideraret praedictum P. Salmeronem tempus ibi inutiliter terere, quod magna cum utilitate

[1] Ms. *poterant.*

et fructu alibi poterat expendere, quodque tam ipse quam ejus socius Giofredus, propter cruditatem et intemperiem illius coeli et rationem alimentorum, male valerent; eumdem etiam in Italiam cum suo Auditore remittere apud se constituit, ut verbo etiam ipse Summo Pontifici referre posset quo in statu res illius regni versarentur.

1502. Sponte ergo et proprio motu Nuncius significari jussit P. Salmeroni, qui nihil ea de re intellexerat, ut se accingeret ad iter in Italiam. Quod cum audisset, Nuncium convenit ac significavit se a Summo Pontifice missum, ut ipsum Nuncium in hac legatione comitaretur; quodque libenter id facturus erat, licet cum incommodo valetudinis et vitae etiam dispendio manere oporteret.

1503. Respondit Nuncius se rationem habiturum non fuisse valetudinis ejus, licet mors ipsi subeunda fuisset, si vel necessaria vel utilis ejus opera futura esset; sed cum perspectum haberet nihil ab eo praestari posse, cumque ipsemet Nuncius brevi esset rediturus; in Italiam ipsum praemittendum ob rationes superius dictas existimabat; et ita cum propensionem Episcopi videret, litteris ejus ad Summum Pontificem et ad P. Ignatium postulatis, cum Auditore itineri se dedit.

1504. Commiserat etiam Auditori Nuncius, ut verbo referret Pontifici quod sponte sua P. Salmeronem remiserat, propter ea quae jam sunt dicta.

1505. Pervenerunt autem Viennam viginti quatuor diebus, postquam Vilnae quatuor et triginta dies mansissent.

1506. Ipso autem die S.ti Andreae profecti Vilna, 23 Decembris Viennam ingressi sunt; nam concitato admodum gressu iter longissimum confecerunt; et cum hyemale tempus in frigidissima regione permolestum fuisset, digitos dextri pedis propemodum mortuos et stupidos, et totum corpus velut dissolutum et incompactum attulit, cum Viennam pervenit; et ita ulterius progredi in itinere Romam versus non potuit; et ita, tum Auditori Nuncii tum nostris viennensibus visum est, ut Viennae subsisteret et afflictae valetudini recuperandae vacaret; nam praeter frigus et incommoda itineris, variis corporis doloribus affligebatur; et non solum medici, sed chirurgi etiam auxilio opus habuit.

1507. Brevi tamen, Deo propitio, sanitati restitutus est.

Ejus socius Giofredus, quem Vilnae reliquerat valetudinarium, postquam vires recuperasset, ipsum consecutus, Viennam etiam pervenit.

1508. Ibi intellexit Nuncium Delphinum P. Laynez comitem legationis ad Diaetam, hoc anno quinquagesimo sexto faciendam, postulasse; et cum Pontifex eum Romae retinendum censuisset, timuit P. Salmeron ne se retinendum Viennae ad illud ipsum munus apud Pontificem curaret [1]; et ita admonuit P. Ignatium in hujusmodi Diaetis sive comitiis tempus parum utiliter expendi, et Nuncios theologorum operam ad pompam vel satisfactionem mundi, potius quam ad fructum aliquem, quem ex eorum industria sperent, postulare.

1509. Attigit etiam N. [2] non procul esse ut sentiat communionem sub utraque specie concedendam esse, et conjugium sacerdotum; quod si fieret, theologis id facile adscribi posse, quorum ille opera uteretur.

1510. Laetatus est non parum P. Salmeron, cum Viennae tres fratres nostros germanos concionari intellexisset, et tam in concionibus quam in ministerio sacramentorum perutilem nostrorum operam plurimis esse; et Regi etiam fratrum nostrorum doctrinam valde gratam esse et libenter eorum concliones audire: hispanos autem, qui in ministerio Regis et Reginae Viennae versabantur, aliam consolationem spiritualem quam in Collegio nostro non habere [3].

---

[1] Petierat Delfinus a Magistro Generali ordinis Praedicatorum Fratrem aliquem ex eodem ordine theologum. Cujus cum retardaretur adventus, 30 Januarii 1556 Tridento scripsit Cardinali Caraffae ipse Delfinus, se nihilominus in Bavariam recta via profecturum esse "con animo poi di ualermi in Bauiera, fino al' arriuo del Theologo, d' un Dottore de li Jesuiti, il quale hò inteso hoggi ch' è là d' intorno.„ Braunsberger, *Bti. Canisii epistulae et acta*, t. I, pag. 719, n. 73. Vide numerum sequentem.

[2] Prudenti consilio reticuit Polancus Nuncii Apostolici nomen. Quis autem ille fuerit constat ex epistola P. Salmeronis Sto. Ignatio *soli*, 1 Januarii 1556, Viennae data; in qua inter alia negotia, id etiam, quod Polancus refert, scribitur: "Estos dias se an recivido letras de Roma... y entendido... de la venida... del Nuncio Mons.or R.mo el Delphin... Le an scritto... que si no puede haver al M. Laynez, que procure de averme á mí... Aunque yo con la gracia de nuestro Señor estoy apparejado para cumplir qualquiera obediencia del Papa ó de V. R.tia que me venga; todavía considerando la pérdida del tiempo, y lo poco ó nada que en estas dietas se haze, y que este Nuncio más toma theólogos por cumplimiento del mundo y por fausto que por necessidad; y que á lo que tengo entendido, su corte no es como la de un Obispo de Verona, y con el entendimiento no está muy léxos de la concesion de la Communion "sub utraque specie„ y "conjugio sacerdotum„, cosa que siempre se imputaría á su theólogo, a me parecido auisar para que diestramente, si fuese menester, provea en ello...„

[3] Ms. *Hispanus autem, qui in ministerio Regis et Reginae, qui Viennae versabantur... habere.*

1511. Simul atque Romae intellectum est ex Auditore Episcopi Veronensis quo in statu res essent Poloniae, et de adventu P. Salmeronis Viennam, statim injunxit Summus Pontifex, ut Nuncius Apostolicus ex eo regno recederet; quamvis ille jam Vilna Varsoviam redierat, ut in profectione Reginae Bonae ipsi adesset, et inde ad locum quemdam, duodecim leucis distantem, abierat, ut responsum Summi Pontificis expectaret.

1512. Ipsum autem P. Salmeronem jussit idem Pontifex Romam primo quoque tempore venire. Et quamvis Regina, cui semel et iterum concionatus fuerat ea Quadragesima, concionibus ejus frui cupiebat, et aliqui nobiles de eo retinendo agerent; cum ille litteras ostendisset Reginae, quibus de obedientia Summi Pontificis constabat, facultatem ac veniam bonam a Regina obtinuit.

1513. Et quia in dies expectabatur Viennae Poloniae Regina et cum ea aliqui nobiles neapolitani, cum eis, sat commoda societate, se iter confecturum sperabat; sed sine illis, adjuncto quodam ex convictoribus, qui per Germaniam ipsum deduceret, secunda Martii profectus est; postquam confessiones non paucas audivisset Viennae, praesertim hispanorum; et consulentibus de variis conscientiae casibus respondisset; et Patres etiam Canisium et Gaudanum adjuvisset in opere quodam a Rege Romanorum, Ferdinando, ipsis injuncto. Illud autem erat, ut Augustanam confessionem et apologiam Melancthonis viderent; et qua in re protestantes a catholicis differrent, discernerent et adnotarent; nam in Diaeta proxima ex usu id futurum videbatur.

Et haec de Viennensi Collegio ac missione polonica P. Salmeronis sint dicta.

DE COLLEGIO PRAGENSI

1514. Ingolstadii versabatur P. Canisius, cum intellexit, Februario mense Roma mittendum esse collegium pragense; et cum eodem tempore de ingolstadiensi collegio etiam mittendo ageretur, prius hoc quam illud mittendum P. Canisius existimabat; res enim praeparatas esse Ingolstadii, et certiores

quam Pragae censebat, ubi multo plura aedificanda et paranda in usum nostrorum supererant, et Regis ministros non exequi diligenter, quae regia Majestas ipsis praecipiebat, querebatur [1].

1515. Et amici pragenses post absentiam ejusdem P. Canisii, frigidius, quam par esset, procedi in rebus opportunis praeparandis scribebant; et ideo ejus reditum urgebant, et satis fore circa mensem Majum ut collegium Pragam destinaretur, et prioribus Ingolstadii collocatis, pragensium praecursorem se etiam futurum affirmabat; nam fratres dominicani, qui Pragae suum monasterium S.ti Clementis nostris cedebant, antequam ex eo recederent, securi esse de reditibus promissis recipiendis volebant [2].

1516. Husitae etiam haeretici bohemi, qui sibi a nostris timebant, contradictionem excitare coeperant; quae omnia P. Canisium movebant, ut de differenda missione hujus collegii consilium daret.

1517. Nihilominus P. Lanoyus initio hujus anni, quamvis non certo constaret, scribebat de reditibus applicandis et de omnibus rebus opportunis praeparatis: necessaria non defutura affirmabat; nam ex quodam amico, quem Antonium de Mublicio nominat, intellexerat post recessum P. Canisii quadringentos florenos in concinnandis habitationibus ad usum nostrorum [consumptos esse (?)]; et [addebat] se timere cum aliis amicis quod, si commisarii Regis intelligerent differendum [esse] nostrorum adventum, a promovendis Collegii rebus essent cessaturi; et hinc P. Lanoyus colligebat, res ad victum et habitationem necessarias paratas esse; quandoquidem adventus nostrorum expectabatur.

1518. Hanc sententiam secutus est P. Ignatius, cum intellexisset recentioribus etiam litteris ex praedicti Antonii relatu, qui Viennam venerat, res Pragae paratas esse.

1519. Hoc ipsum, cum Viennam venisset, P. Canisius intellexit; et ita ultima die Februarii cum litteris Regis Romanorum

---

[1] Vide supra, t. v, a pag. 247, n. 701 et seq., ubi plurima nostrae narrationi peropportuna dicuntur. Iter vero nostrorum Vienna usque Pragam habes a Rectore Ursmaro Goissonio descriptum in *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 325 et seq.: res autem a sociis Pragae hoc anno gestas, aut quae illis ibi contigerunt, narrant ***Litterae Quadrimestres***, ejusdem voluminis, pag. 329, 336, 405, 427. Hi sunt fontes praecipui ex quibus Polancus suam hausit narrationem: nobis eos indicasse sufficiat.

[2] Vide supra, t. v, pag. 247, n. 701, annot. 3.

ad Archiducem Ferdinandum, filium suum, cui promotionem Collegii Pragensis serio commendabat, Vienna Pragam profectus est, ut cum collegium eo pervenisset, omnia parata invenirent.

1520. Destinatum ergo fuit novum hoc collegium, cujus Rector erat P. Ursmarus, Viennam, ut inde Pragam progrederetur. Cum ergo, ut superius diximus [1], Lauretum et deinde Anconam venissent, 4.ª die Martii navigio inde recedentes, brevi navigatione in Dalmatiam, [ad] oppidum Tisani [2] pervenerunt, et apud S.m Danielem P. Salmeronem obvium habuerunt, et progressi versus Viennam, defessos equis sublevando, sed pedibus majorem itineris partem conficiendo, ipsa dominica *in Passione* Viennam pervenerunt.

1521. In hoc itinere, quod Quadragesimae tempore confectum est, non defuit aliqua patientiae experiendae occasio; nam praeter itineris asperitatem, eo quod palliis et vestibus talaribus uterentur, nec in pagis nec in civitatibus eos hospitio recipere volebant; alii eremitas, alii monachos, alii papistas esse dicebant.

1522. Irridebant alii, et germanice conviciabantur; et cum pisces sibi dari in cibum peterent, et ova apposita ob jejunium quadragesimale recusarent, aegre admodum ferebant; et aliqui indignabundi, ad mensam eorum accedentes, hospitem hortabantur ut carnes illis apponerent.

1523. Viliacae enim Vicecomes, Charinthiae praepositus, omnes, ad se vocari jussit, et severius eos appellabat, quod genus hominum essent inquirens; et cum per interpretem ei retulissent quod a Rege Romanorum vocati venirent, poscebat ille litteras Regis.

1524. Sed cum P. Ursmarus dixisset, transeuntibus per ipsius Regis ditionem necessarias illas non fuisse, et a Superiore suo testimonium se habere, qui erat Praepositus Societatis Jesu, coepit ille mitius et amantius cum nostris agere, et facultatem libere per totam illam provinciam transeundi dedit. Et quamvis jejuni essent, bibere omnes compulit.

1525. Inde egressi in oppidum Ispruch, P. Martinum Stevor-

---

[1] Supra, pag. 97, n. 333.

[2] Verba haec *Dalmatiam, oppidum Tisani* scripsit Polancus.

dianum ibi concionantem invenerunt, et a parocho ejus hospite humaniter excepti, dominica in Passione, Neustad, mane pervenerunt. Ubi in populi conspectu cum P. Ursmarus Missam celebrasset, omnes alii cum magna admiratione populi communicarunt; quod bis aut ter singulis hebdomadis in itinere fecerant, cum commode id fieri poterat.

1526. Eodem die in duobus curribus sub vesperam nostri Viennam pervenerunt, ubi nec irrisiones nec contumeliae gravissimae nostris defuerunt; adeo ut quidam hispani, cum intelligerent a germanis hujusmodi convicia erga nostros dici, ad ea ulciscenda se praepararent, ut nobilis quidam ex Reginae familia nostris retulit. Sed alii, meliore consilio, ut ab ulciscendis hujusmodi injuriis desisterent, persuaserunt.

1527. Cum autem ad portam quamdam civitatis accederent, admittere eos in civitatem noluerunt. Ad aliam autem portam se convertentes, ibi nostri substiterunt, donec P. Ursmarus cum milite quodam ad magistratum deductus, facultatem impetravit.

1528. A nostris ergo viennensibus hospitalitatis et charitatis officium pro more Societatis ipsis impensum est, et quandiu ibidem haeserunt, P. Ursmarus in confessionibus audiendis, alii autem in orationibus atque concionibus componendis et in refectorio pronunciandis, et aliis etiam in rebus, exercebantur.

1529. Pater autem Henricus Blysemius primum Missae sacrificium secunda die Paschae, P. Joannes Tilia in octava ejusdem Paschae, cum magna solemnitate dixerunt.

1530. Et Rege non salutato, quia et ille Pragam proficiscebatur, et 16.ª Aprilis Vienna Pragam versus profecti sunt; libris prius non paucis Viennae ad usum sui Collegii emptis, in curru Pragam cum aliis sarcinis mittendis.

1531. Superiores autem vestes, quas ibi confecerant ut coram Rege apparerent, ibidem reliquerunt.

1532. Videbatur autem P. Ursmarus Vienna libenter recedere [1], quod eo tempore quidam Joannes Sebastianus, praesente Rege Bohemiae Maximiliano et innumerabili populo, contra

---

[1] Ms. *Videbatur autem P. Ursmarus cum Vienna libenter recederet, quod eo tempore quidam*, etc.

jesuitas pro concione debacchabatur, fures, pacis perturbatores, humanorum operum praedicatores et animarum demum seductores proclamabat; et qui audiebat Princeps, et remedium adhibere debuerat, risu convicia hujusmodi transigi sinebat [1].

1533. Sed ad pragenses redeundo, curru delati, 21 die Aprilis Pragam pervenerunt; et in itinere non parum aliqui externos homines admirabantur; et irrisionibus etiam prosequebantur.

1534. Inter alia quidam interrogarunt, an essent illi jesuitae latrones, qui Pragae expectabantur, ubi ferebatur eos occidendos et exterminandos esse.

1535. Excepit eos in Collegio S.ti Clementis P. Canisius, cujus praecursoris officium valde fuit necessarium. Cum enim primis Martii diebus eo venit, multa debita conflata propter aedificium invenit; multa etiam deesse ad collegii venturi commoditatem, immo et necessitatem; et omnia in magna difficultate rei pecuniariae transigenda erant.

1536. Quamvis enim Romanorum Rex et Archidux Ferdinandus, ejus filius, nostros magna dilectione complecterentur, exequi ad id usque tempus, quae necessaria erant, pecuniae defectu non potuerant. Et ita per totum fere Majum mensem nihil praeter promissa nostri etiam ad quotidianum victum et vestitum habuerant, et minus utique ad aedificium Collegii.

1537. Mutuo itaque hinc inde pecunia a P. Canisio [sumi] debuit, donec quae de monasterio Oybiensi ad Collegii dotationem applicando [2] tractabantur, confecta essent; nam praedictum monasterium cum omnibus suis reditibus uniendum esse Rex decreverat.

1538. Quamvis autem in ejusmodi Marthae ministeriis P. Canisius occuparetur, praedicationis tamen munus minime intermittebat; cum enim Quadragesimae tempore Pragam venisset, licet concionatorem haberet Archidux Ferdinandus, ejus tamen operam statim postulavit, ut et festis et quibusdam etiam profestis diebus in hebdomada coram ipso concionaretur; et

---

[1] His quidem Canisii de Maximiliano judicium comprobari potest. Vide supra, n 1446.

[2] Ms. *applicandum*. De hoc monasterio egit supra Polancus, t. v, pag. 247, n. 701, et pag. 256, n. 719.

ita multas confessiones audire permissus non est, cum etiam latine ipso die S.ti Benedicti concionari debuerit.

1539. Dedit autem illi Dominus gratiam, ut mirum in modum et Archiduci et curiae et aliis audientibus satisfaceret.

1540. Qui autem perverso magis erant animo, dicebant quidem Doctorem Canisium veritatem cognoscere, sed eam explicare nolle; et ita de aliis nostris, quos jesuitas illa in regione vocabant, sentire soliti erant; quod scilicet, docti essent et in sacris rebus versati ac solidam doctrinam habentes; sed quod nimium addicti essent Romano Pontifici et novi ipsorum evangelii inimici.

1541. Sed quo magis husitae et alii haeretici sibi ab hoc novo Collegio timebant, eo majorem consolationem catholici omnes sentiebant [1].

1542. Cum Regis auctoritate sibi commissa, in praedictum monasterium Oybinense in eadem Quadragesima se contulisset [2], inde res multas ad usum ecclesiae et Collegii nostri detulit; quamvis major pars maximi illius et olim ditissimi monasterii expilata fuerat; et homines saeculares, immo et foeminas etiam, monasterium ipsum inhabitantes invenit.

1543. Eo autem modo constituerat Rex ut nostri fruerentur bonis ejus monasterii, ut non administratores essent, sed quamdam summam pecuniarum singulis annis, id est, mille et quadringentos et 15 daleros [3] a civitate quadam vicina Zitavia [4] reciperent, cui civitati administrationem praedictorum ad aliquot annos committi volebat, ut ipsa et exigeret debita et agros coleret ac domos reficeret, (quae munera nostri, eo praesertim in loco, obire minime poterant), et praedictam summam nostris persolverent. Quae transactio, ubi auctoritate Regis facta esset, Romam, ut confirmaretur a Summo Pontifice et monasterium Collegio uniretur, mittenda erat.

1544. Jam autem redierat Pragam, cum nostri 21 Aprilis, ut diximus [5], eo accesserunt; sed non erant omnia tam parata,

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 249, n. 704; pag. 255, n. 718, et pag. 257, n. 723.

[2] Ms. *conferens*.

[3] Non plane perspicitur quid librarius scripserit. Videtur tamen legi posse *15*, licet obscure admodum. Infra, n. 1551, ubi de eadem re est sermo, numerus rotundatur, dicturque *mille et quadringentos*.

[4] Ms. hic et in sequentibus locis, uti idem nomen redit, habet Xitavia: est vero urbs Zittavia.—Vide Braunsberger, *l. c.*, t. I, pag. 625 et seq.

[5] Nuper, n. 1533.

ut patientia ipsis exercenda multis in rebus non fuerit; nam religiosos ordinis S.ti Dominici apud S.m Clementem invenerunt, qui nondum inde recesserant, quamvis a Rege ore proprio fuissent admoniti, nec lectos omnes aut vestes statim habere potuerunt, immo donec novae conficerentur, domi se continere debuerunt.

1545. Laeto tamen animo et alacri omnes erant, et movebat divina bonitas aliquos nobiles, ut vinum, cervisiam, carnes et pisces ad eos mitterent; nec amplius rumor ille contra nostros, qui initio increbuerat propter eorum adventum, sentiebatur.

1546. Immo scholas satis florentes habituros sperabant, cum multi suos filios a nostris instituendos offerrent, etiam a remotioribus locis, cum magnam admodum expectationem de illis doctoribus ac magistris concepissent, quos regia Majestas [ex] locis tam procul a Bohemia dissitis advocasset.

1547. Quamvis autem duo doctores theologi, scilicet, PP. Henricus Blysemius ac Joannes Tylanus [1] et alii eruditi magistri et theologicas et philosophicas lectiones possent profiteri; convenire magis initio videbatur, ut ab infimis humanarum litterarum classibus studia inchoarentur, cum perpauci superiorum facultatum auditores, et sine inferiorum fundamentis, accessuri viderentur. Magna enim Bohemiae ignorantia, magna etiam librorum penuria erat; et non parum molestum fore patronis Collegii videbatur, si perpaucos auditores ad scholas nostras accedere vidissent; et tamen perpauci expectandi erant, si a superioribus facultatibus studia fuissent inchoata.

1548. Non autem existimabat Rex, qui Pragae tunc aderat, magnum favorem nostris ad scholas aperiendas dari oportere; sed potius modestissime studia esse inchoanda et humiliter, ne urbis et Universitatis Pragensis animi irritarentur; nam vix septima pars hominum catholicam religionem Pragae sequebantur.

1549. Immo licet modestissime nostri procederent, acciderat ut, Missam celebrante P. Canisio in maximo altari, saxo per fenestram immisso, salutatus fuerit; et deinde in festo Ascensio-

---

[1] Recole quae diximus supra, pag. 14, n. 31, annot. 1; ex quo loco constat hos fuisse omnium primos, qui in Collegio Romano theologiae laurea donati sunt.

nis Domini, cum P. Cornelius Brogelmans Missam celebraret, quidam bohemus post consecrationem ad eum accessit, et malis verbis eum compellare [1] coepit et tanquam idololatram reprehendere. Et cum taceret, et Missam prosequeretur praedictus Pater: Non mihi respondes? inquit ille, lingua bohemica; et manum in altum erexit, ut eum pugno percuteret; sed dedit gratiam Dominus uni ex nostris, qui Missae inserviebat, nomine Gaspari, et alii cuidam seni qui aderat, ut hominem illum ab altari deductum, licet obmurmurantem, extra ecclesiam deducerent.

1550. Ex quibus facile potest intelligi in illa confusione babilonica husitarum, pichardorum, anabaptistarum, zuinglianorum, lutheranorum ac judaeorum cum magna cautela et dexteritate procedendum esse. Fuit autem constitutum, ut circa octavam S.mae Trinitatis scholae initium sumeretur, et professores suas orationes publicas haberent.

1551. Praescripserat autem Rex P. Canisio ne Praga recederet, donec habitationes et scholae concinnatae fuissent, et aes alienum conflatum dissolutum esset. Et quamvis de perpetua fundatione curanda et ejus litteris obtinendis agere [2] [animus erat], (prout Roma suggestum fuerat), Dominus Vicecancellarius Jonas, fidelissimus amicus, suasit ut hoc negotium non urgeretur; sed quemadmodum viennenses paulatim eo pervenissent, ut litteras regias perpetuae donationis obtinerent, ita et ipsi suo loco et tempore dotationem perpetuam expectarent. Nec parum interim videbatur mille et quadringentos daleros (singuli autem octo Julios italicos vel paulo amplius valebant) obtinuisse, quamvis aliquid inde subtrahendum erat ut illi sustentarentur, qui in monasterio Oybinensi cultui divino manutenendo operam erant daturi.

1552. P. Henricus Blysemius, ipsis festis Pentecostes, concionibus germanicis in templo nostro principium daturus erat; quamvis enim bohemica lingua valde sit diversa a germanica,

---

[1] Ms. *compellere.*

[2] Ms. *Et quamvis de perpetua fundatione curanda et ejus litteris obtinendis agere (prout Roma suggestum fuerat), Dominus Vicecancellarius..*, etc. Sed in hac lectione aliquid desiderari videtur, verbum scil., quod sensum primae orationis compleat; v. g. agere *volebant,* aut aliud simile: nisi mavis pro *agere* dicere *agerent.*— Caeterum adi Braunsberger, *l. c.*, t. 1, pag. 620, ubi habes Canisii epistolam, qua ad hunc locum usus Polancus est.

multi Pragae eam intelligebant. 15.ª vero die Maji, cum recessurus esset Rex Romanorum Viennam, et hortatus esset P. Canisium ut a nimiis expensis abstineret, propter magnam rei pecuniariae difficultatem, facultatem [concessit] Ingolstadio recedendi ad res novi Collegii ibi instituendi promovendas, non prius tamen quam res Collegii Pragensis bene constitutas relinqueret.

1553. Experiebantur nostri salubrem esse aërem pragensem; cum enim P. Gaudanus tres aut quatuor hebdomadas, valetudinis recuperandae gratia, ibidem commoratus esset, cum magna sanitatis accessione Viennam cum Domino Vicecancellario Jona remissus est.

1554. Hic autem amicus, ante recessum, sua industria et studio, quemadmodum prius de Viennensi, ita tunc de Pragensi Collegio optime meritus est; et cum videret magnis difficultatibus et dilationibus res hujus Collegii involvi ab illis, quibus Rex expeditionem commiserat, eos adivit et ursit, ac potius se velle suum officium et curiam et Regem ipsum relinquere affirmavit, quam ut videret nostros sine sui Collegii expeditione, recedente Rege, relinqui; nec aequum esse ut a regia Majestate evocati desererentur [1], ut fame laborarent. Nec curabat ut haeretici et alii male ipsi cuperent, quod patrocinium ipsorum susciperet [2].

1555. Catholici tamen nobiles Bohemiae, ad Diaetam hoc tempore congregati, se valde benevolos exhibebant, et suos ad scholas missuri videbantur.

1556. Valde autem afflictus erat Rex hoc tempore, et quidem variis modis, ut prorsus ei compatiendum ab omnibus hominibus esset. Solus enim ex Principibus videbatur eo tempore suis humeris negotium [3] conservandae religionis in Germania sustinere; in Hungaria etiam turcae paucis hebdomadis aliquot millia hominum christianorum abduxerant. Haereses passim in Austria et Bavaria grassabantur, et utrobique communionem sub utraque specie efflagitabant. Nec defuturam martyrii occasionem P. Canisius sperabat: et experiebatur sterilem admodum agrum illum bohemicum ad semen verbi Dei cum fructu

---

[1] Ms. *ut a regia Majestate evocati deserendos eos esse, ut fame laborarent.*

[2] BRAUNSBERGER, *ibid*, pag. 621.

[3] Ms. post *negotium* habet *ut studium*, quod redundare videtur.

excipiendum; et tamen fere nulla de re nisi de jesuitis sermo ibi esse videbatur; nam religiosi vel sacerdotes, qui sese conatibus haereticorum opponerent, in Bohemia fere nulli erant; ideo velut spectaculum omnibus nostri facti erant.

1557. Orationes habitae in studiorum initiis, quae usque ad septimam Julii prolata sunt [1], multum nostris auctoritatis apud populum conciliarunt, quod eruditionem et pietatem in eis auditores admirarentur.

1558. Dr. Henricus Blysemius theologicam lectionem ex epistolis Pauli [2] et alteram ex hebraea lingua profitebatur, et omnibus scholis praefectus est. Idem et concionatoris germani munere in templo nostro et confessarii scholasticorum fungebatur, et scholasticos, ad Collegium admitti cupientes ut in scholis erudirentur, recipiebat. Consulentibus etiam externis de variis rebus respondebat; et omnium exercitationum scholasticorum curam gerebat.

1559. Dr. Joannes Tilanus philosophica praelegebat. Mag. Guilielmus rhetoricam; sed hi tres praeceptores paucos auditores habebant, si cum aliis inferiorum classium conferantur.

1560. Mag. Balthasar classem numerosam satis habebat; et Gaspar natione slavus [3], qui linguam bohemicam unus ex omnibus nostris tenebat, paucis diebus ad centum viginti, in anni progressu ad ducentos scholasticos habuerunt; et post rigorem hyemis multo plures expectabant.

1561. Quem autem diximus praecepta rhetoricae tradere, idem ipse et latinus concionator erat, et juventutem ad publice dicendum exercebat. Mag. Florianus, ut alios adjuvaret, adjunctus est.

1562. Et demum in quatuor classes omnes distributi fuerunt; et Mag. Petrus Silvius inter alios praeceptores postremus non erat. Curabat autem diligenter, ut sibi commissi juvenes in litteris ac moribus proficerent: et sic discipuli suis praeceptoribus erant addicti, tamque studiosi, ut ad studia intermit-

---

[1] *Quae usque ad septimam Julii prolata sunt*, adjecit ad oram manu sua Polancus. Hic tamen, qua parte consutus est liber, litterae duae occultantur; quare integrum nomen *septimam* legi non potest: cernitur nihilominus perspicue ejus pars *timam* et litterae fragmentum quod *p* videtur indicare. At *septimam* esse sine dubio patet ex n. 1591, quem vide infra, et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 408.

[2] *Ex epistolis Pauli* inseruit Polancus.

[3] Ms. *sclavus*.

tenda a suis praeceptoribus aliquando cogendi essent; et praeter publicas, privatas etiam lectiones expetebant; et alii alios ut ad scholas venirent invitabant; omnia illa, quae de nostris fama praedicabat, vera esse affirmantes; nec parum nostros delectabat haec in pueris discendi aviditas.

1563. Schismatici etiam suos filios ad scholas mittebant; sed experientia docebat quod catholicorum filii multo magis quam haereticorum proficiebant. Non omittam quod, cum Dr. Henricus orationem praeclaram in initio habuit, et graece et hebraice quaedam proferret, judaeum ipsum esse aliqui suspicabantur. Sed cum adessent viri primarii plurimi et magistratus huic studiorum initio [1], non nationi sed eruditioni hebraicam linguam acceptam ferebant. Et Archidux Ferdinandus, qui non interfuerat sed Comitem quemdam suo loco miserat [2], fama ejus orationis commotus magnopere fuit.

1564. Sed et Doctoris Tilani orationem postridie habitam [3] ob doctrinae varietatem et eloquentiam vix satis mirari poterat [4].

1565. Rhetor autem Mag. Guilielmus, non minus quam ceteri, eodem die [5] auditoribus satisfecit; quisque autem suae orationis argumentum sic orationi suae accommodaverat, ut praefatus in lectiones secuturas videretur; et etiam, qui minus aequi Collegio videbantur, diffiteri non poterant, quin haberent studiosi a quibus in humanioribus litteris, latinis, graecis et hebraicis ac simul in rhetoricis, philosophicis ac theologicis fideliter instituerentur: pueros tamen avertere variis rationibus sacerdotes schismatici nitebantur; et minabantur aliquando, si nostri non eis assentirentur, quod ad fidem attinet bohemorum, se nostros occissuros esse. Sed reipsa timebant illi, ne ad certamen disputationum provocarentur.

1566. Inter auditores theologi [6] praeceptores erant franciscani et dominicani et sacerdotes aliqui. Erant et aliqui ex his, qui sub utraque specie communicabant; sed non omnes qui veniebant perseverabant, et ita incertum erat auditorium.

---

[1] *Huic studiorum initio* addidit ad calcem paginae Polancus.

[2] Verba: *sed Comitem quemdam suo loco miserat*, orae paginae a Polanco adjecta sunt.

[3] *Postridie habitam* inseruit Polancus.

[4] Ipse, scilic., Archidux Ferdinandus.

[5] *Eodem die* Polancus apposuit.

[6] Nimirum, inter auditores P. Henrici Blysemii, qui theologiam profitebatur, ut nuper, n. 1558 dictum est. Lege numerum sequentem.

1567. Duo haereticorum concionatores, et quidem prae aliis celebres, sic lectionibus Doctoris Henrici profecerunt, ut in frequentibus picarditarum, lutheranorum et aliorum haereticorum conventibus catholica dogmata publice profiterentur, contra quam ipsimet aliquando senserant et praedicaverant; adeo ut quidam haeretici ad nostros venerint, qui de suorum concionatorum inconstantia querebantur, et de ipsis etiam fatebantur dubitare se quibus fides adhibenda esset.

1568. Philosophus, id est, Dr. Tilanus, paucos discipulos habebat, sed magnae spei. Iidem autem rhetoris erant auditores. Itaque fructus praecipuus hoc anno ex inferioribus classibus capiebatur.

1569. Sparsa est autem per Bohemiam harum scholarum fama, et magnopere diligentiam praeceptorum et curam admirandam in pueris erudiendis celebrabant.

1570. Hinc cum magistratus husitarum suis ludimagistris omnem juventutem adimendam metueret, et ex parte videret, suas scholas instaurare studuit; et publicis etiam decretis majorem diligentiam suis magistris praecepit. Frustra tamen hac ratione et calumniis quorumdam ludimagistrorum, imminuere scholas nostrorum tentabant: sed parentes husitarum, licet haeretici, paulatim magis afficiebantur scholae S.ti Clementis, et fatebantur quod uno mense in schola nostra amplius ipsorum filii profecissent, quam in aliis toto biennio profecerant; et cervis, apris, leporibus et aliis muneribus, ne ingrati viderentur, nostros invitos obruebant; et ea recipere, si non ut munera, saltem ut eleemosynas, cogebant; multi autem ex nobilibus, etiam ex eis, quos Barones vocant, suos filios non tantum in scholasticos, sed etiam in convictores offerebant; et omnino [1] existimabat P. Canisius ad bene merendum de regno Bohemiae hanc etiam provinciam Pragae suscipiendam esse; et quamvis promissum ipsis est, ut aliquos convictores hujusmodi admitterent; nostrorum paucitas (duodecim enim missi sunt, et fere totidem primis mensibus ibidem perseverabant [2]), partim quod

[1] Usus est librarius compendiaria nota, quae legi etiam potest *animo*.

[2] En eorum nomina et officia secundum Schmidl, *Hist. Soc. Jes. Provinc. Bohemiae*, part. I, lib. II, n. 27. "Sacerdotes: 1, P. Ursmarus Goissonius, leodiensis, Collegii Rector; 2, Cornelius Brogelmannus, flander, Collegii Minister et Nostris in spiritu dirigendis Praefectus; 3, Dr. Henricus Blyssemius, bonnensis, theologiam et hebraicam linguam; 4, Dr. Joannes Tilianus, gelder, philosophiam docebant..: Magistri; 5, Guiliel-

habitatio domus, Collegio conjunctae, non esset ad hujusmodi Collegium convictorum satis accommodata, paucos voti sui compotes hoc anno fecerunt.

1571. Inducebatur sacramentorum usus in scholas, et pueruli etiam ipsi libenter confitebantur, quibusdam exceptis, quibus parentes prohibebant ne diebus festis ad nostros venirent, ne salutationem angelicam discerent, aut cum aliis orarent; nam venerationem B. Virginis multi eorum non permittunt.

1572. Baro quidam impetravit ut Collegium duos ipsius filios admitteret, et alios nobiles ad nostros destinabat. Judex etiam pragensis, genere et virtutibus clarus, suum nepotem fidei nostrorum commisit.

1573. Itaque hoc anno initium aliquod Collegium convictorum ibi sumpsit. Ex pueris autem alter alterum ad nostros deferebat, si haereticum auctorem lectitantem vidisset; et ita nostri libellos husiticos comburendos curabant, alios bonos pollicentes.

1574. In arce Dr. Tilanus dominicis diebus Scripturae sacrae lectionem cum admiratione auditorum habere coepit. Doctor autem Henricus in templo nostro eisdem diebus festis concionabatur germanice; sed quia onere lectionum gravatus erat, ex labore in aegritudinem incidit. Opportune itaque a viennensibus vel P. Martinum vel P. Jonam, ut superius diximus, postulavit [1], cujus opera, ipsomet P. Canisio recedente, qui, dum Pragae fuit, concionari dominicis et festis diebus coepit, magis adhuc erat necessaria.

1575. Est in Collegio nostro sacellum quoddam in honorem B. Bartholomaei dedicatum. In festivitate ergo ipsius, 24 Augusti, cum ex Cathedrali ecclesia aliqui sacerdotes missi essent

---

mus Geldrensis, rhetoricae; 6, Petrus Sylvius, flander, poeseos, ambo clerici...; 7, Florianus italus... syntaxeos et graecae linguae...; 8, Balthasar a Pfarkirchen, bavarus, grammaticae; 9, Gasparus Konge, Carniolus Labacensis, elementorum latinitatis professor.—Denique; 10. Consalvus calaber; 11, Rogerius, flander; 12, Bartholomaeus, helvetus, rerum domesticarum administri nominantur.„ Schmidl videtur prima fronte, tredecim recensere: addit nimirum Carniolum labacensem, qui in *Istruzione particolare per le persone che vanno a Praga* inserta inter *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 462-464 omittitur. Quare existimari potuit illum non Roma sed aliunde Pragam venisse, juxta Ignatii monitum: "Se qualcheduno avesse ad occuparsi in esercizi domestici, sia Ruggiero: benchè sarebbe meglio che avessero coadiutori, menando qualcheduno da Vienna, ovvero pigliandolo in Praga.„ *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 464. Verum, ut alibi diximus, unus idemque est Gasparus Konger et Carniolus Labacensis. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 332. annot. 5, et pag. 429, annot. 2.

[1] Sunt hi PP. Martinus Stevordianus et Jonas Adlerus.

qui Missam decantarent, non solum catholici, sed husitae etiam, ad Sacrum et concionem bohemicam audiendam accesserunt. In medio autem Sacri rhetor Collegii latinam habuit concionem, cum magna audientium admiratione, qua multi etiam commoti fuerunt ut suos filios instituendos nostris offerrent.

1576. Antequam P. Canisius Praga recederet, confirmationem a Sede Apostolica applicationis, quam Rex fecerat, monasterii Oybinensis postulavit; sed bohemum etiam concionatorem magnopere opportunum esse dicebat, si quis ex illis maturuisset, qui Romae Societatem ingressi fuerant; et duos etiam aut tres ad infimas classes regendas optabat; nam pueris rudioribus bohemicae linguae usus magis erat in praeceptoribus necessarius. Id tamen tam cito fieri non potuit. Quicumque autem mitterentur, eos, spiritualibus exercitiis prius excultos, et emisso voto confirmatos, et in docendis aliis exercitatos, ac in sermone latino expeditos cupiebat. Nec sine causa; nam harum rerum defectum in quibusdam ex illis, qui missi fuerant, parum utilem Collegio experiebatur, ut inferius dicetur [1].

1577. Sub finem autem Maji resignatio monasterii S.ti Clementis solemniter Collegio nostro Pragensi facta est a Priore ordinis Praedicatorum, et octo calices ex Oybinensi [2], et alia allata fuerunt, in usum hujus [3] ecclesiae consignata.

1578. Libere nostri eo loco in posterum, ut ejus domini [4], recedentibus monachis, usi sunt. Ad hanc tamen applicationem, ac etiam Oybinensis monasterii, benedictio et confirmatio [5] Summi Pontificis expectabatur. Eodem fere tempore jubilaeum coram Rege Romanorum et Archiduce publicatum est a P. Canisio; sed pauci admodum hoc beneficio Sedis Apostolicae utebantur, et nauseabat anima eorum super cibo isto, eorum inquam, qui catholici illis in locis haberi volebant.

1579. Monasterium illud Oybinense, cujus saepius mentio facta est, ordinis Coelestinorum erat [6], et ea conditione Collegio

---

[1] Vide infra n. 1634, et seq.

[2] Ad oram paginae, manu Polanci adnotatum legitur ad vocem *calices: ex Oibinensi, allata:* quae tamen Polanci additio aptius caderet post *et alia*, quam post *octo calices*.

[3] *In usum hujus* addidit Polancus, deletis quibusdam, quae prius librarius scripserat.

[4] *Ut ejus domini* inseruit sua manu Polancus.

[5] Haec postrema verba a Polanco addita sunt.

[6] Vide hujus monasterii descriptionem apud Schmidl, *Hist. Soc. Jes. Provinc. Bohemiae*, part. I, lib. II, n. 25, et Braunsberger, *l. c.*, t. I, pag. 496, annot. 2.

nostro Pragensi a Rege fuerat applicatum, ut duo sacerdotes ibidem cum aliis quatuordecim personis, ad conservandum monasterium et quoddam castrum vicinum [1] necessariis, a nostris ibidem alerentur.

1580. Designaverat tres commissarios, viros primarios suae curiae, Rex, ut simul cum P. Canisio ad illud monasterium, itinere duorum dierum Praga distans, se conferrent; qui eo pervenientes cum instructione et auctoritate regia, gubernatorem, qui aliquandiu monasterium illud ac ejus bona suae curae demandata habuerat, superintendentia sua privarunt; et ejus loco magistratus atque senatum vicinae civitatis, quam Zitaviam vocant, subrogarunt, et administrationem bonorum monasterii temporalium in eam transtulerunt; quia ad majorem utilitatem Collegii id futurum arbitrabantur, et res monasterii in illorum manibus melius conservandas ac fidelius promovendas.

1581. Fuit ergo ad decennium cum hac civitate contractus initus, ut fruerentur bonis illius monasterii cum his conditionibus: Prima; videlicet, ut singulis annis Rectori Collegii nostri mille et quadringentos et quatuordecim daleros duabus solutionibus, a semestri in semestrem, numerarent. Secunda; ut sarta tecta tam in ecclesiae quam in monasterii aedificio conservarent. Tertia; ut bis singulis annis suis expensis aliquos ex nostris ex Collegio Pragensi ad visitandum monasterium Oybinense adducerent, et illis omnem superintendentiam ac potestatem in rebus spiritualibus relinquerent, praecipue supra ecclesiasticas personas, quae in monasterio residerent. Quarta fuit conditio, ut ad sustentationem quatuordecim vel sexdecim personarum, quae in illa familia monasterii erant necessariae ad monasterium, et in eo divinum cultum conservandum, quaedam bona et reditus ac domus vicinae monasterio reservarentur, ut quae necessaria essent ad vitam traducendam, haberent.

1582. Cum his ergo conditionibus zitavienses administrationem bonorum monasterii susceperunt; et ita Rex onere gravi Collegium nostrum sublevavit. Dominium autem et judicium supremum juxta primam fundationem Imperatoris Carolis IV, Regi Bohemiae reservatum erat [2].

---

[1] Ms. *vicinis*.

[2] Qui velit ea, quae hic a Polanco narrantur, canisianis epistolis confirmare, remque totam in suo fonte purius haurire; adeat, ut jam diximus, ad saepe laudatum BRAUNS-

1583. Hoc autem decennio periculum fieri posse Rex judicabat, quomodo res succederet. Si enim non bene se zitavienses gessissent, privari administratione poterant. Nec exiguum laborem tres illi commissarii simul cum P. Canisio susceperunt, dum omnes confines possessionum distinguendos curant, et catalogum, vel, ut vocant, inventarium de omnibus quae inveniri potuerunt, villis, piscinis, sylvis, bestiis et suppellectilibus, etc., diligenter conficiendo, qua in re dies quatuordecim expensi fuerunt, et patienter pedibus omnes illi etiam per loca aspera incedebant, donec omnia perlustrassent.

1584. Est enim monasterium illud in altissimo quodam monte situm (ideo ejus nomen est mons Paracleti), et aliis undique montibus et sylvis cinctum; et totus locus horridus et quodammodo videtur inaccessibilis, et eis, qui vitam eremiticam et asperam ducere vellent, aptissimum.

1585. Verum quidem est, quod zitavienses cum lutheranis in doctrina et sacramentis viginti fere annos communicaverant: tolerabiliores tamen hi erant aliis nobilibus, in quorum manus haec administratio ventura erat, si zitaviensibus data non esset.

1586. Onus etiam aliquod videbatur quod Rex vellet a nostris eos ecclesiasticos visitari, qui eo in monasterio versarentur; quamvis hoc in contractu scriptum non fuit. Et si non inventi essent duo vel tres catholici et honesti sacerdotes, aliquis ex nostris eo mittendus videbatur; nec videbatur occasio bene merendi de vicinis populis, in quibus multa erat messis, operarii nulli. Hoc enim experientia vidit ipse P. Canisius, multas, scilicet, esse ibidem civitates, ubi nec sacerdos, nec sacrificium ullum erat, et ubi nec catholicos nec lutheranos in ecclesia ministros invenire poterat. Ut dixi, tamen, in authenticis litteris contractus nulla hujus obligationis mentio facta est; illud tamen onus evitari non potuit, ut si quid deesset illis hominibus, quos necessarios diximus ad monasterii conservationem, praeter ea, quae ipsis assignabantur, Collegium id supplere debe-

---

BERGER, *l. c.*, t. I, v. g a pag. 611 ad 634. Equidem cum praeclarum hoc opus praesto in omnium manibus esse possit, supervacaneum videtur immorari nos in eo ad rem nostram describendo; praesertim cum materies huic sexto, et ultimo volumini, attributa, prioribus hucusque editis voluminibus major sit evasura. Quare merito in *Chronico* adnotando breviores esse cogimur.

bat, etiam circa aedificia et alia, quae accidere possent. Et videbatur Canisio expedire magis ut aliquid certi ad haec assignaretur; sed commissarii conducibilius existimabant expectare, donec ipsa experientia doceret quid facto opus esset.

1587. Nihil autem difficilius nostris videbatur quam sacerdotes invenire, qui vitam ibi agere vellent; quos autem ibi invenerunt, removere coacti sunt, quod uxores duxerant, et juxta lutheranorum ritum sacramenta ministrabant. Ipsum quidem Collegium non habebat curam animarum; sed ad illud pertinebat jurisdictionalis cura, confirmandi, videlicet, duos parochos duorum populorum monasterio subditorum; immo eosdem instituere debebat. Potius tamen nullos pastores quam haereticos habere P. Canisius judicabat.

1588. Et licet pastores catholici inventi essent, fieri non posse eidem videbatur, ut illi populi, lutheranismo assueti et a lutheranis undique cincti, et alioqui ebrietati dediti, reduci possent ad catholicam vitae rationem ducendam. In mentem venerat posse aedificium illud Oybinense ad domum probationis instituendam posse deservire, sed procul erat Praga, duorum, scilicet, dierum itinere. Ad exercitia spiritualia tradenda et contemplationi vacandum erat quidem valde opportunum; sed expertum se testatur in Praga et Bohemia perdifficile homines ad spiritualia exercitia exacte faciendà adduci posse, quod eorum ingenia parum propensa sint ad hujusmodi occupationem.

1589. Praeter Zitaviam, quae media leuca a monasterio distabat, ex alio latere civitas quaedam erat catholica, ubi semel P. Canisius frequentissimo auditorio concionatus est; nam ex vicinis pagis, in quibus nulli sunt sacerdotes, ad civitatem illam diebus festis homines confluunt; et tamen vix in praedicta civitate duo vel tres sacerdotes satis inepti inveniebantur. Et ita, si quis ex nostris, germanice sciens, in illo monasterio Oybinensi versaretur, messem habiturus erat copiosam ad verbi Dei et sacramentorum ministerium.

1590. Hi tamen, qui catholici censentur in illis locis, P. Canisio parum amplius quam nomen catholicorum habere videbantur; nam in illis videre erat summam stupiditatem, irreverentiam et negligentiam circa Dei cultum; et hoc tam in ecclesiasticis quam in saecularibus sic observabat, ut aliquando ipsi

in mentem veniret justo Dei judicio provincias illas a Deo desertas, et partim a turcis et haereticis devorandas relinqui, et in dies imminuebatur catholica religio, et husitae bohemi proficiebant in pejus et in lutheranos evadebant.

1591. Collegium Pragense in rebus temporalibus non parum sublevatum fuit; nam bonam pecuniae summam ex ea, quam Rex promiserat ad aedificium et alios Collegii usus, acceperant; multum enim, etiam post adventum nostrorum, aedificandum fuit, et ideo serius quam cogitaverant, id est, 7.ª Julii, initium studiis datum est. Impediebantur enim aedificiis et aliis debitis, quae contraxerant; sed brevi tria fere millia talerorum P. Canisius accepit, et ita Collegii commoditatibus consuli potuit, et praeter habitationes et scholas hortos etiam commodos habere potuerunt.

1592. Quamvis tamen facultatem acceperat P. Canisius, ab ipso P. Ignatio missam, ut convictores admittere posset; quia pauci erant nostri ut possent eis regendis vacare, differendam executionem Collegii convictorum censuit; quamvis pauci sub anni finem admittendi fuerint, ut satisfieret illis a quibus commendati erant. Aucto tamen operariorum numero, non solum catholicos sed etiam schismaticos pueros admittendos censebat, non solum ad scholas, sed etiam ad domesticam inter convictores cohabitationem; et ad instaurandam catholicam religionem in Bohemia principium id fore sperabat. Et aliquis externus oeconomus, ad res temporales eorum curandas, quaerendus videbatur, ut nostri tantum ea, quae spiritualia essent, curarent.

1593. Ipso festo Apostolorum Petri et Pauli in novo refectorio cibum capere coeperunt, et adfuit Dominus Henricus Scribonius, Praepositus ecclesiae pragensis, qui Episcopi locum in ea ecclesia tenebat [1]; necdum enim Archiepiscopus ullus aut Episcopus in ea ecclesia creatus fuerat, postquam ab unione catholicae Ecclesiae Bohemia recesserat.

1594. Adfuit et magnus Magister hospitalis et uterque suam operam officiose obtulit.

1595. Itaque jam superatis difficultatibus majoribus, scilicet, fabricae, rei pecuniariae, et inchoandae scholae, et Bohe-

---

[1] De hoc clarissimo viro frequens est mentio apud Braunsberger, quem vide, *l. c.*, t. I, pag. 497, annot. 1; pag. 548 et 549; praecipue vero, pag. 599, annot. 1.

miae benevolentiae ac familiaritatis reconciliandae; videbatur jam sibi P. Canisius ad Collegium Ingolstadiense paulo ante inchoatum ire posse; quamvis amici pragenses suadebant, ut, aliquandiu ibi maneret, donec radices altiores Pragense Collegium ageret; nam Bohemia plena proprio judicio erat, nec se vinci, immo ne tangi sinebat, quod attinet ad communionem calicis. Immo et Rex ipse caute et suaviter cum eis agere debebat, quod ea gens duci, non cogi se patiatur; ac bona verba efficaciora apud illos quam quaevis rationes erant.

1596. De Collegio quod Oeniponti Romanorum Rex aedificabat, consuluit P. Ignatium Provincialis Canisius, an expediret curare ut Societati daretur, et responsum accepit, hoc quidem anno mitti non posse collegium novum; sed sequenti primo vere mitti posse; et ita se curaturum scripsit; quamvis hae litterae P. Ignatium in terris agentem non invenerunt.

1597. Dubitabat an juvenes bohemi, qui sub utraque specie communicabant et ad scholas nostras veniebant, absolvi deberent; et decrevit ne ad confessionem quidem eos admittere: neque enim mutationem illam religionis sine parentum consensu facturi videbantur, qui tamen mordicus suos errores tenebant; et ita aliqui suos filios ad scholas nostras non mittebant, quod timerent, ne a nostris seducti, ad fidem Romanae Ecclesiae converterentur. Aliqui vero quod de institutione nostrorum et doctrina magnam expectationem haberent, mittebant quidem filios ad scholas, sed adjurabant ne mutationem religionis facerent. Ipsi enim ecclesias a catholicis separatas et caeremonias, conciones, sacerdotes, praelatos et judices seorsum habebant; et ita cum hujusmodi scholasticis regulam illam de confessione singulis mensibus facienda, non servandam esse P. Canisius censebat, quamvis promiscue catholici et schismatici aut haeretici juvenes admitterentur.

1598. Ex alio genere haereticorum, quos pichardos vocant, majorem contradictionem nostris imminere timebatur, et quia tandem virus, quod in eorum synagogis eatenus continebatur, in apertam persecutionem erupturum esse [credebatur, ideo ipse Canisius] timebat, vel potius sperabat, stolas nostrorum sanguine lavandas esse.

1599. Multi autem ex husitis ex familiaritate cum lutheranis pejores in dies evadebant, et paulatim expilare templa et

monasteria, illorum more, in Bohemia discebant. Homines autem illi, a catholica religione alieni, sine ulla prorsus voluntate veritatis cognoscendae aut inclinatione ad opera charitatis cernebantur. Et in his, quae ad conscientiam propriam spectant, sic insensibiles effecti erant, ut sine ulla confessione peccatorum praecedente, (quam etiam deridebant), ad sacram communionem sub utraque specie crebro accederent.

1600. Et nostros quidam eorum infensius oderant, quod eos conductos fuisse ad disputandum contra ipsorum fidem existimarent, et tamen comburi potius cum suo magistro Joanne Hus, quam religionem aut consuetudinem mutare, parati erant.

1601. In octava autem Apostolorum Petri et Pauli, festum ejus [1], accensis candelis supra suggestum, in quo ille concionatus erat, tam solemniter celebrarunt (et quidem plus solito), ut vix Christi Apostolo, immo ipsi diei Paschae, vix majorem honorem possent exhibere; ne panis quidem eo die vendebatur, et vita ejus publice per tres et quatuor horas in ecclesia legebatur. Foeminae autem sui martyris Joannis Hus passionem deflebant et pectus tundebant, dum ejus, quod vocabant martyrium, legeretur [2].

1602. Orabant deinde Deum ut similem ipsis constantiam donaret ad fidem confitendam. Et contra Summum Pontificem et concilium Constantiense invehebantur, quod mortis Joannis Hus auctores fuerint; et quod nostri viderentur ipsis nimium addicti Pontifici Romano et Sedi Apostolicae, irascebantur. Et aliqui etiam seductores et idololatras vocabant; interdum etiam et lapides per tecta nostra volabant, et picturae quaedam infames et dicteria quaedam falsa; quae tamen omnia sese postea remiserunt.

1603. Cum enim qui eorum synagogis praeerant, edictum promulgassent, ut nullus ad scholas nostras accederet; alio edicto, a Ferdinando Archiduce impetrato a nostris, conquieverunt. Aliqui enim ex nobilibus husitis commissarii electi sunt a Ferdinando Archiduce, ut contra illud decretum, ab ipsorum praelatis facto, suos liberos ad nostras scholas, qui vellent, mit-

---

[1] Festum, scilicet, Joannis Hus. De hoc festo agit Braunsberger, *l. c.*, t. 1, pag. 546, annot. 4.

[2] Combustus enim a magistratu civili est, 6 Julii 1415, Constantiae.

tere possent; et ita multi suos liberos mittebant. Qui enim edictum promulgaverant Universitatis Pragensis magistri erant, quae jam sua privilegia propter schisma amiserat. Et etiam apud ipsos husitas parum auctoritatis habebant.

1604. Lutherani majori adhuc odio nostros prosequebantur, et sibi tanquam hostes juratos suae sectae existimabant. Non parum exercebat patientiam P. Canisius cum his hominum generibus, quos in reprobum sensum datos existimabat.

1605. Dolebat ille tamen quod in Bavaria etiam communio sub utraque specie, quemadmodum et in Austria hoc ipso anno, promissa a Principibus esset; et quia turca Hungariam bello premebat, et Archidux Ferdinandus, dux supremus exercitus, contra illum institutus erat, et in Hungariam cum multis hominum millibus proficiscebatur; P. Canisius, qui usque ad finem Julii in Cathedrali ecclesia coram ipso concionatus fuerat, facultatem ab eo obtinere potuit, ut in Bavariam pergeret, et litteras etiam officiosas valde ad ipsum Bavariae Ducem dedit.

1606. Postulavit autem ante recessum a P. Ignatio communicationem bonorum Societatis nostrae pro Domino Henrico Scribonio, Praeposito pragensi, cui ab initio Collegium nostrum plurimum debere coepit: sed cum excessisset jam P. Ignatius a rebus humanis, P. Jacobus Laynez quod petebatur concessit.

1607. Non solum autem ille de Societate, sed de tota religione catholica benemeritus admodum erat.

1608. Magnus erat inter fideles catholicos erga Societatem nostram favor et aedificatio, excitata et aucta mirum in modum concionibus P. Canisii, cujus doctrina, tam Archiduci et aliis primariis viris, quam apud populum catholicum magnam admodum auctoritatem habebat. Ejus deinde in conversatione prudentia, qua omnibus se accommodabat, et in primis vitae exemplum homines ipsi magnopere conciliabant.

1609. Plebs minutior, non solum catholicorum sed etiam husitarum, cum aliqui ex nostris in publicum prodirent, cum admiratione eos videbant, et [res] gerebant in publicis viis ut eos diutius contemplarentur. Et quamvis husitae non ingredi templum nostrum proponerent, nihilominus frequentes ad Sacra accedebant, et praecipue eo tempore, quo nostri fratres communicabant; et aliqui ex italis operariis, qui in aedificio nostri Collegii (nam Bohemia fabris murariis italicis abundat),

suam operam navabant. Aedificationis etiam causa erat quod nostri dominicis ac festis diebus hospitale pauperum aegrotantium invisere, et in eo decumbentes consolari, et alia opera charitatis exercere cernebantur.

1610. Germani non pauci Pragae versantur: et ex illis etiam aliqui ad scholas nostras accedebant; et quidem lutherani complures ad videndas res nostras et ad colloquendum accedebant. Inter quos nobilis quidam fuit non infimae notae; et cum de omnibus ritibus Ecclesiae catholicae quaestiones moveret, et ei breviter satisfieret, obstupebat, nec jam amplius quid opponeret habebat; et optare se significabat ut aliquis tandem finis dubiis circa fidem imponeretur.

1611. Demum catechismum P. Canisii se lecturum promisit, et unus hujusmodi liber ei datus est; eum se diligenter lecturum promittens, et Rectori magna signa benevolentiae exhibens. Ferebatur quod Philippus Melancthon in illa loca, magno studio adhibito, venire curaverat; sed jesuitae eum praevenerant. Ut autem insolentia eorum, qui aliquot saxa in scholas contorserant, reprimeretur, Archidux Ferdinandus, antequam Praga recederet, diligenter providerat; nam vocatis generalibus administratoribus husitarum et aliis nobilibus bohemis ejusdem sectae, eis injunxit ut temeritatem hujusmodi hominum compescerent; et ita illi ad Collegium unum ex suo numero miserunt, qui praeterita excusaret et promitteret aliquem ex nobilibus husitis in singulis classibus adfuturum, ut insultus hujusmodi locum amplius non haberent, et pacifice nostri officio suo fungerentur; et ita scholae crescebant, quamvis non omnes auditores firmi erant, praesertim in classibus inferioribus.

1612. Renunciaverat Dominus Praepositus pragensis nostris in initio quosdam lutheranos insidias nostrorum vitae moliri, et si accideret ut pontem trajicerent, (praeterfluit enim mediam urbem fluvius [1], ut Romam Tyberis), in fluvium se velle jesuitas praecipitari, et deinde fugere fatebantur; sed nostri foris noctu non versabantur, interdiu vero obedientiae negotia obibant.

1613. P. Henrico Blysemio singillatim paratae fuerant insidiae; sed a quodam ex fratribus nostris insidiator visus et re-

[1] Moldava.

pulsus fuit; et tam impudentes erant nonnulli, ut ipsa cubicula, culinam et alia Collegii loca, non vocati, ingrederentur. Sed haec et hujusmodi paulo post cessarunt, partim auctoritate Principis, partim propensiori redito, etiam husitarum, affectu erga nostros.

1614. Ferebatur autem e Germania advocari viros quosdam doctos, ut studia pragensia instaurarent, quae magnopere id temporis jacebant, sed hujus conatus successus nullus visus est. Erant et qui nostros alia ratione oppugnarent; et [suadebant] ut parcerent tam multis laboribus, et tam frugaliter non viverent, et amplos reditus a Rege obtinere curarent, cum alii religiosi totos dies sine cujusquam utilitate desiderent; et ad alia hujusmodi hortabantur; quia tales fortassis videre nostros maluissent, ne ipsorum vitae exemplum eorum vel crapulam vel alia pejora vitia, nostris tacentibus, reprehenderet.

1615. Aliter concionator quidam catholicus, Doctor Sigismundus, et melius agebat; qui inter ecclesiasticos catholicos tunc primas tenebat; hic enim publice et privatim, quasi a Domino id ipsi injunctum esset, causam Societatis nostrae agebat; ac populum monebat ne viderentur hanc gratiam, ad eos missae Societatis nostrae, frustra accepisse. Muneribus etiam missis, suam erga nos benevolentiam declarabat.

1616. Praefectus etiam hospitalis vicini (a quo nostri fructum spiritualem aliquem retulerunt), valde nostris affectus erat; et ita alii primarii viri Bohemiae, Archiducis Bohemiae exemplum sequentes.

1617. Non omittam quod curatum fuit ante recessum ejusdem Ferdinandi, ut per totam Bohemiam innovaretur mos meridie contra Christi hostes ad orationem pulsandi et pro christianae religionis prospero successu; et quidem cum magna reverentia Archidux gratias P. Canisio egit, quod tam honesta rogando, Principem catholicum sui officii admonuisset.

1618. Ab eodem etiam impetratum est inter alia, ut ipse in militia probatae fidei virum concionatorem haberet, et diebus veneris in tota Bohemia Missam de S.ta cruce decantari, processionem fieri, et populum de poenitentia et pietate admoneri curaret.

1619. Fama hujus Collegii ad Marchionem Brandurbergensem *(sic)* et Ducem Saxoniae, et multo magis per totum re-

gnum Bohemiae sparsa fuerat: et vocabantur interdum nostri ad magnates ad varias eorum difficultates responsuri, quibus non doctores tantum, sed et alii facile satisfaciebant; sed Provincialis Canisii nomen tam erat clarum in septentrionalibus illis locis, nec solum eum venerabantur, sed aliqui gaudebant se talis viri tempore vixisse.

1620. Judaei etiam et husitae eum amabant, quamquam malorum artifices tam multa ipsius consilio in illis provinciis fieri [1] dolebant, et in itinere obsequia eidem et humanitatem exhibebant.

1621. Reliquos etiam ex nostris husitae interdum deplorabant, quod septem deos (ut aiunt) haberent, dum septem sacramenta amplectuntur; se enim puro Christi evangelio adhaerere jactant.

1622. Contra catholici non despectam esse a Domino Bohemiam, ad quam Societatem nostram destinassent, affirmabant. Nonnulli etiam husitae paulatim id ipsum sentire videbantur.

1623. Cum autem forte quidam nobiles Collegium ingressi et cubicula lustrantes, lectulos vidissent sine plumis, quibus ipsi utuntur (sine plumis culcitreis), uno stragulo, more Societatis italicae, contectos; ipsos vero fratres custodiae sensuum et decori in rebus omnibus rationem habere; et in tradendis disciplinis tanta industria uti; mirum in modum aedificati recesserunt; et cum Rectore familiariter agere incipientes, unus ex eis, egregius Baro, eidem se peccata confessurum promisit.

1624. Alius autem pernobilis, sed lutheranus, delectatus vocationis nostrae instituto, templum visitare, conciones audire et familiariter cum nostris agere, paupertatem, castitatem, et obedientiam nostrorum et omnia denique nostra probare, (quae in Bohemia, etiam ut notissima praedicabantur), pergebat. Sed illud hominem male habebat, quod Luthero, cui ipse adhaerebat, nostri addicti non essent.

1625. Quaedam Comes, quae saepe templum nostrum frequentabat, vestes sacerdotales, cortinas et alia id generis, divino cultui opportuna, donavit, et suo exemplo alios, ut ad templum S.ti Clementis accederent, invitabat [2].

1626. Alia etiam erat vidua matrona ac primaria, quae in

[1] Ms repetit hic *ipsius consilio*.
[2] Ms. *invitabant*.

asperrima hyeme a summo mane usque ad meridiem, orationibus et pietati dedita, a templo non discedebat, quam alii etiam catholici homines imitabantur.

1627. Cum autem Rector, P. Ursmarus, a P. Canisio in Germaniam vocatus esset, ut de mittendis ad Congregationem generalem ageretur; hospites bohemi, quos ipse non noverat, in suas aedes benigne et honorifice [eum] excipiebant; nec solum id gratis praestabant, sed et gaudebant plurimum quod hujusmodi hospitem illis Deus dedisset, in cujus vultu pietatem relucere affirmabant.

1628. Inter alios quidam husita veteranus adeo ejus colloquio commotus est, ut mores suae sectae, ac vitae peccata agnosceret, et in utroque emendationem polliceretur; et postridie currus et equos et alia itineris praesidia offerebant, et suos in scholam nostram filios mittendos commendabant *(sic)*.

1629. Redeuntem etiam expectabant, et eadem liberalitate exceptum Pragam dimiserunt.

1630. Cum nobilibus Baronibus regni cum fructu idem versabatur; illi autem et se, et sua omnia nostris offerebant, et an aliquid ad sustentationem Collegii deesset, sedulo inquirebant.

1631. Scholas nostras recens extructas suis fenestris vitreis et insigniis certatim ornare studebant; et tam ecclesiasticus quam saecularis senatus, nostros magno amore prosequens, quae Collegii erant, sibi communia ducebant.

1632. Quidam sacerdos husita, nomine Gallus, a P. Henrico Blysemio, cujus erat auditor, verbis veritatis instructus, jam in templis husitarum suos ad confessionem hortabatur, contra lutheranos scribebat, quae a catholicis doctoribus didicerat; sed filium se compactatorum (sic vocant eos qui se obtrinxerunt pacto sub utraque specie communicandi) dicebat, nec hunc usum communicandi posse relinquere, nisi quod bohemis indultum semel est a Romano Pontifice, videret authentice revocatum [1].

1633. In reliquis catholicis *(sic)* et theologiae sacrae apud nostros auditor, et veritatis in reliquis omnibus amator et praeco publicus effectus est.

---

[1] Ms. *revocato*.

1634. Sed, ut de familia nostrorum aliquid dicatur, facile Dei providentia in Collegii hujus initiis cerni potuit; nam inter duodecim Pragam missos, Rogerius quidam sic se gessit, ut statim negotium Superioribus facessere inciperet, et cum instabilis esset in vocatione [et] importunus, dimittendus fuit.

1635. Secundus Gonzalvus Lapronia, qui etiam ad officium ministri idoneus videbatur, sic etiam se gessit, ut dimitti versus Viennam oportuerit hac ipsa aestate. A viennensibus tamen exceptus, poenitentiae locum eo tempore invenit, quamvis postea in Italiam vocatus.

1636. Doctor etiam Tylanus permolestus Superioribus erat; et duo alii. Doctor Henricus in morbum incidit, et gravi capitis dolore a studiis impediebatur. Itaque et extra domum et intra illam exercendae [patientiae] occasio non deerat; et satis ob servatum est, ad nova Collegia hujusmodi, fortiores in spiritu et stabiliores esse mittendos, quoad ejus fieri posset.

1637. Divina tamen bonitas supplebat, quod in illis principiis praestari a Societate non poterat: ipse etiam Rector [male?] habebatur [1]. Sed P. Canisii auxilium multa supplebat, qui necessarium existimabat permutare ab uno in aliud Collegium illius Provinciae.

1638. Cum autem significatum est eidem ut Provincialis curam susciperet, acerbius id tulit; et humiliter P. Ignatium précatus est ut hoc ipsi munus non imponeret, quamvis omnibus Provinciae fratribus ex animo vellet servire sine hujusmodi officio; et ut id obtineret, curavit ut omnes nostri pragenses, quid de ipso sentirent, P. Ignatio scriberent.

1639. Sed illi [2] parum promoverunt ejus desiderium, cum de prudentia, dexteritate et aliis praeclaris Dei donis testimonium ferunt egregium; et ita sententiam P. Ignatius non mutavit.

1640. Duorum, qui dimissi fuerunt, loco, alii admissi sunt: duo, scilicet, itali, fabri caementarii, qui utilem operam Collegio praestiterunt, cui adhuc janitor, emptor et coquus ad dome-

---

[1] Hic aliquid desiderari perspicuum est: ideo locutionem utcumque complevimus. De his videantur Braunsberger, *Bti. Canisii epistulae et acta*, t. II, pag. 27 et 28; et Schmidl, *l. c.*, lib. II, n. 45, secundum quem Rector Ursmarus "cum miti ingenio ac simplici esset, religiosaque modestia verborum injurias dissimularet, hominis [Tiliani] importunitatem magis alebat, et deridiculo habebatur.„

[2] Ms. *illud*.—De hac re vide Braunsberger, *l. c.*, t. I, pag. 645.

stica officia deerant. Illi tamen pauci, et tam multis in rebus externis occupati, ut poterant, domestica haec munia obibant.

1641. Hoc ipso anno adjunxit se nostris egregius et spectatae indolis Adalbertus [1], vigesimo aetatis anno, qui in liberalibus artibus bacchalaurei gradum acceperat, quem cum secure retinere Pragae non posse viderentur, quod pater ipsius Pragam ex patria venturus, molestus filio fore videbatur, Ingolstadium ablegatus est. Nihil tamen incommodi ob ejus discessum secutum est.

1642. Vocatio hujus juvenis non sine miraculo fuit. Cum enim [in] Missae sacrificio, sub venerabili sacramento Deum adoraret, apparuit ei in ipsa Eucharistia, eleganti forma puerulus, ex cujus ore nihil tunc audivit; sed cum obstupefactus rogaret Dominum, quid ille sibi visus puer vellet, haec verba, roganti, iterum apparens puer, respondit latinis verbis: "Petiisti ut tibi dicerem quid volo; volo te hic esse, ubi es.„ Haec Dei verba nulli tunc ipse dixit; sed cum Ingolstadio scriberet suis, bohemice ad ipsorum consolationem et aedificationem id scripsit.

1643. Romae etiam, interrogatus ea de re post aliquod tempus, idem ipse sibi accidisse testatus est.

1644. Postridie quam Adalbertus Societati se dederat, alter juvenis, expertissimus chirurgus, et propter ejus artis peritiam [in honore habitus?], Societati se adjunxit. Alii etiam duo insignes adolescentes germani, et pro ratione aetatis eruditi, in Societatem sunt admissi. Alter autem eorum, qui doctior erat, egregia oratione Rectorem aggressus, sic suam et socii causam egit, ut quod postulabat utrique obtineret.

Et haec de Collegio Pragensi dicta sint.

DE COLLEGIO INGOLSTADIENSI

1645. Mense Martio Secretarius Ducis Bavariae, Henricus [2], P. Ignatio scripsit quod abessent aliqui consiliarii Ducis, quo-

[1] Adalbertus Baussek, Pragae natus, primus quem intra Bohemiam in numerum suorum recepit Societas. SCHMIDL, *l. c.*, lib. II, n. 35.

[2] Henricus Schweikart. Vide Sti. Ignatii ad ipsum de his rebus epistolam: *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 287; et supra, t. IV, pag. 244, n. 235, 236, ac t. V, pag. 260, n. 728, annot. 3.

rum opera et consilio in causis religionis et academiae Dux utebatur; et quod eo tempore idem in cogendo conventu ordinis sui status occupatus erat, differri posse aliquantulum collegii missionem significabat.

1646. Sed cum Dominus Dr. Hundius [1], qui Universitatis Pragensis patronus erat, hoc negotium apud Ducem urgeret, omnia impedimenta sublata fuerunt; et statim misit Romam Dux Albertus trecentos aureos in viaticum, ut ad Septembrem proximum, vel citius, pro ipsorum commoditate collegium Ingolstadium invenire posset.

1647. Jussit interim habitationem in Collegio, quod Vetus vocabant, concinnari et supellectilia etiam parari. Octodecim vel viginti personae petebantur, quia totidem in quovis Collegio esse debere significatum fuerat.

1648. Octava ergo die Junii mensis, nostri ingolstadienses, Rectore P. Thoma Lentulo, noviomagensi, missi sunt; et duo doctores theologi, scilicet, P. Joannes Coviglion ac P. Hermannus Tyreus, ac duo alii sacerdotes, scilicet, P. Hurtadus Perez et P. Theodorus Peltanus, et alii etiam, qui litteras humaniores docere possent, missi sunt. Quamvis id temporis duo tantum lectores theologi a Duce Bavariae petebantur; sed ad alias lectiones ultro offerendas P. Ignatius propensus erat [2].

1649. Lauretum majori ex parte pedites, quibusdam tamen equis adhibitis ad sarcinas deferendas, pervenerunt. Docuit tamen experientia tantam multitudinem simul mitti non expe-

---

[1] Wiguleus Hundt. Vide supra, t. IV, pag. 244, n. 536, annot. 5, et t. V, pag. 255, n. 716, annot. 1.

[2] Vide *Catalogus eorum, quos Ingolstadium mittendos decernebat R. P. Ignatius*, necnon *Instruzione pel Collegio che si manda ad Ingolstadio. Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 497-512 et 293-318; AGRICOLA, *Hist. Soc. Jes. Prov. Germ. Sup.*, Dec. 2, n. 26 Nos, quoniam noscere sociorum nomina ad reliquam hujus Collegii narrationem usui lectoribus futurum est, ea subjicimus, omissis quae ad sociorum commendationem addebat Ignatius. Sunt autem: 1, Mag. Thomas Lentulus, noviomagensis, Rector. 2, Dr. Joannes Cuvillon (Couvillon), flander. 3, Dr. Hermannus (a Polanci librario passim scribitur Hermanus) Thyraeus, novesiensis. 4, Hurtadus Perez, hispanus. 5, Mag. Gerardus Werdenus (a Pachtler dicitur Wertenus), ex inferiori Germania. 6, Mag. Theodorus Peltanus, leodiensis. 7, Georgius Germanus meissingensis. 8, Jodocus Carcereus (a Pachtler scribitur Carcineus), spirensis. 9, Dionysius Feyrabend, austriacus-germanus. 10, Joannes Zimer, spirensis. 11, Stephanus Liberius (Liber), germanus ex Styria. 12, Paulus, landshutanus. 13, Petrus Knotten, clivensis. 14, Joannes Rosanus, gallus. 15, Blasius de Eugubio, italus. 16, Franciscus de Salamata (Salmoneta), italus. 17, Marsilius de Ulloa, Romae natus, patre hispano. 18, Jacobus de Tilia (a Polanco dictus saepe Tiglia, Tyllanus), geldrensis.

dire, nisi alii alios praecedant. Nec enim tam multis necessaria [inveniri] in hospitiis poterant.

1650. Anconam deinde venientes, et navim post duos dies conscendentes, Mergaram, [1] Venetias deducendi erant; et prospera navigatione primo Pisaurum, deinde Ariminum, ac demum Giozam pervenerunt; ubi cum intellexissent pestem Venetiis grassari, et multa ab ipsis esse petenda ratione sanitatis, si per mediam eam urbem transissent; citra Venetias, in continenti, navim conscenderunt; et terrestri itinere Patavium se contulerunt [2].

1651. In variis locis hujus itineris, ubi se occasio offerebat et hominum multitudo invitabat, vel in publicis viis vel in aliqua ecclesia concionabantur. Erat autem unus ex hujusmodi concionatoribus Dr. Coviglion et alter Mag. Gerardus Viltenus.

1652. Cum autem duos misissent Patavium, vergente sole ad occasum, rogabant illi custodes ut multitudinem sequentem expectarent; sed post occasum solis, cum portas claudere custodes vellent, vir quidam nobilis, qui tunc aderat et rem intellexerat, peccatum fore dixit, si nostros exclusos extra urbem relinquerent; et ita expectarunt nostros (praeter morem), qui, viginti septem milliaribus confectis, quiete indigebant.

1653. Ad Collegium ergo nostrum perducti et inde ad commodum et vicinum diversorium, (nec enim tanta multitudo excipi hospitio in Collegio poterat), biduo ibi conquieverunt; et loca quaedam sancta invisentes, et duobus equis emptis [praeter alium (?)] quem proprium secum duxerant, versus Germaniam discesserunt; et Cardinalem Theatinum vulgus advenisse dicebat, tanta multitudine visa.

1654. Bassanum ergo et inde Tridentum pervenerunt 28.ª Junii [3]; et invenerunt in via aliquem, a quo gratis accepti sunt,

---

[1] Ms. *Mergaram usque quinque millia passuum usque Venetias...*

[2] Nimirum, ne Venetias attingerent aut pertransirent, relicta, qua vehebantur navi, huc veniente, aliam conscenderunt, quae in continentem terram eos transmisit; unde terrestri itinere Patavium se contulerunt. In *Instructione* ab Ignatio Roma profecturis Ingolstadium data haec leguntur: "In Loreto... pigliaranno la via per acqua o per terra...: et andando per acqua, arriveranno a Chiozza, a vista di Venezia, et si non vogliono intrare in quella, possono per il fiume andar la volta di Padova...„ *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 500, et 297.—Vide BRAUNSBERGER, *l. c.*, t. I, pag. 722: *Relatio de primorum collegii ingolstadiensis Sociorum itinere et adventu, ab aliquo ipsorum conscripta...*

[3] In ms. legitur perspicue *28.ª Julii;* at sine dubio legendum est non *Julii* sed *Junii*, ut statim apparebit ex n. 1655 et 1661.

nec expensarum solutionem admittere voluit, et propter multitudinem admirationi erant hominibus, qui ad eos expectandos ad vicos accurrebant.

1655. Oenipontem autem cum venissent, paulo ulterius progressi, [alii] ratem [1] [conscenderunt], pro more navigandi in illis fluminibus, super Isarum fluvium; paucis aliis equos terra deducentibus, et ita Monachium pervenerunt 5.ª Julii [2].

1656. Sed Bavariae Dux ibi tunc non erat, nam, venationis gratia, ad vicinum oppidum diverterat, quatuor germanicis milliaribus Monachio distans. Et cum post populi prandium urbem ingressi essent, tanta virorum ac mulierum et puerorum multitudo ad eos expectandos confluebat, ut ipsi, alioqui impransi, a nullo hospite exciperentur: forte populi frequentia et [3] confusio eos terrebat. Sed civium quorumdam opera tandem nostri, ad quod prius repulsi erant, accersiti sunt.

1657. Non aderat Henricus, Secretarius, sed aderat Dr. Hundius, Universitatis Ingolstadiensis patronus, a quo cum magna laetitia nostri excepti fuerunt; et quamvis ante Septembrem nostri non expectarentur, gratissimum fore Duci nostrorum adventum dixit.

1658. Adierunt et praefectum urbis, qui singulari benevolentia erga Societatem affectus erat: Marschalchum vocabant. Utrique autem ex praedictis amicis visum est expedire, ut recta Ingolstadium [tenderent], et non ad Ducem, ad quem litteras, a P. Ignatio scriptas, perferendas Dr. Hundius suscepit.

1659. Jam ante tres hebdomadas nostros esse in itinere Dux resciverat, et Domino Henrico, Secretario, commiserat, ut, Ingolstadium profectus, res necessarias Collegio praepararet. Dedit autem Dr. Hundius litteras ad Universitatis Ingolstadiensis Camerarium, cui nostrorum curam commisit, et designavit hospitium in quo nostri erant excipiendi, donec Collegii habitatio nostrorum usibus esset accommodatior.

1660. Antequam Monachio nostri egrederentur, invisentes monasterium S.ti Francisci, aliqui ex eis a Superiore monachorum horrenda valde audierunt de Provinciae Bavaricae corru-

[1] Ms. *ratam*.

[2] Numerus quo dies designatur obscure in ms. legitur. Prius videtur fuisse scriptum 4, deinde vero 5. At ex Orlandini verbis tollitur omne dubium: "Tertio Nonas Julii Monachium pervenere „ *Hist. Soc. Jes.*, lib. XVI, n. 23.

[3] In ms. repetitur hic *populi*.

ptione circa religionem, et nostros hortabatur, ut se ad martyrium praepararent. Ac monachos quotidie fugam expectare dixit; sed verisimile nostris non videbatur tantum periculi imminere.

1661. Septima demum Julii Ingolstadium pervenerunt, ubi minori cum rumore quam Monachii excepti fuerunt; et ad hospitium, a Bundio [1] designatum, deducti.

1662. Erat extra Ingolstadium Secretarius Henricus, qui ad vicinum quoddam monasterium, a monachis desertum, se contulerat, ut inde lectos et reliqua supellectilia ad usum Collegii nostri adferenda curaret.

1663. Dum in hospitio manerent, non solum a Camerario praedicto, qui Joannes Agricola, medicinae professor, erat, [conventi sunt], sed Rector etiam Universitatis cum duobus primoribus Universitatis utriusque juris ad nostros officiose salutandos accessit. Sed quia diutius manere in hospitio non expedire nostris videbatur, 10.ª die Julii ad Collegium migrarunt, ubi illo triduo, quo in hospitio fuerunt, scala quaedam et porta in Collegio ad nostrorum usum effecta est, ut ab habitationibus, quae Universitati deserviebant, secernerentur.

1664. Octo bona cubicula invenerunt parata, inter quae sex erant hypocausta, praeter quoddam aliud cubiculum ad janitoris usum: et plura cubicula in dies erant conficienda, quia non solum situs erat, sed propemodum confecta ipsa cubicula. Et quia ex lignis, more ejus gentis, conficiebantur, statim ut confecta erant, habitari poterant. Cochinam [2] etiam et puteum ad usum nostrorum concinnabant.

1665. Jam autem ex monasterio praedicto, quod erat ordinis S.ti Benedicti, quatuor leucis Ingolstadio distans, et lecti et stannea [3] suppellex allata fuerat: quae autem ad victum pertinebant, ex Collegio, quod Novum vocabant, et nostro vicinum erat, via tantum intermedia, adferebantur. Sacellum autem exi-

---

[1] Sic; lege *ab Hundio*.—De adventu NN. Ingolstadium vide AGRICOLA, *Hist. Prov. Germ. Sup. S. J.*, Dec. 2, n. 28: "Auspicatissima dies fuit, qua post mensem itineris non integrum, Anglipolim tenuerunt, 7.ª nimirum Julii, primo Sanctoque Eystadianae dioecesis, in qua situm est Ingolstadium, Episcopo Wilibaldo sacra, quam lucem, velut natalem recolit Collegium.„ Et ORLANDINI, *l. c.*: "Tertio Nonas Julii Monachium pervenere: inde biduo Ingolstadium profecti, tertio quam venerant die in Collegium, quod Vetus appellabant, inducti sunt.„

[2] Rectius *culinam*.

[3] Ms. *stanea*.

guum, ubi duo altaria erant, calices et vestes sacerdotales, et libri missales, juxta ejus episcopatus morem, nostris assignatum fuit.

1666. Graecorum librorum et hebraeorum, immo et latinorum, ad humaniores litteras pertinentium, penuria initio laborabant, sed theologicis abundabant; nam ex bibliothecis Novi et Veteris Collegii facile eorum supellex copiosa subministrata est. Sed et reliquorum, qui deerant, defectum non diu senserunt, nam in nundinis, eodem mense inchoatis, Monachii empti fuerunt, cum catalogum ad Doctorem Hundium et Secretarium misissent.

1667. Cum etiam quidam clarus concionator catholicus vita functus esset, qui instructissimam habebat bibliothecam, et eam Duci Bavariae legasset, Princeps nostris eam dono dedit.

1668. Quae ad vestes etiam et alia necessaria pertinebant, paulo post prospecta fuerunt.

1669. Aliquando in sacello proprio aliqui ex nostris non celebrabant, sed in vicina quadam ecclesia; sed in sacello nostri fratres communicabant, quod cum ibi et in itinere et aliis in locis faciebant, [multum] et admirationis et aedificationis spectantibus praebebant.

1670. Quae ad studia pertinebant, differenda scripserat P. Canisius, cum esset Pragae, usque ad suum adventum [1], quamvis domi in concionibus ac lectionibus se nostri exercebant.

1671. Interim 15.ª Julii, dum Universitas octo in philosophia ad magisterium artium promoveret, ac nostros ad celebrem illum actum invitasset; misit Rector cum Dre. Coviglonio Doctorem Hermannum, ut amicitiam cum doctis viris contraherent; qui tamen convivio, licet multum rogarentur a Rectore Universitatis, non interfuerunt.

1672. Honoravit tamen Universitas Collegium, more germanico, variis vini doliis [2], quae oratio elegans et docta comita-

---

[1] Audiatur Braunsberger, *l. c.*, t. I, pag. 646: Aliquis ex 18 illis Societatis hominibus, qui 7 Julii 1556 Ingolstadium advenerunt, haec refert: Invenimus Ingolstadii "quorundam professorum animos erga Societatem parum synceros, vt etiam Reuerendus Pater Canisius ex Praga per litteras hortaretur abstinendum esse ab illorum consortio, donec ipse aduentu suo, de his omnibus certiores faceret... Tandem diu exspectatus adest R. P. Canisius 4.° Augusti ex Praga.„—Vide infra, n. 1683.

[2] Ms. *donis*. "Vini simul honorarii lagenas aliquot ex more patrio attulerunt, ad-

batur; et gratiae eisdem a nostris habitae fuerunt; et cum omnibus fere doctoribus familiaritatem contraxerunt; nec illi quidquam adversi moliri, sed potius favere nostris videbantur.

1673. Populus ingolstadiensis moderatior et humanior, quam in aliis Germaniae locis videbatur. Studiosorum etiam numerus ad septingentos, ut fama erat, ascendebat: professores satis doctos in quavis facultate habere dicebatur; duos vel tres professores theologiae, quatuor in jure, unum in philosophia; praeter alios qui medicinam, mathematica, graeca, et hebraica et latina praelegebant.

1674. Durabat etiam nunc memoria nostrorum, qui aliquando Ingolstadii docuerant, et novo Collegio existimationem et auctoritatem conciliabat [1].

1675. In aula tamen Principis, praeter Doctorem Hundium et Secretarium Henricum, et paucos alios, non multi nostris favebant; immo ad haeresim [aliquos] declinare ferebatur. Ipse autem Princeps vere catholicus erat, sed populum satis infectum habebat, et contra nostros aliqui suum affectum significabant; nam in portis cubiculorum scriptum aliquando invenerunt: *hodie oportet migrare;* et prope portam nostrae habitationis germanice scripserant verbum, quod sonabat contra Jesum. Sed haec a paucis haereticis proficisci poterant.

1676. Alii contra, benevolentiam exhibebant etiam factis, ut honesta quaedam vidua, quae hac ipsa aestate vineam juxta Collegium nostris dedit; ubi praeter uvarum non mediocrem copiam, piscinam etiam parvam habebat, et tam recreationi quam utilitati fuisset magis accommoda, si vicinorum fenestris non fuisset exposita.

1677. Alius quidam Doctor ultro nostris obtulit hortum laetissimum et jucundissimum, ubi aliquando P. Salmeron animum, studiis fatigatum, relaxaverat; nam et ibi navigare et piscari dicebat. Reficiebantur interim quotidie domi nostrae (et nostrorum usibus et ad nostrorum arbitrium) habitationes, inter quas refectorium egregium, ubi Universitas sua celebrare convivia solebat, fuit.

---

jecta oratione salutatoria, quam idem, qui ante septem annos ad Salmeronem et socios, Georgius Theander habuit.„ AGRICOLA, *Hist. Prov. Germ. Sup.*, Dec. 2, n. 36.

[1] "P. Alphonsus Salmeron Pauli epistolas; P. Claudius [Jaius] psalmos„... "P. Canisius Magistrum sententiarum enarrandum susceperunt.„ Vide supra ad annum 1549. t. I, pag. 414, n. 434 et seq.; t. II, pag. 66-71, n. 145 et seq.

1678. Et quia nullus erat ex fratribus ad coquinae officium idoneus, et alioqui in Bavaria, cum hoc sit mulierum officium, nusquam facile coquus inveniri possit; quidam tamen in hoc officio exercitatus, vir probus et devotus, a Camerario praedicto nostris oblatus est, qui etiam, quod reliquum erat vitae, in Societate exigere cupiebat.

1679. Non deerant et alii germani juvenes bonae indolis, qui libenter nostris inservissent, ex quibus aliqui ad Societatem idonei reddi poterant, et quidem litteris instructi; sed his initiis pedetentim incedendum videbatur. Quidam tamen hujusmodi, a decano Universitatis oblatus, in coadjutorem admissus est.

1680. Usque ad 28 Julii cibus nostris ex Collegio Novo allatus fuerat, sed ex eo tempore, reparato foco, qui colapsus fuerat, domi coeperunt nostri necessaria ad victum parare. Utebantur cervisia satis pingui, quamvis italis et hispanis amara videretur; sed paulatim ad eum potum assuescebant; et ita ad rationem vivendi certam, et Societatis instituto accommodam, Ingolstadii se nostri componebant.

1681. Et scribit Rector Lentulus credere se a coelo revelatum fuisse P. Ignatio, ut collegium ingolstadiense ante aestatem mitteret, quia paucissima accommodata nostris usibus invenerunt, et si in autumnum haec missio dilata fuisset, bona pars hyemis fortassis expendenda fuisset, antequam res concinnatae sollicitudinem nostris rerum vitae necessariarum ademissent; et quidem cum detrimento studiorum, quod nullum fuit tempore hoc aestivo Julii et Augusti, quod Universitas Ingolstadiensis vacare a lectionibus solet; adeo ut consultus Dr. Hundius, an nostri eo tempore specimen aliquod eruditionis in theologia, vel cosmographia, vel alia facultate praebere possent [1], id dissuasit, sed potius ad autumnum se praeparare operae pretium duxit.

1682. Erat publicus theologiae lector Ingolstadii quidam Dr. Georgius Theander [2], qui Genesim explicabat; alter Epistolam Pauli ad Romanos; tertius, Proverbia Salomonis, alternis tamen diebus, explicabat. Duos nostros doctores, qui duas alias

---

[1] Ms. *posset*.
[2] Vide supra, nuper, n. 1672.

lectiones traderent, his adjungere visum est [1]: alteram de Psalmis Davidis, alteram ex Quarto Sententiarum; prioris Dr. Covillonius, posterioris Dr. Hermannus curam suscepit.

1683. Sic autem hae lectiones erant enarrandae, ut alias non impedirent, ne suis auditoribus privarent. Opportune autem primis diebus Augusti P. Canisius Praga Ingolstadium venit, quamvis progredi Monachium debuit, ut de rebus Collegii cum Ducis ministris ageret.

1684. Offerebat autem se P. Coviglion, praeter lectionem, ad concionem latinam dominicis ac festis diebus habendam; quamvis hunc laborem cum P. Dre. Peltano dividendum postea visum est.

1685. Concessum est ergo nostris theologis dumtaxat publice legere in Universitate Ingolstadiensi.

1686. Die ergo 28.ª Augusti, quae Divo Augustino sacra erat, P. Joannes Coviglon in publicum prodiit, et coram tota Universitate orationem habuit luculentam, in qua partim praefatus est de his, quae ad lectionem psalmorum pertinebant, partim nostrae Societatis institutum, quod illis regionibus parum notum erat, declaravit.

1687. Ut autem attentissime audita illa fuit, et ab auditoribus approbata; ita eam scriptam habere multi cupiebant, ut ad dirigenda sua studia veluti normam eam haberent. Sed, ne cui calumniandi occasio daretur, nulli Rector dandam censuit.

1688. Ultima die Augusti Dr. Hermannus suam etiam praefatoriam habuit orationem cum celeberrima auditorum corona, et de theologiae laudibus agens, viam sibi ad 4.um Sententiarum munivit, et quidem expectationem etiam nostrorum superavit, feliciter suo officio perfunctus.

1689. Uterque autem prima die Septembris suam lectionem aggressus est, et non infrequenti auditorio, si ejus Universitatis ratio habeatur: ultra septuaginta auditores continuos Dr. Coviglion habebat, qui libros habens selectissimos, egregie in suo munere se gerere coepit.

1690. Dr. etiam Hermannus plus quam quinquaginta auditores assiduos habebat hora duodecima, id est, in meridie, nam P. Coviglion hora secunda post meridiem legebat.

---

[1] Ms. *Duo nostri doctores his duas alias lectiones adjungere visum est: alteram* ... etc.

1691. Quia vero in publicis his lectionibus Universitati conformes esse nostros oportebat, satis diuturnas intermissiones habebant; et vix plus quam centum lectiones singulis annis legere poterant.

1692. Mag. Theodorus Peltanus, privatim quidem, graeca et rhetoricam docebat. Primis diebus Septembris praefationem habuit hebraeam, quae illis diebus ordinarie legenda erat, hora post prandium secunda, et in schola theologorum, quibus theologicae lectiones non fiebant, et frequentes satis auditores et docti sese, antequam inchoarent, illi obtulerunt.

1693. Erat quidem hebraeus professor Ingolstadii, in ea lingua valde eruditus, sed latina lingua destituebatur, quia olim Romae, ex judaeo factus christianus, parum feliciter latinum sermonem didicerat.

1694. Mag. Gerardus Wiltenus in futurum reservabatur certamen; cum enim Dux Bavariae, suo stipendio, quadraginta juvenes germanos aleret Ingolstadii, et in quodam collegio instituendos suscepisset; quia aliqui haeretici, inter illos admissi, reliquos depravabant, nostris eorum administrationem tradere decreverat; et ut illis humaniores litteras praelegeret, eosdemque in pietate institueret, Mag. Joannes designatus erat.

1695. Mag. Hurtadus, licet vir eruditus esset, minus in latino sermone se exercitatum existimabat, quam par esset ad philosophicam vel mathematicam lectionem publice habendam; et ideo ut privatim nostris, quae ad grammaticam pertinent, et Ciceronis epistolas [explicaret] designatus est.

1696. Domesticis etiam nostrorum disputationibus philosophicis praeerat; sicut Dr. Hermannus in disputationibus de controversiis cum haereticis, diebus dominicis et veneris se exercebat. Et in his et aliis, quae ad pietatem pertinent, ut in corporis castigationibus per flagella et jejunia et orationes, se intra domesticos parietes exercebant.

1697. Minorem autem habebant messem nostri in confessionibus et concionibus quam optassent; nam praeter quam quod germanice pauci poterant in urbe concionari, eorum opera non requirebatur; et vix P. Canisio ter concionandi Ingolstadii commoditas data est.

1698. Messis etiam juventutis excolendae per confessiones et christianam doctrinam data nondum erat, cum scholas lit-

terarum humaniorum aperire primis mensibus non sinerentur [1].

1699. Parochi etiam juventutem ad nostros accedere prohibebant, propter divinum officium, quod in ecclesiis decantare illi soliti erant. Optabatur autem adventus P. Jonae Adleri, ut suis concionibus populum germanum juvaret, et Rectori Viennensi duos, ejus loco, P. Canisius offerebat.

1700. Vivebant nostri usque ad finem Septembris ex communi Principis aerario, et tantum pecuniae eis tribuebatur, quantum ad victum et vestitum sufficeret; et id quidem primis mensibus ad utilitatem nostrorum cessit, quia multae expensae extraordinariae fieri debuerunt: sed a festo S.ti Michaëlis in singulos trimestres ducenti floreni rennenses, ad expensas Collegio ordinarias, assignati fuerunt, ita ut octingentos singulis annis acciperent; et quia annona abundans et non cara erat Ingolstadii, ad viginti commode sustentandos haec summa satis erat. Ab aliis eleemosynas accipere, nedum petere, [non] oportebat, quamvis a religiosa quadam matrona, ut satisfieret ipsius devotioni, panis et vinum ad Missarum sacrificia quotidie accipiebatur. Quia vero a ritibus romanis et caeremoniis aliquantulum discesserant in Missa dicenda, missale romanum per amicum quemdam Rector obtinuit; et ita adhibita diligentia, sese romano ritui conformare nitebantur.

1701. Postulata est autem facultas ab Episcopo Eistetensi concionandi in pagis Ingolstadio vicinis, ut bona cum pace et benevolentia ipsius et aliorum id fieri posset; quamvis non ignorabant se eam auctoritatem a Sede Apostolica concessam habere.

1702. Episcopus autem cum suis consiliariis se velle id negotium tractare, vel potius Duci Bavariae committere dixit. Et forte vir, alioqui catholicus et amicus, non libere, ut voluisset, facultatem concedebat sine Principis approbatione, quod seditionem aliquam a populo, sub utraque specie communicare volente, in plerisque Bavariae locis timebat.

1703. Circa idem tempus singuli [2] nostrorum membra Uni-

[1] Tricas ob scholas inferiores ab ipsis paedagogis motas, earumque exitum fuse narrat AGRICOLA, *Hist. Prov. Germ. Sup.*, Dec. 2, n. 37 et seq., ubi hac occasione disputatio de nostris gymnasiis instituitur.

[2] Ms. *singulis*.

versitatis Ingolstadiensis, dato juramento solito, effecti sunt; quod tamen factum a Societate alibi probatum non erat [1].

1704. Commendavit etiam Princeps Rectori Universitatis et senatui ejusdem, ut nostrorum defensionem serio susciperet, ac nominatim ut duo ex nostris in theologicam, duo in philosophicam facultatem (quam artisticam vocant) admitterentur; et ut illi stipendiati [2] scholastici Novi Collegii nostris obedientes et subjecti essent, cum apud eos concionari et docere vellent.

1705. Ad Praefectum etiam civitatis de securitate et immunitate nostrorum: ad Camerarium autem de aedificiis et aliis rebus ad commoditatem nostri Collegii pertinentibus scripsit, eidemque commendavit; et quamvis nostri philosophiam publice non profiterentur, utile tamen Princeps existimavit Universitati futurum, si duo in facultatis hujus corpus admitterentur, ut, cum fierent examina promovendorum, et negotia artium facultatis tractarentur, Decano assistere et consultores esse deberent.

1706. Pendebat tamen a voluntate nostrorum ad hanc auctoritatem nostros promovere, vel id omittere, quod ad philosophos attinet, qui publice non docebant.

1707. Cum autem P. Canisius mensem unum Ingolstadii utiliter exegisset, vocatus est litteris Capituli ratisbonensis, quorum catholicus concionator obierat; et tamen cum ibidem comitia germanica sive Diaeta hoc autumno celebraretur, et haereticorum fervor et multitudo magna esset, non visum fuit hoc officium charitatis tali tempore eis denegandum.

1708. Ibidem etiam negotia Societatis promovendi [occasionem] habiturus videbatur; et viginti collegiales Ingolstadii relinquens, eo se contulit.

1709. Fuit autem magnum ostium apertum, ut et catholici ab eo in concionibus confirmarentur ac recrearentur: haereticos autem, quibus illic omnia plena erant, infestissimos [3] P. Canisio praedicatio reddebat; unde probra, contumeliae et crimina

---

[1] "Singulos autem Socios cum solemni sacramento in membra Academiae cooptari Princeps voluit: et duos, quamvis Philosophiam ipsi non docerent, tamen in Philosophorum ordinem assumi, qui consultationibus interessent, et promovendorum ad solemnes gradus experimentis." ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, part I, lib XVI, n. 24.

[2] Vide supra, n. 1694.

[3] Ms *infessissimos*.

apud vulgus ipsi affingere non cessabant, sed auctoritate statuum imperii, qui ad comitia convenerant, deterrebantur, quominus aperte in ipsum saevirent, aut certe cum ignominia expellerent, ut sanctae memoriae P. Claudium expulerunt [1]. Rogarunt autem catholici per litteras Regem Romanorum et Bavariae Ducem, ut hisce comitiis curarent P. Canisium [adesse, ut] adversus illas pestes, gladio spiritus, quod est verbum Dei, decertare [pergeret]; ac proinde totam Ratisbonae hyemem exigere [debuit].

1710. Sic autem commoti fuerant multorum animi, ut aperte audiretur rem lutheranam, in fumum ibi abituram, si novus concionator ita pergeret, uti coepisset.

1711. Haeresiarchae autem, qui ibidem aderant, fremere et pro suo more conviciis et maledictis contra Canisium malam suam causam tueri conabantur; sed nihil morabantur hujusmodi neque a concionandi officio deterrebant P. Canisium, cum tanto magis regii et catholicorum Principum consiliarii faverent et applauderent. Spes etiam concipi poterat de Episcopis quibusdam germanis, fore ut ad collegia constituenda excitarentur, nec videbat quid hoc tempore posset in Germania utilius ipse praestare, cum praesertim de statu Ratisbonae tractandum esset; nec quisquam interim ex catholicis adesse, qui auctoritate aliqua polleret.

1712. Idem autem consilium fuit P. Lanoy ut in hac functione concionandi Ratisbonae pergeret; et ministri Principum et praecipue clerus ratisbonensis id efflagitabat. Cardinalis autem Augustanus, licet potestatem Romae acceperat P. Canisium ad comitia evocandi, et ad ejus nutum parere P. Canisius jussus esset; nihil tamen ille postulaverat nec postulaturus videbatur, quia nec Pontificis nomine ad comitia venturus erat.

1713. Frigebant satis mense Septembri haec comitia, quia Rex Romanorum nondum venerat, qui post unum aut alterum

---

[1] Vel potius expellere conati sunt. "Quanquam autem in pauperem et inermem [Jaium] manus injicere, Deo prohibente, sunt veriti, quantum tamen in ipsis fuit, vertendum homini mitissimo solum erat. Sed odia vicit hostilia singularis caritas Patris, insolentiam mansuetudo...„ ORLANDINUS, *l. c.*, lib IV, n. 22. Vide supra, t. I, pag. 112, 113, n. 52. Atque haec quidem an. 1541 acciderunt; superiori vero 1542, etiam Ratisbonae quibusdam "minitantibus praerupta Danubii, respondebat intrepidus, in coelum se tam facile aqua quam terra ire posse.„ ORLANDINUS, *l. c.*, lib. III, n. 63; supra, t. I, pag. 100, n. 39.

mensem spectabatur; ideo legati tantum et non ipsi Principes aderant.

1714. Cum tamen intellexisset P. Canisius obitum P. Ignatii, sanctae memoriae, et ad Congregationem generalem primis illis litteris fuisset evocatus, quibus ante rigorem hyemis extremum venire ad Congregationem jubebantur, quamvis secundam admonitionem expectari oportuisset, quae post Pascha sequentis anni adesse jubebat; indixit Congregationem provincialem P. Canisius ad quartam Octobris Passavii, quae civitas Ratisbonae vicina erat, ad quam P. Lanoyus tantum ex Austria, P. Ursmarus ex Bohemia, P. Covillonius ex Bavaria, evocati sunt: plures enim non expediebat ex medio cursu lectionum et aliarum occupationum evocari.

1715. Ibi designatus est ipse P. Provincialis Canisius cum P. Lanoyo. Cum nihil de dilata Congregatione accepissent, iter in Italiam susceperunt; nec enim aliis provincia abesse licuerat, et pridie Cal. Novembris Patavium venerunt, ut superius diximus [1], et statim reversi sunt in Germaniam ubi intellexerunt dilatam Congregationem, ad eam suo tempore redituri.

1716. Rex quidem Ferdinandus aegre eos ex Germania dimiserat, et injunxerat P. Canisio ut intra duos menses Ratisbonam rediret; sic enim, ob tractandam religionis causam in comitiis, opus fore; et Regi ea in re repugnandum non esse P. Canisius sentiebat; quamvis ab ea religionis tractatione, quae cum summis adversariis futura erat, valde abhorrebat, quod non ignoraret omnia concilia, quae illi Principes tanta de re eatenus instituissent, infeliciter cessisse.

1717. Erant et alia, quae majorem in modum et ipsum et viros catholicos offendebant. Nihilominus adesse comitiis statuit, ut, si minus aedificare ipse posset, opponeret se saltem adversariis, ut minus illi destruerent, et quacumque posset ratione, collabenti religioni in illis regionibus succurreret; cujus causam [2] bellum pontificium deteriorem sane eo tempore reddebat.

1718. Significavit interim per litteras non pauca se habere, tum de communi Germaniae statu, tum de Collegiis nostris, quae coram conferre cum P. Vicario optabat; et ejusmodi mor-

[1] Supra, pag. 53, n. 154.
[2] Ms. *cujus causa.*

bos [esse] in illis collegiorum primordiis sentiebat, qui peritiorum medicorum, quam ipse esset, industriam requirerent.

1719. In specie autem attingit ad Pragense et Ingolstadiense Collegium, in utroque homine promovendum, conferre posse, si Rectores illi non ita ligatas manus haberent, ut nihil in collaterales et superstantes posse videantur. Docebat enim experientia hujusmodi exceptionibus Rectorum munus non parum impediri; et illos, qui talia privilegia haberent, frequenter eis abuti, et aliis, ad contentiones fovendas, eorum exemplo fenestras aperiri.

1720. Pragae quidem haec scribendi occasionem dedit Dr. Tiglia, qui sub hoc praetextu, quod valetudinarius sit, nihil non indulgeri volebat sibi, et querendi finem non faciebat, ut non tolerabilis esse videretur.

1721. Ingolstadii etiam Dr. Coviglionius et Academiam, mordacibus quibusdam reprehensionibus, et in Collegio suum Rectorem, importunis postulationibus et litibus, non parum commovebat. Et Tiglia quidem aliquando lectionem ipsam intermisit; Coviglionius autem se non posse prosequi lectiones, et ut alium firmiorem lectorem peteret, Roma ad se mitti suggerebat.

1722. Quamvis unus ex Fratribus, lector et scriptor assiduus, ipsi datus est, et post lectionem per campos spatiari cum Fratre per aliquot horas poterat. Et in comedendo atque aliis, debilitatem prae se non ferebat; et plus negotii solus illi Rectori exhibebat, ut ipse scribit, quam omnes alii.

1723. Receperat se D.ri Hermanno, ut minus exercitato, subsidii aliquid allaturum; sed post paucos dies, hoc sibi morbi causam esse ajebat.

1724. Domi diebus veneris obtulerat se concionaturum Fratribus, et diebus festis alternatim cum P. Theodoro latine concionaturum receperat; sed brevi utrumque negavit se posse continuare, et urgebat Rectorem, ut Ducem alloqueretur, ut nonnulla, quae deerant, provideri juberet. Quod tamen negotium urgendum non erat, cum quibusdam ministris Ducis plus satis sollicitos fuisse nostros ea in re videretur.

1725. Sic interdum se gerebat, ut Ratisbona evocandus fuerit P. Canisius, cui [1], cum venisset Ingolstadium, aperte con-

[1] Ms. *qui*.

fessus est P. Coviglionius ex dolore et infirmitate capitis accidere sibi, ut aliqua loqueretur, quae ne ipsi quidem postea probarentur. Et Rector, ingenium hominis cognoscens, multo facilius deinde infirmum tulit, et cum externis, qui, acrimoniam reprehensionum, praesertim in jurisperitos, inique tulerant, sic ejus factum Rector excusavit, ut omnia boni consulere viderentur; et ita omnibus nostri grati esse coeperunt.

1726. Ipsum autem Drem. Coviglonium cautiorem domi et foris haec ipsa fecerunt. Ipsemet autem Romam scripsit, auctoritatem super Rectorem habere renuens, bilem suam timens, ne propter eam, scilicet, ea auctoritate parum circumspecte uteretur. Optabat autem ut Rector, in se et P. Hurtado collaterali consulendo, diligentior esset; alium etiam lectorem, suo loco mitti, consultum putabat; quamvis ipse non subtracturum se humeros ab hoc onere affirmabat, donec succumbere et in lectum decidere cogeretur.

1727. Dum aberat Ingolstadio P. Canisius, curavit Rector Collegii ut Universitas simul cum ipso Principe in novae scholae institutionem consentirent, quae a duabus inferioribus classibus, propter loci penuriam et hibernum tempus, exordium coepit; nec mediocri gaudio nostri et ipsi affecti sunt, qui hanc juventutis institutionem, Romae a P. Ignatio sibi commendatam, ad hoc usque tempus obtinere non potuerant.

1728. Promulgata igitur hac schola, ei praefecerunt Jodochum, Paulum et Joannem Ximer, qui Fratres omnes, germani natione, Societati nostrae ex Collegio Germanico se adjunxerant; sed quia unicus tantum erat locus in Collegio nostro ubi possent pueri doceri, in illum hi praeceptores futuri convenerunt; quamvis alter praeceptor alteri aliquid impedimenti praestabat; sed cum 23.ª Octobris haec schola fuisset promulgata, potius cum hoc incommodo statim inchoare et aequanimiter molestiam praedictam, ex loco procedentem, sustinere, quam in aliud tempus principium scholae differre [voluerunt].

1729. Venerunt autem prima hebdomada quadraginta pueri ingolstadienses, et ubi fama ad externos pervenisset, majorem auditorum multitudinem sperabant; et ita, tam theologi professores quam humaniorum litterarum, omnes nervos diligenter intendebant, ut et Duci et civium expectationi, quae non parva erat, satisfieret. Et ipsis feriis vindemialibus, cum super-

sedere a lectionibus permissum erat, duo Doctores theologi nostri, et quidem soli, legerunt; et eodem tempore hebraica lectio coepta fuerat; et sub initium Novembris tres orationes latinae ante studia humaniora inchoata, cum amplissimo auditorum consessu. peroratae [1] fuerunt; ac deinde lectiones et exercitationes consuetae inchoatae fuerunt.

1730. Qui autem Rector fuerat Universitatis, cum jam jam instaret ejus officii finis, diligenter curavit ante festum D. Lucae ut negotium scholarum hujusmodi, his conditionibus constitueretur, quae Societatem nostram minime gravarent; et ita 26.ª Octobris initium his scholis datum est, sicut 5.ª ejusdem hebraicae lectioni, et prima Septembris theologicis initium datum fuerat.

1731. Cum autem major commoditas sese obtulisset, etiam in superioribus classibus nostri lecturi erant; nam facultas ad omnes humaniores litteras docendas erat impetrata, longe facilius quam nostri speraverant. Dedit autem mutuo Universitas in hujus scholae usum Novi Collegii refectorium, non sine aliquo suo incommodo et etiam nostrorum, quod in diversis locis ejusdem aulae duae diversae classes erant tenendae.

1732. Recepit autem D. Henricus, Secretarius, qui id temporis Ingolstadii versabatur, curam a Principe impetrandi domum aliquam ad scholarum usum opportunam, ut tunc etiam superiores classes his inferioribus addi possent. Graeca lectio, quae domi fiebat a P. Theodoro, omissa est, partim ob ejus occupationes, partim ob librorum defectum; nam praeter hebraeam lectionem et rhetorices, etiam in concionibus praedictus P. Theodorus occupabatur. Et haud dubie praeter satisfactionem fructus etiam publicarum lectionum cernebatur; et ita multo plures auditores nostri habebant theologi, quam ipse Rector Universitatis, qui etiam theologiae professor erat.

1733. Nec omittam quod, cum initio Octobris ad Congregationem provincialem P. Covilonius profectus esset, ab itinere Ingolstadium revocatus est, et ita Congregationi non interfuit. Cujus rei causa fuit, quod a Duce mandatum quoddam Ingolstadium venerat, ut novi theologi (sic nostros vocabant), prosequerentur suas lectiones eo tempore, quo propter vindemiam, uno

---

[1] Ms *perorata*.

et viginti diebus Octobris, alii professores vacabant. Et ita ab uno milliari germanico reductus fuit, et suas lectiones prosecutus.

1734. Ultimo autem sabbato Octobris, sub eodem Doctore Coviglonio publicae lectiones theologiae a magistro Gerardo [1] nostro defensae fuerunt, et multi ex Doctoribus Universitatis, et inter eos duo professores theologiae, contra eum disputarunt; sed qui respondebat ita se gessit, ut non mediocrem doctrinae existimationem sibi conciliaverit, cum tam bene responderet, ut illa in arena regnare videretur.

1735. In vigilia autem omnium Sanctorum, sub Doctore Hermanno, Mag. Hurtadus Perez positiones etiam theologicas, cum simili auditorum satisfactione, tenuit, et scholastici quidem Universitatis disputationibus affici videbantur, ad quas frequentes accedebant et ad finem usque expectabant.

1736. Aliis tamen Doctoribus theologis inusitata haec exercitatio disputandi non perinde placebat, et ideo difficile videbatur hanc consuetudinem in scholas inducere. Ideo non mirum est, si frigeret theologia, cujus studium [2] in hujusmodi certamine solet incalescere.

1737. Ex quo autem nostri coeperunt praelegere, alter ex aliis professoribus a lectione abstinuit. Satis enim exercitatos esse nostros theologos, et pluribus opus non esse in Universitate, dicebat. Numerus etiam auditorum progressu temporis imminui coepit, et ea de causa P. Canisius, quemadmodum Viennae, nostros etiam grammaticos adesse lectionibus voluit; quod ipsis quidem parum utile erat, sed ad commune bonum et utilitatem Collegii id pertinere videbatur.

1738. Itali quidam inter alios collegiales Ingolstadium missi fuerant; sed eos Rector parum utiliter in Germania versari censebat; quod idioma ejus nationis perdifficile possunt addiscere, et praeceptores germanos non intelligerent, et aëris illius impatientes erant.

1739. Pater tamen Hurtadus bene prorsus se habebat, etiam cum cerevisiae potu, qui tamen Romae, assiduo valde capitis dolore affligebatur. Itaque aër et victus germanicus ejus sanitati et viribus contulit.

[1] In ms. hic et saepe alias scribitur *Gierardo, Gierardus*, etc.
[2] Verba *cujus studium* ad interiorem paginae oram adjecit Polancus.

1740. Non omnes tamen, quemadmodum ille, aëris beneficio adjuti sunt, et ipse Rector inter alios, licet geldrensis erat, non prospere valebat. Magister Gierardus desiderio patriae se teneri significavit: quamvis, quod postea ipsis accidit, nondum timeri posset. Rebus necessariis, quod ad vestitum attinet et victum, prospectum est; licet aliquando serius quibusdam eorum vestes sint paratae. Et ut in novo Collegio aliqua ad commoditatem pertinentia fere deesse solent, ita et ipsis aliqua exercendae patientiae occasio non deerat. Necessaria tamen suppetebant, et spiritu satis alacri erant.

1741. Et recreavit eos non parum divisio illa sanctorum, qui singulis mensibus in calendario occurrebant; quae tamen pia consuetudo tempore P. Ignatii in Domum aut Collegium Romanum inducta non fuit, sed in plerisque Hispaniae locis permittebatur [1].

1742. Tres juvenes bavari ad Societatem Ingolstadii aspirabant, egregiae indolis, qui Collegio nostro inserviebant; unus quidem in conficiendis negotiis, alii duo in ministerio culinae utilem operam, non exiguo cum labore suo, Collegio navabant, et sacramenta frequentabant. Aliquandiu tamen differendam eorum admissionem, ut magis probarentur, Rector censuit; et tamen, eorum loco ad domestica ministeria coadjutores aliquos, qui non studiis darent operam (ut tres praedicti dabant), utiliores fore Collegio censebat.

1743. Alii complures facili negotio admitti etiam potuissent, sed propter reditus non admodum amplos, non erat de illis ad Societatem adducendis Rector sollicitus; et ideo si augeri reditus potuissent et habitatio Collegii, valde opportunum fore existimabat; sic enim plures admitti potuissent. Praeter hos, juvenis quidam doctus, et triennio in theologia versatus, magnopere Societati se addicere optabat. Nobiles habebat parentes, et majori licentia, quam par erat, aliquando vixerat; sed coeperat confiteri et communicare apud nostros, ad quos quotidie accedebat, ut auxilium ad profectum spiritualem acciperet.

1744. Non existimavit tamen Rector Ingolstadii non esse admittendum; sed ad P. Canisium de eo scripsit, ut Viennam

[1] In borgiana familia Gandiae hunc ritum antiquitus invaluisse tradunt auctores, unde sensim sine sensu ad alios derivatum fuisse credibile est.

vel Pragam eum transmitteret. Tres praedictos bavaros admiserunt, quod eidem, ut diximus, in coadjutorum officio inservituri erant.

1745. Praeter conciones latinas, quas alternatim Patres Coviglonium et Peltanum habere diximus [1] (quas mediocris scholasticorum numerus audiebat), Jodochus mense Septembri in pago quodam, nomine Valchrichen, germanice concionabatur, et in eo dominicis et festis diebus perseverabat.

1746. Comitabatur eum quidam sacerdos ut Missae sacrificium coram ipsis [oppidanis] celebraret; et valde catholicos homines illi [se] ostendebant, et in catholica fide se velle mori testabantur.

1747. Alius Frater noster, nomine Dionysius, in eodem loco bis concionatus est, et ostium aperiebatur non exiguum. Cum tamen a populo quodam, paulo remotiore, nostrorum opera expeteretur, eis satisfieri non ita potuit; donec magis nostri exercitati essent in germanica lingua, expectandum videbatur.

1748. Satis pacifice nostri Ingolstadii agebant, nisi quod haeretici, quorum maximus erat Ingolstadii proventus, odio occulto nostros prosequebantur, et rumusculos quosdam minus dextros seminabant; sed haec nostris parum nocebant, cum res ipsa studium eorum ad bene merendum de proximis ostenderet, et vitae atque Instituti puritas in dies magis elucesceret.

1749. Habuit quidem illud genus hominum declamationes aliquas publicas, aut potius invectiones, quibus clanculum nostri perstringebantur; sed effecit divina bonitas ut, quo magis illi operam dederunt ut nostros obscurarent, eo magis veritas suum lumen diffunderet ac populo patefaceret.

1750. Clanculum autem haeretici, quos poterant, ad suam sententiam allicere nitebantur; nam Ingolstadii haeresis non fuisset tolerata, nec visus erat adhuc qui sub utraque specie ibi communicaret, aut ulla sacramenta contemneret: festa parum religiose observabantur; sed duces in rebus spiritualibus perditissimos, negotiatores, et multis peccatis opertos habebant; et ideo vel maxime theologi nostri Ingolstadium [2] advocati fuerunt, ut huic bonorum et doctorum sacerdotum penuriae melius consuleretur.

[1] Vide supra, n. 1684.
[2] Ms. *Ingolstadio.*

1751. Jodochus noster diebus sabbati catechismum pueros docebat, et dominicis diebus evangelium, more germanicarum scholarum, eisdem explicabat; et necessaria prorsus haec institutio erat, cum accideret, ut parochus ecclesiae satis divitis, qui poenitentiae et Eucharistiae sacramenta ministrabat, examinatus de fidei articulis, eos nescire inventus sit; et ideo Dux constituit ut collegiales illi sui, quos stipendiatos vocabat, promitterent se sacerdotes futuros, et nostrorum auxilio sic eos instituendos sperabat, ut multum subsidii parochiis Bavariae adferri posset, quas Secretarius [1] mille et sexcentas esse dicebat.

1752. Religiosus quidam ordinis S.ti Dominici erat, vir pius ac doctus, quem cum percontaretur, quid de nostris sentiret, bene se sentire respondit, sed [addidit] cum nostri tamdiu suam disciplinam conservassent, quamdiu dominicani conservaverant, non parum facturos.

1753. Cum impetrata illi fuisset facultas a Summo Pontifice, ut iturus ad comitia, habitum sui ordinis cum clericali mutaret, ea uti facultate noluit. Hic familiariter cum nostris agebat et amicitiam cum eis retinebat.

1754. Dux ipse fuit aliquando Ingolstadii, ubi etiam Maximilianus, tunc Bohemiae Rex, cum Regina Maria a patre Imperatore jam rediens, sub idem tempus fuerant; sed nunquam collegium nostrum [2] Ducem invisit; nec enim ille id jusserat; et per suos ministros libentius quam per nostros *(sic)*, id agere videbatur. Benevolentiam tamen multis signis erga Collegium ostendebat.

1755. Correctorem ad pueros castigandos non facile Ingolstadii inveniebant, et nisi alicujus esset auctoritatis, ut sacerdos vel religiosus Societatis nostrae, parentes graviter laturi videbantur, ut ipsorum filii ab eis vapularent.

1756. Aliqui ad sacellum nostrum, audiendae Missae gratia, veniebant, sed nulli aut pauci ad confessiones; et locus ipse parum idoneus erat, cum per sacellum scholastici ad scholas publicas transirent. Muro confecto, pars sacelli, in qua erant altaria, a transitu illo sejuncta erat. Chorus etiam confectus est, ex quo nostri Sacrum audire possent.

---

1 Henricus Schweikart a secretis Duci Bavariae.
2 Scilicet, Collegii incolae.

1757. Sub hujus anni finem supra expectationem P. Canisii et aliorum, promovebat Dominus nostrorum conatus Ingolstadii, et suum docendi munus magna cum auctoritate nostri tuebantur, ut etiam lutherani doctos eos et exercitatos professores esse faterentur, ad quam rem frequentes disputationes, quae a nostris instituebantur, permultum conferebant; et ita amicus Societatis, et Universitatis patronus, Dr. Hundius, pollicebatur Ducis nomine, non solum ad scholas aedificandas sumptus necessarios, verum etiam ampliores proventus ad plures collegiales sustentandos, quam ab initio fuerant constituti.

1758. Erant autem illi octingentorum florenorum, praeter aliquot modia frumenti et siliginis; sed augmentum hujusmodi redituum hoc anno factum non est.

1759. Solebat Dux ex venatione ferinas carnes ad nostros mittere, et tam id, quam Augustani Cardinalis, qui ad Collegium nostrum invisendum venerat, favor, populares animos non parum commovebat.

1760. Desiit etiam P. Coviglionius queri, et de abitu cogitare; quia ille et alii potu cerevisiae, quae alvum laxat, melius haberi coeperunt [1]. Expectabat autem ex praedicatione P. Canisius majorem fructum in pagis vicinis, quam in ipsa civitate ingolstadiensi.

1761. Cum ex Italia in Germaniam rediret P. Canisius cum P. Lanoyo, et Oeniponte transirent, amplam illam collegii, seu monasterii regii molem adhuc informem animadverterunt, et vix ante duos annos aedificium absolvi posse existimarunt; et ita intempestivum ipsi videbatur apud Regem agere de nostris Oenipontem [2] evocandis.

1762. Dimisso autem P. Lanoyo, qui in Austriam se contulit, ipse Augustam et inde Dilingam accedens, Cardinalem Augustanum salutavit, a quo humanissime exceptus, cum ex stomacho laboraret, valetudinem ibidem curavit.

1763. Cum autem Ratisbonam Cardinalis tandem iturus esset, et Ingolstadii Ducem Bavariae esset allocuturus, P. Canisium comitem sibi esse voluit, et cum de medicorum consilio ibidem subsistere Canisius debuerit; abiens ad comitia Cardi-

---

[1] Haec in ms. sic leguntur: *...quia illi et alii potus cerevisiae, quae alvum laxat, melius habere coeperunt.*

[2] Ms. *Oeniponti.*

nalis saepe injunxit, ne aliud quam apud ipsum Ratisbonae hospitium acciperet, nam in theologorum magna inopia ad manum habere P. Canisium, quocum de statu religionis conferret [1], percupiebat.

1764. Putabant enim plerique colloquium instituendum esse, ut delecti ex catholicorum et protestantium partibus theologi, nescio quod novum *interim* fabricarent, aut saltem de concilianda religionis causa inter se amice tractarent, et sapientes viri ab horum comitiorum eventu sibi timebant plurimum. Et quia complures Episcopi adfuturi erant, Societatis nostrae Institutum, ut melius cognoscerent quam ad id usque tempus, curaturus, et Regi Romanorum quacumque re uti vellet ejus opera inserviturus, Ratisbonam [Canisius] venit.

1765. Cum etiam Cardinalis a Summo Pontifice, doctos aliquot theologos ex Urbe mitti ad comitia postulasset, hoc responsi accepit, quod satis esset Doctorem Canisium et Doctorem Fabrum [2] ad religionis negotium tractandum atque tuendum [ibi adesse].

1766. Egit cum P. Canisio Cancellarius Episcopi argentinensis, acturus idem cum Rege Romanorum Ratisbonae, ut in mandatis habebat a suo Praesule, nimirum ut Argentinam veniret, partim ad statum nobilis illius ecclesiae instaurandum, partim ad statuendum aliquid de fundando nostro collegio, quod argentinenses canonici Friburgi suis sumptibus erigere velle videbantur. Nullum autem erat id temporis in Germania catholicum ac celebre gymnasium, praeter Friburgense, Viennense et Ingolstadiense; et quidem Friburgense reliqua ante ire ferebatur, et Regi Romanorum subditum erat, et ideo P. Claudius Jajus, piae memoriae, non semel optaverat apud friburgenses, Basileae vicinos, nostros etiam commorari.

1767. Pollicebatur autem multum favoris et subsidii D. Jonas Vicecancellarius Regis praedicti, nec occasionem hanc ne-

---

[1] Ms. *conferre*.

[2] Est hic Joannes Schmidt, vulgo Faber, O. P., concionator ecclesiae Cathedralis augustanae. Vide BRAUNSBERGER, *l. c.*, t. II, pag. 37, qui Canisii epistolam profert, ubi haec leguntur: "Nuper cum idem [Cardinalis Augustae] urgeret Pontificem... ut doctos ex Urbe theologos ad Comitia [mitteret], hoc tulit responsi, satis esse Doctorem Fabrum et me ad hoc Religionis tractandum ac tuendum negotium Ratisbonae. Sic ex illius literis habeo. Quod iudicium certe fallax est, et male consulit (uereor) Germaniae nostrae. Abstinebo tamen, ut nuper constitutum fuit, Regi quicquam suggerere, quod ad alios instituti hujus Theologos huc vocandos spectat."

gligendam esse P. Canisius sentiebat, sed Rege assentiente, comitiis absolutis, eo sentiebat sibi proficiscendum esse.

1768. Studia Viennensis Collegii frigere plus satis P. Canisio videbantur, licet numerus nostrorum magnus esset. P. Lanoyus scholae et classibus causam tribuebat; sed in rebus ejus Collegii minus sollicitum se esse debere P. Canisius sentiebat, quod illius cura P. Lanoyo demandata esset, qui a Provinciali a superintendentia liber erat.

1769. Occupaverat se praedictus P. Canisius jam a fine anni sequentis in Universitate Ingolstadiensi, ubi cum frequenti auditorio et magna satisfactione festis diebus concionabatur. Et cum tres consiliarii Ducis primarii ipsum audissent, et hominum concursum spectassent, praeceperunt Rectori et quibusdam primariis Rectoribus, ut ad pastorem irent et suo ac Ducis nomine ei praeciperent, ut commoditatem concionandi P. Canisio daret, etiam cum alii concionatores cessarent; quia etiam tunc majorem fructum sperabant; et ita concionari bis singulis diebus festis coeperat; ac praeterea lectionem quamdam theologicam quibusdam praelegere coepit circa statum sacerdotalem, quam utiliorem ipsa praedicatione sentiebat.

1770. Curavit etiam idem P. Canisius, cum typographiae commoditas se obtulisset, ut rudimenta grammatices, quae P. Annibal de Coudreto confecerat, in germanicum sermonem conversa, imprimerentur, ad nostrarum scholarum in Germania usum; quibusdam in fine ex catechismo adjunctis. Et quia non inveniebantur epistolae et evangelia, quae in anno in Ecclesia festis diebus praeleguntur, nisi juxta versionem Erasmi, curavit optimis characteribus eadem juxta versionem Hieronymi imprimi, et quasdam pulchras orationes adjungi curavit, quod libelli precatorii, quibus homines utebantur, verum gustum Ecclesiae catholicae non haberent, nec juventus orandi formulam certam habebat, et hujusmodi opusculorum fructus latissime patere poterat.

1771. Rogatu etiam consiliariorum Ducis, quosdam germanicos libellos, a paucis annis typis traditos, vidit, ut si quid emendandum esset, admoneret.

1772. Dum autem haec tractaret, sub finem anni praecedentis cum praedictis consiliariis de institutione Collegii Ingolstadiensis egit, et quamvis ab ideis alienis a nostro Instituto eos

abduxisset, et ad quaedam capita Romam ad P. Ignatium missa conditiones fundationis redegissent, ut superius adnotavimus [1], ea P. Ignatius admittenda non censuit, sed sine ulla utrinque obligatione subeunda, collegium, ut diximus [2] obtulit, et Duce id approbante, misit. Cogitatum quidem fuerat a Duce et ejus ministris Collegium cum templo a fundamentis aedificare, et ut statim ad id applicaret Dux $\frac{m}{14}$ florenorum; quia tamen iniri non poterat ratio per aliquos annos aedificium finiendi, et aliqua difficilia ex parte nostri Instituti et temporum illorum [oriebantur]; id consilium demum praetulerunt, ut statim collegium Roma evocaretur et in Collegio Veteri, ut diximus, exciperetur, donec alia commodior habitatio ipsis daretur. Et adjecisse animum consiliarii Ducis ad monasterium franciscanorum [videbantur], quod et videre voluerunt ad hoc ipsum, et illi religiosi nostros domi suae libenter admisissent; sed expedire non videbatur ut ipsis nostri cohabitarent. Res ipsorum, prout ipsimet sentiebant, desperata erat, et de monasterio brevi relinquendo cogitabant; quod satis amplum et bene aedificatum est.

1773. In illud ergo [monasterium] collegium inducere consiliarii percupiebant, et id brevi futurum existimabant; cum nec personas haberent illi religiosi, nec sustentationem necessariam ad vitam in eo monasterio traducendam.

1774. Quod ad privilegia attinet Universitatis Ingolstadiensis, omnia illa cum exemptionibus et aliis facultatibus Collegio nostro communicabantur.

Et haec de Collegio Ingolstadiensi et de tota Provincia Germaniae sufficiant.

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 260, 261, n. 728.
[2] Supra, pag. 25, n. 66.

DE PROVINCIA INFERIORIS GERMANIAE

AC PRIMUM

DE COLLEGIO COLONIENSI

1775. Hoc anno Provincia Societatis facta est, ut diximus [1], in Belgio, sive inferiori Germania, ubi tribus in locis Societas residebat, scilicet, Coloniae, Lovanii et Tornaci; quamvis designatus Provincialis, P. Bernardus Oliverius, antequam suam electionem intelligeret, ad Dominum migravit. Et cum eodem fere tempore P. Ignatius vita in terris functus esset, mansit quidem haec instituta Provincia, sed nullus in ea Provincialis fuit.

1776. Praeerat nostris coloniensibus P. Leonardus Kessel [2], et civitas hoc anno in benevolentia erga Societatem nostram non parum crevit, et eam in rebus ipsis contestata est. Prae caeteris annis praeteritis majorem devotionem erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum in fine 1555 anni ostenderat, et in ejus deportatione publica magna populi devotio et frequentia extitit; nec ullus haereticus externum aliquod signum irreverentiae dare ausus est; ut quidam Velfius et alii aliquando fecerant [3].

1777. Et quamvis tentaretur a multis adversariis fidei intus et foris, constans in catholica fide civitas permansit. Nec parum profuerunt Imperatoris Caroli et Summi Pontificis Pauli IV litterae, quibus laudabant colonienses, quod se tam fortiter fidei adversariis opponerent; et eos, ut ita pergerent, animabant, et omnem suam operam offerebant. Et propter has litteras ali-

---

[1] Supra, pag. 32, n. 85.

[2] Vide supra, t. v, pag. 275 et seq., n. 760 et seq.

[3] De Justo Velfio, aut rectius Velsio, dictum est supra, t. v, pag. 283, n. 765, annot. 2. Vide REIFFENBERG, *Hist. Soc. Jes. ad Rhenum Inferiorem*, t. I, pag. 50.

qui ex primoribus, qui jam fere subversi erant, ad meliorem mentem revocati sunt [1].

1778. Quidam sacramentarii, in carcerem aliquando conjecti, cum in judicium auctoritate Senatus ducerentur, exilio perpetuo a dioecesi coloniensi mulctandi, seditione orta, a sectariis de manu satellitum erepti fuerunt; quae res Senatum magis vigilantem effecit, et diligentius ad multitudinem haereticorum reprimendam incubuit; et ne cantilenae lutheranae publice cantarentur, sub gravi poena [prohibuit], et eos, qui erepti fuerant, denuo captos, in arctiorem carcerem detrusit.

1779. Amici Societatis magnopere optabant aliquos ex nostris Coloniae et praecipue concionatorem egregium, et sacrarum etiam litterarum lectorem, et aliquem praeterea, qui in humanioribus litteris et graecis juventutem instrueret.

1780. Et D. Gerardus [2], Prior Carthusiae, ad eorum sustentationem juvandam centum aureos annui reditus comparabat, praeter quadringentos aureos, quos Romam in subsidium Collegii Romani dedit; et in signum benevolentiae, cum imprimendam curarent mysticam theologiam Henrici Herch, P. Ignatio ac Societati nostrae, in testimonium suae devotionis, praefatoriam epistolam, libro praemissam, dedicarunt.

1781. Doctor etiam Gropperus [3] (cui cardinalitia dignitas hoc tempore a Summo Pontifice oblata est, licet eam non statim admittendam duxerit), aliquos de Societate, quales diximus, Coloniae percupiebat.

1782. Erat autem is hoc tempore, quem haeretici magnopere formidabant, cum se illis strenue opponeret, verbis et scriptis. Cum autem hac aestate Suffraganeo et etiam Archiepiscopo Colonia privata esset [4], non parum sollicitus esse coepit Senatus, de civibus, quod ad religionem attinet, in officio continendis, nec quisquam palam audebat perpetrare, licet hae-

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 752-755.

[2] Nomen hoc ad oram paginae additum est. Porro de D. Gerardo Hammont (Kalckbrenner), saepe agitur in *Cartas de San Ignacio; Litterae Quadrimestres*, t. III, et supra, t. V, pag. 288, n. 786, quo in postremo loco cognomen doctoris Henrici emendatur: est enim Henricus Herp.

[3] Joannes Gropperus. Vide supra, t. IV, pag. 270 et seq. n. 582; t. V, pag. 287, n. 785, et saepe in hoc opere.

[4] "Joannes Nopel von Lippstadt, suffraganeus, vivere desiit 6.ª Julii 1556; Adolphus autem von Schauenburg, Archiepiscopus, 20 Septembris ejusdem anni.„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 549.

reticus esset, quicquam, quod adversari catholicae pietati videretur.

1783. Experiebantur autem nostri communem Senatus erga viros bonos benevolentiae affectum, et uterque consul hujus anni, scilicet Arnoldus Sigenius et Hermanus Sudermanus, paterne admodum nostros complectebantur, et suam operam omnem officiose et amanter offerebant [1]. Nihilominus amici non existimabant facile Collegium Societatis a Senatu admittendum, et ideo expedire judicabant ut primo concionator et lectores praedicti accederent, quibus Prior Carthusiae de rebus ad sustentationem necessariis providere volebat; nemo enim ex theologis coloniensibus publice aliquid praelegere audebat, quia facile, qui non essent plus quam mediocres in suis concionibus, contemnebantur; et tamen se nec in lectionibus nec disputationibus illis exercebant; et id magis amicos, ut diximus, stimulabat, qui, praeter carthusianos, se nunquam defuturos nostrorum sustentationi promittebant; et facile quatuordecim ex nostris, (qui numerus id temporis ad Collegium minimum praescribebatur) ibidem sustentassent. Et si R. P. Gerardus, Prior Carthusiae, moreretur, ejus successoribus P. Leonardus nihil minus fidere videbatur, cum ejus Vicarius et uterque procurator ac reliqui monachi Societati essent [2] addictissimi.

1784. Affirmabat autem Dr. Gropperus, si aliquis theologus Societatis Coloniam venisset, se curaturum ut in scholis publicis theologorum doceret.

1785. Non tamen adducebantur hujusmodi amici, licet optime affecti essent, ut P. Ignatio scriberent et hos operarios ab eo postularent, forte quia obligari ad sustentationem recusabant, quamvis eam subministrare vellent.

1786. Interim nostri, licet fixam domum nullam haberent, conductitiam domum scholis vicinam habebant, ubi quatuordecim ex nostris non incommode habitare poterant; et si concionator mitteretur, ecclesiam ei amplam ad praedicationem paratam habebant. Et si Mag. Joannes Rezius venisset, facile Collegium illud (Bursam vocant) in quo ipse aliquando docuerat, nostris a Senatu tradendum censebant; qui enim ejus curam

[1] Similia narrantur in epistola coloniensi Joannis Rethii, 3 Octobris hujus anni data, quam afferunt *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 548.

[2] Ms. *erant*.

prius habebat, eam reliquerat [1]. Nec tamen, ut proprium, Societati tradendum esse hujusmodi Collegium, sed ad usum docendi et habitandi credebatur. Et cum primum Senatus vidisset Societatis exercitia, de quibus multa audierat, omnem favorem Societati ostensurus dicebatur. Et hanc viam tenendam esse Coloniae, si quid in ea fundationis sperandum esset, existimabant. Quibus intellectis, P. Ignatius Majo mense mittendos Coloniam Patrem Henricum Dionysium [2], magistros Franciscum Costerum et Joannem Rezium existimavit; qui tres et ad concionandum et ad theologiam et humaniores etiam litteras docendas, (cum praesertim eis adjunctus esset Mag. Henricus Somalius [3]), idonei fore videbantur; quod nuncium, ubi ad P. Leonardum perlatum esset, tam ille quam amici non mediocri laetitia affecti sunt, et praeter sustentationem, brevi Collegium praedictum (quod Coronarum dicebatur) a Senatu obtinendum sperabat.

1787. Et quia Suffraganeus Archiepiscopi, qui concionatorum coloniensium optimus erat, morti vicinus erat, in Cathedrali etiam templo praedicationi locus futurus esse videbatur.

1788. Interim, advenientibus, cubicula et alia necessaria P. Leonardus paravit, qui tandem 22 Junii, gratissimi Coloniam advenerunt.

1789. Cum autem Mag. Joannes Rezius D. Gropperum adiit, salutandi gratia, humanissime ab eo exceptus est; et omnes qui Roma venerant videre voluit; et in primis hoc dedit consilii, ut sibi Senatus benevolentiam conciliarent, quod per ipsum et ejus consanguineos (nam Mag. Joannes Rezius multos hujusmodi in Senatu habebat), facile fiebat.

1790. Prior etiam Carthusiae, valde gavisus, humanitatem etiam omnibus, qui Roma venerant, exhibuit; et per totam Co-

---

[1] "Cum autem paucis ante diebus D. Jacobum Leichium ex novo Coronarum Collegio jusserint emigrare, nobis illud tradendum plane confidimus„ *Litterae Quadrimestres,* ibid., pag 550. De Leichii defectione a fide catholicorum vide REIFFENBERG, *l. c.,* pag. 51, et infra statim, n. 1792.

[2] Qui fuerat canonicus noviomagensis. Vide supra, t. IV, pag. 273, n 588, et seq.

[3] Hic alibi vocatur, a patria Dinant accepto cognomine, Henricus Dionantensis; de quo, perinde ac de aliis, qui hic a Polanco commemorantur sociis, vide *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 551 et 552, et *Cartas de San Ignacio,* t. VI, pag. 478, 480, 483, 484. Apud HANSEN, *Rheinische akten zur geschichte des jesuitenordens 1542-1582,* pag. 268, n. 180, invenitur quaedam *Instruttione per quelli che vanno a Colonia,* a Polanco, *ex com.,* Sti. Ignatii, ut videtur, exarata.

loniam fama sparsa est Patres Societatis advenisse, et eos videre cupiebant. Congratulabantur, et reformationem ejus Universitatis eorum opera se sperare dicebant. Facile itaque a Senatu usus Collegii Coronarum obtentus fuit. Rectorem etiam Universitatis et alia ejus capita Mag. Joannes Rezius cum fructu spirituali invisit.

1791. Eodem tempore Coloniam venerat Mag. Franciscus Emerulus, Vienna missus [1], qui postquam de bonis Boschuducis disposuisset, ad praelegendum in schola grammatices, Coloniam erat rediturus; cujus neptis, matrona nobilis, filium suum undeviginti annorum, et egregiis dotibus praeditum, Societati dedit.

1792. Consul autem Sudermanus causam Societatis propriam fecisse videbatur; diligenter in negotio Collegii elaborans, et honorifice de Societate, quavis occasione, mentionem faciens apud eos, qui juvare poterant, sedulo eamdem ipsis commendans. Eis autem, quibus nostra cordi non erant, valde succensebat; et sic totus fere ordo senatorius nostris valde favebat. Distulerunt autem aliquandiu Collegium nostris tradere, quia vacuum non erat; sed postquam D. Jacobus Lechius ex Collegio novo Coronarum emigrare jussus est, [civitas] nobis illud tradidit; quae una erat ex tribus bursis (sic enim vocant collegia), in quibus studiosi adolescentes studiorum cursum in artibus liberalibus conficere consueverunt.

1793. Quamvis autem fere primis diebus Decembris id Societati obtulerunt, non ingressi sunt illud in reliquis diebus hujus anni; brevi tamen initio sequentis ingressuri [2].

1794. Theologi autem omnes et collegiorum Rectores magno studio ac benevolentia simul cum suis studiosis [nostros] prosequebantur; aliquid praeclari, opera et diligentia nostrorum, Universitati accessurum sperantes; quare prompte ac libenter ad lectiones tam humaniorum litterarum ac philosophiae, quam etiam theologiae, enarrandas nostros admiserunt; sed ea conditione, ut in facultate theologica ad gradus solitos promoverentur. Alienum enim a consuetudine ejus Universitatis esse ajebant, non promotis potestatem alios docendi facere; quapro-

[1] Vide supra, n. 1433, et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 615, annot. 5.

[2] Cf. Reiffenberg, *l. c.*, pag. 52-54; Orlandinus, *Hist. Soc. Jes.*, lib. XVI, n. 25, 26, praecipue vero *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 612, quibus Polancus usus est.

pter, consiliis amicorum acquiescentes, hac aestate, (in qua mos habebat ut a lectionibus vacaretur, et ad gradus promovendi specimen suae doctrinae, tuendis positionibus, darent,) pro gradu bacchalaureorum, 4.ª vero Octobris ad doctoratum post responsionem admissi sunt [1].

1795. Haec autem cum magna aedificatione Universitatis ac civitatis peracta sunt; ut summus honor, quo [a bona parte civium] cujusque ordinis, homines [nostri] afficiebantur, testabatur [2]. Facultas etiam artium nostros admisit ut Universitatis privilegiis, quemadmodum alii magistri et lectores collegiorum, gauderent. Inter quae erat ut suos studiosos promovere atque ad convictum in Collegio Coronarum admittere possent.

1796. Nihil interim de rebus necessariis ad victum nostris deerat, quamvis reditus nullos [3] vel pertenues adhuc haberent.

1797. Mag. Franciscus Costerus, interim dum migratio ad Collegium Coronarum parabatur, in publica schola philosophiae magna cum laude, immo et admiratione, ducentis fere scholasticis sphaeram interpretabatur [4].

1798. Fratres etiam aliqui ex nostris aliquando publice latinas orationes habebant, inter quas, cum Mag. Joannes Retius de charitate, in artium schola disseruisset, cum magna auditorum admiratione fuit auditus.

1799. Mag. Franciscus Costerus aliam [orationem habuit] in vigiliam Natalis Domini, rogatu decani theologicae facultatis, ac paulo post aliam P. Henricus Dionysius, qui in eadem schola, secunda, tertia et quarta feria libri psalmorum lectionem, secunda hora post meridiem, enarrabat. Eadem hora eodemque loco, quinta et sexta feria et die sabbati, Franciscus Costerus Genesim coepit explicare, idque tanta cum gratia, ut omnibus esset admirationi.

---

[1] Quae hic dicuntur excerpta sunt ex epistola Rethii, sive Rezii, nuper laudata. Vide etiam aliam Francisci Costeri, *ex com*, P. Leonardi Kessel, 13 Decembris 1556, Lainez, Societatis Vicario, datam, quam habes in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 612-616.

[2] Ms. habet: *ut summus honor, quo cujusque ordinis homines afficiebantur testabatur*. Quia vero haec verba idoneum sensum non reddebant, lectionem complevimus ex his quae habentur in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 550, ubi res eadem narratur.

[3] Ms. *ullos*.

[4] Loquitur de *Sphaera* a Joanne Halifax de Sacro Bosco conscripta, de qua vide supra, *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 611, annot. 1, et t. IV, pag. 551.

1800. Pauci erant eatenus theologiae studiosi Coloniae; sed jam ex eo tempore plurimi ad hoc studium animum applicuere: fructus autem, quem ex lectionibus capiebant, qualis esset, ex auditorum frequentia conjici poterat, quae tanta fuit, ut a multis annis quid simile visum Coloniae non fuerit; futuro anno nostri plures habituri Fratres, qui in philosophia gradum acciperent, credebantur.

1801. Unicus erat Doctor, qui nostris sese hac aestate opponebat. Itaque cum 12.ª Julii P. Henricus Dionysius exhortatoriam ad virtutem orationem in scholis artium publice habuisset, qua virtutem laudabat et ad eam scholasticos hortabatur; (erant autem tam multi, ut eos schola non caperet, et inter eos fere omnes doctores, licentiati et bacchalaurei theologi, et in artibus magistri, qui id temporis Coloniae versabantur); cumque oratio magnopere ab omnibus laudaretur; expetebatur alia oratio vel concio latina a Mag. Joanne Rezio; sed praedictus Doctor, qui ex senioribus erat, aegre admodum id tulit, nec introducendum hunc morem sentiebat, ut in gratiam scholasticorum dominicis diebus concio latina haberetur.

1802. Misit itaque bedellum Universitatis ut prohiberet nostris ne amplius latine concionarentur. Mirabantur omnes morosum senem, nostri etiam et compatiebantur. Sed cum Prior Carthusiae litteras ad hunc Doctorem scripsisset; et praefationem illam, de qua superius mentio facta est, in librum Henrici Herp, quae de instituto Societatis nostrae agit, ad eum misisset; cumque Dr. Gropperus suas etiam litteras adjunxisset; brevissimo tempore bonus ille Doctor in alium hominem mutatus est; et statim Priori rescripsit, gratias ei magnas agens, quod aliquam ipsi cognitionem Societatis dedisset; et omnem suam operam in Societatis favorem promisit, quam se ignorasse affirmabat; et in posterum se id compensaturum, et amplius in gratiam nostrorum effecturum, quam reliqui omnes; et ita nullus omnino relictus videbatur, qui nostrorum conatibus resisteret: immo haec vox erat multorum a Spiritu sancto motum fuisse P. Ignatium, quod hos operarios Roma misisset. Et hoc rumore Colonia plena erat, quod romani concionatores et doctores eo venissent, et eis congratulabantur.

1803. Jam ab initio anni, partim ipse P. Leonardus, partim P. Joannes de Catena, concionabantur, et id variis in locis,

quamvis adhuc cum patre decrepito [1] P. Chatena maneret; confessionibus etiam audiendis, et sanorum et aegrotantium afflictorum consolationi (P. Leonardus praecipue) dabant operam.

1804. Fuit autem quidam sacerdos, inter alios, infirmus, qui cum corpore et animo male affectus esset; postquam confessus est, ipse statim cum admiratione non mediocri eorum, qui de ipsius salute desperabant, melius habere coepit. Aliis etiam, qui variis tentationibus agitabantur, subsidio fuit.

1805. Cum autem ipso die Purificationis jubilaeum, a Paulo IV concessum, promulgatum fuisset, plurimis cum egregio fructu sacramentum poenitentiae et communionis nostri ministrarunt, inter [quos, invenerunt] aliquos desperatos homines, quibus divina bonitas per P. Leonardum subvenit, ut melius deinceps haberent.

1806. Quidam fuit juvenis bene doctus, sed a lutheranis seductus, et ita a studio theologiae et statu sacerdotali vehementer abhorrebat, et parentibus maledicere coeperat, qui in studiis ipsum aluerant ut ad statum sacerdotii adducerent; et mortem sibi olim optaverat. Sed cum consulendi confitendique gratia in P. Leonardum incidisset, cor ejus a Domino prorsus immutatum est, et coepit theologiae studium et sacerdotium maxime venerari, et crebro rediens, confitendi gratia, suos etiam comburendos libros haereticos attulit.

1807. Mensibus etiam consequentibus, usque ad praedictorum, qui Roma missi fuerant, adventum, plurimorum juvenum confessiones P. Leonardus audivit, qui vitam in melius commutarunt; et aliqui ex eis ad consilia Christi capienda animum adjecerunt, et simul cum animae sanitate melius etiam, quod ad corpus attinet, habebant, quos per sacramentum confessionis divina bonitas in utroque homine juvabat, adhibitis etiam P. Leonardi familiaribus colloquiis.

1808. Post adventum Patrum Henrici, Costeri et Rezii, partim latine, partim germanice duo priores, Henricus dominicis, Rezius festis diebus, in eodem templo concionari coeperunt; et uterque frequenti auditorio et cum magna ejus satisfactione concionari pergebat.

[1] Vide quae de hoc sene, ejusque filio P. Catena, supra diximus, t. IV, pag. 269, n. 577, annot. 3, et t. V, pag. 275, n. 760, annot. 6, ubi dicta ab Hansen refutavimus.

1809. Pater autem Costerus sexta feria domi, studiosis, germanice concionabatur, ut melius idioma illud ipso usu addisceret. Dialecticam interim lectionem domesticis, et P. Rezius rhetoricam eisdem praelegebat.

1810. Crescebat autem in dies sacramenta frequentantium numerus, et [eorum] qui consilii gratia ad nostros accedebant; ut spem non exiguam de profectu coloniensium nostri conciperent.

1811. Cum autem P. Ribadeneyra, cui fuerat injunctum ut in istis initiis colonienses adjuvaret, suam operam eis obtulisset; pergratum quidem sibi fore ejus adventum rescripserunt, sed minime necessarium, cum et civitas et Universitas nostris non obscure faverent. Et conciones latinas ejusdem P. Ribadeneyrae, quae Lovanii in pretio habebantur, opportunas non fore Coloniae censebant, ne aliorum, qui placere admodum coeperant, latinas conciones obscuraret ac minus acceptas redderet. Ejus enim ingenii esse colonienses ajebant, ut, si quid excellentius audissent, statim, quae minus essent praeclara, fastidirent.

1812. Itaque nostri colonienses et latinis et germanicis concionibus sibi sufficiebant.

1813. Cum autem traditum illis fuisset praedictum Collegium trium Coronarum, et in eo non tantum theologicas lectiones (quae jam plus quam anno integro cessaverant), sed etiam philosophicas et litterarum humaniorum praelegere deberent, a P. Vicario Jacobo Laynez utrumque Theodoricum, scilicet, amsterdamensem [1] et Canisium, ut philosophiam profiterentur, postularunt; nam P. Henricus Dionysius, praeter conciones, in enarratione psalmorum Davidis occupabatur, et quidem feliciter, ut diceretur quotquot doctores ante decennium Coloniae sacras litteras professi erant, longo intervallo anteire; et ita frequentiores quidem auditores [ad ejus lectiones] confluebant, quam [ad] alium quemquam, cujus meminissent, confluebant [2].

---

[1] Ms. *Anstermnadensem*. Porro hic est Theodoricus Geeraerts (Gerardi) de quo dictum est supra, t. III, pag. 7, n. 5, annot. 3, et t. IV, pag. 281, n. 607.—De Theodorico Canisio, fratre Bti. Petri Canisii ex patre, frequens est sermo apud Braunsberger, *l. c.*, t. I, quem vide, pag. 116, 117, 416-420.—De utroque Theodorico, Canisio sc. et Geeraerts, loquitur Nieremberg, *Varones ilustres de la Compañia de Jesús*, t. VI (Bilbao, 1890), pag. 37-42.

[2] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 613.

1814. P. Joannes Rezius, praeter quam quod Rector sive Regens, ut ipsi dicunt, Collegii trium Coronarum ab Universitate fuerat electus, Evangelium S.ti Matthaei explicaturus erat[1]. Pater autem Costerus, cum duobus praedictis in bacchalaureum promotus, Genesim in scholis theologorum erat explicaturus, et ideo praedictos Theodoricos ad cursus philosophiae, quibus ipsi vacare non poterant, expetebant; et interim dum ipsi venirent, externi professores, qui profiterentur praedictas lectiones cursus philosophici, conducere oportebat. Illis autem advenientibus, juxta morem romanum studia instituenda esse Coloniae P. Costerus affirmabat, et aliquos dialogos P. Frusii, quos studiosi colonienses publice exhiberent, postulabat.

1815. Novus Archiepiscopus Coloniae, demortui frater, electus est [2], et in Suffraganeum eligendus dicebatur Dr. Everardus Bilichius, Provincialis Carmelitarum, qui cum Priore Carthusiae et D.re Groppero patrocinium nostrorum magno cum affectu charitatis gerebat [3].

1816. Antequam lectiones et conciones germanicas P. Henricus inchoaret, Noviomagum a P. Leonardo missus est, ut multorum piis desideriis satisfaceret.

Fuerat is, ut superius diximus [4], canonicus noviomagensis; sex aut septem in summo templo conciones habuit cum maxima hominum frequentia et singulari fructu; et quam bono essent erga Societatem animo noviomagenses, ostenderunt.

1817. Mense autem Decembri, postquam lectiones idem Henricus inchoaverat, cum suspensae lectiones essent Coloniae propter quaestiones, quas vocant, quodlibeticas, et ingentia frigora, Lovanium profectus est, ut quaedam negotia, ad religionem spectantia, componeret, ante festa natalitia rediturus [5].

---

[1] "Civitas, Arnoldo Sigenio atque Hermanno Sudermano Consulibus... Collegium Joanni Rhetio nominatim attribuit„ ORLANDINUS, *l. c.*, lib. XVI, n. 25.—"Rhetium origo quoque indidem Colonia, generisque nobilitas, quippe Joannis Rhetii, olim Consulis, filium commendabat.„ ORLANDINUS, *ibid.*

[2] Antonius de Schauenburg, Adolphi III, defuncti frater, 26 Octobris ad sedem coloniensem promotus.

[3] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 616.

[4] Supra, t. IV, pag. 273, n. 588, quemadmodum adnotavimus nuper, n. 1786.

[5] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 613.—De quaestionibus *quodlibeticis* haec habet ad annum 1558, REIFFENBERG, *l. c.*, pag. 68, n. 29. "A multis jam annis apud Colonienses in morem abierat, ut Decembri mense certum quoddam Oratoriae concertationis adhiberetur genus, quod vocabatur *quodlibeticum*; inde abs dubio sortitum nomen, quod, cui disputandi fiebat potestas, fas erat de quo liberet argumento, disse-

1818. Alter etiam Henricus Somalius, dionatensis, cum capitis dolore, sicut in Italia, ita etiam Coloniae affligeretur, Dionantum, quae patria ejus erat, missus est, ubi et valetudini consuluit; melius enim habere coepit; et non sine fructu ibidem versatus est et etiam Leodii. Nam Dionanti canonici et decanus plenam ipsi concionandi potestatem (licet in sacris ordinibus constitutus non esset) fecerunt [1], et in duobus templis aliquoties concionatus est; et cum rumor sparsus esset, quod in summo templo concionaturus esset, eo major solito turba confluxit. Canonici autem et aliqui ex civibus collegiolum sex personarum Societatis Dionanti non parum optabant obtinere, non solum ut juventutem instituerent, sed ut populum etiam, immo et clerum docerent.

1819. Multi etiam illi confiteri, cum sacerdos non esset, volebant; et aliqui etiam suos filios, ut in Societate nostra Deo servirent, offerebant. Leodii etiam collegium Societatis jam ab eo tempore non parum expetebant, sed prius unum aut alterum concionatorem, per quos Societas paulo magis populo innotesceret; in quem usum Henricum Sommalium retinuissent, si cum bona Superiorum venia id fieri potuisset.

1820. Pater etiam Costerus in patriam, id est, Mechliniam [2], hac hyeme missus est a P. Leonardo, ut suorum parentum animos placaret, ubi tota ea familia ipsi confessa est, et maximam vitae emendationem pollicita, ac singulis mensibus se ad communionem frequentandam animati sunt, quamvis ejus mater octavo quoque die id facere instituit ac coepit [3].

1821. [Quoniam mentio facta est] horum Patrum [4], qui Roma missi sunt, illud addam quod pedibus totum iter Roma Bassanum usque confecerunt simul cum P. Gasparo Gropillo, qui, cum Romam venisset, dux illis itineris Bassanum usque fuerat; quamvis aliqui ex eis, pedibus ex labore itineris nonnihil essent offensi, inter quos P. Joannes Rezius fuit. Bassani autem ad de-

---

rere... Verum uti nihil... est, quo non possis abuti.... processu temporis, consuetudo irrepserat... haec progymnasmata ad risum captandum tota referendi. Illiberales primum joci et satyrae, mox etiam fescennini atque obsceni sales allati in medium sunt.. Id ergo muneris ubi delatum esset Nostris, omnino constituerunt ad honestiora argumenta juventutem traducere.„

[1] Ms. *fecit.*—Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 551.

[2] Ms. *Mecliniam.*

[3] *Ibid.*, pag. 615

[4] Ms. *Antequam accepta mentione horum patrum...*

ferenda scripta et sarcinulas equam quinque aureis emerunt, et Basileam usque progressi, navim conscenderunt, qua delati sunt Spiram usque, per Argentoratum. Inde curru Wormatiam delati, et usque ad Opennein, rursus navigio Maguntiam et Coloniam usque, per Rhenum devenerunt; et hanc viam minori cum labore et sumptu ac tempore factam observarunt, quam si iter terrestre tenuissent.

1822. Nihilominus, quia insolitum est hoc iter, nec naves semper in promptu sunt, non probabant ut alii illud tenerent, nisi tam multi essent, ut navim ipsi possent conducere. Quemdam autem adierunt Basileae, eruditionis nomine celebrem, sed haereseos suspectum, ut ipsos ad hanc navigationem adjuvaret, a quo humanissime excepti sunt, et effecit, ut a nautis non plus quam justum pretium exigeretur; nam illi, quemadmodum et aurigae et hospites haeretici, plus accipiunt ab his, quos catholicos noverunt.

1823. Afflixit autem animos nostrorum insignium templorum ruina aut profanatio, quae passim occurrebat, et blasphemiae, quas in plateis, oenopoliis [1], curribus et navibus, non solum contra Pontificem sed contra Deum, audiebant, cum turpissimis sermonibus.

1824. Concionatores autem, cerdones potius vestitu et moribus, quam concionatores videbantur: immo et tales [2] ex infima plebe erant. Inter se autem concionatores mirifice discrepabant. Nam argentoratenses [3], qui Lutherum sequebantur, publicis conviciis e suggestu basilienses, Zuinglii sectatores, incessebant, ac tygurenses. Et interim florebant opibus hi concionatores et honoribus, comessabantur, inebriabantur, et evangelium suum inter pocula plenis buccis detonabant, et securitatem salutis suae verbis jactitabant.

1825. Rudis plebecula, ut ex parte, nostri sunt experti, facile ab insanis erroribus abduci potuisset, nisi ab his magistris in errore confirmarentur, qui tamen satis negligenter in scholis docebant, et paucos discipulos habebant. Diligenter tamen suis crumenis consulebant.

1826. Spiram autem pervenientes, quemdam fratrem no-

[1] Ms. *enopoliis.*
[2] Ms. *imo et tales, imo ex infima plebe..*
[3] Ms. *argentatoranenses.*

strum, nomine Stephanum, spirensem, qui valetudinis gratia eo Roma missus fuerat (erat enim ei patria), quaesitum et inventum, Coloniam secum perduxerunt.

1827. Quod ad alios domesticos attinet, P. Leonardus post horum adventum, nihilominus familiae praefuit, quae, aucta numero, aliquando quindecim et sub finem anni undeviginti de Societate habuit.

1828. Quidam inter alios juvenis, qui daemonis et mundi laqueis admodum irretitus fuerat, juvenis alioqui egregiis dotibus naturae ornatus et eruditus, Christi servitio in Societate nostra se mancipare statuit.

1829. Mater etiam Fratris nostri Lamberti, piae memoriae, initio hujus anni alterum filium octodecim annos natum, ac studiosum logices, ad P. Leonardum misit, ut in Societatem nostram ipsum admitteret, ad quam ille valde propensus erat.

1830. Alii duo praeterea, [annum] vigesimum primum agentes, quorum alter logicae, alter physicae auditor erat, eodem animo ad Collegium nostrum accesserunt [1]. Alii multi, de quibus bene sperabat P. Leonardus, hoc ipsum petebant, licet non statim exaudiebantur.

1831. Quidam tamen alius, non vulgaris expectationis, a noviomagensi decano commendatus, et bene doctus, admissus est, qui cum aliis Romam sub Augustum mittendus erat: mense autem Julio nepos Mag. Gierardi, coldracensis, piae memoriae, in spiritualibus exercitiis multum profecit. Sacerdos erat, et bonis temporalibus dives, sed magis spiritualibus, qui non solum Societatem ingredi statuit, sed voto etiam confirmavit. Sub finem autem hujus mensis Julii, praesentia et colloquio P. Salmeronis, qui semel tantum in Collegio pernoctavit, magnopere recreati fuerunt. 24.ª vero Augusti quatuor juvenes, qui precibus id impetraverant ex domesticis, Romam misit P. Leonardus; scilicet, Robertum, Laurentium, Martinum, qui vota domi nostrae Coloniae emiserant, et Joannem Balae, qui paulo ante accesserat, ut se Societati daret. Romam cum aliis proficiscens, his quintus adjunctus est, quem P. Bernardus Oliverius miserat.

1832. Hi autem locum aliis admittendis Coloniae dederant:

---

[1] Ms. *accessit*.

tres adolescentes bosdochussenses, et ex primariis ejus civitatis, nostris se deinde adjunxerunt. Unus eorum cursum philosophicum Lovanii audierat; duo eorum Francisco Emerulo sanguine juncti erant, et voto suum etiam propositum confirmarunt.

1833. Tam affecti erant Societati nostrae bosdochussenses, ut Collegium ibi erecturi brevi viderentur. Inauditum erat illis in locis, ut viri nobiles et primarii suos filios Societati nostrae offerrent, quod tamen bosdochussenses faciebant, et tamen omnia necessaria ad expensas filiorum providere ipsi semper volebant.

1834. Si plures domus illa capere potuisset, plures etiam admissi fuissent; multi enim id postulabant.

1835. Decembri autem mense juvenis quidam optimae indolis, nomine Gregorius, mense Februario sequenti in philosophia promovendus, admissus est; qui cum exercitia spiritualia in cubiculo P. Costeri accepisset, dum ille in patriam, ut diximus [1], proficisceretur, ante ejusdem reditum Societatem ingredi decreverat, et perfunctus exercitiis, domi manserat et egregio pietatis et resignationis exemplo caeteris erat.

1836. Eodem mense duo juvenes lothoringi, magnae expectationis, in Societatem, sed non in Collegium, ob domus angustias, admissi sunt.

1837. Quemdam etiam sibi sanguine junctum Henricus Sommalius, ex patria rediens, ad Societatem adduxit, optimum ac sincerum adolescentulum. Unus autem ex admissis dominus erat cujusdam loci prope Noviomagum in ducatu Geldriae.

1838. Cum perlatum esset ad colonienses de migratione Patris nostri Ignatii, et P. Leonardus ad electionem novi Praepositi, ut professus, evocaretur, aliis nostris sacerdotibus videbatur nullo modo expedire, ut inde tali tempore evocaretur; tum quod eo tempore de Collegio trium Coronarum nostris assignando Senatus coloniensis agebat, tum quod alii sacerdotes in variis functionibus, legendi praesertim ac concionandi, occupati, gubernationi Collegii vacare non poterant. Et tamen prudentia magna in his initiis studiorum opus erat, et mores colonien-

[1] Supra, n. 1820. "Sermo esse videtur de Gregorio (Fabio) Dionatensi, qui Februario mense anni 1557 *Licentiati*, Decembri vero ejusdem anni *Magistri in artibus* gradum obtinuit.„ HANSEN apud *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 614, annot. 4.

sium perspectos P. Leonardus habebat. Multi etiam praeclarae indolis juvenes, partim admissi in Societatem, partim, hoc ipsum postulantes, ejus Patris consilio regendi et conservandi erant.

1839. Domus etiam sine ullis reditibus erat sustentanda, nec a coloniensi civitate quidquam accipere expediebat, quae nostros ex patrimonio vivere arbitrabatur, nec facile videri poterat, cui talem curam P. Leonardus posset committere. Accessit deinde debilitas aegritudinis, quae non solum laborem itineris impediebat, sed etiam domi fulcienda erat peculiari victus ratione; sed cum toto hoc anno Romam veniendum non esset, cessavit necessitas praesens profectionis.

1840. In sequenti tamen, ut videbitur, Romam venit. Et haec de Coloniensi Collegio.

1841. Adjungam tamen, quod rumor hoc anno in ea civitate sparsus fuit, de quodam fonte, 28 [1] milliaribus Colonia distante, (de quo Suffraganeus in publico suggestu mentionem fecit) quod tres caeci colonienses ad eum venissent spe visum recuperandi, et ad id orationes auditorum Suffraganeus postulabat; nam leprosos mundari, caecos illuminari, surdos auditum recuperare, et demum omnes languores ibi curari ferebatur. Et plus quam mille homines putabat P. Leonardus ad fontem illum confluere. Sed cum certa se scripturum polliceretur post reditum caecorum et aliorum aegrotantium, nec quidquam amplius scripserit, verisimile est non omnia, quae sperabantur, successisse.

---

[1] Non certo statui potest an legendum sit *28* vel *25:* nos quod probabilius videtur scripsimus.

DE COLLEGIO LOVANIENSI

ET MISSIONE

P. PETRI DE RIBADENEYRA

1842. Rector Collegii Lovaniensis etiam hoc anno fuit P. Adrianus Adriani [1] antuerpiensis, apud quem erat initio hujus anni P. Adrianus Candidus et P. Petrus Spiga, sardus. Pater autem Arnoldus Hezius, Chulembergi, initio hujus anni versabatur, quem concionantem avide multi audiebant, etiam id genus hominum, qui raro concionibus adesse solent, cujusmodi sunt nautae, rustici et aulici. Et tamen aliquando vix locus tam multos auditores capere poterat; nec parum recreabat Comitissam, ejus oppidi dominam [2], quod jejuni concionem et Missarum solemnia audiebant illi, qui totos dies dominicos potationibus impendere soliti erant.

1843. Consequebatur autem fructus insignis in confessionibus audiendis: et peccata, plurimis annis ignorantia, timore, aut verecundia occultata, integris confessionibus et generalibus viginti, triginta et quadraginta annorum, expiabantur; et ab adulteriis, sacrilegiis et aliis gravissimis peccatis homines emergebant; et fatebantur, quod concionum auditarum rigor, quae a P. Arnoldo habebantur, scrupulum ipsis movere coeperat; et ita quotidie confessionibus audiendis idem Pater occupabatur; quamvis inauditum esset extra Quadragesimae tempus confiteri, praeter praegnantes mulieres et senes, et quasdam devotas personas, quae in Natali Domini solebant confiteri. Hunc

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 289, n. 788 et seq., ubi tam de P. Adriano Adriani, quam de caeteris hoc numero comprehensis, sermo est; et *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 81-83.

[2] Comitissa de Hooghstraeten. Vide supra, t. v, pag. 293, n. 798, 799. Varie nomen illud scribitur; scil. *Ostrat, Ostratensis, Ostratana* et aliquando etiam *Oestratana*. Cf. *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 24-27, ubi plurima quae hic leguntur reperies.

autem abusum extirpandum curavit P. Arnoldus, aliquos ad frequentem usum confessionum et communionum adducendo.

1844. Praeivit autem alios suo exemplo Domina Comitissa Ostratana, cujus exemplum circiter viginti nobiles virgines, aut viduae, aut conjugatae, tam de arcis, quam de ipsius oppidi primoribus, [et] alia etiam turba non exigua [1] secuta est; quae, praeter confessionem frequentem, in solemnioribus festivitatibus communicare etiam coeperunt; nec ulla erat dominica dies, in qua non aliqui ad corpus dominicum accederent.

1845. Virorum major erat raritas, qui uxores et liberos ad frequentiam sacramentorum hortabantur; ipsi nihilominus propter consuetudinem contrariam id facere verebantur. In festis tamen Natalitiis plurimi etiam viri confessi sunt; ita ut praeter P. Arnoldum, decanus et alii nonnulli eo in ministerio dies aliquot occupati fuerunt; et fere mille et ducenti in illo oppido ipso die Natalis Domini communicarunt. Et inter alios cum magna aedificatione totius oppidi confessi sunt et communicarunt omnes nobiles aulae, utriusque sexus, et primores ejus urbis, inter quos fuit Comes Ostratanus et Comes Chulembergensis [2]. Major autem aulae pars et procerum ejus oppidi P. Arnoldo confessa est, et aliqui usque ad festum S.ti Stephani expectarunt, ut eidem vacaret ipsos audire, et cum, mortua Domina Comitissa, ad diversas civitates aulici separati fuerint, non solum bonum odorem, sed et bonam consuetudinem ad varia loca allaturi sperabantur.

1846. Veneratio S.mi Sacramenti, cum in Ecclesia exponebatur, et cum ad aegrotantes deferebatur, magnopere exhortationibus P. Arnoldi aucta est. Alia etiam plurima singillatim referri possent, quae tamen ex his colligi poterunt.

1847. Die 7.a Decembris anni praeteriti 1555, P. Petrus de Ribadeneyra cum Fratre ac socio Francisco Giraldo Lovanium incolumis pervenit [3], et a multis incommodis et periculis in

---

[1] Ms. addit *hos;* sed redundare videtur.

[2] Ms. *Chulemmergensis;* Culenborg. Vide loca nuper citata.

[3] Vide Delplace, *L'établissement de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas et la mission du P. Ribadeneyra à Bruxelles en 1556,* d'après des documents iné-

longo itinere eos Dominus liberaverat; et non parum consolationis, inventis Patribus lovaniensibus et P. Bernardo Oliverio, acceperunt; nam praedictus P. Bernardus Lovanii eum expectabat, qui postridie in templo S.ti Michaëlis gallice cum frequenti auditorio et magna gratia concionatus est.

1848. Audivit eum P. Ribadeneyra et intellexit concionem, quae magnopere ab eo probata est. Eodem die latinam concionem, a gravi quodam viro habitam, audivit, qui latine concionari solitus erat, et non minima patientia ei opus esse videbatur, si denuo ad eumdem audiendum redeundum fuisset.

1849. Tanta erat ejus urbis ac Universitatis circa sacramenta et conciones devotio, ut praedicta dominica, in qua etiam festum Conceptionis B. Mariae celebrabatur, in summo templo fere sexcenti communicaverint, et triginta conciones in variis templis, partim flandrica, partim latina lingua, a concionatoribus praecipuis habitae sint, ut jam minoris admirationis futurum videretur latine concionari, quam eo tempore quo P. Franciscus Strada id Lovanii fecerat [1].

1850. Significavit autem Patribus Bernardo et Adriano simul quod in mandatis a P. Ignatio habuerat, ut scilicet, latine ipse concionaretur; et ideo per Rectorem Universitatis, qui amicissimus erat Societati, et alios familiares curandum esse, ut ipse P. Ribadeneyra ad praedicandum latine invitaretur. Scholastici etiam hispani, qui Lovanii versabantur, postulaturi conciones hispanicas ferebantur, et decreverat suam illis operam praestare, ut se exerceret ad hujusmodi conciones, in aula bruxellensi habendas, quod a Patre etiam Ignatio commendatum ipsi fuerit.

1851. Quamvis autem Domino Petro de Zarate [2] nihil tentandum esse videbatur usque ad profectionem Imperatoris in Hispaniam et adventum P. Araoz; quia [tamen] utrumque incertum erat, [Ribadeneyra] quod P. Ignatius Romae injunxerat, secutus, Bruxellas ad curiam se contulit; ubi a D. Alexio Fon-

---

dits. Extrait de la Revue *Précis historiques*, 1886. Etiam OLIVERII MANAREI, *De rebus Societatis Jesu Commentarius*, nn. 23 et seqq. et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, Appendix II, pag. 559-585.—De Francisco Ghiraldo mentio supra facta est, t. IV, pag. 39, n. 56.

[1] Vide *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 146, 147, 153, 154; *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 561.

[2] Erat is Societatis amicissimus, ut saepe dictum est. Vide supra, t. III, pag. 5, n. 1. Etiam infra recurret de eodem viro mentio, n. 1862.

tana, Secretario [1], intellexit de tempore profectionis Caroli Imperatoris nihil constare, et profectionem Regis Philippi in Angliam probabiliter credi posse, et quidem brevi, quamvis rediturus esset in Belgium.

1852. Quod attinet ad ecclesiam et facultatem concionandi Bruxellis habendam, differendum ille arbitrabatur hoc negotium, nec domum aut praedicandi facultatem tunc quaerendam esse, eo quod Rex Philippus nihil statuere, praesente Carolo, patre suo, statuerat; a quo in dies resignationem regnorum Hispaniae et Siciliae spectabat. Et ita Lovanium redeundum esse judicarunt, ut cum negotia gravissima tractabantur, nostra importune non tractarentur.

1853. Venit autem Rector Universitatis [2] ad Collegium nostrum, et pransus familiariter cum nostris, suo ac Universitatis nomine rogavit P. Ribadeneyram, ut latine sequenti dominica concionaretur. Domino etiam Decano et Cancellario lovaniensi Ruardo [3], quem invisit, id ipsum probabatur.

1854. Tertia ergo dominica Adventus post meridiem, latine apud S.m Michaëlem concionatus est cum valde frequenti et attentissimo auditorio, et summa cum satisfactione, immo et admiratione illius; et sequenti dominica ac festis etiam Natalitiis se prosequuturum conciones recepit et praestitit, ut scribit P. Bernardus, ea cum eruditione et fervore, ut auditores, quorum numerus in dies augebatur, nec similis fuerit unquam Lovanii visus, magnopere stuperent; et quamvis ipse P. Bernardus omnes conciones P. Stradae audierat, quae frequentissimos auditores habuerant, longe tamen majorem numerum et admirationem harum concionum, quam illarum fuisse affirmabat, adeo ut etiam veteres praedicatores, qui latine concionabantur, auditores diligentes effecti sint, nec quisquam eorum suggestum conscendit postquam P. Ribadeneyra concionari coepit.

1855. Et quidam percelebris Doctor, nomine Amerocius, qui aliquando Lovanii fuerat latine concionatus, et quidem cum maximo concursu, cum omnibus suis discipulis ad audiendas

---

[1] *Secretario*, sc. Imperatoris. Vide supra, t. III, pag. 223, n. 488, annot. 2, et praecipue pag. 282, n 635. Etiam in hoc ipso volumine, n. 1862.

[2] Adrianus Cornelii de Browershaven. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 559. Infra de eodem viro redibit sermo.

[3] Notissimus hic est Ruardus Tapper, de quo saepe cum laude Monumenta nostra loquuntur.

conciones, et domum etiam ad invisendum P. Ribadeneyram veniebat.

1856. Cum quidam etiam concionator hispanus, ordinis S.ti Dominici, horam unam ante P. Ribadeneyram concionatus est, postquam laudasset ejus conciones, descendens a suggestu, suis auditoribus dixit: eamus simul omnes ad audiendam concionem illius Patris, qui latine concionatur; et ita omnes praedictos auditores ad eum deduxit; ac domi etiam cum multis aliis hispanis eumdem salutavit et omnem suam operam obtulit.

1857. Scribit id P. Bernardus: vix credi posse quanta in omnium animis admiratio cerneretur [1]. Aliqui exemplum concionum etiam ex theologis cupiebant. Alii imprimendas censebant. Aliqui modum et ordinem hujusmodi concionum addiscere nitebantur; alii ad imitandum diligentissime eum observabant.

1858. Cum autem eodem tempore P. Adrianus flandrica lingua concionaretur cum satisfactione, immo admiratione multorum, qui hoc in ipso talentum non expectabant; Pater autem Bernardus gallice, et P. Ribadeneyra latine concionarentur; non pauci hoc fervore concionum in variis linguis commoti, lepide dicebant Spiritum sanctum descendisse in nostros, qui ad praedicandam veritatem circa festa natalitia variis linguis eos impelleret, et adducebant exemplum Apostolorum, qui absconditi fuerant, donec Spiritum sanctum acciperent, et deinde ferventer concionari coeperant. Et sic nostros latuisse Lovanii et humiliter in confessionibus audiendis fuisse versatos, et tunc impetu [2] Spiritus in medium ad concionandum prodiisse.

1859. Nec alia videbatur ratio iniri posse commodior ad Societatem nostram manifestandam, quam haec, quae a P. Ignatio fuit nostris significata: fiebat enim ut quodammodo alia de re Lovanii non ageretur, quam de jesuitis, et rumor Bruxellas ad curiam Imperatoris ac Regis pervenit; et multi ex primoribus, inter quos erat Erassus, primus Secretarius Imperatoris, serio curabant ut P. Ribadeneyra ipso die Epiphaniae hispanice

---

[1] Vide has aliasque Bernardi Oliverii litteras in citato opere *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 561-563. DELPLACE, *l. c.*, pag. 16 * aliam affert ejusdem Oliverii, pluresque per totum opus ipsius Rivadeneira ad Ignatium datas.

[2] Ms. *impetum*.

in curia concionaretur; et jam inde a prima concione, bonus odor ad praedictam curiam pervenit.

1860. Aedificatio autem in ipsa civitate lovaniensi in dies crescebat, quod inter alios ostendit Rector Collegii Falconis (Regentes Lovanii vocantur), qui P. Petrum de Ribadeneyra ad coenam cum invitasset, ubi praecipui ejus Collegii magistri aderant, et pro beneficio magno ducebant, qui aliquot verba cum eo loqui poterant; et si seorsum aliquis eum detinuisset, reliqui conquerebantur, et simul eo frui se velle dicebant, nec ab ullo eum esse detinendum.

1861. Omnes autem suam operam officiosissime offerebant, et inter alios Regens ipse gratis se excepturum, immo pro favore reputaturum dicebat, si ad ipsius Collegium aliqui ex nostris, studii gratia, mitterentur, et clavem unam sui Collegii, immo et cubiculi, P. Ribadeneyrae dare voluit, ut quandocumque liberet, ad ipsum visitandum accederet. Et omnes magistri cum fascibus eum ad Collegium reduxerunt, obnixe rogantes ut in concionibus latinis perseveraret.

1862. Cum autem ipso die Epiphaniae Bruxellis praedicaturus esset, ut [1] satisfaceret piis multorum desideriis, tres Secretarii Erassus, Vargas, et Gonzalus Perez et magister domus regiae cum omnibus regiis consiliariis eum audierunt, et alii plurimi in amplo quodam templo, quo hispani convenire soliti erant [2]; adeo ut nunquam Episcopus Trigestinus, qui insignis erat prae caeteris in curia Regis concionator, talem auditorum numerum aut qualitatem, ut Petrus de Zarate referebat, habuisset. Et magnopere ipsis satisfactum fuisse praedictus Zarate et Alexius Fontana retulerunt; et Regis confessarius [3], qui

[1] Ms. *et*

[2] "Les espagnols, nombreux alors a Bruxelles, se réunissaient dans l'église de N.-D. du Sablon, qui n'était paroissiale et appartenait aux Serments ou Ghildes de la ville.„ DELPLACE, *l. c.*, pag. 17. * Nominantur in hoc numero a Polanco Franciscus Erassus, de quo fit mentio in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 164; Didacus de Vargas: vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 52, 97, 164, et supra in hoc *Chronico*, t. V, pag. 297, n. 810; Gonzalus sive Consalvus Perez, de quo saepe alibi, v. g., *Epistolae Mixtae*, t. I, et *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 54, 81, 116, 170; Antonius Perragues et Castillejo, Episcopus Trigestinus, cujus facta est mentio supra, t. III, pag. 251, n. 564; annot. 4; Petrus de Zárate, de quo saepe in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 49, 50-77, 81, 113, 126, 318, 353; Alexius Fontana, notissimus ex opere *Cartas de San Ignacio*, t. VI, v. g. pag. 51, 56, 72, 81, 116, 125, 164...; de quo etiam supra, t. III, pag. 223 et 282, t. V, pag. 27, n. 45; pag. 291, n. 795, et pag. 297, n. 810.

[3] Erat is tunc Fr. Bernardus de Fresneda, natus in hoc oppido anno 1499. "Muy temprano tomó el hábito... de... S. Francisco... Pasó á Inglaterra quando el Rey Fe-

tum aderat, et alii primates doctrinam, devotionem et in hispanica lingua eloquentiam, et actionem ac gravitatem valde probabant.

1863. Prius tamen quam concionaretur P. Petrus, cum Bruxellas venisset, aliquot ex illis proceribus invisit, tam eos, ad quos P. Ignatii litteras attulerat, inter quos erant Comes Ruigomez [1] et Gonzalvus Perez, Secretarius, quam alios, inter quos fuit Comes de Feria [2], et ab omnibus magna cum humanitate fuit exceptus.

1864. Post concionem etiam quosdam invisit nomine P. Ignatii, qui officiose suam operam omnes obtulerunt.

1865. Propter praedicationes autem, praecipue latinas, Lovanii habitas, multi ad Societatis Institutum sequendum commoti fuerunt, inter quos fuit juvenis quidam, praeclaris Dei donis praeditus et satis eruditus, Domini de Andalot filius, de quo plura inferius [3].

1866. Cum primum Lovanium appulit P. Ribadeneyra, intellexit timere P. Adrianum Adriani, ne quid innovaret, auctoritate a P. Ignatio accepta, cum memor esset superioribus annis P. Danielem nostros lovanienses perturbasse, quod eorum vivendi rationem mutare juxta normam Societatis Romanae voluisset [4].

1867. Alloquutus est ergo P. Ribadeneyra P. Adrianum

---

lipe II fué á celebrar su casamiento con la Reyna Maria... El, bolviendo á España, le dió título de su Confessor, y de Comissario de la Cruzada y le presentó por Obispo de Cuenca. Assistió al asiento de la primera piedra del Convento de San Lorenzo el Real (Escorial), que la puso de su mano el Rey don Felipe II en 20 de Agosto de 1563... En el año 1570 assistió á las capitulaciones matrimoniales del Rey don Felipe II y de su sobrina, la que fué Reyna, doña Ana... En este año [1571] .. fué presentado por Obispo... de Córdova, aviendo governado la de Cuenca diez años, y la de Córdova seis meses; y fué promovido á la de Çaragoça, de que no tomó possession. Murió en 21 de Diciembre del 1577, en el año de su edad ochenta y dos. . Dió en su Obispado muchas y crecidas limosnas. Estimó en mucho á los varones de virtud y letras, y los premió con larga y liberal mano...„ GIL GONZALEZ DAVILA, *Teatro eclesiástico de las iglesias de los reinos de las dos Castillas*, t. I, pag. 485.

[1] Ruy Gomez de Silva. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 53, 116, 213, 220, 350: praecipue vero, t. IV, pag. 13, annot. 2 et pag. 224, annot. 2; pag. 350, et alibi saepe. Etiam *Chronicon*, t. IV, pag. 288, n. 617; t. III, pag. 327, n. 731; pag. 330, n. 735; pag. 337, n. 748; pag. 366, n. 805.

[2] Gomez Suarez de Figueroa, frater P. Antonii de Córdoba. Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 116, 160, 205, 213 et alias; atque in hoc opere, supra, t. III, pag. 305, n. 679; pag. 330, n. 735; pag. 349-350, n. 773, 774; et in ipso hoc volumine ad n. 1351.

[3] Infra, n. 1921. Vocabatur is Petrus de Andalot: hujus pater, Alphonsus. RIVADENEIRA in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 353, annot. 1.

[4] Respicere haec videntur P. Danielem Paeybroeck, de quo vide supra, t. I, pag. 244, n. 205, et pag. 294, n. 258.

coram P. Bernardo [1], et sui adventus causam declaravit, ac probe se intelligere dixit vivendi rationem uniformem in omnibus regionibus teneri non posse; quodque ipse declaraturus esset eis Constitutionum partem aliquam juxta P. Ignatii mentem, et si quid ipsi P. Adriano minus placeret, executionem differri posse, donec P. Ignatium consuluisset; quae res P. Adriano timorem ademit, et quietiori etiam animo [esse] coepit.

1868. Intellexit autem P. Adrianum Candidum [2] male admodum valere, et nihilominus plurimum in confessionibus audiendis et aliis functionibus laborare, nec in quibusdam sublevari, quae facile minus infirmis condonari possent; et providit ut ejus valetudini, prout opus erat, consuleretur.

1869. Et quamvis videbatur P. Adrianus se excusare, quod sub ipsius obedientia P. Candidus non esset (ut P. Arnoldus Hezius) quia tanquam aegrotus in patriam missus erat; declaravit P. Ribadeneyra quod omnes etiam aegrotantes sub ipsius obedientia Lovanii futuri erant; et ad id patentes litteras a P. Ignatio postulavit [3]: cui nihilominus significavit hoc talento gubernationis P. Adrianum sibi praeditum non videri [4]; et si quis Praepositus Provincialis esset eligendus in Inferiori Germania, ipsum P. Adrianum esse non debere, quamvis auctoritatem magnam Lovanii haberet, et perutilem operam multis navaret; quamvis non tam libenter cum scholasticis quam cum aliis popularibus occupari videbatur, et contra fieri debere P. Ribadeneyra censebat.

1870. Demum, praeter P. Bernardum Oliverium, nullum se videre in ea provincia affirmabat, qui mentem P. Ignatii ac procedendi modum juxta illam perspectam haberet, ut nostris praeesse posset; et si ille non eligeretur, potius nullum esse Provincialem creandum eo tempore existimabat. Et inde motus fuit P. Ignatius, ut praedictum P. Bernardum, quemadmodum superius diximus, in Provincialem eligi juberet [5].

1871. Cupiebat praedictus P. Bernardus, ut dum res Bruxel-

[1] Oliverio.

[2] Vide quae alibi de P. Adriano Candido dicta sunt, praecipue supra, t. v, pag. 289, n. 788, et pag. 291, n. 793 et 795.

[3] Vide auream P. Polanci, *ex com.* Sti. Ignatii, epistolam P. Adriano Adriani scriptam, de curanda valetudine subditorum; *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 269 et seq.

[4] Verba P. Ribadeneirae invenies in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 266, annot. 2.

[5] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 266.—Et supra in hoc ipso volumine, n. 52

lis disponebantur, Tornacum iret P. Ribadeneyra, ut aliqua etiam ibi, quae ab Instituto Societatis recedere videbantur, in meliorem formam redigeret; sed dum ad iter hoc se accingerent, Bruxellas evocati fuerunt ad concionem in die Epiphaniae, ut diximus [1], habendam.

1872. Curavit interim, ut per P. Adrianum ex registris theologicae facultatis lovaniensis extraheretur ejus approbationis exemplum, quae jamdudum ad Reginam Mariam missa fuerat, cujus tenor hic inseretur [2].

1873. Adrianus Cornelii de Broulver Schaven, artium magister, et sacrae theologiae professor, almae Universitatis studii generalis oppidi lovaniensis, leodiensis dioecesis, Rector, judex ordinarius omnium et singulorum membrorum scholarum et suppositorum ejusdem a S.ta Sede Apostolica, quod notorium esse dignoscitur [3], specialiter deputatus; universis et singulis praesentes litteras inspecturis, lecturis pariter et audituris: Notum facimus et praesentibus attestamur, quod pridem a Serenissima D.a Maria, Regina vidua Hungariae et Bohemiae, Sacrae Caesareae Majestatis in Germania inferiori locum tenente, facultas sacrae theologiae antedictae Universitatis requisita, ut bullas et privilegia Societatis Jesu examinaret, et quid sibi de illius Instituto videretur, referret; eisdem bullis, privilegiis mature visis, examinatis et discussis; consideratis quoque moribus et conversatione eorum, qui de dicta Societate in pluribus annis magno cum fructu et aedificatione Christi fidelium egerunt: Respondit eidem Serenissimae Reginae: eorum Institutum pium et sanctum fore et nihil in eorum privilegiis, bullis, moribus ac conversatione inveniri, quod toti Ecclesiae et in inferiori Germania non sit expeditius et utile. Et quia haec sic esse cognoscimus et testimonium veritati exhibere merito debemus, idcirco in praemissorum fidem et testimonium, praesentes nostras litteras excudi fieri, et per Notarium publicum subscribi, sigillique rectoratus dictae Uni-

---

[1] Nuper, n. 1862.

[2] Ad interiorem paginae oram, qua consutus est liber, haec leguntur, ut videtur, dicta ad librarium, qui sequens instrumentum erat exscripturus: *de verbo ad verbum scribi poterit*. Afferunt hoc instrumentum ORLANDINUS, *l. c.*, lib. x, n. 105; *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 559, ubi Rectoris nomen scribitur: Adrianus Cornelii de Brouwershaven.

[3] Ms. *dinoscitur*.

versitatis jussimus et fecimus appensione communiri. Datum Lovanii, anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, mensis Januarii die 2.ª

De mandato praefati D.ni Rectoris,

Joannes Pels, dictae Universitatis Notarius.

1874. Erat Lovanii pulchrum quoddam collegium, et in optimo ejus Universitatis [situ] erectum a nobili quodam viro sabaudo, qui Imperatoris legatus in Anglia fuerat; et reditibus illud [1] ad triginta scholasticos sabaudos alendos dotare voluerat, qui facultati, quam mallent, operam darent. Universitas tamen consensum suum non praestiterat, quod non ordinem, sed potius confusionem, ibi futuram existimaret. Et ita collegium aedificatum erat, sed nondum applicatum; fundator autem senex et debilis admodum erat, nec domum unquam egrediebatur.

1875. De hoc ergo collegio venit in mentem P. Ribadeneyrae induci posse virum illum, ut suum collegium Societati applicaret; et ita P. Adrianum est allocutus, ut Rectorem Universitatis hortaretur (nam is aliquando in ecclesia novi collegii praedicti concionatus erat), ut viam muniret P. Bernardo ut gallice in praedicta ecclesia concionaretur; ut sic paulatim in amicitiam illius viri se insinuaret. Propter festa tamen natalitia, et quia parum fervens erat ea in re P. Adrianus, res est dilata.

1876. In curia Regis, cum Bruxellis esset, allocutus est D.m Comitem Ruigomez P. Ribadeneyra de admissione Societatis in Belgium et de negotio D. Joannis de Mendoza [2]. Praeparaverat autem Comes Feriae, fidelis et fervens amicus Societatis, praedictum Comitem Ruigomez, et libenter quidquid dicere [Rivadeneira] voluit, Ruigomez audivit. Et quod attinet ad fundationem collegiorum, (rationibus auditis et etiam contradictionibus, quae a Regina Maria profectae fuerant, quod multa sinistra ipsi relata essent, et testimonio Universitatis lovaniensis), negotium omnino sanctum et utile judicavit; sed

---

[1] Ms. *eum*.—"On voulut offrir à la Compagnie de Jésus le *Collége de Savoie*, récemment fondé à Louvain par Eustache Chappuis († 21 janvier 1556). Ce Collége était situé près de la maison occupée alors per las Pères dans la *rue Neuve*. Mais on ne put s'arranger...„ DELPLACE, *l. c.*, pag. 33 *.

[2] Vide supra, pag. 5, n. 4, et loca ibi notata.

non Bruxellis tunc tractandum, sed potius Antuerpiae, quo Rex brevi iturus erat, ubi, ab aliis negotiis magis vacuus, huic vacare posse melius videbatur, et intellecturum se recepit a Rege, ubi vellet hac de re nostros audire.

1877. Quod cum fecisset, statim nostris respondit, placere Regi ut Antuerpiam nostri se conferrent, ubi ea de re agi poterat, et opportune admodum videbatur in absentia et Imperatoris et Reginae cum novo Rege tractandum esse; et ita Gonsalvus Perez, Secretarius, qui negotium hoc libenter promovebat, rationem hujus tractationis probavit. Comes etiam Feriae, qui contradictiones erga Societatem perspectas habebat, valde probavit ut Antuerpiae hoc negotium tractaretur, nec aliam [rationem] quam Comitis Ruigomez esse tenendam: et nostros habere omnino domi suae voluit.

1878. De negotio etiam D. Joannis de Mendoza aliqua ibidem, quae petebantur, obtenta fuerunt.

1879. Egit etiam cum Joanne Osorio de Sylva de negotio Collegii Messanensis, Abbatiae, scilicet, de Rochamador [1], et intellexit quod Secretarius Erassus promiserat ejus Abbatiae negotium in prima consultatione se confecturum.

1880. Alloquutus est eumdem Erassum P. Ribadeneyra nomine P. Ignatii, non de hoc negotio, sed in genere res Societatis ipsi commendans, et obsequia offerens; et suam ille [Erassus] operam officiose obtulit, quacumque in re, quae ad Societatem nostram pertineret; et sic scribi P. Ignatio jussit.

1881. Intellexit etiam quod nobilis quidam Joannes de Mendoza, paius *(sic)* dicebatur, informationem de rebus nostrae Societatis, quam Romae acceperat, Imperatori legerat, et etiam Regem Philippum de eisdem rebus certiorem fecerat; quamvis propter mutationes regnorum, de quibus tunc agebatur, nihil ad effectum deductum est.

1882. Curavit etiam idem P. Petrus cum P. Bernardo, ut Inquisitores illarum regionum (inter quos erat quidam D. Polletus, Societati valde addictus) P. Ignatio scriberent, et operarios nostrae Societatis ad provinciam illam mitti supplicarent, quod experti essent perutilem eorum operam ad negotium religionis, qui de Societate nostra ibidem versabantur. Et similes

[1] Vide supra, pag. 269, n. 1012; pag. 318, n. 1298, et infra, n. 1907, et 1923.

litteras a Decano et Cancellario lovaniensi Roardo; et ab Abbate lipsiensi [1], quorum superius meminimus, et aliis gravibus viris, scribi P. Ignatio curarunt, et Romam misso exemplo, litteras ipsas retinuerunt, ut Rex et ministri ejus expeti Societatem in illis regionibus intelligerent, et omnino ita se res habebat. Et inter alios civitas insulensis et aliqui ex proceribus et curatis sollicitabant, ut P. Bernardus Oliverius concionaturus Insulas mitteretur: qui autem nostris sese opponebat Episcopus Cameracensis [2], in gravissimum morbum inciderat, ut de ejus valetudine medici desperarent. Et quamvis Antuerpia eo tempore sub ejus dioecesi continebatur, obtenta a Rege facultate, Episcopi facultas necessaria nostris ad concionandum non erat.

1883. Opportune narratio rerum Caesaraugustae gestarum anno praeterito, tam de expulsione civitatis quam de reductione nostrorum honorifica, ad P. Ribadeneyra Roma missa est: rumor enim a viris etiam religiosis, ut credebatur, auctus percrebuerat, et multorum aures impleverat, et cum ea, quae offendere poterant, publice dicerentur, satisfactio a paucis audita fuerat.

1884. Cum autem Comes Feriae hujusmodi litteras vidisset, earum exemplum statim habere voluit, ut de reductione nostrorum in curia constaret.

1885. Idem Comes significavit nostris Regem Philippum melius de rebus nostrae Societatis sentire quam ejus patrem, minus bene tamen quam solitus esset cum in Hispania versaretur; et innuere videbatur quod a Regina Maria vel ab ejus informatoribus aliqua sinistra audivisset. Et quae Caesaraugustae acciderant, magnae perturbationis causam fuisse affirmabant; ideo avide accepit et exscribi jussit in suum usum praedictas litteras.

1886. Et satis intelligi potuit quod [si] satis fautores in curia Regis Societas haberet; multi etiam adversarii et obtrectatores ibi essent; et facile contra veritatem, oblata aliqua occasione,

[1] Sic; sed existimamus designari hic Ludovicum Blosium, Abbatem monasterii laetiensis vel, ut alibi scribitur, *Liciensis*, O. S. B., Societatis amicissimum, cujus extat epistola ad Praesidem Viglium van Zwichen pro Societate nostra. Vide DELPLACE, *l. c.*, pag. 5 *; *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 583, 324; et supra, t. IV, pag. 281 et seq., n. 607...—De Joanne Polleto, sacrae Quaesitore fidei, vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 215, 321, 324, 349, 476.

[2] Vide supra, t. IV, pag. 302 et seq., n. 646 et seq., ubi plura de hoc Societatis inimicissimo dicuntur, ex litteris P. Bernardi Oliverii.

multa Societati imponi. Ideo necessariam esse in curia gravis alicujus viri de Societate operam, ut obtrectatores vel seminare non auderent mendacia contra bonum nomen Societatis, vel si id fecissent, esset qui suam illis auctoritatem simul cum veritate opponeret: et P. Araoz aut P. Franciscum Borgiam ad Regis curiam ad hoc ipsum mittendum esse censebat; et quicumque ibidem versaretur, eum debere certiorem reddi, non minus de contradictionibus quam de prosperis rebus Societatis, ut, veritate cognita, falsis rumoribus sparsis remedium posset adhibere, antequam ignis usque adeo cresceret, ut nulla aqua industriae humanae posset extingui.

1887. Et quia P. Ignatius, cum mitteret P. Ribadeneyram, ad bonum missionis successum, promiserat singulis diebus Missam unam Domi, alteram in Collegio celebrandam, earum continuationem, ut summopere necessariam, postulabat.

1888. Cum Antuerpiam nostri venissent juxta Regis praescriptum, declaravit nostris Comes Ruigomez, quod Regem aliquantulum difficilem in negotio collegiorum invenerat, partim quod tempore gubernationis Reginae Mariae [1] tractatum fuerat et non constitutum, partim quod Imperator non id probaret; videri tamen sibi dixit, ut ipsemet P. Ribadeneyra Regem alloqueretur. Non dissimulabat autem, donec ex Belgio recessisset Regina, confici negotium difficile fore. Obtulit tamen suam operam magno cum affectu ad consiliarios Regis informandos.

1889. Et [Rivadeneira], re collata cum Secretario Gonzalo Perez, denuo convenit Comitem Ruigomez et significavit, verisimile sibi videri Regem, cui perspecta satis erat Societas, si judicaret ejus institutum illis in statibus utile fore, majorem habiturum esse rationem propriae conscientiae quam informationem sinistram Reginae. Si tamen ipsi videretur expectandum esse recessum ejus, antequam negotium tractaretur, se minime festinare, ne, si negotium coeptum non conficeretur, homines sibi persuaderent rem bonam non esse, quae Regi et ejus consilio non probaretur: vel quibus erat alioqui perspecta Societas, minus bene de ipso Rege sentirent, quod rei sanctae et perutili

---

[1] Maria, Belgii gubernatrix, Caroli V soror, de qua supra, t. v, pag. 292, n. 796; pag. 301, n. 817; pag. 314, n. 853.

suis provinciis non faveret; quae existimatio initio suorum regnorum periculosa erat futura.

1890. Respondit Ruigomez, omnino expedire ut ipsemet Ribadeneyra Regem alloqueretur. Si enim res bona esse Regi videretur, et ad Dei gloriam futura, nec amitae nec patris auctoritatem eam esse impedituram. Ostendit autem ipse valde propensum animum ad hoc negotium promovendum, quod auxit Comes Feriae, cujus vix explicari poterat affectus, quo res nostras, tanquam proprias, omnino complectebatur. Et quia de rebus in Corsica gestis aliqui religiosi quaedam contra Societatem sparserant; litteras Apostolicas Julii III, qui eos miserat ex Urbe, postulavit [1]; et quamvis lovanienses ipsum, et tornacenses P. Bernardum, in Quadragesima hujus anni concionatores optarent ac peterent, existimavit nihilominus P. Ribadeneyra sibi a curia recedere integrum non esse, donec Regem alloqueretur; nec tamen in eadem curia, nisi rogaretur, concionandum sibi esse statuit. Et non credebatur verisimile ipsum rogatum iri, cum eximios concionatores Castrum, Mirandam et Episcopum Trigestinum haberent [2].

1891. Cum autem aliquas subscriptiones a P. Ignatio, quibus litteras superscriberet, quas opportunas judicasset, P. Ribadeneyra tulisset; ad Regem Philippum litteras scripsit, et informationem, quae compendio ea contineret, quae Regi coram ipsemet dicturus erat; quam cum ostendisset Comiti Feriae et Alexio Fontanae, valde eam probarunt; nec se continuit praedictus Feriae Comes, quin Regem alloqueretur de nostro negotio: et hoc a Rege intellexit, quod parvi referebat quid Regina Maria sentiret vel non sentiret, etc. Et demum addidit ut nostri ad se venirent, et se responsum eis daturum.

1892. Circa ergo medium Februarium, die veneris, evocati fuerunt a quodam ex ministris cubiculi Regis; et quia P. Bernardus Tornacum recesserat, cum Fratre nostro Francisco Ghiraldo Regem adiit. Et quamvis Dux Sabaudiae [3] cum mul-

[1] Vide supra, t. III, pag. 80 et seq : *De P. Sylvestro [Landini] et P. Emmanuele [de Montemayor] in Corsicam missis;* et t. IV, pag. 36 et seq: *De rebus Corsicae.*

[2] De Fr. Alphonso de Castro, O. S. F., et Fr. Bartholomaeo de Miranda (Carranza), O. S. D., dictum est supra, t. IV, pag. 492, n. 1041, annot. 4; de Episcopo Trigestino, Antonio Perragues et Castillejo, in t. III, pag. 251, n. 564, et supra in hoc ipso volumine, n. 1862.

[3] Emmanuel Philibertus, Dux Sabaudiae. Vide apud DELPLACE, *l. c.*, pag. 23 * et 38, epistolam Patris Rivadeneira ad Sium. Ignatium.

tis nobilibus (quos equites tusoni sive velleris vocant) ad Regem venissent, nostri tamen evocati et per Comitem Ruigomez ante conspectum Regis adducti fuerunt.

1893. Dedit autem in primis litteras P. Ignatii, quas ille apertas perlegit; deinde rationem suae postulationis de Collegiis in Belgio instituendis P. Ribadeneyra dixit, et per quartam horae partem quidquid visum est expedire, dixit, et magna cum attentione Rex ipsum audivit; ac demum respondit se omnia optime intellexisse; et quia scripto comprehensa erant capita eorum, quae verbo dixerat, id scriptum [1] Rex postulavit, et ei se responderi recepit.

1894. Eodem die Comes Feriae a quodam ministro cubiculi regii intellexit quod P. Ribadeneyra Regem allocutus esset; et cum ille praedictum scriptum penes se haberet, ut Regis nomine Episcopo Attrebatensi [2] daret, rogavit eum Comes ne prius daret Episcopo praedicto, quam ipse eum admoneret. Deinde adivit Comitem Ruigomez, ut Episcopum Attrebatensem de hoc negotio conveniret et illud ipsi commendaret, et ille promisit se id serio facturum.

1895. Deinde Comes Feriae, ad Regem progressus, intelligere ab ipso voluit an visum ipsi fuisset negotii nostri bonam rationem esse a P. Ribadeneyra redditam (nam D. Petrus de Zarate vel saxum illis rationibus movere posse affirmabat); [3] et omnia in Regis manu posita esse, et studium nostrorum serviendi Deo ac Regi in illa sua provincia, quidvis ipse de hac collegiorum institutione statueret, significavit.

1896. Rex autem haec ipsa se intellexisse dixit, et quod praeterea adjecerat de Episcopo Cameracensi, qui nostros admittere nolebat. Deinde Rex quaedam percontatus est, circa id, quod postulatum fuerat, et de ratione Superiorum Societatis nostrae, et nominatim de ipso P. Ribadeneyra, an esset concionator, et cum esse concionatorem respondisset Comes: talis, inquit, mihi visus est.

[1] Vide hoc in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 158 et seq.

[2] Erat is Antonius Perrenot, postea Archiepiscopus Mechlinensis, Cardinalis Granvellanus (vide infra statim, n. 1898). Ad rem faciunt duae epistolae P. Polanci, P. Ribadeneirae scriptae *ex commissione* Sti. Ignatii, quas vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 226-231.

[3] Nimirum, "Regi Comes Feriae significavit omnia in Regis manu esse posita, et Societatem studio teneri serviendi Deo ac Regi in illa sua provincia, quidquid ipse Rex de haec Collegiorum institutione statueret.„

1897. Subjecit deinde se optime novisse P. Ignatium eo tempore, quo pullis vestibus indutus in Hispania, ad D.am Eleonoram Mascharegnas [1] (a qua Rex educabatur) venire solitus erat.

1898. Deinde de rebus in India gestis a Societate agere coeperunt, et Rex ad se [2] deferri voluit litteras, ultimo ex India acceptas, quas biduo ante Comiti Feriae P. Ribadeneyra dederat. Deinde praedictus Comes Feriae Episcopum Attrebatensem (hic postea, Cardinalis effectus, Granvellanus vocatus est), est allocutus, ut videret quo in statu res essent, et suscepit urgendum Comitem Ruigomez; qui [Comes Feriae] non solum ut proprium hoc susceperat negotium, sed quandocumque ad eum nostri accedebant, omnibus aliis, etiam primariae nobilitatis viris relictis, ad eos accedebat, et de rebus nostrae Societatis studiosissime cum eis loquebatur; et tamen post Comitem Ruigomez primas apud Regem tenere censebatur. Nam praeter quam quod ex magnis Hispaniae principibus esset, Praefectus Praesidii regii (custodiam vocant) erat, et cum ipso Rege ab ineunte aetate fuerat educatus, et ipsi valde familiaris erat.

1899. Dum P. Ribadeneyra cum Rege loqueretur, Franciscum Ghiraldum in citeriori cubiculo aliqui ex primoribus circumsteterunt, et de Societatis dilatatione multa postulabant. Tunc Dominus Didacus de Cordoba, qui unus erat ex eis, et in Regis cubiculo magnae auctoritatis, coepit de Collegio Viennensi magna ceteris referre; confessarius etiam Regis (qui praeter superius dictos concionatores, hoc etiam munere fungi solitus erat), qui concionem in die Epiphaniae habitam audierat, amicitiam P. Ribadeneyrae ostendebat; caute tamen [hic] cum eo egit, quod amicum valde dubium suspicaretur.

1900. Ex duobus igitur negotiis praecipuis, scilicet Domini Joannis de Mendoza et collegiorum, prius recte expeditum fuit; et Domino Alvaro de Mendoza, (cui per equos dispositos nunciatum fuerat, relicto Castro Novo, ejus fratrem ad Collegium Societatis venisse, et ita praefecturam ejus arcis a Rege statim ipse postulavit), concessum fuit [3] officium, quod ejus frater Dominus Joannes habuerat: et ita Comes Ruigomez censuit reti-

[1] Ms. *a D. Leonora Mascharegnas.*
[2] Ms. *a se.*
[3] Ms. *fuisse.*

nendum esse Dominum Joannem in Societate, nec alium Regis consensum expectandum esse, postquam praefecturam Domino Alvaro [Rex] concesserat [1].

1901. Cum autem Rex, relicta Antuerpia, Bruxellas rediturus esset, statuit P. Ribadeneyra Lovanio transire, et bis aut ter ibi concionari. Putabatur autem a quibusdam negotium fundationis collegiorum lovaniensibus esse committendum, quod satis gratum nostris fuisset: facile enim in Decani et Cancellarii [manus], nobis amicissimi, res devenisset. Sed aliter res acta est; nam duo Comites praedicti urserunt Attrebatensem Episcopum, et ita per Consilium regium res est confecta; et adventus Reginae Bohemiae cum Rege Maximiliano ad curiam Bruxellensem (ut superius dictum est [2]) aliquid contulit ad hujus collegii promotionem.

1902. Concessit ergo Rex Philippus, ut Societas nostra collegia in ditionibus sibi subjectis in Belgio habere [3] posset, prout patentes litterae hujusmodi concessionis testantur [4]; et quamvis conditiones aliquae et restrictiones appositae fuerunt, is tamen erat status rerum et personarum, cum quibus hoc negotium tractandum erat, ut admitti omnino talis concessio debuerit, aliquando liberius concedenda.

1903. Quamdiu negotium hoc tractabatur, non censuit Comes Feriae recedendum esse a curia; et cum ad praedicationem Lovanii prosequendam propensus esset P. Ribadeneyra, tentationem eam esse Comes dicebat.

1904. Profectus est autem P. Bernardus Tornacum, ut a nostris aliquid subsidii temporalis haberet, ex quo nostri in curia alerentur: nec enim aequum esse videbatur, ut negotia illius Provinciae, expensis Romanae Societatis tractarentur; quamvis P. Ignatius de paupertate domus, quidquid necessarium esset ad eorum expensas, solvi voluisset.

1905. Aliqui nobiles necessaria nostris offerebant, sed non audebat P. Ribadeneyra quidquam ab eis admittere, donec magis charitas Comitis Feriae perspecta ipsi fuit.

1906. P. Salmeron, qui cum Legato Cardinali Motulensi ad

---

[1] Ms. *postquam praefecturam D Alvaro concessum fuerat.*

[2] Maria, Regina Bohemiae, Maximiliani II uxor, Caroli V filia et Philippi II soror, de qua vide *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 224, 225, 229, 505, 561 et supra, n. 1456 et 1463.

[3] Ms. bis repetit verbum *habere*; hic, scil., et post nomen *collegia*.

[4] Has reperies in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 575 et seq.

curiam Imperatoris mittebatur, ad illam non pervenit; sed cum itinere duorum dierum distaret, aliam viam simul cum ipso Legato ingressus est, ut Romam rediret; et misit ad P. Petrum Ribadeneyram P. Ignatii jussionem, quod attinebat ad Provincialem eligendum. Sed quia placuit divinae providentiae et P. Bernardum, qui designatus erat Provincialis, ab hac vita ad meliorem, ut speramus, evocare, ea designatio effectum sortita non est [1].

1907. Negotium extractionis frumenti et Abbatiae Rochamadoris [2] P. Ribadeneyra adjuvit; quamvis non successit ex sententia quod de Abbatia petebatur, cum in illo initio regni Rex Philippus multis gratificari deberet, vel quod ministrorum mutatio, ac praesertim Secretariorum, facta fuerat; et ita fidelis amicus Societatis, Dominus Alexius Fontana, ab eo labore, quem sub Carolo V subierat, liber relictus est; et tanquam de Dei manu hoc suscepit, et ad salutem animae suae magis expedire censuit.

1908. Decretum autem, quod factum est de prima Abbatia, quae similis esset alteri jam unitae Collegio Panormitano, jam diximus [3] Pro-regi Joanni de Vega minime placuisse.

1909. Egit etiam idem P. Ribadeneyra de sexcentis aureis annui reditus, quos neapolitana civitas ab Imperatore Carolo V postulaverat in usum Collegii nostri; et idem Imperator se velle id facere significaverat; quia tamen promissio non eo modo facta fuerat, ut Imperatorem obligaret, exigi ut promissum non poterat. Si autem ut nova gratia vel concessio peteretur, non esse illam impetrandam merito timebatur; et quamvis quod potuit in ea parte praestitit P. Ribadeneyra, non est tamen quod petebat consequutus.

1910. Accepit idem Pater declarationes Constitutionum; sed considerata rerum ac personarum ejus Provinciae dispositione, despondebat animum, quod admitti et observari, ut par erat, ibi possent, ac praesertim Lovanii. Quia vero de inducenda Societate in Angliam sollicitus fuerat Pater Ignatius, et curam hanc occasionis inquirendae P. Ribadeneyrae demandaverat, memor quidem erat; sed cum P. Bernardus obiisset,

[1] Vide supra, n. 52, 56, 57, 85, 86 et loca ibi designata.
[2] Vide supra, n. 1879, et infra, n. 1923.
[3] Supra, n. 1350.

quem secum eo deducere, ut gallica lingua concionaretur, cogitaverat, nec alium idoneum socium et illi missioni utilem videret; valde dubitabat an, etiam Rege transeunte in Angliam, eo proficisci expediret; et alioqui, si Cardinalis Reginaldus Polus id non postulasset, nihil effici posse existimabat: ad quem Cardinalis Moronus litteras ea de re dederat, sed nostros ille nunquam invitaverat.

1911. Quo magis perspectam habebat P. Ribadeneyra curiae illius regiae dispositionem, eo magis existimabat incommodam fuisse absentiam D.ris Araoz ab ea curia, quod attinet ad Regis et procerum [benevolentiam] erga Societatem conservandam; nec tam momentum negotiorum, quae ibi tractanda erant [1], ad id movendum sentiebat, quam necessitas respondendi, vel de veritate melius informandi, cum calumniae aut rumores falsi contra Societatem in curia seminabantur.

1912. De suo autem reditu P. Ignatio semel atque iterum, quae videbantur, suggessit. Negotiis enim expeditis, jam nulla ratio, cur in curia versaretur, reddi posse videbatur. Et quamvis studiis libenter operam dedisset, (necdum enim theologica absolverat); id Lovanii commode fieri non posse judicabat, partim propter praedicandi et externorum occupationes, partim quia paupertas Collegii Lovaniensis ea erat, ut P. Adrianus aliquando dixerit P. Bernardo Oliverio, malle se cessare fructum illum, qui ex P. Petri residentia Lovanii consequebatur, quam eum ibidem alere; et cum jam obiisset P. Quintinus [2], cujus reditibus sublevari poterant, aliunde Collegium Lovaniense, unde fulciretur ad hujusmodi expensas, tunc non habebat; et quia alioqui distractionem negotiorum permolestam sentiebat, ad reditum in Italiam propensus esse videbatur, quamvis omnia arbitrio P. Ignatii libere submittebat. Et postquam intellexit P. Ignatium ad Dominum migrasse, apud P. Vicarium aliam addidit causam sui adventus: scilicet, multis de rebus, ad gubernationem universalem pertinentibus, se quaedam Generali suggerenda habere, quae scriptis committi non poterant.

---

[1] Ms. *erat*.

[2] Quintinus Charlat, alias Sarlat, olim canonicus tornacensis, obiit 28 Julii 1555. De eo vide infra, a n. 2015, et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 53, 54, 56, 200, 201, 404. Hujus viri laudes prosequitur ORLANDINUS, *Hist. Soc. Jes.*, lib. XVI, n. 34.

1913. Ad Congregationem autem provincialem, juxta Constitutiones in Inferiori Germania faciendam, post Patrum tornacensium mortem nullos esse, qui convenire [possent] ad Congregationem dicebat, praeter Patres Adrianum et Leonardum, qui soli professi et iidem Rectores reliqui *(sic)* erant. Utriusque tamen adventum utilem fore, ut melius de rebus Societatis informarentur, existimabat.

1914. Ante autem quam ex curia recederet, a Rege Philippo impetrata est remissio cujusvis summae pecuniarum, cujus ei debitor erat D. Joannes de Mendoza, qui, quandiu praefectus arcis Castelli Novi fuit, more aliorum aliqua stipendia acceperat supra numerum militum.

1915. Litterae autem patentes erectionis collegiorum in Belgio, 16.ª Septembris expeditae fuerunt [1].

1916. Quidam nobilis adolescens, Petrus Andalot nomine, filius Domini Andalot, concionibus P. Ribadeneyrae motus, primo inter convictores in Collegio Lovaniensi admissus est, deinde urgebat admodum, ut in Societatem admitteretur. Ejus autem pater, vir pius ac prudens, significavit nostris timere se inconstantiam in hoc juvene, qui alioqui baculus senectutis ejus erat; rogavitque, ne ad professionem admitteretur, nec ad votum simplex, sed ut retineret secretam animi sui deliberationem, donec spiritus ejus diutius probaretur.

1917. Fuit autem patri responsum per litteras a P. Ribadeneyra, sicut et verbo a P. Adriano, ejus fratri dictum fuit, nullo modo sine voluntate patris filium admittendum in Societatem fore: proinde, ut videret ipse, an inflammata juvenis desideria locum essent habitura. Nec enim domi nostrae, antequam constaret de ipsius beneplacito, nostros eum admissuros.

1918. Admonuit tamen Dominum Andalot praedictum, quod juvenis votum religionis in communi voverat, antequam nostros cognosceret; et hortatus est ad consilium petendum a Decano et Cancellario lovaniensi.

1919. Demum, cum patris voluntate in Societatem admissus est; et duodecim vel quindecim diebus elapsis, bonus ipsius pater ex hac vita decessit. Juvenis autem in utroque homine, velut angelus Domini, videbatur, et aliquandiu in eo Collegio mansit.

[1] Non perspicue apparet an sit legendum 16 vel 10.

1920. Quia tamen quaedam negotia in Burgundia, quae patria ipsius erat, expedienda illi fuerunt, (habebat enim ecclesiasticos reditus et alia bona, de quibus aliquid statuendum erat, antequam in Italiam veniret); adjuncto fratre nostro Anselmo, qui eum comitaretur, in patriam profectus est.

1921. Facile autem docuit hujus juvenis experientia, quam periculosum sit plantas novas, antequam radices agant, ventis perturbationum, quae in patria accidere solent, exponere; dum enim vacat negotiis expediendis, ipse a vocationis gratia excidit [1].

1922. Quod attinet ad collegium ab illo nobili sabaudo Lovanii institutum [2], sperabat Dominus Petrus de Zarate in Societatis manus venire posse; et per Comitem Feriae ea de re agere coeperat, et per legatum Regis Romanorum id prius tentaverat; sed, quamvis ex quinque testamentariis aliqui Societati nostrae satis amici essent, unus eorum, qui erat Dr. Michaël Bay, aliter sentiebat; erat autem hic Rector Collegii Pontificii; postea tamen, ut admonuit P. Ribadeneyra, intellectum est testamentum defuncti illius fundatoris, sabaudis tantum locum ad collegium praedictum relinquere, et ita non ei videbatur successum bonum ullum sperari posse.

1923. Non omittam quod facultas illa erigendi collegia, de qua superius egimus [3], impetrata fuit paulo post recessum P. Ignatii ex hac vita; et cum septem mensibus in eo negotio P. Ribadeneyra [4] haesisset, et tandem 15.ª Augusti res fuisset impetrata, adscribebat ille suffragiis P. Ignatii impetrationem hanc, qui ultimo die Julii praecedentis ad Dominum migrave-

---

[1] Ipse Rivadeneira in opere ms. *Diálogos*, pag. 63 et seq., rem totam enarrat, lugetque miserrimum istius adolescentis casum, qui reus factus et sententia judicis damnatus, capite plexus est. En ejus verba: "... Fueron á Borgoña. Allí con el regalo, ó con el ejemplo, ó con las persuasiones de sus hermanos y deudos se pervirtió .. y se quedó entre ellos... Pero no se fué alabando de ello; porque Dios nuestro Señor siguió á este fugitivo soldado y le alcanzó, queriéndole volver á su real y á su gloriosa bandera. Tuvo no sé que pendencia en su patria, hiriéndole malamente; diéronle una cuchillada que le cruzó la cara y le afeó mucho. Mas no aprovechó este aviso de nuestro Señor, antes se casó después con una muger, tocada de herejía, que le inficionó y le pervirtió en la fe. Y pervertido, en los movimientos y alteraciones que sucedieron en los estados de Flandes contra el Rey D. Felipe su señor, siguió él la parte de los herejes y rebeldes, y al fin fué preso con otros. Y el año de 1568 públicamente le fué cortada la cabeza como á traidor y rebelde á Dios y á su Rey."

[2] Vide supra, n. 1874 et 1875.

[3] N. 1915.

[4] Ms. repetit hic *in eo negotio*.

rat; et paulo post confirmatio concessionis Abbatiae, quam Imperator Carolus fecerat, a novo Rege Philippo fuit obtenta, et facultas illa extrahendi ducenta modia ex Sicilia in subsidium Societatis Romanae [1].

1924. Ineunte autem mense Novembri, litteras a P. Vicario Laynez accepit P. Ribadeneyra, quibus in Italiam fuit evocatus cum socio Francisco Ghiraldo. Adjunxit autem se Societati Lovanii Dr. Ledesma, qui inter scholasticos hispanos ejus Universitatis primas tenebat [2].

1925. Cum autem ultimo Lovanium venisset P. Ribadeneyra, decrevit [Ledesma] hoc Institutum sequi, et cum ipso in Italiam venit. Ante, tamen, quam proficisceretur, egit cum Domino Joanne de Figueroa, qui praefectus arcis mediolanensis, et Comitis Feriae frater consobrinus erat, et valde conjunctus sanguine Duci Albano, de Collegio Mediolani instituendo, quod praedictus Dominus Joannes de Figueroa non mediocriter optabat, cum Societati nostrae valde addictus esset. Et cum iter instituisset P. Ribadeneyra Mediolanum, cum eodem agere de re eadem statuerat.

1926. Contraxerat etiam amicitiam in domo Ducis Feriae cum Duce Methymnaecoeli, qui Pro-rex in Siciliam mittebatur, et Societatem nostram valde diligebat; et cum intellexisset collegia Societatis eo in regno esse, hoc tantum sibi displicere ajebat, quod ipse eorum collegiorum fundator non esset.

1927. Dederat etiam ante suam profectionem ex curia Comiti Feriae litteras, nomine P. Vicarii scriptas, de P. Ignatii decessu, quem Comes valde senserat; et contulit cum eo, an Regi Philippo alias, quae ipsi scribebantur ea de re, dare deberet, et visum illi fuit dandas illi esse; et alias etiam Comiti Ruigomez.

1928. Et ita mense Novembri Italiam versus rediit, cum prius Carolus Imperator, id est, mense Septembri, in Hispaniam cum suis sororibus recessisset, quo 27.ª ejusdem mensis prospero vento pervenit, et Laredii portum ingressus [est]; et quidem cum Rege Galliae inducias ad triennium factas, Februa-

[1] Vide supra, n. 1907.—Verba autem P. Rivadeneira, quibus ipse *suffragiis P. Ignatii impetrationem* harum rerum *adscribebat*, retulimus nos quidem supra, pag. 45, n. 132, annot. 1.

[2] De hoc viro, P. Jacobo de Ledesma, iterabitur sermo infra, n. 1995.

rio mense, reliquerat: nihilominus hoc ipso anno propter bellum pontificium, vel ejus occasione, a Rege Galliae in bellum conversae fuerunt.

1929. P. Adrianus Candidus, qui Lovanii versabatur, quamvis valetudinarius esset, concionibus tamen et confessionibus etiam audiendis vacabat, et sua charitate excitatus, oblivisci adversae valetudinis videbatur. Testamentum tamen condidit, et quidquid ad ipsum pertineret, Societati reliquit; et si mater supervixisset, non parum id fuisset, nam paterna haereditas minor erat.

1930. Rogatus autem sententiam de Provinciali eligendo, P. Bernardum Oliverium nominavit, quemadmodum P. Adrianus Adriani nominaverat P. Leonardum Kessel.

1931. Redierat ex missione chulembergensi P. Arnoldus Hesius, et pergebat apud S.^{m} Michaëlem confessiones audire, ac subinde concionari; nam P. Candidus apud S.^{am} Geltrudem, ecclesiastem agebat; sic enim rogaverant et Abbas et pastores ejus ecclesiae, et videbatur ipse experiri, quod, dum se exercebat, habebat melius.

1932. Ipse autem P. Adrianus, Rector, confessionibus potius quam praedicationi vacabat; quamvis interdum, ut diximus, concionaretur, nec sine fructu et auditorum satisfactione.

1933. Cum autem Comitissa Ostratana, quae Mechliniae versabatur, in Quadragesima P. Arnoldum ad se mitti postulasset, misit eum P. Adrianus; et postquam ejus ac filiarum confessiones audivit, et sacram eidem communionem est impertitus, confessarium eidem ex praescripto P. Adriani assignavit; quemdam, scilicet, sacerdotem saecularem, qui, cum Lovanium veniebat, nostris confiteri solitus erat, et erga Societatem optime erat affectus, quemadmodum et ipsa Comitissa, quae factis suam benevolentiam testatura credebatur.

1934. Scripsit autem P. Adrianus P. Vicario sibi videri P. Ribadeneyram cum socio ex illa Provincia revocandum esse, nisi forte in aula esset relinquendus; et nullam ipsi jurisdictionem in illius Provinciae homines tribuendam sibi videri, quia nec mores nec ingenia hominum ejus regionis noverat. Itaque in hac parte satis confirmare videtur, quod ipsemet P. Ribadeneyra scripserat, videlicet, parum gratam futuram P. Adriano suam et socii praesentiam.

1935. Rogabat idem etiam Adrianus, ne facile crederetur ejus censuris, donec et ipse auditus esset; forte paupertas Collegii Lovaniensis et parum prospera valetudo P. Ribadeneyrae, quae aliquo subsidio egebat, hujus aversionis causa fuerat; quamvis alioqui bene inter ipsos conveniret.

1936. De P. Adriano Candido scribit idem, quod potius in laxitate quam in severitate procedebat. Et cum ille ad matrem, curandae valetudinis causa, Antuerpiam ibat, ubi delicate tractabatur; pejus affectum, quod ad valetudinem attinet, redire [dicit], ac eumdem protestari, quod nulla victus ratione melius quam in communi mensa nostri Collegii habebat.

1937. Conciones etiam nunquam ipsi fuisse injunctas, sed experientia id intelligi, quod melius habebat et hilarius, cum occupationibus ejusmodi detinebatur, quam sine illis.

1938. Idem scribit, audita P. Ignatii morte, inter lacrymas non parvam sensisse nostros confidentiam in Domino et spiritus erectionem. Erat autem jam accinctus ad iter, quod postridie aggresurus erat, cum per P. Ribadeneyram alias accepit litteras, quibus dilata Congregatio in annum sequentem significabatur.

1939. Valedixerat ille in duabus concionibus publicis populo, quamvis non fuerat ausus recessum significare, ne nimio dolore afficeretur aut in clamores prorumperet. Sed cum postea homines, eum audire soliti, cessare profectionem, quam prius instituerat, intellexerunt, mirum in modum laetati, gratias Deo egerunt.

1940. Admoniti fuerant ex Urbe omnes nostri, ut admonerent, num aliquos ex nostris, qui Romae versabantur, excipere possent; nam propter bella Romae imminentia, de prudentium consilio multi extra Romam mittendi erant; sed P. Adrianus scripsit Lovanium nullos mittendos esse videri, tum quod non videbat, quid ibi, quod magni momenti esset, agere possent; tum propter Collegii paupertatem; tum propter domus angustias; tum quod opus esset in regimine multorum occupari, et statutis ac regulis plures egerent et officiis etiam domesticis; nam eo tempore sic res erant compositae in eo Collegio, ut quaedam familia extra Collegium omnia necessaria emeret, et coqueret et adferret: alia lavandi et reficiendi vestes, etc.: alia custodiendi ornamenta ad usum sacelli... et ita ajebat Re-

ctor nostros libere posse suis studiis et rebus divinis vacare. Aliquando autem sperabat domum amplam nobis donandam et reditus augendos, innuens quod tunc alia ratio domesticae oeconomiae necessaria futura erat.

1941. Cancellarius leodiensis, cum Lovanii esset, ursit P. Adrianum ut scriberet P. Vicario optare se duos vel tres Patres Societatis Leodium mitti, quos ipse sua mensa exceptu-rus erat, et omnia necessaria subministraturus. Et primo loco concionatorem aliquem, qui latine verbum Dei proponeret; se-cundo loco concionatorem gallicae linguae; sed non tanta erat concionatorum copia, ut tam multi possent Leodium mitti.

1942. Mense Decembri admonuit idem P. Adrianus domum ac situm pro erectione Collegii nostri, satis amplum, mille et ducentis ducatis emptum esse, et duos vivos fontes et puteum domesticum habere dicebat, et quod Dr. insignis Assel, qui Tri-denti obierat, eam aliquando domum habitaverat.

1943. Post recessum P. Ribadeneyrae Dominus Petrus de Zarate aliqua Societatis negotia in Regis curia agebat, ac Co-mitis Feriae favore ad res Societatis juvandas semper uti po-terat.

1944. Admonitus etiam fuit Cardinalis Polus [1] in Anglia de P. Ignatii decessu, et cum se doluisse de Societatis jactura P. Vicario Laynez respondisset; quod ipse in ejus locum succe-deret, pergratum sibi fore significavit; et suam operam ipsi offerens, nihil praeter orationes ad Angliae auxilium a nostra Societate se expetere significavit.

Et haec de Lovaniensi Collegio.

ADDITA COLLEGIO LOVANIENSI [2]

1945. Negotium fundationis collegiorum non exiguas pati difficultates coepit, cum adhuc esset Antuerpiae Rex Philippus,

---

[1] Reginaldus Polus (Pole) Cardinalis, Legatus Angliae in Urbe, de quo saepe men-tio facta est. Vide supra, t. v, pag. 35, n. 61; pag. 301, n. 817; pag. 316, n. 858; pag. 555, n. 1524; *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 46, 47, 419, 420, 435, 465.

[2] In Codice ms. pag. 943, post verba: *Et haec de Lovaniensi Collegio*, interjecto duorum versuum spatio, apponitur litteris aliquanto grandioribus, in media pagina hic titulus: DE NOSTRIS TORNACENSIBUS. At vero paulo infra, pag. 950, in parte superiori chartae, linea a sequentibus separata, titulus hic inscribitur: ADDITA COLLEGIO LOVA-

eo quod nec Imperator Carolus, nec Regina Maria, nec Consilium Flandriae atque Burgundiae huic negotio favebant.

1946. Quia ergo Rex Bruxellas rediturus erat, et nostri eo redire debuerunt; Lovanio tamen iter fecerunt, ubi prima die Martii, quae dominica erat, P. Ribadeneyra in ecclesia S.ti Michaëlis concionatus est tanta cum frequentia auditorum, ut nullus viventium tantam multitudinem scholasticorum in unum locum convenisse Lovanii viderit. Et cum ecclesia S.ti Michaëlis valde capax esset, duabus horis ante initium concionis plena erat, et mira prorsus erat audientium satisfactio.

1947. Dicebat quidam nobilis, frater uterinus Ducissae Parmensis, cuidam amico, se quatuor et quinque leucas venturum esse libenter, ut hujusmodi conciones audiret; et invitabat alium ad conciones hujusmodi audiendas, in Europa similem non esse concionatorem, affirmans. Et haec ipsa verba ab eo audivit.

1948. Audiebantur autem in concionibus crebra suspiria et gemitus. Alii etiam ubertim lacrymas fundere cernebantur.

1949. Iterum dominica sequenti concionaturus erat, et interim Decanum et Cancellarium lovaniensem allocuti sunt nostri, qui operam suam apud Regem obtulit officiose, cum ab ipso ad curiam simul cum Inquisitoribus evocaretur, ut de modo repellendi haeresum progressum in inferiori Germania agerent.

1950. Doctorem etiam Amerozium allocuti sunt, qui Attrebatensis Episcopi praeceptor fuerat; et non solum ad hoc negotium admittendae Societatis suam operam promisit apud Episcopum, sed apud eumdem sponte sua de collegio, a praedicto [1] sabaudo instituto, ut scilicet ad Societatem deveniret, curaturum se recepit; nam Attrebatensis Episcopus summam ea in re auctoritatem habebat.

1951. Non fuit autem permissus concionari Lovanii, prout constituerat P. Ribadeneyra, ex curia Regis evocatus, quo pervenerant litterae Roma missae.

1952. Comes autem Feriae curaverat prope domum suam

NIENSI.—Visum est quae sub hoc titulo continentur, ea cum narratione illius Collegii continuanda esse, utpote cum ipso arcte cohaerentia: deinde narratio DE NOSTRIS TORNACENSIBUS subjicietur.

[1] Supra, n. 1922.—DELPLACE, *l. c*, pag. 33 *, annot. 1.

Bruxellis, aliam ad usum nostrorum conduci, rogavitque nostros, ut omnia necessaria ad victum ex ipsius domo, conjuncta nostrae, acciperent. Et hoc, oblatum magna cum charitate beneficium, ab eo admissum est.

1953. Acceptae fuerant litterae ex Urbe de rebus ad Dominum Joannem de Mendoza pertinentibus, et satis in curia constabat non satis *(sic)* repentinam, sed satis consideratam ejus fuisse deliberationem. Forma etiam, quam P. Ignatius tenuerat cum eo, multum aedificationis in praedicta curia dederat; et ipse Rex cum Comite Feriae ea de re agens, et ibi se habere P. Ignatii litteras dicens, satisfactionem ostendebat, et facti approbationem; et de Societate loquendo, addidit P. Canum magnum Societatis inimicum esse. Nam ex Hispania scriptum fuerat Comiti Ruigomez, quod cum ille Pauli epistolas interpretaretur, in singulis lectionibus in Societatem impingebat.

1954. Non omittam autem quod Secretarius Fontana nostros admonuit, formulam scribendi Regi, quae incipit: S. C. R. M.tas [1], magis in curia probari [2] quam antiqua illa, qua P. Ignatius uti solitus erat [3]; sed fortassis hoc judicium Secretariorum erat.

1955. Venerat his diebus ad Regis curiam Dominus Ludovicus Vanegla, a Rege Romanorum missus, et ipsius nomine, Regi Philippo negotium admittendae Societatis in illis regionibus serio commendavit. Et ille, ut amicus erat Societatis, amanter hoc officio functus est.

1956. Intellexerunt autem 12.a Martii quod Rex supplicationem nostram Praesidi Consilii, Viglio, dederat. Dixit autem tam ille quam Episcopus Attrebatensis Comiti Feriae, consulendos esse in hoc negotio omnes Episcopos, inter quos et Cameracensis [erat]; quod statim retulit Comes nostris, et inde ad palatium se conferens, simul cum Comite adiit; et videri sibi a ratione alienum dixit negotium hoc Episcopis committere; tum quod illi pars contraria censenda erant, tum quod eorum vita et doctrina ea erat, ut hujusmodi negotium eis non esset committendum.

---

[1] *Sacra, Catholica, Regia Majestas.*

[2] Ms. *probabatur.*

[3] Erat haec: *Mi Señor en el Señor nuestro.* Vide *Cartas de San Ignacio,* t. VI, pag. 11 et 239.

1957. Respondit autem Rex hoc negotium matura consideratione tractandum esse. Quod autem maxime offendebat Praesidem Viglium, hoc erat, quod Societas a jurisdictione Episcoporum exempta esset, et quod sine ipsorum facultate posset concionari; et si accideret, ut aliquis ex nostris praedicaret, aut ageret quid mali, nullum remedium adhiberi posse, nec posse prohiberi praedicationem, nec puniri male acta. Et cum responderet Inquisitor Polletus, amicus noster, quod nostri hoc privilegio non utebantur, et quod ipsi constabat nostros concionandi licentiam ab Episcopis postulasse; respondit Viglius, quod si nostri id faciebant, alii venire poterant, qui non id facerent, nec ad id tenerentur.

1958. Cum subderet Inquisitor, Episcopos eo tempore assensum suum denegare rebus, quae ad populi bonum pertinebant: At, inquit, Viglius, boni Episcopi praefici poterunt, et qui de Societate sunt, degenerare et mali evadere poterunt.

1959. Videbatur itaque res eo ventura, ut, si Societas esset admittenda, promissio nostris exigeretur, quod sua exemptione uti, et sine facultate Episcoporum concionari, nollent. Et ita Comes Feriae nostros interrogavit, an cum hujusmodi conditionibus in illam regionem [recipi] vellent.

1960. Responderunt autem nostri, scilicet P. Rivadeneyra et [P.] Bernardus, integrum non esse nostris derogare auctoritati Summi Pontificis; quod fieret, si Episcopis promitteretur Sedis Apostolicae privilegia restringere.

1961. De parochis etiam dixit Viglius, quod praejudicium passuri erant, si nostri sacramenta ministrarent, et verbum Dei praedicarent. Non itaque deerant, qui admissionem Societatis diligenter admodum impedire conarentur. Sed statuebant nostri negotium urgere; et si bona aliqua conclusio speraretur, ad eam deducere; sin minus, supersedere, et in aliud tempus differre constituebant. Si enim repulsam nostri paterentur, in posterum ostium claudi Societati videbant.

1962. Impediti fuerunt itaque hac Quadragesima praedicti Patres, Bernardus ne Insulis aut Tornaci, Ribadeneyra Lovanii, ut optabant, concionarentur. Si enim hoc negotium a Rege, flandro aut burgundio alicui commissum fuisset, P. Bernardi opera valde necessaria apud eos videbatur; Ribadeneyrae autem abesse omnino non licebat; et tanti momenti hoc nego-

tium videbatur, ut utriusque opera utiliter omnino collocari in curia videretur. Si enim haec admissio non obtinebatur, Episcopi, magis quam unquam alias, difficiles se exhibituri videbantur, nec solum collegia, sed operam etiam nostrorum in colenda Domini vinea exclusissent.

1963. Nihilominus P. Ribadeneyra, cum tempus confitendi accederet, et familia Comitis Feriae, quae ampla erat, eum rogasset, ut rationem bene instituendae confessionis eos erudiret, in sacello quodam, e regione ipsius domus Comitis sito, concionem habuit, quam et familia Comitis et alii multi audierunt cum non mediocri eorum et satisfactione et fructu: quod cum Comes rescivisset, misit ad P. Ribadeneyram et apud eum conquestus est, quod parum charitatis ipsi exhibuisset, non significando, quod concionem illam esset habiturus, ut ipse interesse posset; sed, postulata venia, P. Ribadeneyra, qui existimabat eum non interfuturum [1] facile suppleri posse, quod erratum erat, admonuit, quandocumque ipsi placeret.

1964. Tam autem ipse quam P. Bernardus audiendis confessionibus curialium vacarunt; non [tamen] est concionatus publice hac Quadragesima Bruxellis, libenter alioqui id facturus, quod claris concionatoribus, ut diximus, curia abundaret.

1965. Tractabantur autem a Comite mira liberalitate et charitate; nec enim contentus fuit quod domum valde commodam [parari], et necessaria nostris subministrari jusserat; sed ipsemet ad nostrorum habitationem videndam, ut videret, si quid deesset, venit, et haec et illa, quae ipsi videbantur opportuna, curari jubebat; et ejus ministri in hoc tantum contendebant cum nostris, quod non omnia illa admitterent, quae offerebant.

1966. Crebro etiam et valde familiariter nostros invisebat, et omnia sua, ut cum patre, conferebat, quod admirationis in multis causa erat, propter magnam ipsius auctoritatem et gratiam apud Regem.

1967. Impetratae fuerunt litterae a Rege Philippo ad Proregem Neapolis ut illa quatuor millia ducatorum, ab Imperatore concessa [2] in usum Collegii, executioni curaret mandari; sed cum successisset Dux Albanus Domino Bernardino de Mendoza,

---

[1] Ms. *interesse*.

[2] Vide supra, t. IV, pag. 179, n. 378, et pag. 187, n. 399, et t. III, pag. 186-188, n. 393-395.

non sperabat P. Ribadeneyra (prout in curia satis intellexerat) res nostras illum esse promoturum.

1968. Praecipuum autem negotium gravem patiebatur adversarium Granvellanum, Episcopum Attrebatensem, cui Praeses Viglius conjunctissimus erat, et idem in collegio illius fundatoris sabaudi, nostris diligenter obstiterat [1]. Et quia in rebus illarum provinciarum circumspecte Rex Philippus procedebat, timeri merito poterat, ne hujus negotii progressum illi impedirent.

1969. Et quamvis aliqui nostros adituros Cardinalem Granvellanum et Viglium censebant [2], consultius tamen videbatur Comiti Feriae et aliis amicis, ut a Rege ipso responsum expectarent [3], non ab illis, qui nostra privilegia videre et limitare velle viderentur [4]. Et cum dixisset Ribadeneyra, nec ad Regem, nec ad ejus Consilium, nec ad ullum inferiorem pertinere reformationem concessionum Sedis Apostolicae, et id Comes Regi retulisset, fatebatur Rex verum a nostris dici; et, quamvis pedetentim admodum procederetur, quia adversariorum conatibus obviam eundum erat, non teri tempus Comiti Feriae videbatur, et in gravibus hujusmodi negotiis devorandum id semel censebat, multum, scilicet, temporis esse expendendum.

1970. Etiam Dominus Petrus de Zarate contradictionem gravem patiebatur a religiosis Sancti Francisci in suo negotio, propter tria illa collegia Societatis, quorum unum Hierosolymis erat instituendum [5]; et tam P. Fresneda, confessarius Regis, quam P. Castro et alii, qui magnam auctoritatem ea in curia habebant, volebant omnino P. Ignatium coram Notario resignare suo juri, quod habebat ad praedicta collegia juxta litteras Apostolicas, et alia hujusmodi, quae parum rationi consona et decentia videbantur; quibus minime Dominus Zarate consensit, quamvis a Societate nostra hujusmodi collegia curata nunquam fuissent, nec tali negotio se nostros immiscere constabat.

---

[1] Vide supra, n. 1922.

[2] Ms. *Et quamvis aliqui nostros adeundos Cardinalem Granvellanum et Viglium censebant.*

[3] Ms. *expectaret.*

[4] Ms. *non ab illis, qui nostra privilegia videre, et non limitare velle viderentur.*

[5] Vide de hujusce Collegii negotio quid sentiret Stus. Ignatius; *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 318 et seq., ubi aliae citantur ipsius de hac re epistolae.

1971. Inter alios viros nobiles cum quibus, de rebus ad Deum pertinentibus, agebat P. Ribadeneyra; unus erat Dominus Ferdinandus de Vega, Pro-regis Siciliae frater, qui cum Reginam comitaretur, unus ex mulis, qui ejus lecticam deportabant, incusso calce, crus ejus dexterum confregerat; et quia magna afficiebatur consolatione ex colloquio P. Ribadeneyrae, et eum rogaverat ut se crebro inviseret, diu noctuque saepe illi adesse debuit: aliquando tamen in sacello praedicto cum fructu concionabatur.

1972. Nuncius Summi Pontificis, occasione ab ipso Rege data, qui de rebus ad ejus regionis reformationem pertinentibus, cum eo agebat, negotium nostrorum collegiorum ipsi commendavit. Pacifice etiam tunc Pontifex cum Rege Philippo agebat; et cum intelligeretur P. Salmeronem cum Legato ad curiam venturum, magna laetitia proceres illi afficiebantur. Quia tamen multi in curia illa obscurare veritatis lucem, quod ad Societatem attinet, nitebantur, subsidium ex Hispania mitti P. Ribadeneyra optabat. Quia tamen Patris Araoz praesentia in Hispania valde necessaria esse dicebatur, non sine magna occasione inde educendum amici censebant: minus autem urgebat negotium admissionis nostrae Societatis, ut expectaret P. Ignatii responsum, quod ad conditiones attinet, [1] et ut expectaretur Reginae Bohemiae adventus, quae multum auxilii huic negotio allatura videbatur.

1973. Fuit etiam circa id tempus intellecta causa, cur Patres ordinis S.ti Francisci collegium Societatis fieri Hierosolymis recusarent. Timebant enim, aut certe sub timoris colore rem tractabant, ne a nostris [illi] Hierosolymis expellerentur, et eo res progressa erat, ut aliquis ex ministris Regis, et quidem ipsi conjunctus [2], diceret Comiti Feriae, quod, instituto collegio Societatis nostrae Hierosolymis, monachi S.ti Francisci, qui sancti Sepulchri curam habebant, dissipabantur.

1974. Ut autem hujusmodi suspicionibus et falsis informationibus ostium occluderet, adivit P. Ribadeneyra Comitem Ruigomez, et ei significavit quomodo P. Ignatius favere Domino

---

[1] Id est, sperandum non erat P. Ignatii responsum, qui conditiones illas admitteret, de quibus supra, n. 1959 et 1969; ex alia autem parte, expectabatur Reginae Bohemiae adventus, etc.

[2] Ms. *conjunctis*.

Zarati nunquam voluerat in his quae, ut pertinentia ad Societatem, ipse tractabat; et ita se a praedicto Comite Ruigomez nullum in hac parte favorem, quod ad Societatem attinet, postulare [1]: quod audivisse gratum fuit Comiti Ruigomez, quamvis facile fuit intelligere cujusmodi informationes in curia circumferrentur, et quae hominum esset propensio ad eas admittendas, quandoquidem in tam sancto negotio, quod Dominus Zarate tractabat, adjuncta Societatis collegia difficultatem ingerebant.

1975. Scriptum fuerat ex Hispania hoc tempore ad quemdam, quod teatinae ter singulis diebus communicabant, et media nocte ex domibus suis egrediebantur, ut ad teatinos irent. Et quamvis res tam a ratione remota erat, observatum fuit, nec defuisse qui eam scriberet, nec qui referret etiam primariis viris; ut facile daemoni multos esse ministros in curia Regis ad nomen Societatis obscurandum cerneretur.

1976. Accepit his diebus P. Ignatii litteras Comes Feriae, quibus ipsi gratias agebat de charitate et officiis Societati nostrae impensis, quibus magnam consolationem accepit, et eas se optime servaturum dixit [2].

1977. Et [Rivadeneira] cum bona ipsius venia, rogatus a lovaniensibus, Lovanium se contulit, ut ibi die sequenti, qui dominicus erat, concionaretur; sed antequam suggestum ascenderet, ad eum pervenerunt, per equos dispositos, duo a Comite Feriae missi, qui propere admodum P. Ribadeneyram Bruxellas revocabant, eo quod Dominus Ferdinandus de Vega morti vicinus post ejus recessum videretur, et aliqui nobiles valde eum rogabant, ut per eosdem aut similes equos statim rediret; et paulo post accessit secretarius Comitis Feriae, ad hoc ipsum missus.

1978. Et cum quatuor illas leucas [3], quibus distat Lovanium Bruxellis, hora cum dimidia confecissent, eodem fere tempore, aliis omnibus relictis, P. Ribadeneyra Bruxellas rediit.

1979. Significaverant autem medici Domino Ferdinando de Vega animae curam habendam esse; quod nuntium aequissimo animo Dominus Ferdinandus accipiens, evocato sibi Fra-

---

[1] Ms. *postularet.*

[2] Habetur haec epistola in t. VI. *Cartas de San Ignacio,* pag. 205.

[3] Ms. *Et cum itaque cum quatuor,* etc.

tre nostro Francisco Ghiraldo ut sibi adesset, [voluit ut] cum primum adesset P. Ribadeneyra; et ita eadem dominica die, qua venerat, coram ipso aegrotante Missam celebravit; et sic eum animatum ad mortem subeundam juxta Dei voluntatem invenit, ut sanctae illius morti non parum invidendum esse censeret; quamvis aliter nobiles curiae mortem ejus sentiebant; cum enim valde ab omnibus diligeretur, ita acerbe admodum eos hic immaturus obitus percellebat.

1980. Quibusdam autem diebus et noctibus cum eodem mansit P. Ribadeneyra, donec, omnibus sacramentis acceptis, spiritum Domino reddidit; et de felici ejus transitu prolixe P. Ribadeneyra ad Pro-regem Siciliae, fratrem, ad consolationem et omnium aedificationem scripsit [1].

1981. Negotium interim admissionis nostrae Societatis, sicut et alia fere omnia, haerebant, [partim] ob Regis minus prosperam valetudinem, partim quia frigide propter alias occupationes majoris momenti, quae ad bellum pontificium pertinebant, proceres occupabantur. Ipso tamen die Ascensionis Domini, Secretarius Erassus significavit Domino Petro de Zarate quod Rex Philippus admittebat, et amplectebatur hoc opus ad honorem sancti Sepulchri et religionis augmentum pertinens, quod jam duodecim annis ipse, indefesso labore, promovere curaverat; nec illae conditiones aut accessiones necessariae fuerunt, quas monachi aut eorum fautores proponebant.

1982. Aprili mense Bruxellis evocatus fuerat P. Bernardus, quod ejus mater morti vicina diceretur; sed ad ejus adventum cum illa melius habere coepisset, Tornacum se contulit, ubi semel atque iterum cum ingenti concursu et pari fructu concionatus est; multi autem eum ibidem retinere conabantur, et inter alios dominus loci saepius nominati, de Torquin [2], cujus quartam partem haeresi infectam esse, postquam inde recesserat P. Bernardus, affirmabat: et prorsus magnos progressus eo tempore haeresis faciebat; et aliquando ex uno exiguo loco quinque, ex alio decem, ex civitate autem insulensi quinquaginta familiae simul in Germaniam, ut haereticam vitam liberius agere possent, recedebant. Et nostri quidem tornacenses ferventer admodum in Domini vinea laborabant, ut his malis

[1] Vide supra, pag. 324, n. 1323.
[2] Vide supra, t. v, pag. 306, n. 850.—De eo rursus agetur infra, n. 2030 et 2037.

obviam irent; et eis se adjungere P. Bernardus, si curiam et negotium illud praecipuum relinquere potuisset, cupiebat [1].

1983. Oculos etiam canonici tornacenses aperiendo, cum nullos pueros jam invenirent, qui in ecclesiasticis ministeriis Deo servire vellent, (juventus enim potius quam alia aetas ad haeresim propensa cernebatur), de reformatione scholarum cogitare et tractare coeperant. Collegium habebant duodecim puerorum pauperum, quorum praeceptor publicae etiam civitatis scholae praeerat.

1984. Optabant autem aliqui ex his canonici ut P. Bernardus, ejus collegii curam saltem ad tempus assumeret [2]; sed ad P. Ignatium rejecit ille responsum, quem consuluit, num admitti deberet hujusmodi collegiolum, cum praeter expensas praeceptorum, quas canonici daturi videbantur, P. Quintinus sex aut octo scholasticos Societatis domi suae posset sustentare; et sic specimen aliquod dari posse collegiorum nostrae Societatis [3] videbatur; et aliqui fortassis ad fundationem collegii ea ratione moveri poterant. Sed si hoc munus a nostris obeundum erat, duo praeceptores, alter rhetoricae, alter humaniorum litterarum, Roma mittendos esse scripsit; sed P. Ignatio visum non est hujusmodi collegium admittere.

1985. Jacobus ille burgensis, de quo superius mentio facta est [4], quod Tornaci ad Societatem aspirabat ex voto, instabilis fuit, et uxorem duxit; sed ejus loco alter ingressus est; et ita duos habebat secum P. Quintinus, quorum alter Romam fuit missus.

1986. Mense Majo, cum ex capite P. Quintinus vehementer laboraret, nec P. Antonius bene valeret, Tornacum egressi, quietis gratia, propter confluentium ad eos multitudinem, vacare et valetudini consulere non permittebantur; et ideo Bruxellas ad domum, quam nostris Comes Feriae paraverat, venerunt et melius habere P. Quintinus coepit [5].

1987. Fuit autem eorum adventus praedicto Comiti jucun-

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 199, 200.

[2] Ms. *Optabant... P. Bernardum ut ejus collegii curam saltem ad tempus assumeret.*

[3] Ms. *Societati.* Insuper iterat hic verbum *dare.*

[4] N. 1956. Est autem Jacobus Bagivis, de quo vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 201, et infra, ubi agetur de nostris tornacensibus, n. 2026.

[5] Mag. Quintinus Charlat, cujus supra meminimus *Litterae Quadrimestres, ibid.*, pag. 200.

dissimus, qui bis eos domi suae invisit; et cum pranderent et ipsos aliquandiu spectasset cum eis colloquendo, cum postea recessit, suis dicebat nunquam recedendum esse a benedictis his hominibus.

1988. Redierunt autem Tornacum 28 Maji, et eos secutus est P. Bernardus, ut Insulis, quemadmodum valde rogabatur, per totam octavam Corporis Christi concionaretur, ac deinde Bruxellas rediret.

1989. Sed et ipse etiam P. Ribadeneyra ad hoc ipsum praedicationis officium Lovanium se contulit, ubi jam in Collegio illius sabaudi aliqui scholastici cum suo Praeside constituti erant. Sic enim Attrebatensi Episcopo et aliis visum fuerat, et ita parum spei relictum est illis, qui Societati applicari illud curabant.

1990. Scribit autem ex curia Dominus Zarate, qui eum comitatus fuerat cum Domino Garcia Lopez de Alvarado [1], quod concionatus est latine ipso die festivitatis Corporis Christi, et quidem judicio peritorum magna cum doctrina et pietate; et quia nonnulli Societati obmurmurabant, quod praedicabat et hortabatur ut homines communicarent quotidie, aliter rem se habere declaravit, cum etiam nostri, qui sacerdotes non erant, tantum octavo quoque die id facerent, quae res summopere auditoribus placuit.

1991. Dominica etiam sequenti de eodem etiam S.^{mo} sacramento cum frequentissimo, ut solebat, auditorio, ubi primarii totius Universitatis homines erant, et quidem cum utilitate eximia concionatus est; adeo ut quidam posteriorem illum sermonem ad totos decem annos sufficere posse dicerent, nec [2] futurum esse quemquam, qui contra crebro communicantes mutire auderet; et multis persuasum est, ut sanctissimum hoc sacramentum octavo quoque die frequentarent. Venerunt aliqui, ut eum rogarent, ut theologos rationem, quam tenebat praedicandi, doceret, et imprimi faceret suas illas conciones; quamvis se modeste excusavit. Et si potuisset in concionibus Lovanii perseverare, uberem admodum fructum sperari posse ajebat, propter admodum tenera et ad devotionem propensa flandrorum

---

[1] Membrum hoc orationis adjectum est orae paginae, alia manu.
[2] Ms. *ne*.

ingenia; et inter scholasticos ferebatur ex paucis habitis concionibus non poenitendum fructum deprehendi.

1992. Leodienses rogarunt eum, ut ad eam civitatem se conferret; sed id praestare non potuit, cum Bruxellas ad praecipuum illud negotium redeundum esset, ubi magnae aedificationis causa fuerunt Nuncio Apostolico [1], Comiti Feriae, Duci Methymnaecoeli [2], et aliis ejus curiae illustribus ac nobilibus viris, quae Lovanii gesta erant; et non minus, immo fortasse magis, de his, quae P. Bernardus Insulis et in aliis locis vicinis egerat, quae admiranda prorsus videbantur.

1993. Reditum [3] est autem ad tractationem negotii, et aliud memoriale Regi per Comitem Feriae datum est, quod posuit in arcula quadam, ubi res secretiores habebat, quarum expeditio ipsi cordi erat, et ita retulit Comes Feriae, quod Rex se cito expedire velle hoc negotium dixerat.

1994. Scripserat ex Hispania P. Franciscus Borgia Comitibus Feriae et Rivagorzae; et P. Tablares Comiti Methymnaecoeli et Comiti Ruigomez; scripserat et Princeps Portugalliae, D.ª Joanna, Reginae Bohemiae manu propria (nam ut diximus [4], ad patrem Imperatorem invisendum Bruxellas ventura erat). Scripsit eidem P. Franciscus Borgia: dum autem illa adveniebat, confessionibus audiendis hi Patres dabant operam.

1995. Habebat in manibus Lovanii quaedam opera sua philosophica Dr. Ledesma [5]; qui, cum [ea] in lucem edere vellet, et id impediri posse, si religionem ingrederetur, timeret; nondum constituebat Societatem ingredi; ei tamen tantopere affectus erat, ut se regi velle perpetuo ab hominibus Societatis diceret, et Deo gratias agebat ex animo, quod hoc tempore P. Ignatium

---

[1] Erat Hieronymus Muzzarelli, Archiepiscopus Consensis, de quo supra, t. v, pag. 318, n. 861, et praecipue t. iv. pag. 288, n. 617, annot. 1.

[2] Vocabatur, ut jam dictum est, Joannes de la Cerda, Dux IV Methymnaecoeli. Vide supra, t. iv, pag. 587, n. 1250, ubi de hoc viro deque aliis Hispaniae dynastis fit sermo; et in hoc ipso volumine, supra, n. 1344.

[3] Ms. *redditum*. Etiam infra, *res secretiores... quorum*.

[4] N. 1972.—Comes de Ribagorza erat Martinus de Aragon et Gurrea, qui uxorem Ludovicam Borgiam duxerat, Sti. Francisci sororem.—De P. Petro de Tablares, qui erat caesaraugustanae domus Societatis Prorector dictum est supra, t. v, pag. 889-891 et seq., n. 1053, 1051, etc. Demum, nemo nescit Joannam Portugalliae Principem, et Mariam, Bohemiae Reginam, sorores esse, Caroli V filias, non magis sanguine quam mutuo amore ac religionis studio conjunctissimas.—Vide infra, n. 2008, et 2014.

[5] Jacobus de Ledesma, vir sapientissimus juxta ac religiosus, de quo plurima SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. II, lib. I, n. 61-65, lib. IV, n. 24, et p. IV, lib. III, n. 15-33.

mundo dedisset. Sed paulo post profecit eo usque, ut, omnibus Dei providentiae commissis, Societati se totum resignare decerneret.

1996. Scripserat in Hispaniam P. Ribadeneyra postulans ad se omnes Indiae litteras transmitti, quae facile Antuerpiae imprimi poterant, et ad magnam aedificationem et utilitatem publicam id cessurum judicabat; ut inter eos, qui gallicam linguam tenebant, cesserant, quae in gallicam linguam Parisiis versae fuerant.

1997. Postulabat etiam ab Urbe de rebus Societatis quaecumque possent ad se mitti, quod Dr. Joannes Paez, historiographus Imperatoris Caroli V, et Societati admodum benevolus, ea magnopere expetebat, ut summam, suis locis, posset historiae suae inserere.

1998. Quia vero suggestum fuerat P. Ribadeneyrae, nomine P. Ignatii, ut videret num potius expediret Lovanii residere quam in curia Regis, ut inde bonus odor ad curiam perveniens, nostra negotia faciliora redderet, nam et haec erat sententia Domini Alexii Fontanae; respondit, si illis in locis adesset P. Ignatius, id minime censurum; nec enim ejusmodi erat ea curia, quae bonis odoribus moveretur, immo nec forte saporibus, qui palato quorumdam ex eis, qui in gubernaculis versabantur, gustui essent [1]; et Comes Feriae aliquando reprehenderat nimium desiderium P. Ribadeneyrae, quod ad praedicandum Lovanii ferebatur, et majoris momenti esse censeret curiae rebus assistere.

1999. Et certe id emolumenti perceptum est, ut hominum ingenia et propensiones ea in curia cognoscerentur, quamvis alioqui curiam purgatorium esse P. Ribadeneyra prius existimaverat, et pro tunc infernum potius censebat.

2000. Rediit Bruxellas P. Bernardus, postquam Insulis in ecclesia S.ti Stephani in gratiam Auditoris Camerae regiae, Inquisitoris et pastorum quorumdam et canonicorum cum ingenti auditorio fuerat concionatus, quemadmodum et Tornaci [2].

2001. Et quia indulgentiae eo tempore promulgatae fue-

[1] Ms. sic: *imo nec forte saporibus, qui palato quorumdam ex eis, qui in gubernaculis versabantur, gustui parum convenirent.*

[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 402-404.

rant, licet explicatione quotidiana fatigatus, confessionibus audiendis assidue cum aliis Patribus vacaverat ab aurora usque ad noctem, et fructus spiritualis, quem capiebant, defatigationem sublevabat, ut vix eam sentiret. Multi enim, in fide dubii, confirmabantur in ea; et aliqui etiam errantes ad Ecclesiae gremium redibant, et catholici animabantur, ut propter haereticorum irrisiones ab emendationis vitae ratione et sacramentorum frequentatione non desisterent.

2002. Non modicae etiam restitutiones ejus opera factae sunt. Complures autem jam Tornaci sacramenta octavo quoque die frequentabant; multo plures futuri, si commodam ecclesiam nostri ad sacramenta frequentanda habuissent; et ideo censebant aliam domum, relicta illa, quam habitabat P. Quintinus (quam parum salubrem experiebantur), conducendam esse prope quoddam templum, cujus parochus P. Bernardi frater erat [1], ubi ad ministerium sacramentorum et praedicationis omnem commoditatem habituri erant, quod in Cathedrali templo aliter se habebat; et quia domus illa capax erat, scholae in ea aperiri et consuetum in ea parte Societatis Institutum ostendi poterat; et ita Tornaci octo vel decem, expensis P. Quintini, vivere potuissent.

2003. Mense autem Julio denuo Bruxellis Tornacum recessit, quo, cum etiam P. Ribadeneyra ivisset 26.ª Junii, curavit ut P. Quintinus per viam donationis inter vivos ea mobilia Societati daret, quae pro testamento [2] relinquere destinaverat. Egit etiam de ratione inchoandi Collegii ex reditibus praedicti P. Quintini, ut paulo ante diximus.

2004. Egit etiam cum eodem P. Quintino de ratione relinquendi monasteriorum curam, quae illum nimis urgebat, quamvis pedetentim procedendum erat, ut vix inveniretur aliquis, cui charitatis opera hujusmodi committi possent.

2005. Coeperat pestis non solum Tornaci, sed et Bruxellis aliquos de medio tollere; et ita tam Imperator quam Rex Philippus et Reginae Franciae et Hungariae, Caroli sorores, ad quaedam loca prope Lovanium diverterant; et ideo se Lovanium

[1] "Jacques Olivier, curé de Saint-Jacques à Tournai et licencié en théologie.„ DELPLACE, *l. c*, pag. 11 *.

[2] Inceperat hic librarius nescio quid scribere; sed cum emendare statim quod scripserat voluisset, nec bene in emendatione procederet; rem semiconfectam reliquit, et denuo locutionem integram, recte quidem, rescripsit.

contulit ipse Ribadeneyra, ut, adveniente Regina Bohemiae, (quae expectabatur in dies), ad tractationem praedicti negotii ad curiam rediret.

2006. Commendaverat P. Ignatius praedicto Patri, ut si quae occasio se offerret in Angliam ingrediendi, eam non omitteret. Accidit autem ut Dux Methymnaecoeli, ipsum praeveniens, diceret sibi in mentem venisse operam Societatis in Anglia perutilem fore. Laudavit P. Ribadeneyra ejus cogitationem, et additis rationibus eam confirmavit; sed nostrum non esse ut huic missioni, non vocati, nos ingereremus; ipsum tamen Ducem posse id Regi suggerere.

2007. Recepit autem se magno cum affectu id apud Regem curaturum; sed cum idem negotium P. Ribadeneyra cum Comite Feriae contulisset, censuit ille non esse in Belgio de hoc negotio agendum; sed expectandum esse donec in Angliam Rex transiret, et tum a Duce Methymnae, vel a se, Cardinalem Polum excitari debere, et sic Societatem ejus auctoritate evocandam esse. Et quia etiam P. Ignatius suggesserat de praedicatione P. Ribadeneyrae in curia, censuit idem Comes ne id quidem tentandum esse; nam ex iis, quae aedificationem illi curiae praebuerant, hoc non postremo loco fuerat, quod nostri se nulli rei ingererent. Et cum constaret, quod concionari non poterant, non concionabantur; et hunc esse gustum illius curiae, satis diversum ab his, quae alibi gustari solent.

2008. Cum itaque Lovanium eo animo [Ribadeneyra] venisset, ut, si tempus id ferret, concionaretur, minime tamen id licuit; quia adveniente Regina Bohemiae cum suo marito, ad eam Bruxellas venit, et sororis Principis Joannae ac P. Francisci litteras ei obtulit, quas amanter accepit, et omnem operam ad negotium admittendae Societatis obtulit; et tam Comes Feriae quam Ludovicus Vaneghas, cujus superius mentio facta est [1], ei suggerendi, quod oportebat, curam susceperunt.

2009. Quidam juvenis nobilis hispanus, qui Regi, inter adolescentes nobiles serviebat, cum P. Ribadeneyra egit de rebus ad vitae suae statum spectantibus, et in Hispaniam iturus et in Societatem ibi ingressurus, ab eo recessit. Alter ejus socius aliquot ante diebus cum confessario Regis sua desideria com-

[1] N. 1955, ubi scriptum legitur *Ludovicus Vanegla*.

municaverat, qui ad suam religionem S.ti Francisci ingrediendam eum hortatus, eidem litteras obtulit, ut in Hispania statim admitteretur, quas cum accepisset et deinde de Societate nostra et ejus Instituto aliqua intellexisset, nullo nostrorum eo alloquente (quod quidem sciretur), cum praedicto adolescente animi sui propositum contulit et eumdem sequi decrevit; et cum in Hispania litteras confessarii ei reddidisset, ad quem destinabantur, Societatem ipse ingressus est.

2010. Catechismus P. Canisii Lovanii in universum tantopere placuit, ut cum impressus ibi esset, paucis diebus omnia exemplaria distraherentur. Quidam autem monachus S.ti Francisci in Collegio Castrensi illum publice et cum magna acceptatione illum enarrabat.

2011. Cum autem Rex facultati theologiae lovaniensi, ut catechismum conficeret, injunxisset; tantopere hic illis placuit, ut alium [1] meliorem se non posse conficere theologi censerent; et denuo imprimendum cum decreto theologicae facultatis et privilegio Regis curarunt, et in gallicam linguam et flandricam versus etiam est, ut in illis etiam linguis imprimeretur.

2012. Dominus de Andalot, qui cum Imperatore in Hispaniam iturus erat, ut domus ejus curam gereret, his diebus in morbum incidens, 6.a die Augusti vita functus est. Astitit autem ei P. Ribadeneyra et charitatem in ultima illa necessitate, quibuscunque modis potuit, impendit [2].

2013. Venerat ejus filius, Petrus Andalot, ex Collegio nostro, a nostris evocatus, ut patrem videret; et non solum animi patientiam de patris obitu, sed et prudentiam cum fratribus in exoneranda ejusdem patris conscientia, et subsidiis spiritualibus ei curandis, ostendit.

2014. Quod attinet ad negotium admissionis, tandem Regina Bohemiae, adjuta a Comite Feriae, tam diligenter illud ursit apud fratrem suum, Regem Philippum, ut, quamvis Praelati contradicerent, et statuta illarum provinciarum ratione amortizationis, quam vocant, [opponerent]; ad exitum demum perductum est. Nam ut objectionibus ac difficultatibus finis tandem imponeretur, a Praeside Viglio postulatum est, ut omnes

---

[1] Hic librarius scripserat *sibi;* sed postea deletum est.

[2] Est hic Alphonsus Andalot, de quo dictum est supra, n. 1916 et seq.

eas in scripta reduceret [1]; et cum Gandavum Imperator et Rex Philippus venissent, tandem Rex, quod petebatur, subscripsit, et litterae patentes in universum, et aliae seorsum in usum Burgundiae, aliae in usum Bravantiae ejusdem tenoris expeditae fuerunt. Et ita Reginae praedictae, ac Comiti Feriae admissio Societatis, inter humana media, accepta ferenda est.

DE NOSTRIS TORNACENSIBUS [2]

2015. Quamvis collegium institutum Tornaci nondum esset, nec ulli reditus aut domus propria haberetur; quia [tamen] nostri post reditum Patrum Bernardi, Quintini et Antonii ibi residebant, et inde illi collegio initium datum fuit, et interim perutilem illi sacerdotes operam proximis navarunt [3]; seorsum de tornacensibus agetur, quibus praeerat P. Quintinus, et reditibus sui canonicatus, bona ex parte domum illam sustentabat. Suspirabat nihilominus, ut ipse scribit, magno desiderio videndi impetratam facultatem ad collegia in Belgio erigenda, ut gravi onere sui canonicatus levaretur, et nudus nudum Christum sequi sub obedientia Societatis nostrae cum sociis posset [4].

2016. Vacabat diligenter ipse et P. Antonius Bucletus confessionibus audiendis, et a summo mane ante lucem usque ad meridiem, in summo templo huic pio ministerio dabant operam. Quanto autem cum fructu spirituali multorum id fieret, indicabant ex parte poenitentium voces, suos confessarios laudantium, et suae conscientiae pacem, quam per eos essent consecuti, praedicantes, et de se actum fuisse, nisi in illos incidissent [5] aliqui affirmabant.

---

1 Difficultates, de quibus hic sermo, descriptas invenies in App. II, n. 17, *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 573; in seqq. vero paginis DECRETA Philippi II in favorem Societatis Jesu. Vide etiam in *oper. cit.*, annot. 4, pag. 351.

2 Vide quae dicta sunt supra, ante n. 1945.

3 Ms. *navarent*.

4 Conferunt ad hanc narrationem, quae superius dicta sunt, t. V, pag. 301-319; et *Litterae Quadrimestres*, hujusce anni, t. IV, pag. 53, 199, 402. Ne dicta repetamus, lectorem ad ea loca remittimus. Socii qui ibi versabantur, erant saepius laudati Patres Quintinus Charlat, Superior, Antonius Boucletus et Bernardus Oliverius, qui tamen postremus P. Rivadeneiram, dum Societatis negotia expediret, saepe, ut vidimus, comitabatur.

5 Ms. *incidisset*.

2017. Singulis quoque diebus dominicis in quodam sacello ejusdem summi templi plures solito, Christi corpore reficiebant; quamvis multo plures id facturi erant, si templum nostris proprium contigisset, quo libere et commode accedere ad verbum Dei audiendum et sacramenta percipienda potuissent.

2018. Nec parum negotii nostris exhibebant qui, haereticorum sibilis [1] vipereis afflati aut infecti, ad nostros vel confessuri sua peccata accedebant, vel consilium extra confessionem petituri, ut lupis sub ovina pelle, scilicet, verbi Dei et eleemosynarum tectis, fortiter resisterent.

2019. Ipsi autem haeretici nostros multis modis oppugnabant, sed clam et in modum vulpium, non aperte. Interdum enim bene mane aut de nocte aliquid ignominiosum valvis domus nostrae appingebant; interdum litteras, blasphemiae et conviciorum plenas, per pueros mittebant, aut sub noctem sine arbitris in domum nostrorum per aliquas rimas projiciebant.

2020. Unius earum [2] libet summam hic inserere, ut eorum ingenium cognoscatur. "Salutant vos, o Patres Bernarde et Quintine, omnes fratres et sorores in Christo, qui zelum Dei vobis dari optamus; nam vera Dei scientia caretis, praedicantes populo falsam et diabolicam doctrinam: ut, [1.°] quod Missa instituta sit a Deo, et in evangelio fundata, et verbo Dei conformis. Inspicite quatuor evangelia, si ejus rei mentionem faciunt: nos confitemur coenam, quam describit Paulus. 2.° dicitis et persuadetis populo esse purgatorium; nos dicimus Christum esse nostrum purgatorium. 3.° dicitis adorandos, colendos sanctos atque etiam rogandos; nos vero mentiri vos ingenue fatemur, et asserimus, quia Christus est advocatus noster apud Patrem.

Itaque dicimus vos duos esse falsos prophetas et antichristos, quos de sede concionatoria a multo tempore [dejicere] oportuit, o hypocritae, o vani prophetae antichristi. Sed precamur Deum, ut vos illuminet. Valete.„

2021. Non solum autem ex hac epistola colligi potest quo

---

[1] In ms. perspicue scriptum legitur *similes;* at in epistola unde haec desumpta sunt haec reperiuntur: "Etiam non parum exercuerunt nos lutherani et alii haeretici, quorum *sibilis vipereis* excantati aut afflati multi ad nos accurrerunt confessuri sua peccata...„ *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 54.

[2] Scilic. litterarum. Exemplar quod hic subjicitur habes in *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 54.

spiritu hujusmodi homines ducerentur, sed etiam quam male eos habebat duorum praedictorum praedicatio ac doctrina, qua et catholici confirmabantur, et animabantur in orthodoxa fide, et haeretici confundebantur, et aliqui etiam ex eis ad Dominum convertebantur.

2022. Vacabant etiam interdum componendis discordiis inter rixantes, et aliquando separatos conjuges conciliabant. Multos etiam, consolatione spirituali et consilio egentes, hospitale etiam maximum, visitabant non sine fructu.

2023. Eodem tempore cura monialium, partim Episcopo, partim Capitulo subditarum, non parum nostros occupabat. Quamvis enim suos proprios haberent confessarios, vel quarumdam ex illis confessiones audiendae erant, vel conciones habendae. Tanta enim aliquando inter eas medici spiritualis necessitas occurrebat, ut acciderit aliquam totos triginta annos, simulatis confessionibus et interim gravissimis peccatis perpetratis, ad communionem accessisse. Et quia pium hoc opus nostris Constitutionibus consonum non est, quod curam aliquo modo monialium habere [nostri] viderentur, admonitus est litteris P. Ignatii hoc Februario mense, ut se P. Quintinus hujusmodi monialium cura exoneraret [1]: et tamen canonicatui ea cura annexa ex parte videbatur.

2024. Effecerat jam P. Quintinus ut monasteria illa suos haberent confessarios, sed a generali cura eorum, quamdiu ex fructibus canonicatus sustentabatur, liberari cum aedificatione non poterat. A speciali autem cura facile liberari se potuisse scribit, si viri religiosi Tornaci inveniri potuissent, quibus monialium hujusmodi cura committi posset, sed optabat facultatem erigendi collegia, ut diximus [2], a Rege impetrari, ut omnino canonicatum relinqueret. Quamvis enim ille suggerebat quasdam occasiones excolendi liberius vineam Domini, praesertim in summo templo; aliqua tamen incommoda inde proveniebant, inter quae illud praecipue movere videbatur P. Quintinum, quod minus appareret Societatis nostrae institutum et religiosa intentio in animarum salute curanda, et ideo paratum se offerebat ad statim relinquendum canonicatum, etiam nondum impetrata facultate instituendi collegii.

[1] Vide supra, n 2004.
[2] Supra, n. 2015.

2025. Infirmi, qui in privatis domibus decumbebant, saepe nostros confitendi gratia accersebant, et quidam ex illis ditiores enixe interdum rogabant, ut ipsorum nomine eleemosynas pauperibus distribuerent; et inde accidebat, ut saepe a pauperibus interpellarentur.

2026. Juvenis quidam, viginti quatuor annos natus, qui praeter grammaticam juri civili operam dederat, postquam aliquot mensibus P. Quintino confiteri perseveraverat, Societati se addicere instituit, et non mediocris spei esse videbatur. Jacobus Bagivis, burgensis, dicebatur [1]. Alius etiam Lovanii, in artibus promotus, ad exercitia spiritualia post Epiphaniam admissus, etiam priorem illum sequutus est, duos supra viginti annos natus, quem Romam mittendum primo vere P. Quintinus existimabat.

2027. Hac ipsa Quadragesima Ludovicus Blosius, Abbas monasterii Laetiensis, magnum desiderium litteris suis, ad P. Ignatium missis, ostendit ut in inferiorem illam Germaniam operarii Societatis destinentur [2], et acui praedictum desiderium praesentia nostrorum, qui Lovanii et Tornaci degebant; qui, licet numero paucissimi essent, strenuam admodum operam in excolenda Domini vinea navabant, nec sine successu, usque adeo, ut vel sola eorum fama, multi ad meliorem mentem redirent et Christi suave jugum subirent. Et si major hujusmodi operariorum numerus esset, brevi non mediocrem Ecclesiae reformationem, idque [non] in ecclesiasticis solum sed in secularibus etiam tum plebejis tum nobilibus sperabat, et ita suo et aliorum religiosorum nomine P. Ignatium rogabat, ut operariorum numerum augeret.

2028. Recesserat Lovanio P. Bernardus, et cum jubilaeum publicatum Tornaci esset, magnam poenitentium messem simul cum aliis habuit. Bonus tamen Pater Quintinus ex nimiis laboribus eum dolorem capitis contraxerat, ut nihil ei P. Bernardus laboris subire permitteret. Rogabat autem P. Ribadeneyram idem Bernardus, ut Tornacum accederet et juvaret P. Quintinum ad condendum testamentum. Ivit autem eo cum fratre Francisco Ghiraldo, et magnam retulit consolationem ex eorum

---

[1] De eo superius dictum est, n. 1985.

[2] Vide Sti. Ignatii responsum in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 324; necnon quae supra dicta sunt, n. 1882.

charitate et zelo, quo in vinea Domini laborabant et toti civitati aedificationi erant.

2029. Inter alios autem fructus, quos percipiebant, ille inter praecipuos erat, quod confirmabant et animabant catholicos, ut serio et viriliter se catholicos praestarent; vix enim audebant ante nostrorum adventum, propter haereticorum audaciam, catholicam religionem factis profiteri, et ecclesiam diebus dominicis ac festis ingredi, ne haereticis ludibrio essent; sed jam, Deo propitio, non solum dominicis et festis diebus, sed quotidie templum ingrediebantur, orabant in eo, confitebantur et communicabant, et eorum aliqui satis crebro; et tantum auctoritatis apud populum habebant, praecipue P. Quintinus, ut cum catholici haereticos reprehenderent, statim eis sanctitatem P. Quintini objicerent; et fatebantur ipsimet haeretici nostros bonos esse, et zelum Dei habere, sed non secundum scientiam.

2030. Id autem non mediocrem consolationem P. Ribadeneyrae attulit, quod die quadam dominica, cum concionaturus esset P. Bernardus ex loco Torchai [1], quatuor leucis distante, quatuordecim aut quindecim viri et foeminae ad ejus concionem audiendam, media nocte surgentes ad hoc iter conficiendum, venerunt, et locum ad concionem audiendam hora una ante initium ceperunt, et, absoluta concione, domum nostrorum omnes ad confitendum peccata, magna cum devotione, accesserunt.

2031. Cum autem inviseret Patres carthusianos P. Ribadeneyra, et ab illis rogaretur, ut latinam ad eos exhortationem haberet, sancta importunitate victus, id fecit; et, quamvis fere ex tempore, cum aedificatione et consolatione eorum eo munere functus est.

2032. Conciliavit etiam parentes Mag. Hermetis, qui ingressum filii in Societatem aegre ferebant. Exinde autem amici effecti, sacramenta etiam frequentarunt [2].

2033. Quaedam etiam observavit et adnotavit ad remedium haeresis in ea civitate, quae cum Nuncio Apostolico contulit, et cum confessario Regis Philippi etiam conferri voluit, et ad

---

[1] *Tourcoing*, quod oppidum infra, n. 2037, Torquin scribitur. Vide quae annotavimus supra, t. v, pag. 306, n. 830.

[2] Confer haec cum illis, quae supra narrat POLANCUS, t. v, pag. 317, n. 861.

illius civitatis spiritualem utilitatem id redundaturum esse sperabat.

2034. Iverat Insulas P. Bernardus, ubi in festo Eucharistiae et per octavas concionatus est, et crescebat auditorum numerus in dies, et ut eis satisfieret, die ultimo in duabus ecclesiis primariis concionari debuit, et vix capiebant confluentium hominum multitudinem: et ex Gauda, tredecim leucis distante, et aliis multis locis, a tribus, quatuor et quinque leucis, ut verbum Dei ab eo audirent, homines veniebant.

2035. Magistratus autem misit ad gratias ei agendas, et quia intellexerant nostros pecuniam non admittere, vinum honorarium pro suo more ad eum miserunt in signum amoris et consolationis, quam ex ejus concionibus acceperant; sed nec vinum quidem admisit P. Bernardus [1], Societatis consuetudinem obtendens; et quia rogaverant, ut, quam cito posset, ad eos rediret, cum magna messis parata esset, recepit, cum sibi id commodum esset, facturum.

2036. Est ipsi relatum, quod haeretici multi confusi fuerant, et vacillantes catholici in fide confirmati; et [constabat] alios excitatos ad frequentem usum confessionis et communionis [fuisse]. Cum autem deportaretur in processione publica S.^{m} Sacramentum ipso die octavae, nova et insolita reverentia ac devotio in hominibus observata est. Praecipuus tamen fructus in confessionibus colligi videbatur, quas, peracta concione, audiebat.

2037. Eodem die in locum Torquin se contulit, ut diebus sequentibus concionaretur; et quamvis festivi non erant, frequentissimum tamen habuit auditorium, et absolutis concionibus, quod reliquum erat diei, confessionibus audiendis impendebat.

2038. Ex Insulis atque aliis locis etiam remotioribus aliqui ad eum vel confitendi vel casus conferendi gratia accedebant. Et ipso in itinere forte plures quam quinquaginta ab Insulis usque Torquin eum comitati sunt; et nunc his, nunc illis, ut poterat satisfaciebat. Et cum ultimo torquinensibus concionaretur, rediturus Tornacum, ut ibi juxta promissionem suam concionaretur, antequam rediret Bruxellas; in hoc etiam itinere

[1] In ms. legitur *Leonardus*, sed sine dubio error librarii est; nam de eodem agitur, qui in superioribus paragraphis Bernardus appellatur, estque P. Bernardus Oliverius; nec in tota hac tornacensium sociorum narratione uspiam Leonardus aliquis reperitur.

cum his et illis, qui consilii accipiendi gratia ipsum comitabantur, semper agere debuit, donec Tornacum pervenit.

2039. Comitissa Bur, quae tribus inde leucis habitabat, misit qui rogaret ipsius nomine P. Bernardum, ut concionatum, saltem semel aut iterum, ad illud oppidum accederet; et antequam Bruxellas rediret, se id curaturum promisit.

2040. Adjuvit etiam Sinescalcum Anoniae, gubernatorem Tornaci, Societati valde amicum, et religionis catholicae egregium fautorem, qui hisce diebus magna cum devotione ad Dominum migravit.

2041. Julio mense, cum pestis coepisset Tornaci grassari, 17.ª ejusdem mensis, dum charitatis operibus vacat P. Quintinus, et sanorum atque aegrotantium confessiones audit, peste correptus fuit, et ipso die B. Mariae Magdalenae ad Dominum migravit. Vir plane magnis Dei donis, et in primis humilitate et charitate insigni praeditus [1]. Quidam etiam juvenis, nomine Nicolaus, in Societatem nostrorum admissus, paulo post ex eodem morbo decessit.

2042. P. Antonius Bucletus et P. Bernardus, juxta morem ejus regionis, sex hebdomadas cogebantur ab omni commercio cum aliis hominibus abstinere, et extra Tornacum in cujusdam amici domum secesserunt.

2043. Tamen P. Antonius eadem peste correptus fuit; evasit nihilominus hoc periculum. Admonuerat quidem P. Ribadeneyra ut a locis peste infectis abstinerent. Invenit nihilominus, non solum praedictos, sed etiam ipsum P. Bernardum mortis occasio. Undecima die Augusti, scribit ipse P. Ribadeneyra, quod juxta sententiam doctoris Hermetis medici [2], Magister Antonius extra periculum erat.

2044. Suadebat autem Patri praedicto, ut curiam sequeretur, sive Gandavum iret, sive in Angliam navigaret, donec negotium collegiorum expediret. Et quamvis esset expeditum, cum Comite Feriae et Alexio Fontana conferendum censebat, an sequi Regem in Angliam deberet. Et ipse quidem Bernardus propensus erat quidem ad hanc profectionem, si aliqua occasio per Comitem Feriae oblata esset et secum sacerdotem flandrum duceret.

---

[1] Vide ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, lib. XVI, n. 34.

[2] Vide n. 2032, et locum ibi citatum, t. V, pag. 317, n. 861, annot. 3.

2045. De se autem scripsit eodem die, quod non poterat commode Tornaco recedere; partim quod intra sex hebdomadas cum hominibus loqui non poterat, partim quod sublato de medio P. Quintino, ipsius opera ad amicorum consolationem videretur necessaria; partim quod praedicti amici domum quaerere et quae necessaria erant ad collegii institutionem coeperant, partim etiam, ut juvaret P. Antonium ad libros et alia bona mobilia recuperanda, quae nostris ille reliquerat.

2046. Duodecima Augusti scripsit idem P. Ribadeneyrae; sed paulo post coepit et ipse peste laborare, quam optimo animo et cum hilaritate se expectare scripserat, cum ejus aliqua signa primis diebus hujus mensis sentiret; et demum 22 Augusti ad Dominum et ipse migravit [1]. Et solus Tornaci relictus est ex nostris P. Antonius Bucletus, qui et ipse graviter laborabat. Et ita hi Patres, et operarii valde utiles vineae Domini, fundamenta Collegii Tornacensis solida jecerunt, propter animarum auxilium, non solum operam suam, sed etiam vitam impendendo.

Et haec de Tornacensi Collegio ac Provincia Inferioris Germaniae sint dicta.

[1] Ejus elogium contexuit Orlandini, *l. c.*, n. 35.

DE PROVINCIA GALLIAE

AC PRIMUM

DE COLLEGIO PARISIENSI

2047. In duobus locis tantum hoc anno Societas nostra in Gallia residebat, Parisiis [1] scilicet et Bigliomi; et quamvis graviter nostri anno praeterito agitati fuerint, nec tempestas omnimo recessisset, nihilominus apud S m Germanum nostri pro more confessionibus audiendis vacabant, et praecipue Januario mense, quod indulgentia jubilaei Parisiis tunc promulgata esset, et a tam multis huc et illuc accersebantur nostri, ut omnibus satisfacere non possent.

2048. Secundaria messis erat monasteriorum, in quibus virginum turba, armis spiritualibus, nostrorum opera sic instruebatur, ut in dies ad difficillima quaeque pro Christi nomine ferenda promptiores essent; quod et de aliis matronis saecularibus dici posset, quarum conversatio in coelis erat, et aegre seculi hujus fastum et strepitum ferebant, dum perfectioni serio dabant operam.

2049. Tertio loco, reclusi in carceribus, nostrorum cura juvabantur: quod genus hominum, ut despectum, lupis inferni devorandum [2] relinquebatur; e quorum faucibus non pauci erepti sunt, Deo propitio.

2050. Nullum autem negotium primis hujus anni mensibus nostris exhibebant, quominus ad assueta loca conferre se nostri et sacramenta ministrare possent, quia velut in angulo latere videbantur; quamvis ex hujusmodi angulis non poenitendus fructus colligeretur; sed haud dubie multo uberior colligendus

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 320, n. 869. — Agunt de rebus ad parisienses socios hoc anno spectantibus *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 189 et 459; Orlandini, *Hist. Soc. Jes.*, lib. xvi, n. 36. Confer etiam Prat, *Mémoires pour servir à l'histoire du Père Broet et des origines de la Compagnie de Jésus en France*. Part. iii, liv. i et ii.

[2] Ms. *devorandi*.

erat, si publice suum institutum profiteri Societas et exercere potuisset.

2051. Multi autem viri sinceri rebus nostris favebant: nihilominus ex illis plerique ex nostrorum consuetudine sibi notam inurendam timebant, dum tempestatis praeteritae recordabantur.

2052. Alii, a nostris recedentes, denuo revertebantur; non tamen deerant satis multi, qui nostrorum opera juvari vellent, quos minime familiaritatis initae poenitebat; et quamvis exiguus grex hic esset, usque adeo in spiritu proficiebat, ut etiam illatas sibi injurias et convicia propter Christi causam aequo animo, immo et laeto, ferrent ob Christi honorem. In aegrotantium etiam auxilium, tam nobilium quam plebejorum, nostrorum diligentia desudabat, et a multis nostri accersebantur (praesertim P. Paschasius [1]); quod tunc demum aegrotantes sibi bene consultum putabant, cum ipsi confessi essent: quod tamen clam fieri studebant, ne sibi calumniam et nostris gravius odium aut invidiam conflarent.

2053. Cum autem, praeter loca superius dicta, apud sanctum Cosmam et apud S.m Gervasium nostri sacramenta multis ministrarent, frendebant contra nostros, qui exercere eorum patientiam soliti erant. Error tamen quidam frenum quibusdam imponebat; existimabant enim Summum Pontificem Paulum IV nostri Instituti auctorem fuisse, et ex nostris aliquos Cardinales creatos esse; et cum nostros animo bono et imperterrito esse cernerent, sibi timebant; nec negantibus Summum Pontificem aut Cardinales ex nostris creatos esse, fidem habebant.

2054. Quamvis igitur acerbi satis eorum animi essent contra Societatem, aliquo modo eos in officio praedictus error continebat.

2055. Quamvis autem Mag. Jacobum Morellum [2], qui ex nostris scholasticis erat, Vicario Episcopo ad ordines promovendum P. Paschasius obtulisset (nec enim Episcopus tunc Parisiis aderat), nullo modo nostros admittere voluit, quod diceret Societatis nostrae Institutum nec a Parlamento regio nec ab Episcopo esse approbatum.

---

[1] P. Paschasius Broet.

[2] Vide supra, t. v, pag. 320, n. 869, annot. 4.—Episcopus autem Parisiorum erat Eustachius du Bellay, de quo saepe dicere necesse fuit.

2056. Multi interim nostrorum opera a vitiis et peccatis pedem revocabant, et confitentium concursus non mediocris, praesertim diebus festis, erat; nec solum in templis, sed etiam domi nostrae et aliquando remotissimis amplissimae illius civitatis locis, aliquae matronae nobiles, licet proprios alibi confessarios haberent, consilii et auxilii spiritualis gratia ad confitendum nostris ferventer accedebant.

2057. Viri autem primarii, qui palam videri nolebant, P. Paschasium, Provincialem, ad se advocabant, et tantam ex confessionibus permulti pacem et animi consolationem percipiebant, ut tunc demum coepisse se vivere, et libertati donati esse, sibi viderentur.

2058. Pernoctabant interim nostri apud morientes, ut eis assisterent, quod non solum cum ipsorum fructu, sed familiarum etiam interdum fiebat. Non solum autem eos, qui in custodiis publicis detinebantur, in rebus spiritualibus juvare, sed in temporalibus etiam nostri, ac praecipue P. Paschasius, nitebatur; praeterquam quod animae a gravibus peccatorum catenis liberabantur, eorum inedia et morbi charitate P. Paschasii sublevabatur, et aliqui ob exiguam pecuniae summam in carcere retenti, quaesita undequaque pecunia, ab eodem liberabantur. Consolationem etiam multis et remedia contra vitiorum morbos afferebat.

2059. Inter aliquos, qui spiritualia exercitia susceperunt, vir quidam gravis fuit, qui cum studiorum amori curam commissi sibi gregis posthabuisset, hoc et aliis suis defectibus agnitis, ad suas oves pascendas statim rediit.

2060. Indicae litterae Roma missae ad P. Paschasium fuerant: cum autem illae in gallicum idioma versae fuissent et typis mandatae, a non paucis cum admiratione et aedificatione magna legebantur.

2061. Meretrix quaedam erat insignis Parisiis, quae multis ruinae et flagitiorum causa dicebatur. Sed cum in manus nostrorum incidisset, ea, de cujus ad Deum conversione desperabatur a multis, sic digito Domini commota fuit, ut ad coenobium poenitentium, summa cum festinatione, se conferret.

2062. Cum autem gratia jubilaei sub initium Junii promulgata esset Parisiis, magnopere messem confitentium auxit.

2063. Qui nostros ex Gallia expelli aliquando curaverant,

suas censuras clam multis ostentabant; et licet palam benevolentiam prae se ferrent, a nostrorum tamen amicitia, quos poterant, avertere nitebantur. Et successit eis conatus hic apud quosdam, qui nostrorum inopiam sublevare soliti erant; sed licet aliqui amici nostros desererent, Deus non deserebat (non illis imputetur). Quam autem benevolum animum multi erga nostros gererent, plane intelligi potuit cum P. Paschasius his mensibus aestivis in gravem et periculosum morbum incidit. Domus enim nostra plena erat hominibus, qui de ipsius valetudine solliciti erant; et vel media fere nocte, quae ad ipsius usum opportuna erant mittebant; et quamvis medicus Episcopi Claramontensis ipsi assidue adesset, alios tamen medicos domum mittebant, simul cum pecunia, quae ipsis a nostris solveretur.

2064. Fuit autem Collegium Parisiense satis hujusmodi morbis exagitatum, et alii plerique, praeter P. Paschasium, satis diuturno morbo vexati fuerunt. Dabat nihilominus divina bonitas inter domesticos et externos labores animi consolationem nostris. Et non solum in pietate, sed etiam in studiis progressus egregios faciebant, et alii in humanioribus, et alii in philosophicis, alii in theologicis studiis se exercebant, et suo ordine vel declamabant latine, vel gallice intra domesticos parietes concionabantur, et in disputationibus scholasticis suis temporibus diligentes erant.

2065. Duo ex illis Bigliomum missi sunt; Jacobus Morellus et Oliverius [1], ut [2] inchoatum illud collegium sua opera juvarent; et eorum loco alii admissi fuerunt: quidam, scilicet, juvenis, humanioribus litteris et dialecticis versatus, et praeclarae indolis, octodecim annos natus; eum franciscani frustra a proposito suo avertere et ad se transferre conati sunt. Quidam alius, viginti sex annos natus, et bene doctus in humanioribus et philosophicis litteris, post illum admissus est. Et [hi quidem] missorum in Alverniam, locum impleverunt.

2066. Quamvis autem P. Paschasius in negotiis Societatis valde occuparetur, praedictis omnibus operibus pietatis tem-

---

[1] Oliverius Hameleus. De his aliisque Parisiis commorantibus dictum est supra, t. v, pag. 320, n. 869, annot. 4.

[2] Ms. habet *et*.

pus quod impenderet inveniebat, et per ministerium confessionis multos cujusvis conditionis et sexus homines adjuvabat.

2067. Appamiensis Episcopus, accersito P. Paschasio, cum de Instituto Societatis quaedam percunctatus esset, et velle se collegium in sua civitate instituere diceret; num aliquos ex nostris obtinere ad id posset, interrogabat. In initio autem reditus applicare ad sex tantum sustentandum volebat; sed cum primoribus ecclesiae suae acturum se affirmabat, ut dotem augerent ad duodecim scilicet. vel quindecim sustentandos; sed id facilius fieri posse, cum fructus cerneretur. Et postquam cum capitulo et civitate egisset de situ, domo cum horto et ecclesia et reditibus, recepit se scripturum vel P. Baptistae Violae, vel ipsi P. Paschasio, ut ad inspiciendum locum alter eorum accederet; et interim scribi P. Vicario Laynez voluit, ut sciret, num sex illos, quos in initio postulabat, inter quos unus aut alter praedicator, daturus esset; et plus quam mediocres in initio optare videbatur, ut magis populum ad collegii dotationem incitaret [1].

2068. Quidam in exercitiis, absoluta generali confessione, ad carthusiensium ordinem se convertit. Ferebant autem propemodum impatienter nonnulli, quod domum et ecclesiam propriam nostri non haberent, et ob defectum ejus, aliqui, quos pigebat ad S.^{m} Germanum accedere, a nostris avertebantur.

2069. Aliqui tamen deploratae aliquando vitae homines, nostrorum opera utendo, in novitate vitae ac pietate in dies proficiebant. Apud S.^{m} Lupum et S.^{m} Aegidium, praeter superius nominata loca, aliqui etiam a nostris per ministerium sacramentorum juvabantur.

2070. Quod attinet ad temporalia, nostri rebus necessariis destituti non erant, quamvis penuriam interdum pati Claramon-

---

[1] Quae hic dicuntur, ad hunc annum 1556 minime spectant, sed ut minimum, ad sequentem referenda sunt. Audiatur PRAT, *Mémoires*, part. III, liv. III, pag. 345: "Robert de Pellevé, évêque de Pamiers, fut le premier prélat qui suivit l'exemple de l'évêque de Clermont. Le 14 avril de l'an 1557, il prit possession du siège épiscopal de Pamiers...„ Et infra, pag. 327: "Jean de Barbançon, prédécesseur immediat de Robert de Pellevé... renonça... par une abdication plus ou moins volontaire, à ses fonctions, sinon à son titre d'évêque; mais il ne continua pas moins à favoriser le protestantisme, puisqu'il fut du nombre des évêques que Pie IV, en 1563, cita à Rome comme suspects d'hérésie.„—Sacchini initia Collegii Appamiensis refert ad annum 1559, *Hist. Soc. Jes.*, p. II, lib. III, n. 70-73; sed hic non tam de consilio Episcopi loquitur, Collegium erigere cogitantis, quam de nostrorum in illud ingressu.

tensis Episcopus eos permittebat ; qui tamen cum ex litteris quibusdam, ipsi a P. Paschasio communicatis, intelligeret Romani Collegii angustias, centum auri scuta in subsidium misit; et quia quosdam in auxilium Collegii Bigliomei, ut dicemus, postulabat, alios centum aureos transmisit [1].

2071. Ex venditis etiam bonis Mag. Joannis Rogerii, qui in Italiae provinciis versabatur [2], aliqua etiam pecuniae summa Romam missa est.

2072. Erat nihilominus Episcopus in rebus ad ipsius spiritum pertinentibus commonefaciendus, et quamvis cum dexteritate procedendum esse in ea parte amici suadebant, donec Bigliomensis Collegii dotatio expediretur, jam enim sub anni hujus initium [3], quae ad Collegium et Universitatem illam pertinebant, cum capitulo bigliomensi transacta erant, et contractus stipulatus, quod tota cura et munus illius Universitatis nostris concredebatur.

2073. Postulabat autem Bigliomensis Episcopus, praeter missum Hieronymum Bassium [4], aut Mag. Petrum Canalem, P. Baptistam Violaeum et alios quatuor, et quinque praeceptores, illum ut aedificando atque instituendo Collegio praeesset, hos ut lectiones ibidem necessarias praelegerent. Et sic aditum Societati in Galliae regnum datum iri P. Paschasius sperabat, et Episcopum Claramontensem ad majora praestanda sic animandum censebat, et dotationis hujus imperfectionem tolerandam esse, quamvis in aliis provinciis id non fieret, judicabat.

2074. Quamvis autem in Societatem praedictum Universitatis munus translatum esset, externi nihilominus praeceptores usque ad festum S.ti Joannis hoc anno conducti sunt, quod ante illud tempus, nostri Roma mittendi, venturi non crederentur; eo autem tempore, id est sub finem Junii, studia Bigliomi inchoari, quemadmodum Parisiis initio Octobris, solita erant. Illis autem ex Urbe missis, qui petebantur, dotem collegii Epi-

---

[1] De Guilielmo du Prat, Episcopo Claromontano (Claramontanum scribit saepe Polanci librarius), continuus est sermo in MONUMENTIS, ubi de rebus Societatis in Gallia agitur. Vide etiam PRAT, *Mémoires...*, pag. 316-321, 332-334...; *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 406, 324.

[2] De eo dictum est supra, t. III, pag. 9, n. 8; pag. 25, n. 39, ubi ad sacerdotium promotum illum fuisse scribitur; pag. 199, 200, n. 426, 427; pag. 215, n. 466.

[3] *Sub anni hujus initium* Polancus manu propria emendavit.

[4] Vide supra, t. v, pag. 324, n. 875; et pag. 333, n. 891; et in hoc volumine, pag. 29, n. 77.

scopus assignaturus erat, nec prius eam fecerat, cum in hujusmodi rebus lente satis progrederetur.

2075. Quamvis contractum cum canonicis, ad quos Universitatis dominium pertinebat, ut diximus, inierat [1], et cum illi studium suum Societati nostrae resignarunt, etiam dotem ipse promisit. Scribebat autem P. Paschasius hoc esse ingenium hominum ejus regionis, ut Societati fidem habituri non essent, nisi quantum opera ipsa convincerent. Quia tamen alverni optime de Societate sentiebant, magnamque nostri aedificationem acceperant, et scholis additis, majorem accepturi videbantur; Parisios usque paulatim aedificationem perventuram sperabant.

2076. Voluerat P. Ignatius intelligere, cum de mittendis Bigliomum praeceptoribus ageretur, et de Universitate illa admittenda, quae disciplinae in ea tradi solitae essent; et intellexit humaniores litteras ac philosophiam, et cum aderat theologus, etiam theologicam tradi; et ita cum hoc tempore P. Robertus [2] Bigliomi versaretur, ab eo theologiam praelegendam esse Claramontensis Episcopus censebat. Tres autem humaniorum litterarum, quartum rhetorices, quintum autem dialecticae ac philosophiae lectorem fore P. Paschasius scribebat. Eos autem libros ibi legendos, quos Societas probasset, cujus arbitrio studia universa commissa erant.

2077. Cum etiam intelligere voluisset idem P. Ignatius de constitutionibus Universitatis, reditibus, numero collegiorum, et an in perpetuum stabiliendum esset collegium nostrum, responsum ipsi est nullas esse constitutiones in ea Universitate, quae possent nostrum procedendi modum impedire; immo ab ipsa Societate confici posse statuta, pro ipsius arbitratu in Bigliomensi Universitate observanda.

2078. Nullos autem ea Universitas unquam habuerat reditus: praeceptores sua stipendia a scholasticis recipiebant. At, postquam in Societatem translata est, Episcopus Claramontanus promisit se collegium aedificaturum, et ad duodecim personas Societatis sustentandas dotem assignaturum, et quidem

[1] Nuper, n. 2072. Vide etiam quae attigit de iis negotiis Polancus in hoc volumine, supra, pag. 80, n. 78, 79.

[2] Robertus Clayssonius. Vide supra, t. v, pag. 320, n. 869; pag. 337, n. 907 et seq.; t. IV, pag. 320-322, n. 685-688, et alibi saepe, cum sermo est de nostris in Gallia commorantibus.

cum primum P. Baptista Viola cum praeceptoribus Roma Bigliomum pervenisset; interim autem domum conduci in usum nostrorum et necessaria ad victum praeparari jussit.

2079. Aliud autem collegium, praeter hoc nostrum, in informi illa Universitate nullum erat; et ideo omnis discordiae occasio aut contentionis sublata erat. Sic autem dotare collegium Episcopus constituebat, ut nullo modo successor in episcopatu sese immiscere aut quicquam vindicare in eo collegio sibi posset. Nec Regis Galliae aut Pontificis auctoritate ad hanc dotationem egebat, eo quod ex patrimonio suo, non ex ecclesiasticis bonis, collegium dotare constituerat.

2080. Omnes autem praedictas lectiones nostri praelecturi erant; et graecam, immo etiam hebraicam, addituri, si lectorum et auditorum commoditas id tulisset. In hoc autem principio nullos Societatis studiosos praeter ipsos praeceptores mitti Episcopus volebat: paulatim autem hujusmodi studiosos aliis adjungi posse dicebat, de quibus mentio a P. Ignatio facta fuerat, ut supplere locum lectorum aegrotantium aut legitime impeditorum possent; et ita infirmitati hujus dotationis, ne dicam dotantis, condescendendum fuit, juxta P. Paschasii sententiam; paulatim augmentum expectando, ut sic Societas Galliae regnum per Alverniam ingrederetur.

2081. Jam tum etiam de alio collegio instituendo et dotando in aliquo ex oppidis montanis suae dioecesis agebat; quod cederet ad ipsius gregis universale bonum; et his tractatis, missi sunt a P. Ignatio P. Baptista Viola cum sociis, de quibus inferius plura dicentur.

2082. Acceperat P. Paschasius litteras ex Urbe missas cum responsione facta decreto facultatis parisiensis, cujus exempla varia confecta sunt, ut Cardinali Lotharingio, protectori, et ipsis doctoribus dari possent; sed Dominus de Monte [1] Societatis amicus, praemonuit nostros quod facultas theologica, quamtumlibet a ratione alienum, nunquam revocatura vel reformatura erat [suum decretum] [2]; sed ejus sententia haec erat; ut Summo Pontifici Paulo IV Societatis privilegia ostenderentur,

---

[1] De hoc clarissimo viro (Dumont) saepe facta est supra mentio, t. IV, pag. 320, et seq., n. 685...; t. V, pag. 323, n. 872; pag. 326, n. 878, et alibi.

[2] Hujus viri sententiam eventus [illegible] firmavit, ut dictum est, pag. 33, n. 90, ubi de Cardinali Lotharingio fit sermo.

et eorum confirmatio peteretur; et ut scriberet facultati theologiae hanc esse suam voluntatem, ut nostrum Institutum ac privilegia admitterentur, et id omnino fieri juberet.

2083. Et cum P. Paschasius diceret nolle Societatem irritare Summum Pontificem contra Episcopum et doctores parisienses, sed pro suo more patientia et mansuetudine adversarios sibi velle conciliare; perstabat ille in sua sententia; et minime nostra patientia illos homines corrigendos affirmabat.

2084. Cum autem Cardinalis Caraffa, Legatus ad Regem Galliae, missus hoc anno fuisset [1], data est Polae Episcopo, Societatis amico, informatio Romae confecta, ut Legato, cum quo venerat, eam daret, ut Regem Christianissimum alloqueretur, et curaret, ut ipse committeret Cardinali Lotharingiae, ut revocationem vel emendationem illius decreti curaret.

2085. Promisit autem Legatus se hoc officio functurum. Acceperat eodem tempore P. Paschasius multas litteras Dris. Olavii ad doctores parisienses ipsi amicos, inter quos erant Decanus facultatis theologicae et alii ex gravioribus theologis, et singulis exemplum responsionis, quae decreto facta erat, data est.

2086. Amanter autem illi litteras acceperunt et suam operam obtulerunt. Dedit autem responsionem eamdem Cardinali Lotharingiae, et nomine P. Ignatii negotium hoc ipsi commendavit; qui operam suam etiam obtulit, et duobus, qui tunc aderant, doctoribus rem commendavit.

2087. Paulo post Legatus Regem allocutus est, et res est commissa praedicto Cardinali Lotharingiae, ut protectori nostro, cui dederat informationem Legatus; et ita ipsemet nostris significavit, Regem propensum esse, magis quam unquam alias, ad favorem nostrae Societati impendendum; et ita sperabant nostri decretum illud emendatum iri; quamvis propter negotia secularia, quae tunc, propter bellum pontificium ac simul gallicum contra Regem Philippum, multa erant, minus diligenter, quam oportebat, nostram causam egisse videbatur.

2088. Fuit autem eidem Cardinali et etiam doctoribus a P. Paschasio dictum, P. Praepositum, Ignatium, et totam So-

---

[1] Vide supra, pag. 22, n. 56; et pag. 33, n. 89, ubi etiam de Antonio Elio, Polae Episcopo fit mentio

cietatem contentam fore de illo suo privilegiorum usu in Gallia, qui regiae Majestati et ipsimet Cardinali, protectori, opportunus videretur; et juxta nostras Constitutiones, nec praedicari nec sacramenta ministrari a nostris in alienis ecclesiis sine parochorum aut vicariorum facultate.

2089. Cum autem congregati fuissent theologi, multis verbis ultro citroque habitis de acceptis litteris et de apologia ad decretum, aliquos [Universitas] deputavit, quibus hoc negotium committeretur.

2090. Non deerant aliqui ex his theologis, qui negabant Summum Pontificem dare posse facultatem confessiones audiendi contra ordinem hierarchicum, quorum caecitatem etiam sancta simplicitas P. Paschasii admirabatur.

2091. Dicebant multi ex doctoribus apologiam contra decretum esse quidem piam, sed frigidam; et probare id tantum; quod, scilicet, Societas innocens esset: nihil autem contra ipsorum decretum probare [1]; et ita hoc anno nihil prorsus ab his doctoribus obtineri potuit. Et quamvis quinquies Cardinalem Lotharingium uno mense adierit P. Paschasius, et ab eo promissionem reportaret quod curaturus esset praedictam reformationem decreti; ea erat occupationum ejus multitudo, ut nihil, aut parum admodum, nostro negotio promovendo vacare potuerit.

2092. Fere sex menses in curia Regis laboratum a nostris fuit ad reditus illos, ut vocant, amortizandos, et liberos efficiendos, quos Episcopus Claramontanus in compensationem domus parisiensis daturus erat, in qua collegium nostrum erat instituendum; et ea gratia a Rege per Cardinalem Lotharingiae, protectorem, et Dominum de Monte impetrata est; sed camera, quam vocant Computi, retinuit Regi tam altam justitiam sive jurisdictionem, quam mediocrem et infirmam, et nostros ad medium scutum singulis annis solvendum damnavit; sed cum neutrum placeret Claramontano Episcopo, nostri ad Regem redierunt, qui jussit sibi retentam jurisdictionem et medii scuti recognitionem nobis restitui. Sed cum praeceptum regium ca-

[1] Responsio ad parisiense decretum affertur in *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 494-512. Decretum ipsum habes supra, t. IV, pag. 328, n. 703. Vide quae ibi hac de re dicuntur, et judicium quod de tali decreto protulit cl. Dumont; *ibid.*, pag. 330, n. 705. —Alia ad eamdem rem spectantia invenies supra, t. v, pag. 326 et seq. a n. 878.

merae computorum fuisset computatum, non acquievit; et tertio ad Regem fuit redeundum per Dominum de Monte, cui praecepit Rex, ut ipsemet veniret, ac regio nomine camerae significavit hanc esse voluntatem Regis, ut restitueretur Societati justitia sive jurisdictio praedicta, etc.

2093. Postquam autem omnino libera illa fuisset, et Societati tradita, et, ut ipsi vocant, amortita; tunc de commutatione cum episcopatu claramontano agendum erat, cujus erat praedicta domus parisiensis; et ea pars hujusmodi bonorum in ejus permutationem danda erat, de qua convenissent juxta aestimationem peritorum.

2094. 17.ª Septembris bonus Societatis amicus, et insignis pietate ac doctrina concionator, Dr. Pichardus, ad meliorem vitam Parisiis migravit [1]; et cum paulo post ageretur de venturis ad Congregationem nostram generalem, P. Paschasius se accinctum ad iter offerebat; sed non hoc anno factum oportuit; et interim res Collegii Bigliomensis opera P. Baptistae Violae melius constitui poterant, qui solus in Gallia cum P. Paschasio venire, ut professus, poterat.

2095. Tantum autem aedificationis Episcopo Collegium illud praestabat, ut scriberet ille P. Paschasio, se jam reipsa fructum illum et aedificationem ibi experiri, de quo ab eodem P. Paschasio ante nostrorum adventum multa audierat; et jam P. Violae $\frac{m}{\times}$ francorum ad aedificationem Collegii promiserat.

2096. Fuit etiam hoc autumno litteris P. Paschasii intellectum nostros, qui Tornaci versabantur, uno excepto, peste periisse, quam visitandis et consolandis eis, qui peste laborabant, per confessiones et alia pietatis ministeria consecuti sunt, ne eos desererent, qui ab aliis deserti erant [2].

Et haec de Collegio Parisiensi, ac ipso Provinciali sint dicta. Jam de Bigliomensi quaedam seorsum dicenda sunt.

---

[1] Saepe de doctore Francisco Picardo, Societatis amico et patrono, dictum est in nostris MONUMENTIS. Vide, ut alia omittamus loca, *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 64, 69, 583; et supra, t. V, pag. 335, n. 898, 899, annot. 1.

[2] Narrata sociorum funera habes supra, n. 2041-2046.

DE COLLEGIO BIGLIOMENSI

2097. Postquam anno praeterito P. Hieronymus Bassius [1] ac Mag. Petrus Chanalis in Alverniam venerunt, statim Episcopus de Collegio, primo vere sequentis anni instituendo, agere coepit; et quamvis P. Robertus Claysonius, solus de Societate, pondus diei et aestus ferens, auxilium a P. Bassio speraret; non est tamen hoc anno id consecutus. Quia enim supellex ad futurum Collegium paulatim comparanda erat, et usque ad nativitatem S.ti Joannis copia praeceptorum externorum Bigliomi suppetebat, claramontensi civitati P. Hieronymum Bassium assignavit, ut xenodochio labenti suppetias ferret; et Mag. Petrum Chanalem Euscopiae (sic vertunt quod gallice Beoregard dicitur [2]) ubi Episcopus habitabat, apud se detinebat, ut in illo aëre serenissimo et amoenissimo valetudinem recuperaret: cui interim supellectilis ac domus etiam praeparandae curam injunxit.

2098. Domum autem, quam incolebat eo tempore P. Robertus, ad habitationem duodecim pauperum scholasticorum, sub Societatis magisterio instituendorum, more Collegii Germanici romani, destinaverat, et aream quamdam a turba secretam, praedictis aedibus contiguam, ad scholas erigendas dicaverat; Societati vero domum aliam amplam, cui vicinum erat templum S.ti Michaëlis, Societati assignandum; et area quaedam publica, quam pretio redimere a civibus bigliomeis decreverat, etiam designavit.

2099. Bigliomenses autem summo studio ad hujus Collegii erectionem aspirabant; et cum P. Roberto alios in urbe sua commorari, nec per varia loca dispergi cupiebant; quod tamen usque ad hunc annum, immo usque ad aestatem ejus, non obtinuerunt; immo nec ipsum P. Robertum penes se habere semper poterant, qui in civitate ipsa claramontana aliquoties debuit, praesente Episcopo, concionari; et orationem habuit solemnem in synodo die 24 Octobris, quae de residentia atque functione

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 346, n. 935. Ad rem quoque faciunt *Litterae Quadrimestres*, hujus anni, t. IV, pag. 39, 64, 338, 538.

[2] Vide supra, t. v, pag. 338, n. 909.

pastorum agebat, quae usque adeo Episcopo placuit, ut eam typis excudi, adjunctis constitutionibus episcopalibus recens promulgatis, mandarit.

2100. Concionatus etiam est semel atque iterum in coenobio virginum, Marsach nuncupato, cum non mediocri ipsarum consolatione, quae multis precibus id obtinuerant [1]. In oppido etiam Soriacho, in prioratu de la Veme, apud Montem Morinum et etiam Euscopiae, jussu Episcopi, semen verbi Dei non sine utilitate sparsit, ut studium populorum et alia signa testabantur. Riomensis etiam civitas iterum ad solemnem sermonem de eleemosynarum collatione, tertio quoque mense haberi solitum, ipsum invitavit, et cum Episcopi voluntate obtinuit. Isiodorum etiam rediit, et ibi atque aliis in locis ecclesiastes officio cum non mediocri fructu functus est.

2101. P. Hieronymus Bassius, ex quo alvernos revisit, piis negotiis vacare non cessavit, et cum claramontenses P. Robertum non obtinuissent, ut sperabant, feriis Sanctorum omnium in paroecia D. Virginis cum frequentissimo auditorio ipse P. Hieronymus concionatus est.

2102. Accepit deinde quotidie in xenodochio Missae sacrificium offerre, et in ejus templo verbi Dei ministerio et pauperum subventioni vacare ; et vix dici posset quantum in ea urbe auctoritatis conciliaverit, et quam uberem animorum frugem brevi tempore collegerit. Sed tempore Quadragesimae hujus anni 1556, Isiodorum, adjuncto magistro Petro Chanali, concionaturum se contulit, cum maximo civium favore et animorum fructu, ecclesiastes munere perfunctus, nec solum verbo sed exempla ob singularem modestiam, quam ipso vultu prae se ferebat, omnibus amabilis et ab omnibus mirum in modum commendatus erat.

2103. Socius autem ejus, susceptis sacris ordinibus hac Quadragesima, secundis Paschae feriis, divini sacrificii primitias Deo obtulit.

2104. Recessit autem P. Hieronymus Bassius ab isiodorensium civitate, non admissis muneribus, quae illi offerebantur, et, fragranti admodum Societatis bono odore in ea urbe relicto, Claromontem rediit, xenodochium suo more administraturus.

---

1 *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 40 44, et loca quae ibi indicantur.

2105. Ferebatur autem a viginti quatuor annis nullum fuisse Isiodori concionatorem, quem frequentior auditorum corona vel aequalis exornasset. Erat Episcopus Claromontanus ex ea urbe oriundus, et ita precibus civium victus, in proximo Adventu hujus anni et in Quadragesima sequentis P. Robertum eis ecclesiastem designavit [1].

2106. Interim hoc anno Bigliomi idem Robertus sacram Quadragesimam transegit, et tam profestis quam aliis sacris diebus, tanta auditorum frequentia auditus fuit, quantam nunquam ante illud tempus Bigliomi fuisse dicebatur. Nec rarus aut exiguus ex concionibus fructus capiebatur; nam poenitentiae sacramentum expetentium turba pene obruebatur; et singulis diem horamque praescribere cogebatur, ne concionum praemeditationem necessariam impedirent.

2107. Restitutiones haud [2] levioris ponderis a poenitentibus fiebant; aliquot etiam piae matronae viduae diebus singulis dominicis confessionis et Eucharistiae sacramenta sub ejusdem Mag. Roberti magisterio frequentabant, quarum numerus in dies crescebat. Earum e numero D.na Montis Morini erat, quae, concionum audiendarum gratia, Bigliomum commigraverat.

2108. Quaedam etiam, quae, turpi consuetudine, sex fere annis cuidam ecclesiastico viro adhaeserat, compuncta et eidem P. Roberto confessa, vitam in melius commutavit; cui tutum consortium per conjugium providere curavit, opera praedictae Dominae Montis Morini et aliarum matronarum subsidio.

2109. Alia etiam, quae simili viro male adhaeserat, ejusdem Mag. Roberti judicio adjuta fuit. Vitiosa jurandi, maledicendi, detrahendi, jurgandique consuetudo ejusdem concionibus Bigliomo explodebatur; adulteria, intestinae simultates et furta rara erant in illa urbe; usura tamen plus satis frequens erat, cui pharmaca etiam acria idem adhibebat.

2110. Turba etiam hominum, quae ludis, mendaciis, blasphemiis ac mutuis conviciis diebus festis vacare consueverat, turmatim jam ad conciones, abusu illo relicto, confluebat; et bona ex parte hujusmodi vitia in ea urbe extirpata sunt; et pas-

---

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 67.

[2] Ms. *aut*. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 341, in quibus haec ipsa leguntur: "A confessis restitutiones haud levis ponderis et factae sunt et fiunt.„

sim in familiis jurandi consuetudinem dediscebant, et sic abstinere decreverant, ut cum quaedam honesta matrona juramentum leve ad nescio quid attestandum proferret, et a quo *(sic)* mater fuisset admonita, ut observaret praedicatoris praeceptum; cum rubore eadem confessa est se mensem integrum a juramentis abstinuisse, et quod tunc lapsa esset, magnopere dolens, cautiorem se fore promisit.

2111. Aliqui etiam, qui dissidebant in amicitia, ejus opera in gratiam redierunt. Allata est consolatio spiritualis quibusdam aegrotantibus, et cuidam nobili matronae inter alios, quae vitam se accepisse, allato per P. Robertum consolationis subsidio, profitebatur [1].

2112. Quidam vir nobilis ac dignitate ecclesiastica praeditus, ejusdem concionibus commotus, ecclesiasticum beneficium, cui cura animarum imminebat, in alium transferre decrevit. Nec deerant generales confessiones; et multi praedicabant se beatos, quod Societatem cognovissent, et ejus praesidio lucem veritatis et coelestem consolationem essent adepti.

2113. Quantum autem honoris nostris tribuerent, et quam sollicite collegii adventum expectarent, vix dici posset [2].

2114. Canonicus quidam cornovensis, nomine Gullielmus Gregorianus, Societatem nostram ingredi constituit, et ut admitteretur instabat, etiam antequam Collegium institueretur, nec esset Bigliomi qui auctoritatem ad eum admittendum haberet.

2115. Explicabat in quadragesimalibus concionibus P. Robertus, thematis loco, lamentationes Jeremiae; aliquid deinde ex psalmo "Beati immaculati in via„ dicens; mox ad epistolam, quae eo die in Missa legebatur, ac demum ad evangelium accedebat: quae methodus, cum argumentorum copia conjuncta, eruditioribus magnopere placuit.

2116. Ad dominicae praedicationis enarrationem quinque aut sex hominum millia confluxisse dicebantur; et non pauci nobiles externi ea nocte Bigliomi, concionis hujus audiendae gratia, pernoctarunt, et lacrymae ac suspiria frequentia satis animorum affectum prodebant.

---

[1] Ms. *quae vitam se acceptam fore, allatum per P. Robertum consolationis subsidium, profitebatur.*

[2] Ms. *posse.*

2117. Aliquot meretrices eorum opera conversae fuerant, quas in bono proposito, ne reciderent, consilio et ope pecuniaria piorum hominum fovebat; et ejus studii optimus odor per urbem sparsus est. Compluribus autem persuasum est ab eodem, ut singulis mensibus confessionis antidotum contra vitiorum venenum sumerent, praeter eos, quibus, ut octavo quoque die id facerent, consilium dederat. Ex quorum numero opulenta quaedam vidua mercaturae exercitium, cui prius vacabat, omnino reliquit ut liberius Deo serviret. Et haec primis mensibus hujus anni acta fuerunt, ante adventum P. Baptistae Violaei cum sociis, qui ante festum Divi Joannis Baptistae expectabantur [1]; quo tempore professores, qui Billiomi eatenus juventutem docuerant, eam civitatem relicturi erant; et eo nostri avidius expectabantur, quibus excipiendis domicilium parabatur.

2118. Post Pascha venit P. Hieronymus Bassius Bigliomum, ubi concionatus, non parum auditoribus placuit. Pater vero Robertus, octavis Paschae, in urbe, quam Curtampetram vocant [2], concionatus est.

2119. Postridie vero, concione funebri ibidem habita, sic animos civium sibi devinxit, ut ad proximum Adventum eumdem obtinere concionatorem curaverint, quamvis id non impetraverint; nova rerum omnium forma Bigliomi post Patrum Roberti et Hieronymi adventum cernebatur.

2120. Recesserat Bigliomo novus sacerdos Mag. Chanalis, tum ut valetudinem in patria, quae non procul distabat, curaret, tum etiam, ut versus Parisios ad quaedam pia negotia tractanda accederet.

2121. Invenit autem febricitantem P. Paschasium mense Majo. Cupiebat autem intelligere quando nostri, Roma mittendi, perventuri erant, et cum eosdem prope jam esse conjectaret, Bigliomum rediit.

2122. Episcopus autem Claromontensis, qui Parisiis etiam erat, commisit Vicario suo et Cancellario ut Bigliomi necessaria jam jam adfuturis diligenter praepararet.

2123. Cum autem Lugduno transiret quidam vir pius et

---

[1] Vide supra, pag. 30, n. 79.

[2] Courpière, de quo oppido fit mentio in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 44 et 340.

locuples, significavit ei locum quemdam esse Lugduni, qui Societati nostrae aptissimus erat, sub titulo Dominae Nostrae de Forniero, qui pulchram ecclesiam et magnam domum, hortos et vineas habebat in salubri situ, qui prospectum habebat valde amoenum, non solum totius urbis lugdunensis ac duorum ejus fluminum, sed magnae partis etiam Delphinatus et Sabaudiae.

2124. Erat autem ille locus quorundam canonicorum, qui raro divinum ibi officium celebrabant, nec ibidem habitabant; et si reditus ipsis relicti fuissent, facile locum relicturi dicebantur. Et quia Cardinalis Turnonensis, idemque Archiepiscopus, Romae tum agebat, facile, si quid cum Summo Pontifice transigendum esset, effecturus videbatur. Et qui hoc suggerebat, qui Dominus de Montpetrier dicebatur, vir pius erat et duo fere millia francorum annui reditus, quem habebat, piis fere operibus impendebat, et operam suam ad praedictum locum obtinendum offerebat; quia tamen ad particularia non descendit nec reditus certus ad Collegii dotationem offerebatur, P. Ignatius locum illum esse curandum non judicavit.

2125. Post medium Junium mensem in Alverniam P. Baptista Viola cum sociis pervenit, Bigliomum ingressi, fructum quidem spiritualem uberem percipi animadvertit; sed domus, quae praeparata erat ad nostros excipiendos, incommoda valde ipsi visa est. Res etiam necessariae, ut utensilia domus ac suppellectilia et reliqua ad vitam ducendam necessaria, non esse prospecta ab eo, cui Episcopus id commiserat, vidit; nec aliud consilium illi melius occurrit, quam ut Parisios, aditurus Episcopum, veniret. Et cum de P. Paschasii morbo intellexisset, nec morbi ejus successum audivisset, eo magis Collegium illud invisendum censuit. Sed antequam Bigliomo recederet, domum aliam salubrem et commodam ad nostrorum habitationem et aliam etiam in scholarum usum curavit et invenit.

2126. Et quia submurmurabant canonici ob sacramentorum administrationem in ipsorum templo, nec habebant [nostri] sacellum, ubi consueta Societatis ministeria exercere possent aut Missae sacrificium offerre, congregatis canonicis, etiam in hac parte commoditati nostrorum ministeriorum, eis consentientibus, consuluit.

2127. Quinque etiam classes constitutas, antequam Parisios recederet, reliquit. Primae praefecit Leonardum Masse-

rum, qui cum latinis graeca conjungere debebat. Secundae autem praefecit P. Nicolaum Paradensem, quem primae quidem voluit praeficere, sed ille id recusaverat, et jam tum negotium nostris facessere coeperat. Aliis autem classibus Ludovicum Gierardinum, Jacobum Morellum et Oliverium: (hi duo ultimi Parisiis missi fuerant) [1].

2128. Patrem quidem Hieronymum Bassium tertiae classi praeficere decreverat; sed quia in confessionibus et in praedicatione perutilem operam populo navabat, eum ab onere docendae juventutis sublevandum censebat.

2129. P. Roberto sacrae scripturae et etiam dialecticae lectionem commisit, et quamvis philosophicam lectionem canonici requirebant, significavit eis suo tempore eam lectionem praelegendam esse; sed eo quidem tempore auditores idoneos ad illam nullos quidem esse.

2130. Curavit etiam libros necessarios partim Bigliomi, partim Lugduni emendos: alios, ab Episcopo et amicis mutuo acceptos, P. Robertus jam habebat; cathedras etiam et sedilia in classibus parari jussit; et tum demum Parisios profectus est, ubi jam convaluisse P. Paschasium invenit, et cum Episcopo Claramontano de rebus omnibus ad Bigliomense Collegium spectantibus contulit; nec solum de rebus necessariis tum comparandis, et de pecunia statis temporibus assignanda ad sumptus duodecim personarum et correctoris; sed etiam de dotatione perpetua ejusdem Collegii rem transegit, et omnia quae petebantur, Episcopus se facturum promisit.

2131. Quamvis P. Viola cum magna parcitate omnia conficienda existimabat, si tamen Collegii Bigliomensis successus bonus esset, alia collegia in Gallia constituenda sibi persuadebat; sed debiliores esse nostros lectores, quam ipse voluisset, scribit; si praesertim cum illis compararentur, qui litteras Bigliomi ante nostrorum adventum professi erant. Quae ideo attingo, ut Dei providentia, nostros defectus supplentis, cernatur; nam studiorum successus prosper admodum, Deo adjuvante, fuit.

2132. Properabat autem idem P. Baptista Violaeus, rebus, propter quas venerat, Parisiis expeditis, Bigliomum ante festum

[1] Adventum P. Viola et munera sociis in Collegio attributa narrant *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 540.

B. Mariae Magdalenae redire, quia tunc studia per nostros erant inchoanda et magnam studiosorum multitudinem venturam existimabat.

2133. Erant nostri Bigliomi octo, et corpus collegii utcumque conficiebant, et exuberanti laetitia urbem illam, sed scholasticos potissimum, adventu suo, qui Roma missi erant, repleverunt. Erant inter eos quinque sacerdotes, et liberius poterant extra Bigliomum semen verbi Dei spargere; et ita egressus P. Hieronymus Bassius semel atque iterum, in oppido celebri Montis Ferrani [1] concionatus, ita civibus placuit, ut in Quadragesimam proximam fuerit ab oppidanis postulatus.

2134. Idem etiam, cum jubilaei gratia promulgata fuit, antidoto confessionis multorum morbis etiam Claromonte mederi studuit.

2135. Sic etiam P. Robertus, dum studia inchoantur, praeter claramontanos ac bigliomeos, Aquaesparsae et Montis Morini incolas verbo Dei refecit, et confessiones etiam ipse multas, et quidem generales, audiebat; quamvis aliqui adversarii, quod attinet ad auctoritatem ministrandorum sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae, Societati a Sede Apostolica concessam, obstrepebant; nec enim avaritiae aut etiam invidiae stimuli ad [id ministerium] [2] exercendum quibusdam deerant; et ideo diplomatis pontificii exemplum subsignatum Roma mitti postulavit; quamvis, adveniente postea P. Baptista Violaeo, facile fuit exigentibus testimonium hujusmodi satisfacere.

2136. Precibus officiarii claramontensis praedictus P. Hieronymus orationem latinam in synodo sacerdotum luculentam habuit. Bigliomi autem P. Robertus, postquam epistolam B. Pauli ad Romanos absolverat, priorem B. Petri epistolam canonicam post Pascha auspicatus est, et ita theologicam functionem ante P. Baptistae et sociorum adventum exercuerat; quamvis non omittebat excursus in varia loca, praedicandi gratia, nec sacramentorum ministeria. Itaque advenientes alii introductam sacramentorum frequentiam ejus opera Bigliomi invenerunt; quae res prorsus erat illis in locis ante hoc tempus inaudita, quae tamen magis ac magis in dies crebrescebat.

---

[1] Montferrand. *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 539.

[2] Ms. *eum*.

2137. Inter alios femina quaedam fuerat, quae, lutheranismo addicta, immo et sacramentaria juxta Calvini perfidiam, nihilominus humano timore, sine fide, singulis annis sacramenta repetebat. Haec ad Dominum conversa, integram [1] confessionem apud P. Robertum instituens, et per ipsum absoluta, catholice vivere coepit [2].

2138. Fuit et alia, quae uberrimis lacrymis et sincere apud eumdem confessionem peregit, quae multos annos mutilam fecerat. Nec pauci utriusque sexus a gravissimis criminibus, quibus obnoxii diu fuerant, ejusdem opera per confessionem emerserant [3].

2139. Quidam etiam juvenes studiosi, qui apud hospitem ejusdem Mag. Roberti litteris operam dabant, ab eodem, non solum in eruditione, sed in pietate etiam adjuti fuerunt; et singulis mensibus ex ejus praescripto confitebantur; et aliqui etiam, quod antea nunquam fecerant, communicare coeperunt.

2140. Post adventum P. Baptistae deliberarunt viri primarii urbis Bigliomi, simul atque Episcopus locum ad Collegium erigendum elegisset, scholas ipsi pulchras et magnas propriis expensis aedificare; et quamvis nondum venerat Episcopus (qui sub initium Septembris expectabatur), praeceperat suo Cancellario, ut, praeter frumentum et vinum, bonam pecuniae summam ad quotidianum victum P. Baptistae Violae numeraret: et his curis rei familiaris nostri liberati, instituendis scholis serio vacare coeperunt; et omnes officio suo cum summa scholasticorum et totius urbis satisfactione suis officiis fungi coeperunt.

2141. Cum autem observarent bigliomenses singillatim scholasticos examinari, et more Societatis quemque in convenienti sibi classe constitui, nec crebro feriari, ut quater aut sexies in anno alii soliti erant, sed assidue scholis vacare; confessiones etiam scholasticorum audiri, et eosdem in rebus spiritualibus ac bonis moribus promoveri; statim odor optimus per totam provinciam sparsus est; undecumque scholastici confluere incipiebant cum summa parentum aedificatione; nihil enim un-

[1] In ms. inseritur hic *tamen*.
[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 341.
[3] *Ibidem*. Multa enim, quae hic describuntur, ex illis litteris deprompta sunt.

quam hujusmodi nec talem instituendae juventutis rationem visam unquam fuisse affirmabant. Aliqui hanc esse renovationem studii parisiensis dicebant, quod multum recessisse a suo antiquo stilo affirmabant.

2142. Cum initio Claramontanus Episcopus de transferenda Universitate Bigliomensi in Societatem agebat, aliqui sese opponebant, eo quod dicerent nostros pro suo arbitratu omnia facturos, nec cujusquam rationem habituros; sed illi etiam ipsi, ut referebat Decanus ejus ecclesiae, valde probare res nostras coeperunt, et melius, quam unquam sperassent, se habere testabantur.

2143. Omnibus itaque ratio scholarum perplacebat. Conferebantur autem cum Decano et canonicis nonnulla, (quamvis ad id nostri non tenerentur), ut communicatio charitatem foveret; et ita omnes cum hilaritate ac benevolentia studiis nostris favebant.

2144. Prima dominica, post festum B. Magdalenae, Mag. Leonardus Masserus latinam orationem de laudibus liberalium artium in Cathedrali ecclesia coram primoribus urbis, tam ecclesiasticis quam secularibus et magna populi multitudine, habuit. Concurrerant et foeminae; sed eas extra templum mittere, ut viros caperet, oportuit; et gratiam, memoriam et eruditionem ejus auditores valde sunt admirati.

2145. Postridie in magna quadam et antiqua schola, altera oratione brevi praemissa, rhetoricam lectionem de Ciceronis Partitionibus aggressus est. Mag. Nicolaus Paradensis Demosthenis orationem graecam interpretari [1] etiam coepit, et uterque mirum in modum satisfecit. Convenerant multi externi, quia nundinae eo die celebrabantur, ad has lectiones, praeter cives praedictos bigliomenses; et ut auctoritatem scholis conciliarent, has praemittendas lectiones P. Baptista Violaeus [2] existimavit.

2146. Die autem sequenti omnes classes distingui curavit; et tota hebdomada examinandis discipulis est impensa. Deinde omnes lectiones suis statis horis inchoatae fuerunt; et fere quingenti scholastici primis illis mensibus convenerunt, inter

---

[1] Ms. *interpraetari*.
[2] Ms. repetit iterum *praemittendas*.

quos multi erant paedagogi, qui, licet aetate virili essent, confitebantur nihilominus, et formulam nostrarum scholarum observabant in Missa, singulis diebus audienda, et aliis pietatis exercitationibus, ut eorum humilitas non parum consolationis nostris afferret.

2147. Ad conciones etiam audiendas confluebant, quas non omisit P. Robertus, quamvis et ipse lectionem D. Lucae profestis diebus assidue, Decano, canonicis et multis aliis audientibus, praelegebat, et quidem cum auditorum magna satisfactione.

2148. Idem paratus erat ad dialecticam lectionem, cum primum ad eam audiendam scholastici maturuissent. Ipse autem P. Baptista confessionibus scholasticorum audiendis vacabat; et quamvis P. Petrum Chanalem, Rectorem ejus Collegii instituisset, juxta P. Paschasii, Provincialis, voluntatem, ipsemet universalem et omnium curam habebat.

2149. Seculares illi praeceptores, qui Bigliomo recesserant, sparserant rumorem quemdam, quod nostri, fulmine coelitus misso, periissent; sed cum ex illis locis aliqui Bigliomum venissent, et nostrorum exercitationes intellexissent, non solum seminatores hujus rumoris ridere coeperunt, sed invidiae etiam id adscribebant; ne scilicet, multitudo scholarium Bigliomum conflueret, quos potius ad se allicere nitebantur. Huc spectabat, quod quidam alii ludimagistri Bigliomi fecerunt, qui portis summi templi versus quosdam affixerunt, quibus id continebatur, nostros nihil aliud agere, quam ut juvenes ad sua claustra allicerent; sed simul atque affixi fuerunt, amicus quidam noster infixos statim abstulit et ad nostros detulit; ita ut a nemine ex ea civitate lecti fuerint.

2150. Praeter numerum jam dictum scholasticorum, erant theologiae auditores non pauci, et alphabetarii, qui suorum paedagogorum opera, potius quam nostrorum, utebantur.

2151. Delectabat autem cives, cum tantam adolescentulorum [1] multitudinem, insolita quadam modestia, Missae sacrificia audientem viderent; et solebat frequens hominum coetus, eis intuendis, mane assistere.

---

[1] Ms. *adolescentularum*. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 538-541; ubi plurima, quae hic narrantur, refert ipse Robertus Clayssonius.

2152. Expendebant autem singuli professores tres horas ante meridiem et totidem post prandium; [quas solebant] partim lectionibus, partim scholasticis exercitationibus tribuere; et quamvis initio P. Bassius tertiae scholae curam susceperat, quia ejus opera, quemadmodum et P. Roberti, ad confessiones audiendas et verbum Dei praedicandum erat necessaria, et a multis Bigliomi et in aliis Alverniae locis expetebatur, eo onere sublatus est; et Mag. Ludovicus Gierardinus ei successit, quartam classem Mag. Jacobo Morello regendam relinquendo; nec exiguus fructus ex sacra lectione evangelii capiebatur.

2153. Omnes autem sacerdotes suo tempore confessionibus multorum audiendis vacabant; et praeter matronas et scholasticos, potentiores aliqui cives, solito saepius, sacramenta frequentare, et quidem octavo quoque die, nonnulli coeperunt.

2154. In Assumptione B. Virginis apud nostros supra quinquaginta S.mo Christi corpore communicarunt; plurimi etiam in Nativitate ejusdem Virginis in sacello, quod nostrorum usui canonici in summo templo reliquerunt. Crevit autem haec multitudo, et ad centum, et paulo post ad centum viginti, pervenit. Et P. Baptista Violaeus suam etiam operam confessionibus audiendis [impendebat], non jam scholasticorum, quos P. Hieronymo reliquit, sed aliorum utriusque sexus civium. Ipse etiam P. Hieronymus, praeter septingentos fere scholasticos (nam eo usque sub hujus anni finem eorum numerus ascenderat) quos singulis mensibus audiebat, frequentissime alios homines utriusque sexus, ad poenitentiae medicinam confugientes, admittebat, et festis diebus P. Nicolaus Paradensis huic ministerio vacare debuit; quamvis cura secundae classis impeditus, sicut et ipse P. Robertus, qui festis diebus concionando et profestis Evangelium Lucae enarrando occupatus erat; et ante et post prandium aliquorum semper confessiones audiebat. Diebus autem, solemniora festa praecedentibus, fere anhelantium ad hoc sacramentum turba, omnes obruebantur.

2155. Pater autem Robertus statum diem singulis praescribere, quos nominatim in catalogum redegerat, cogebatur. Eorum autem, qui semel duntaxat confiteri soliti erant, et ut crebrius id facerent adducti sunt, numerus major erat quam ut facile ejus ratio iniri posset. Et cum fama fructus spiritualis ad externa oppida egressa esset, ex illis etiam plurimi, percipien-

dorum sacramentorum gratia, confluebant; ut aliqui, frequentiam et devotionem communicantium spectantes, non absque lacrymis prae admiratione et gaudio, dum novam rerum faciem spectant, eis assisterent [1]. Permulti etiam in suis parochiis, inolescente sancta consuetudine, post adventum nostrorum, communicabant.

2156. P. Baptista Violaeus hoc autumno, cum latinam orationem in synodo claramontano post festum D. Lucae habuisset, magno auditorum applausu exceptus fuit, et ad ecclesiastes munus apud claramontanenses obeundum in proxima Quadragesima a Pro-episcopo rogatus, modeste se excusavit.

2157. Cum unicam etiam concionem idem ad cives bigliomeos habuisset, aliquot civium temere offensorum animos sibi reconciliavit, atque ab universis concionator in proximam Quadragesimam postulatus est.

2158. Occasione loci Collegio erigendo destinati, altercatio civilis creata fuerat, quae praedicta ipsius concione in concordiam propemodum redacta est. Frequentes etiam hoc autumno conciones Bigliomi habuit P. Hieronymus Bassius cum gratia et spirituali utilitate multorum non vulgari, et a populo in proximam Quadragesimam impensius et ipse expetebatur [2].

2159. Ipse autem P. Robertus, quotidianis in Adventu concionibus ex more habitis, jam alterum annum ea in occupatione Bigliomi versatus est; praetulit enim Episcopus bigliomeos in hac parte riomensibus, ambertinis, curtapetranis, qui ad suam civitatem in Adventu ipsum invitaverant, immo et isiodorensibus, qui, male intellecta Episcopi responsione, dum ipsum expectant, dies octo concionatore caruerunt, quod incommodum Quadragesima sequenti apud eosdem concionaturus resarcire constituit.

2160. Precibus autem P. Baptistae Violaei hujus Adventus conciones bigliomeis Episcopus tribuit; aliis etiam extra Adventum, et quidem frequentibus concionibus ab eodem habitis, accessio pietatis ad multorum consolationem Bigliomi facta est; sicut etiam in Abbatia quadam et urbe belensi non procul Bigliomo dissita, et in oppido S.ti Amandi et Usonis atque aliis

---

[1] Sic; quasi vero dicat *aliquot... dum novam rerum faciem spectant communicantibus permixtos assistere, et sacrae Synaxeos participes quoque fieri.*

[2] Ms. *hortabatur.*

pagis, quibus, importunis quodammodo precibus victus, concionari debuit vel supplicationum solemnium, vel funebrium exequiarum, vel aliarum celebriorum solemnitatum occasione [1].

2161. Fructus ex praedicationibus ac sacramentorum ministerio proveniens copiosus admodum erat. Cernebatur pax inter dissidentes conciliata; fiebant restitutiones non vulgares; qui in adulteriis et concubinatu vixerant, immo et meretrices aliquae castitatem amplectebantur; scholastici cum improbitate pristina novam pietatem commutasse videbantur.

2162. Demum redivivae primitiae novae Ecclesiae refloruisse Bigliomi dicebantur, et magna animorum mutatio et quodammodo stupenda in multis elucebat. Fuerunt enim inter hos, qui septem et decem annis aut etiam paucioribus haereseos contagione infecti fuerant, quamvis supplicii metu orthodoxam religionem simulabant; et hi, haeresi abjurata, illud Pauli factis confirmabant; scilicet: Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia [2]. Alii, publicis et occultis carnis peccatis, mirandum in modum contaminati, ad raram cordis pariter et corporis munditiam observandam adducti sunt. Nec aegrotantes spiritualis consolationis expertes erant.

2163 Praefecti classium quinque sextum jam requirebant; nec mirum, cum fere sexcentos haberent, suis in scholis distributos, praeter alios fere ducentos, qui in primis litterarum rudimentis privatim a suis paedagogis instituebantur; parentes autem profectum in moribus et litteris suorum liberorum et mirabantur et honorifico sermone industriam collegialium celebrabant; ita ut aliae Alverniae civitates nostrum Collegium suis impendiis ad se pellicere contendebant.

2164. Ex Collegio etiam Turnonensi (quod postea Cardinalis, ejus institutor, Societati dedit) quinquaginta leucis Bigliomo distante, discipuli aliquot ad nostros confluxere. Ex isiodorensi etiam academia non pauci eodem se trastulerunt; et ita satis prospere in omnibus collegiolum illud coepit progredi.

2165. Episcopus autem his successibus animum augebat, et praeter decem millia francorum ad aedificium exstruendum [3],

---

[1] Ms. *occasionem.*
[2] Ad Rom., v, 20.
[3] Ms. *aestruendum.*

sexcentos francos annui reditus ante annum se daturum promisit.

2166. Calicem argenteum cum ceteris ornamentis, sacrificio Missae necessariis, nostris obtulit, nec solum amanter, sed liberaliter etiam se gerere videbatur.

2167. Venerat is ineunte Novembri Bigliomum, et situm Collegio ac templo erigendo designavit (qua de re haud [1] levis fuerat inter cives controversia in publico magistratus consessu); promittens interim cum maxima omnium laetitia se $\frac{m}{25}$ francorum huic operi pio se impensurum, quam promissionem, civibus praestitam, litterae ejus ad Congregationem generalem per Patres Paschasium et Baptistam Violaeum missae testabantur.

2168. Interea victum, vestitum et alia necessaria benigne subministrabat. Situs autem publica civitatis pecunia extruendis [habitationibus vel scholis] designatus, pretio redimendus fuit a viro quodam, qui possessionis jure illum occupatum tenebat; erat autem proximus solo, nostris aedibus designato, quod impensis Episcopi Claramontani 9.ª die Februarii sequentis comparatum, in Societatis jus translatum est.

2169. Optabant autem nostri ut primo quoque tempore et aedificium et dotationem Episcopus conficeret; nam saepius colicis doloribus ad extremum vitae periculum bonus Episcopus deducebatur; et si prius decessisset quam Collegium fundasset, humana ratio Collegii hujus stabiliendi [defutura] videbatur.

Et haec de Bigliomensi Collegio ac Provincia Galliae sint dicta.

---

[1] Ms. *aut*.

DE PROVINCIA ARAGONIAE

AC PRIMUM

DE COLLEGIO VALENTINO

2170. Qui valentinae urbis faciem, quae hoc tempore cernebatur, considerasset, et quae praeteritis annis ibidem fuerat; facile judicare potuisset olim vitia multa, tunc autem virtutem et pietatem regnare. Cujus mutationis causa divina bonitas sane fuit, quae optimi Archiepiscopi, F. Thomae de Villanova [1], et Societatis etiam nostrae ministerio uti dignata est. Fuit autem perutilis Dr. Ramirez [2] opera, cujus concionibus ac colloquiis multi nobiles viri, qui procul ab omni virtutum genere recessisse videbantur, ad Dei obsequium magnopere sunt incitati, et peccata, a quibus confitendis diu abstinuerant, apud nostros in sacramento poenitentiae expiati, deposuerunt [3].

2171. Alii etiam, vitia detestantes, ac pietati et bonis operibus vacantes, sibi ex impiis in christianos evasisse videbantur. Idem Dr. Ramirez, cum mulieribus, in lupanari turpiter viventibus, concionatus esset, ex triginta sex quadam in concione viginti duae ad Dominum conversae fuerunt; ex quibus aliae viris nupserunt, aliae parentibus et maritis sunt restitutae.

2172. Ludi [4] publice in quibusdam domibus, cum summo

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 364, 365, n. 985, et saepe alias, cum de rebus valentinis in Societatis annalibus est sermo. Quae autem hic dicuntur, ad tempus quod attinet, late intelligenda sunt, non vero stricte, quasi hoc anno aut proxime superioribus contigissent; siquidem et sanctus Archiepiscopus Thomas de Villanueva, ab anno 1545 ineunte, valentinorum ecclesiam regebat, et nostrates illic, ut minimum dicamus, non inutilem jam ab eo tempore operam navabant. Vide *Epistolae Mixtae*, t. I, passim, et alia MONUMENTORUM volumina.

[2] Vide supra, t. v, pag. 365, n. 986, annot. 5, quae de P. Joanne Ramirez dicuntur.

[3] Videndae ad hanc rem *Litterae Quadrimestres* hoc anno Valentia ad Urbem missae, t. IV, pag. 276, 391, 468, ex quibus Polancus suam deprompsit narrationem. Aliqua tamen temperavit, quae oratoria verborum exaggeratione in epistolis consignata fuere.

[4] Ms. *Ludi qui publice*.

detrimento lusorum et aliorum ab eis pendentium, exercebantur: et plaga haec sic desperata erat, ut Dei solius ope curari posse videretur; sed nostrorum opera hujusmodi domus occlusae, ac ludi sublati fuerunt, ex quibus innumera peccatorum genera oriebantur; et quod per ipsum Pro-regem et civitatis magistratus obtineri non potuerat [1], eo quod lusores pernobiles ac divites essent, per Patris Ramirez conciones Dominus perfecit. Et sic illorum animi commoti fuerunt, ut non solum ludos reliquerint, sed frequentes ad nostrum Collegium, ut verbum Dei audirent, sese conferrent. Nam idem P. Ramirez quotidie concionabatur, et ut in coeptis persisterent, et ut ad anteriora se extenderent et otiosorum detractiones ac derisiones libenter pro Christi nomine ferrent, hortabatur.

2173. Frequentabant hi sacramenta confessionis et communionis, et in pietatis operibus se exercebant, et famulis suis stipati pauperum hospitalia visitabant, et in eis saepe pernoctabant, et sacerdotem quemdam, theologum saecularem, secum adducebant, ut, si quem ex aegrotantibus morti vicinum invenirent, ad transitum in meliorem vitam juvarent. Quod si quibusdam noctibus hi nobiles in hospitali mansuri non essent, alii statim aderant. Sic enim inter eos constitutum fuerat, ut hi vel illi pervigiles totam noctem ibi exigerent.

2174. Olim quidem observatum id fuerat, sed cum in desuetudinem res abiisset, cura nostrorum fuit renovatum; nam pernecessarium id videbatur, cum accideret aliquando una nocte tres aut quatuor, nemine inspectante, vitam finire.

2175. Idem etiam viri nobiles, a nostris excitati, eleemosynam ostiatim in pauperum victum et vestitum publice mendicabant, quae res admirationi civibus erat, cum homines, nobilitate et divitiis aliquando elatos, repente tam humanos et humiles apparuisse cernerent.

2176. Iidem inter se convenire volebant et congregationem quinquaginta hominum conficere, qui singulis annis viginti nummos aureos singuli in medium conferrent, ex quibus aliqui reditus ad adolescentulas, parentibus orbatas, in matrimonio collocandas emerentur. Complures enim hujusmodi, egestate oppressae, vitiis se tradebant; ubicumque autem P. Ramirez

[1] Pro-rex erat Bernardinus de Cárdenas et Pacheco, II Maquedae Dux et Marchio I de Elche. Vide supra, t. v, pag. 364, n. 984, annot. 1.

concionabatur, tot homines nobiles et mercatores conveniebant, ut quamvis templum esset amplissimum, non plures intra illud quam in platea vicina, quod ingredi non possent, versabantur.

2177. Audiebatur autem magno hominum desiderio et attentione, et gladio verbi Dei sic intima medullarum penetrabat, ut alii ad peccata deserenda, alii ad vitam in melius provehendam vehementissime commoverentur; et talem se nunquam audivisse concionatorem affirmabant.

2178. Cum quadam die in platea templi maximi concionem esset habiturus, tanta hominum multitudo illuc confluxit, ut ne ipsi quidem concionaturo locus ad suggestum penetrandi concederetur.

2179. Aliqui hora quarta post mediam noctem surgebant, ut locum sibi occuparent. Et cum festis quibusdam diebus, quae ab universa civitate non observabantur, concionaretur, non minor hominum multitudo, quam dominicis et solemnioribus festis confluebat.

2180. Accidit his diebus ut, cum mulier quaedam, nupta quidem sed peccatrix, concionibus audiendis interesset, nullum tamen in suo corde locum verbo Dei relinqueret. Cum ergo illa sola quasdam orationes recitaret, semel atque iterum ejus oculis homo quidam nudus et sanguine totus madens se obtulit, perinde atque si tunc crudelem in modum flagellatus esset: qua visione iterata, ita compuncta est corde et totis viribus fracta, ut statim in morbum incideret.

2181. Sentiebat interim Dominum ad ostium sui cordis pulsantem ac dicentem: Aperi tua peccata Dri. Ramirez; cui postquam confessa est, liberam illam vivendi rationem cum honesta et frugali commutavit.

2182. Erat Valentiae quidam haereticus, qui de Summi Pontificis potestate, indulgentiis, jejuniis ac aliis hujusmodi male sentiebat; qui, cum aliquoties Patrem Ramirez concionantem, et de fide catholica disserentem audisset, et, in disputationibus particularibus Ecclesiae credendum esse, admonentem; fidelis et catholicus effectus, ad Christi ovile rediit.

2183. Alius quidam, eruditus quidem vir, sed qui in fide vacillabat, in eadem stabilitus est; quamvis prius hebraeorum erroribus, potius quam veritati catholicae, assentiretur.

2184. Alius quidam animo decreverat eodem illo die inimicum suum interficere; et, audito P. Ramirez, a nefario proposito destitit.

2185. Quidam etiam monachus, innumerabilibus excommunicationum et irregularitatum vinculis ligatus, ab eodem sic fuit verbi Dei gladio percussus, ut eidem confiteri peccata sua voluerit, et facultatem, ut ab eo posset absolvi, ipsemet quaesivit.

2186. Quaedam primaria foemina, a suo marito separata, nostris id conantibus, eidem reconciliata et restituta est. Quaedam alia religiosa foemina, quae, relicto monasterio, cum magna infamia vitam degebat; nostrorum consilio in illud rediit.

2187. Multae aliae mulieres, partim conjugatae, partim liberae, quae carnis illecebris deditae fuerant, nostrorum ministerio sic a Deo sunt adjutae, ut etiam aliis exemplo suo praelucerent; immo et in admirationem novae suae vitae raperent.

2188. Fuit inter alios vir quidam facinorosus, qui totus in vulneribus et homicidiis curandis erat, et etiam cum vitae suae periculo ex locis quibusdam editis herbas quasdam colligebat, quibus, ensis aciem ungendo, lethalia vulnera inferret; et mortalem hominem morti tradere parum esse censebat, et cum ad mala versatus esset, tam erat rerum ad salutem necessariarum ignarus, ut ne orationem quidem dominicam teneret.

2189. Vir quidam alius nobilis ad duos homines occidendos quibusdam curam dederat, immo et mercedem, ut colligi poterat; sed cum id nostris innotuisset, hominem ab hoc proposito retraxerunt, et ut veniam eis daret, quos occidi jusserat, impetrarunt.

2190. Tanta erat confluentium ad sacramenta multitudo, ut non tantum dominicis diebus, sed etiam aliis profestis nostro in templo Quadragesimae tempus semper adesse videretur; et quamvis quinque sacerdotes audiendis confessionibus vacarent, qui magno in pretio Valentiae habebantur, multi, qui ad meridiem usque expectaverant, sine confessione recedere cogebantur.

2191. Optime audiebat Societas hoc tempore Valentiae, et complures ex aegrotantibus, nostris suas conscientias aperire cupiebant. Alii etiam concionatores publice et privatim nostram

Societatem summopere commendabant; et demum valentini homines, veterem statum urbis memoria repetendo et cum praesenti comparando, prius Dominum fuisse iratum, tunc propitium dictitabant; antea siquidem rixae et contentiones, tunc pax et summa animorum consensio; antea carnis illecebrae [imperabant, nunc castitas dominabatur] [1]: antea furta, homicidia et detractiones; tunc his contraria, et in primis charitatem dominari dicebant, et missae ad se Societatis donum Dei agnoscebant [2].

2192. In nostro templo Mag. Suarez [3] cum magno applausu christianam doctrinam explicabat.

2193. Praeerat Collegio P. Jacobus Miron [4], ex Portugallia a P. Francisco [5] Valentiam missus, cujus exemplum et doctrina multos ad meliora promovebat. Fuit enim ejus adventus a civibus etiam primariis magnopere exoptatus et postulatus. Collegialium numerus ad viginti octo ascendit [6]. Aliqui enim ad Societatem admissi fuerunt, et de Domo Probationis ad eos exercendos jam tunc agebatur. Sic enim P. Franciscus injunxerat P. Mironi, qui sabbato ante dominicam quinquagesimae Valentiam cum P. S.ta Cruce ac Dre. Ramirez [7] pervenerant.

2194. Admissus ibi fuerat juvenis quidam, ad magisterium in philosophia promotus, immo qui etiam philosophiae cursum aliis praelegerat.

2195. Alii tres vel quatuor, non vulgaris expectationis studiosi, id ipsum flagitabant, qui cum aliis non paucis hoc votum commune habebant; sed paulatim in eis admittendis proceden-

---

[1] Ms. habet: *antea carnis illecebrae, tunc castigatae.* Huic lectioni eam praetulimus, quam afferunt *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 281, unde verba in textum inducta desumpsimus.

[2] In memoriam revoca, quae supra, ad n. 2170 annotavimus, nimirum Societatem domicilium Valentiae habuisse ab anno 1544.

[3] In *Litterae Quadrimestres, ibid,* pag. 279 appellatur *Xuarez.* Eritne Frater Didacus Suarez aut Xuarez, cujus fit mentio supra t. IV, pag. 407 et 408, n. 878 et 879?

[4] Hic fuerat olim primus Collegii Valentini Rector, 1544-1552. Vide supra, t. V, pag. 859, n. 969, annot. 1; et *Epistolae Mixtae,* t. I, passim. Hoc vero anno 1555 in eodem munere successit P. Baptistae de Barma: qui "quia collateralis datus fuerat P. Francisco Stradae, Provinciali, aliis in locis extra Valentiam aut praedicationis aut gubernationis gratia fuit.„ Supra, t. V, pag. 369, n. 994.

[5] Borgia.

[6] Scilic. ex Societate. "In hoc Collegio sumus viginti et sex, ex quibus tres sunt theologi, et duo artibus liberalibus indulgent: caeteri vero aut Patres sunt aut novitii: aliqui sunt admissi et virtutis studiosi et docti; et alii hujusmodi optant ingredi.„ *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 280.

[7] Ms. iterat *Valentiam.*

dum erat; et fere semper duo in exercitiis spiritualibus domi nostrae versabantur.

2196. Dr. Ramirez, de quo paulo ante diximus, ex discipulis fuit P. Magistri Avilae, et ex his, quos ille ad Societatem transmisit, ut suis litteris ad P. Ignatium idem testatur; et cum Compluto transiret P. Miron et Ocannia, ibi [1] ex praescripto P. Francisci Borgiae in Societatem illum admiserat, et secum Murciam et inde Valentiam deduxerat.

2197. Die autem Annuntiationis B. Virginis vota consueta Societatis coram omnibus Fratribus emisit. Insignis erat concionator antequam in Societatem ingrederetur, sed postquam Societatem ingressus est, statum valde differentem sibi nactus videbatur; et ita in concionando alium spiritum a Domino accepit, et statim hac ipsa Quadragesima hoc officio Valentiae fungi coepit, tanto cum spiritu, et doctrina et populi acceptatione ac fructu, ut eum praeferrent P. Francisco Stradae, nec ulla tam ampla erat ecclesia, quae auditorum frequentiae sufficeret; et nobilitas urbis potissimum eum sequebatur; et cum timerent eum Valentia revocandum esse, litteris a P. Francisco Borgia eum impetrare nitebantur, ut certe ad aliquod tempus Valentiae commoraretur; et peculiarem gratiam divina bonitas ad homines a statu peccati educendos illi dabat.

2198. Initio hujus anni satis prospere nostri valuerant, sed in progressu complures in morbum inciderunt, et quidem cum vitae periculo; inter quos Tarquinius de Reynaldis fuit; ideo hac ipsa aestate in Italiam [2], medicorum consilio, remissus est.

2199. Pater etiam Antonius Cordeses, qui ante P. [Miron] [3] adventum, cum esset Rector Collegii Gandiensis, etiam Valentini curam gerebat, cum Valentiam venisset, in morbum incidit; et egregius etiam operarius P. Parra [4] periculose decubuit. Omnes tamen sanitati Dominus restituit.

---

[1] Ex his, quae in hoc et sequenti numero scribit Polancus, collustrantur ea, quae de Patris Ramirez ingressu superius dicta sunt, t. v, pag. 365 et 366, n. 986, annot. 5.

[2] *Medicorum consilio* addidit orae paginae Polancus.

[3] Ms. habet *Antonii;* sed existimamus lapsum esse librarii *Antonii* scribentis loco *Jacobi* aut *Mironis*. Supra enim, t. v, pag. 370, n. 996, haec leguntur: "P. Antonius Cordeses hoc anno simul Gandiensis Rector et theologicae lectionis professor fuit, et aliquando Valentiam, absente P. Baptista [de Barma], se conferebat, ut valentinos sua praesentia et opera interdum juvaret.„

[4] P. Petrus Parra. Vide catalogum sociorum Valentiae 1554 degentium, supra t. IV, pag. 339, n. 722, annot. 3, exhibitum.

2200. Februario mense P. Hieronymus Natalis Valentiam venit, cum recens ex Italia navigasset; et declaravit [1] P. Hieronymum Domenech [professionem fecisse?], quem pater, nuper defunctus, haeredem reliquerat; ejus autem soror, nomine Magdalena Angelica, cum nubere decrevisset, licet castitatis votum emiserat, ad ejus dispensationem impetrandam Romam misit, et interim omnia bona, quae ad P. Domenech attinebant, occupavit; quamvis auctores habuit hujus suae sententiae suos consanguineos; quamvis illum, quem in maritum elegerat, aliam prius uxorem duxisse per verba de praesenti ferebatur; et alia, quae parum foelicem successum hujus matrimonii ostendebant, ei acciderunt.

2201. Expetebatur initio adventus P. Hieronymi; sed cum res eo progressa esset, ut parum effecturus esset etiam ille praesens, urgere ejus adventum desierunt [2]; potius ut Collegium posset obtinere, quae P. Hieronymus ipsi reliquerat, amortizatio, ut vocant, erat necessaria, quod ad manum mortuam ea bona devenirent; et id per P. Franciscum a Principe Joanna, Hispaniae Gubernatrice, curatum est.

2202. Cum sub hujus anni initium frater Tarquinii de Reynaldis praedicti [3], nomine Annibal, Valentiam, patris sui hortatu, venisset, et minus modeste, quam par esset, agere videretur; brevi tamen sic conquievit, ut et ipse spiritualibus exercitiis excoli decerneret, nec longe abesset ut fratris sui exemplum sequeretur.

2203. Legebantur psalmi post meridiem in quadam ecclesia, quae amplior erat quam nostra, ut frequentiae auditorum satisfieret. In alia, christiana doctrina explicabatur, ut etiam in carcere et hospitali; ut non solum consolatio, sed etiam auxilium spirituale illis hominibus impenderetur, quorum etiam confessiones audiebantur; et aliquae etiam conciones, eisdem accommodatae, ibidem habebantur.

2204. Tractabantur studia in Collegio diligenter, et singulis

---

1 Contorta et mutila haec periodus videri merito potest. Quid autem hic sociis valentinis *declaraverit*, erui sane potest ex his quae infra, n. 2739, Polancus refert. "Quamvis autem professionem emissam a P. Hieronymo Domenech publicavit, dubitare se dixit [P. Natalis] an collegia possent succedere. Nam de jure communi poterant quidem: *Constitutiones non ita clausae fuerant, quin P. Ignatius hoc posset interpretari vel declarare*. Et ita sororem P. Hieronymi in officio continere voluit.„

2 Vide supra, pag. 319 et seq., a n. 1305.

3 Nuper, n. 2198.

dominicis diebus positiones omnium fere facultatum nostri defendebant, et oratio quaedam latina praemittebatur; et satis multi ex externis scholasticis, disputandi et audiendi gratia, conveniebant, nec sine animi satisfactione recedebant.

2205. Ecclesia non erat absoluta, et ideo incommodior erat quam par esset; sed ut absolveretur, P. Miron curavit; et ita multi ad eam, verbi Dei et sacramentorum gratia, confluere coeperunt; quamvis enim magna non erat, accommoda et venusta apparuit. Opus autem illud, quorumdam piorum hominum legatis, confici brevi potuit.

2206. Mag. Suarez, nondum sacerdos, ibi concionabatur [1]; nam P. Ramirez majoribus templis ad frequentiam auditorum egebat; qui tamen, Murciam ac deinde Caesaraugustam ex obedientia P. Francisci missus, non exiguo dolore valentinos affecit; nam medicum strenuum ad animi morbos medicandos a se ablatum aegre ferebant.

2207. Consolatus est nihilominus eos P. Strada, Provincialis, qui sub initium Julii, relicta Barchinona, Valentiam venit. Egressi fuerant cum eo ex urbe praedicta nobiles aliqui, inter quos unus quindecim leucas ipsum est comitatus; et in quodam loco ejus concionatus est. Inde Valentiam pergens, ad quamdam carthusianorum domum, quae Scala Dei dicitur, pervenerunt; ubi praedictus ille nobilis confessus est et communicavit; et a religiosis rogatus, eisdem concionatus est; et cum Valentiam pervenisset, hoc munere concionandi fungi coepit; et in Cathedrali templo per octavam Corporis Christi concionatus est. Sed ipse etiam alio recedere debuit.

2208. Concionum fructus non poenitendus semper capiebatur. Nobilis quidam, injuria ab alio affectus, qui, occasionem nactus, adversarium interimere decreverat, concione audita, venenum evomuit et noxam condonavit. Multi etiam, relicto turpi vivendi genere, et quidem utriusque sexus, ad honestam vitae rationem traducti sunt; inter quos ex illustri progenie mulier quaedam fuerat, suis ob hujusmodi infamiam invisa, quae, concionibus commota, eam vitae mutationem fecit, ut non minori studio rerum divinarum ardere videretur, quam prius rerum vanarum amore arserat.

---

[1] Vide supra, n. 2192.

2209. Monachus quidam, novem annos, abjecto cucullo, vitiis immersus vixerat. Hic, rogatus, cuidam concioni P. Ramirez interfuit, postquam Murcia redierat, antequam Caesaraugustam proficisceretur; et cum de B. Magdalenae poenitentis conversione ageret, compunctus monachus, domum se recipit, in lacrymas prorumpit, a quibus per multos dies se temperare non potuit; tandem ad concionatorem accedens, et resipiscere serio cupiens, ad sui ordinis Generalem missus est, ac ejus fidei se totum commisit.

2210. Erat vir quidam Valentiae, qui tam ipsius P. Ramirez quam aliorum de Societate nostra famam mordere consueverat. Is, semel cum concionantem audivisset, poenitentia ductus et lacrymis, magnum se thesaurum antea [1] non agnovisse querebatur.

Nec dissimile fuit, quod quidam vehementer in P. Ramirez invehebatur, et quidem eodem in loco, ubi concionaturus erat, maledictis eos incessebat, qui ejus partes tutari videbantur. Accidit autem, ut cum eumdem Patrem in suggestum prodeuntem conspiceret, antequam concionem exordiretur, et postquam progressus est in sua concione, lacrymis obortis, indesinenter gemeret, et se infelicissimum diceret, quod hominem, tam pulchre de Deo loquentem, prius non audivisset, et magnam temporis jacturam a se factam dolebat.

2211. Etiam ipse P. Miron sub autumnum concionari coepit, post P. Ramirez discessum. Lectio etiam casuum conscientiae, ad confessiones audiendas accommodata, explicari coepta est; in his autem, qui doctrinae christianae conciones audire perseverabant, fructus non mediocris cernebatur.

2212. Nobilis quidam, summo loco natus, cum tria millia ducatorum lusu male dilapidasset, sibi ipsi indignans, solum vertere decreverat, nec in patriam redire; sed in quemdam ex nostris incidens, et ad confessionem peccatorum excitatus, pecuniae detrimentum spirituali utilitate compensavit. Nam, eo sacramento conscientiam expurgans, id saepe se facturum pollicitus est. Quidam etiam alius nobilis, qui mortem alteri machinabatur ob acceptam ab eo injuriam, a quodam ex nostris admonitus, offensam remisit.

2213. Sed insignis fuit cujusdam viri reductio ad meliorem

[1] Ms. repetit hic *se*.

frugem; qui, cum in extremo vitae discrimine positus esset, nec confessionem peccatorum multis annis fecisset, et quod magis erat deplorandum, in gravissimorum peccatorum affectu infixus erat, et quidem tam obstinate, ut, cum extremi inferni cruciatus subeundi, si eo in statu decederet, proponerentur; parum sua interesse responderet; sed post multos dies, quibus ad confessionem adduci non potuerat, tandem nostri ad ipsum deducti sunt, et eorum ministerio Dominus cor ejus emollivit, et sibi per poenitentiae sacramentum reconciliavit.

2214. Mulier quaedam, a viro digressa, laqueo vitam finire statuerat. Vir etiam ob legum metum recesserat, sed nostrorum opera officii sui amanter [ambo] admoniti, in gratiam reducti fuerunt.

2215. Multae virgines integritatem mentis et corporis Deo consecrarunt: multi, orationi pie dediti, finem orandi non faciebant. Ducenti fere in templo nostro sacramenta dominicis diebus ac festis frequentabant; et quidam ex valde remotis urbis partibus ad id accedebant. Sed crevit numerus poenitentium, ut octo confessariis negotium facesserent, inter quos multi erant in magna hominum aestimatione habiti, nobilitate aut fortunis praestantes, qui suae virtutis exemplo alios ad idem faciendum adducebant.

2216. Accedebant autem non pauci, qui octo et decem annis a confessionibus abstinuerant, et, ut christianos decet, non vixerant. Fuit quidam adolescens inter alios, qui vulneribus ab alio acceptis, statim unum ex nostris accersivit, et meliori vulnere a Deo percussus, sic in alium hominem mutatus est, ut, quod reliquum esset vitae, totum Dei obsequio impensurus, et vitae anteactae peccata compensaturus merito crederetur.

2217. *Aliquae mulieres, quae, praeter peccatum proprium, exemplo suo aliis peccandi occasio fuerant, eam vitae mutationem fecerunt, ut ab eisdem pudicitiae ac virtutum aliarum exempla peterentur, ex quibus multae, religionem ingressae, se totas Deo consecrarunt. Harum uni tanto amore vir quidam inhaerebat, ut cum suasionibus nostrorum a se separari mulierem videret, prae dolore gravissimo moriturus videretur. Quamvis autem, inter fletus uberes, minas acres contra nostros torqueret, nihil tamen eis mali, Deo protegente, ob hanc separationem accidit.

2218. Puella etiam quaedam, quae non animi pravitate sed nimia egestate, qua ipsa et parentes ejus fame perituri sibi videbantur, impudentis cujusdam sacerdotis precibus acquiescebat, opportune a nostris adjuta est, ut alia honesta ratione sibi et parentibus victum pararet.

2219. Conjectis in carcerem misericordiam etiam impenderunt, et tam spirituali quam corporali cibo indigentes sublevarunt. Erat autem eo anno magna annonae caritas, qua etiam ditiores premebantur. Ideo non solum rudimenta fidei eos docebant, et ad sacramentum confessionis adducebant, sed ad victum etiam eleemosynas eis curabant; quamvis hoc anno etiam nostri in suo Collegio paupertatem, alioqui multis communem, experirentur, nec hospitalis pauperum interim nostri obliti fuerunt [1].

2220. His rationibus efficiebatur, ut valentini Societatis nostrae studiosissimi efficerentur; et aliqui, quibus instituti nostri ratio non probabatur, qui ne maledictis quidem acerbioribus interdum parcebant; sic sententiam mutarunt, ut, oblata occasione et interdum etiam quaesita, nostros plus aequo laudarent. Consequebatur autem ex hac benevolentia civium, ut, qui in aliquod discrimen adducti essent, ad nostrorum orationes confugerent, et quidvis per eas se impetraturos sperarent. Ad componenda etiam dissidia inter conjugatos et alios, et ad eos, qui morti vicini erant, adjuvandos, persaepe nostri accersebantur; et pauci erant ex his, qui mortem sibi imminere intelligerent, qui nostrorum opem non implorarent; immo accidebat, assistentibus aliis religiosis, nostros nihilominus accersiri et jucundissime excipi, quasi tunc demum omnia feliciter transigenda sperarent.

2221. In calamitatibus etiam aliis, ad nostros passim homines veniebant; et post divortia facta, accidit nostrorum opera conjuges in mutuam gratiam et cohabitationem redire.

---

[1] "En este año sucedió vna hambre muy grande en la Ciudad y Reyno de Valencia, de modo que mucha gente miserable moría della; y esta necessidad tan apretada y tan estrema obligó á los Jurados... á que tratassen de algun trasordinario remedio; y entre otros tuvieron por mui conveniente que el P. Diego Miron fuesse por los lugares del Reyno, pidiendo á la gente rica limosna para la pobre; y como la necessidad era tan evidente, y el que la representava de mucha autoridad, y reputacion, y destreza en aquel ministerio por su mucha charidad y compassion, recogió una buena cantidad de limosna con que se remediaron muchos pobres." ALVAREZ, *Hist.* ms. *de la Provincia de Aragon*, S. J., t. 1, pag. 500.

2222. Religiosi ordinis S.ti Dominici nostros crebro invisebant, et familiaritas inter ipsos non vulgaris intercedebat. Provincialis eorum, et valentini monasterii Praefectus, qui duo lumina laudatissimae illius religionis habebantur, solemne Sacrum Petro et Paulo, Apostolis, in nostro templo, musico concentu et numerosa audientium corona, celebrarunt [1].

2223. Iidem spiritualia exercitia, Societati nostrae consueta, sibi tradi postularunt; et cum fructu eis perfuncti sunt [2]. Et cum monasterium quoddam ipsorum, cujus disciplina collapsa fuerat, restitui optarent, et eo quosdam ex suis religiosis ad hoc ipsum transmitterent; omnes illi eadem spiritualia exercitia sibi proponi postularunt, et ad id quemdam ex Fratribus nostris, secum ad monasterium illud iturum, petierunt, ut ibi ea sibi traderet; quae, cum multi essent numero, in Collegio nostro accipere minime poterant.

2224. Cum autem diem, B. Dominico sacrum, mense Augusto, celebraturi essent, P. Ramirez concionatorem habere suo in templo voluerunt, cujus concioni, non solum monachi plurimi, sed et juris periti ac eruditissimi homines [interfuerunt], et ea multitudo civium convenerat, ut, quamvis templum esset capacissimum, nihilominus multitudinem capere non posset [3]. Concio autem et pietate et doctrina insignis ea fuit.

2225. Hac aestate multitudinem crebro confitentium et communicantium [tantam] fuisse scribitur, ut ad quingentos numerus ascenderet; et plures longe futuri videbantur, si operarii plures messi colligendae vacassent, cujus augmentum concionibus P. Ramirez valde promotum fuit.

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 480.

[2] Inter religiosissimos Fratres Sti. Dominici, qui ignatianis commentationibus excoli voluere, recensebatur vir omni laude dignissimus Fr. Petrus Martyr Coma, de quo Alvarez, *l. c.*, t. I, pag. 493, haec habet: "Pero no sé si acreditó más [quam ipse V. P. Fr. Joannes Micó, ejusdem dominicanae familiae, de quo vide supra, t. IV, pag. 333] á la Compañia y á sus ministerios el P. Fray Pedro Martir, como uno de los insignes varones en letras y religion que ha tenido esta Sagrada Religion en la Corona [Aragoniae]...; el cual, siendo Provincial, por el amor y estima que tenía de nuestra Religion, y á decir la verdad, por su rara modestia y humildad, que encubre á los proprios ojos los tesoros de virtud y dones que están en el alma...; estando lleno [de ellos] este bendito Padre, y pudiendo con ellos enriquecernos á todos, se dignó y humilló á venir á nuestro Colegio de San Pablo de Valencia á hacer los ejercicios espirituales, haciéndose discípulo nuestro en el espíritu el que podía ser maestro...„ Evectus deinde ad sedem Elnensem, obiit anno 1577. Fuit "invencible defensor de la Iglesia, prodigio de humildad y exemplo y modelo de Virtudes heroycas.„ Feliu de la Peña, *Anales de Cataluña*, t. III, pag. 211.

[3] Ms. *posse*.

2226. P. Baptista de Barma, qui Viceprovincialis erat Aragoniae, hac aestate ineunte a P. Francisco Borgia vocabatur, ut ejus opera in gubernatione Provinciarum, ipsi commissarum, uteretur; et id in causa fuit, quod P. Ramirez Murciam fuit missus, quod superius attigimus; et P. Miron Viceprovincialis officio fungi jussus est. Sed cum P. Strada cum Pro-rege Aragoniae, ut tum credebatur, profecturus esset in Brabantiam, relicta Valentia, ad quam, ut diximus, accesserat, Caesaraugustam ire debuit; et tunc Murcia rediit P. Ramirez, et aliquandiu Valentiae, mensibus scilicet aestatis, versatus est.

2227. Cum autem intellectum in Hispania fuisset de migratione P. Ignatii ad Dominum, et de profectione ad Congregationem ageretur, jussus est P. Baptista de Barma se ad hoc iter accingere, et ita multa immutata fuerunt ex his, quae prius constituebantur; sed, cum mense Novembri ineunte, secundum ad hanc profectionem nuntium P. Baptista Valentiae expectaret, prout a P. Francisco expectare jussus fuerat, intellectum est ad primum ver sequentis anni profectionem in Italiam differendam esse, et ita Murciam P. Baptista rediit.

2228. Hac aestate admissus fuit in Societatem juvenis quidam, in philosophicis egregie eruditus et in dicendi facultate non mediocriter exercitatus; quamvis enim propter angustias rei domesticae ex his, qui admitti cupiebant, major pars expectare juberetur; aliqui tamen et ad exercitia [1] et ad Societatem ipsam admittebantur. Hic autem, de quo mentionem feci, etiam in linguis erat eruditus, et honestis admodum parentibus natus. Admissus etiam fuit hoc anno Mag. Ibagnes [2], gandiensis, qui et in philosophia et theologia etiam gradum acceperat magisterii, et in concionando etiam et in aliis pietatis operibus, cum magna sanctitatis existimatione se exercuerat.

2229. Alius etiam sacerdos, natione navarrus, et quidam etiam in philosophia cum laude versatus, (nam ejus condiscipuli primas ei in scholis tribuebant) hoc ipso autumno in Collegio exceptus est. Sed et alius, qui, praeter tres linguas, arabicam etiam tenebat, et philosophiae curriculum emensus erat.

---

[1] Scil. ad exercitia spiritualia Sti. Ignatii, tamquam ad experimentum princeps, in tirocinio faciendum.

[2] Antonius Ibañez, qui strenuam Societati navavit operam et Aragoniae Provinciae Praepositus fuit.

2230. Sed inter ceteros vir quidam, aetate, eruditione et pietate celebris, nomine Mag. Verdolai [1], eodem tempore admissus est. Concionator etiam hic erat veteranus; totos enim viginti annos huic ministerio cum non mediocri zelo honoris Dei tribuerat; vir jam quinquagenarius, et in quo evangelica paupertas ac libertas conspicua erat; et pro praemio multorum laborum fuit habitum quod ad Societatem a Domino vocatus fuerit, et fama hujus ingressus [sparsa est] in tribus illis regnis Aragoniae, Catalauniae et Valentiae, in quibus notissimus fuerat. Hic Dr. Verdolai P. Ignatio familiaris aliquando fuerat, et ad Societatem eum adducere cupierat, ut ex ejus litteris ad praedictum Verdolai constabat, quas ille penes se diligentissime asservabat, et ita Romam ille ad P. Ignatium venire constituerat; et cum iter ad hoc ipsum Barcinona instituisset, paucos dies ibi commoratus, nescio quorum suasu, sententiam mutavit; sed postea, Valentiam rediens, Societatem est ingressus.

2231. Allocutus fuerat hunc virum P. Baptista [2], et rationibus eum convincebat, quod ingredi Societatem deberet; quia tamen apud se nondum constituebat, an id expediret, scribi a P. Vicario aliquid eidem optabat, sed, ut diximus, in Collegium Valentinum paulo post admissus est.

2232. Cum bona, per mortem Domini Petri Domenech [3] ad Collegii Valentini dotationem reditura, et alia, ex hereditate materna ad ipsum P. Hieronymum Domenech pertinentia, quae ante professionem Collegio donaverat, occuparentur a D.na Magdalena Angelica, quae jam nupserat; donec elucesceret id, quod jure fieri debebat, et facultatem etiam haberet Collegium ad praedicta bona retinenda, quae ex manu mortua ad manum mortuam transferri ex bona parte debebant; quamdam rationem iniit P. Miron, ut major nostrorum numerus in Collegio Valentino, quam tum habebatur, ali posset. Ratio autem ea fuit, quod multi nomina sua dederunt, et pro uniuscujusque arbitrio quamdam pecuniae summam ad nostrorum sustentationem conferrent; et cum aedificatione eorum omnium id fie-

---

[1] P. Joannes Verdolay. Vide quae de hoc viro scripta sunt supra, t. IV, pag. 345, n. 736, annot. 4; ubi dicitur a Societate in Carthusiam deinde transiisse.

[2] P. Baptista de Barma.

[3] Dominus Petrus Domenech erat pater nostri Hieronymi Domenech, de quo plurima in *Epistolae Mixtae*, t. I, passim, ubi agitur de domo valentina.

bat; usque adeo, ut aliqui, qui adscripti in hoc catalogo non fuerant, conquererentur, quod fuissent exclusi, nec ab eis, quod libenter daturi erant, peteretur; et ita sperabant vel quadraginta ex nostris Valentiae posse sustentari.

Et haec de Collegio Valentino.

DE COLLEGIO GANDIENSI

2233. P. Antonius Cordeses [1] primis mensibus hujus anni Rector Collegii Gandiensis fuit, sed cum P. Baptista, [2] Viceprovincialis, 5.ª die Junii Collegium hoc visitasset, P. Christophorum Rodriguez [3] Rectorem instituit, ut multis laboribus defatigatum P. Antonium sublevaret.

2234. Quamvis autem nostri, pauci numero essent, non paucis nec exiguis laboribus vineam illam Domini excolebant.

2235. Concionabatur autem cum magno concursu et satisfactione auditorum P. Michaël Govierno [4], et quidem in Quadragesima, dominicis ac festis diebus in summo templo, aliis autem omnibus profestis in quodam monasterio S.tae Clarae; et tam ecclesiastici quam saeculares cum fructu et consolatione spirituali frequentes ipsi aderant; et sic ejus afficiebantur concionibus, ut, cum theologus quidam, valde doctus, in sequenti Paschate Resurrectionis tribus festis quasdam Apostolicas litteras promulgaturus esset Gandiae, statim post primam ejus concionem magistratus cum aliis multis eum adeuntes, obnixe rogarunt, ut duobus sequentibus Paschae diebus P. Goviernum concionari permitteret.

2236. Praecedenti autem die mercurii, in sancta hebdomada, praesentes habuit tres meretrices, ex quibus duae ad Dominum conversae fuerunt; tertia vero [cum] in Passione Domini, die veneris sequente, ab eodem praedicare audiret, et ipsa etiam corde compuncta, clamans ad Deum, ac poenitentiam pecca-

---

1 Vide supra, t. v, pag. 370, n. 996.

2 P. Joannes B. de Barma.

3 Vide supra, t. v, pag. 376, n. 1014.

4 Vide supra, t. v, pag. 363, n. 981, et pag. 364, n. 984; et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag 176-179, quibus Polancus ad hunc locum est usus.

torum petens, et ipsa conversa est; et paulo post honestus quidam juvenis in uxorem eam duxit.

2237. Pater autem Dr. Rodriguez, dominicis et festis diebus, in monasterio praedicto S.tae Clarae, post meridiem cum frequenti admodum auditorio concionabatur; diebus autem mercurii in nostro templo idem, permultis audientibus, praestabat; diebus autem lunae in quadam ecclesia, quae D. Josepho sacra erat, concionari coeperat, quo aliqui ex genere agarenorum neophyti, qui vicini erant, conveniebant. Quia tamen templum illud aedificabatur (cum antea ex parte corruisset), secunda hebdomada impedita fuit eo in loco praedicatio, ex qua tamen fructus uberior, quam ex aliis, sperabatur propter neophytos jam dictos, qui peculiari quodam amore Patrem Rodriguez prosequebantur, et familiariter cum eo nonnulli, de rebus ad salutem suam pertinentibus, agebant.

2238. Praeter pueros, qui lectioni christianae doctrinae intererant, multi aetate provecti concionibus, quibus ea declarabatur, intererant; et tam ex hoc pio ministerio, quam ex conciliatione dissidentium et auxilio eorum, quibus mors imminebat (ad quos nostri accersebantur), et ex aliis misericordiae operibus, ut in carcere et hospitali et alibi, fructus copiosus capiebatur.

2239. Quod ad confessiones attinet, et sanctissimae Eucharistiae frequentationem, non tantum in Quadragesima, sed toto anno magnus ibi fervor cernebatur, et in aliis etiam longioris temporis confessionibus multorum morbis salutare remedium Dominus per haec sacramenta adhibebat, et ex peccatorum tenebris multos educebat.

2240. Accidebant autem casus aliqui magni momenti, in quibus confessarii magno cum secreto, ut par est, poenitentibus consulebant. Quanta autem esset fames S.mi hujus convivii, cerni potuit post octavas Paschae. Cum enim quindecim illis diebus, juxta Societatis regulam, nulli fuisset S.ma Eucharistia in ecclesia nostra ministrata, simul atque illi elapsi sunt, sequenti die tam multi ad communionem accesserunt, ut hoc eorum sanctum desiderium magnam laudandi Deum consolationem praeberet.

2241. Ex neophytis, quod magis insolitum et mirandum erat, aliqui etiam ad confessionem accedebant, inter quos duo

erant aliorum magistri, quos alphachis [1] vocant, qui serio ad Dominum conversi, mira dilectione P. Rodriguez, cui confessi erant, prosequebantur; pro quo etiam sanguinem effundere paratos se esse dicebant: fructus autem, qui ex hujusmodi hominibus capi posset, quo difficilior, eo pretiosior erat. Quamvis enim baptizati essent, vitam nihilominus ac ritus saracenorum ac caeremonias observabant.

2242. Existimabat autem P. Rodriguez operae pretium fore ut ex P. Ignatii praescripto duo ex nostris circa eorum conversionem omnino occuparentur, Indiam in Hispania inventuri; cum hujusmodi hominum ingens multitudo converti ad veram fidem posse videretur, si viginti vel triginta eorum magistri, quos diximus alphachis vocari, converterentur, vel si aliqui exprofesso eos sollicitarent; nostros enim diligebant, quod eis, quacumque in re possent, faverent.

2243. Missus fuit Deniam, ut ibi hac Quadragesima concionaretur, Frater noster Martinez [2], quem magna hominum multitudo, cum assidue sequeretur, tam avide et attente eum audiebant, ut quantumvis prolixus esset, brevis ipsis videretur.

2244. Comitatus est eum P. Rogel [3] ut confessiones audiret, quo in munere sic se gessit, ut non solum multorum confessiones audierit, sed multos etiam ad frequentanda sacramenta confessionis et communionis adduxerit.

2245. Inter multos etiam, qui inimicitias exercebant, pacem conciliarunt. Multi erant, qui nulla ratione induci poterant, ut amplius quam semel in anno confiterentur; sed nostrorum hortatu persuaderi sibi permiserunt, ut bis aut ter singulis annis id facerent. Tam multi autem ad eos, consilii et remedii gratia, in suis necessitatibus et afflictionibus concurrebant, ut vix propriis occupationibus nostri vacare possent, quamdiu ibidem versati sunt.

2246. P. Rogel pueros catechismum docuit, sed majores etiam natu aderant; et omnes fructum non mediocrem ex hac exercitatione provenisse agnoscebant. Id etiam obtentum est a Gubernatore et magistratibus, ut libri profani in platea pu-

[1] "Quos vocant *alphaquinos*„.—*Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 14.

[2] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 177, ubi haec facta narrantur; nomen vero Fratris Martinez tacetur.

[3] P. Joannes Rojel, pampelonensis, de quo vide supra, t. IV, pag. 337, n. 714, annot. 1.

blice comburerentur; et ut saltationum [1] ac ludorum [abusus], in quibus cum detrimento animorum populus ille limites excedebat, prohiberetur.

2247. Gandiae interim per totam Quadragesimam exercitatio christianae doctrinae cessavit, ut concionibus interesse auditores possent. Cum autem factionis cujusdam initia propter viri cujusdam interfectionem Gandiae cernerentur; ut [2] homicidia ac bonorum temporalium detrimenta gravissima evitarentur, quidam ex nostris Patribus coram multis, genibus provolutus, quemdam eorum rogavit, ut quoddam concordiae medium, quod convenire videbatur, ut tam multis malis obviam iretur, rogavit [3].

2248. Quidam alius ex nostris virum, qui ab uxore recesserat [et] propter quasdam suspiciones relinquere omnino eam constituebat, ad mutuam concordiam et cohabitationem reduxit.

2249. Quidam etiam monachus, qui fere decem annos professionem in monasterio exegerat, et ab eo recesserat, nec ulla persuasione, ut rediret, adduci poterat; cujusdam ex nostris hortatu ad suum monasterium, ut Christi crucem ferret, rediit. Opera etiam cujusdam ex nostris vir quidam mulierem [4], quam in uxorem duxerat, (quae tamen alium maritum habebat, licet ab ipsa recesserat), reliquit; et vice versa vir alius qui, priore sua uxore relicta, alio in loco secundam duxerat, hortatu et consilio cujusdam ex nostris, posteriore dimissa, priorem repetiit [5]; quamvis eam adulteram fuisse certo sciret.

2250. Post Pascha conciones, ad doctrinam christianam pertinentes, resumptae sunt, qua absoluta, duo ex nostris ad pueros privatim docendos et exercendos magna cum utilitate

---

[1] Ms. *ut saltationum ac ludorum... prohiberetur.* Perspicuum autem est omisisse librarium *usus* aut *abusus:* etenim *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 181, rem ita tradunt: "Factum est etiam... ut edicto Gubernatoris et consulum... immodicus saltationum usus caeterorumque ludorum prohiberetur. „

[2] Ms. *et.*

[3] Sic. *Litterae* vero *Quadrimestres* emendatius ita: "Non dubitavit coram multis cuidam, genibus flexis, supplicare, ut rationem aliquam sibi commodam inveniret, qua ad concordiam omnis res adduceretur.„ *Ibid.* pag. 182.

[4] Ms. *a muliere.*

[5] Ms. *priorem [sic] dimissa, posteriorem repetiit.*—*Litterae Quadrimestres* recte quidem hoc modo: "... Qui cum pridem uxorem duxisset, profectus in aliam regionem, aliam duxit. Hic, etsi certo sciret illam adulteram fuisse, persuasus tamen a quodam Patre, hac relicta, eam ivit quaesitum.„ *Ibid.* pag. 182.

accedebant; et haec post meridiem; nam mane in ecclesia Collegii nostri toto anno dominicis ac festis diebus conciones cum frequenti auditorio habebantur: nec parum in factionibus, quae in ea provincia plus satis vigebant, excidendis, a nostris laboratum est; ut, injuriis condonatis, pax conciliaretur, et plurimae Dei offensae evitarentur.

2251. Gandiae, quemadmodum et in aliis locis Hispaniae, rationem [1] cum superioribus negotiandi [2] a P. Ignatio missam acceperunt.

2252. Cum quidam ex nostris concionaretur, mulier quaedam, quae fere invita ad templum adducta fuerat, quod jam multis annis a confessionibus abstinuerat, nec vitam, quam christianam deceret, agebat; sic gladio verbi Dei vulnerata est, ut ecclesiam egredi nollet, donec de suis peccatis | confiteretur; et, cum magno profectu sui spiritus et aliorum aedificatione, in Dei obsequio perseveravit.

2253. Crevit autem tantopere eorum numerus, qui christianae doctrinae explicationi intererant [3], ut aliquando nec in ecclesia, nec in porticu, nec in fenestris multitudo caperetur. Praemiola quaedam pueris, qui melius didicerant, donata, (ea erant sportulae quaedam ex sparto confectae a nostris et hujusmodi); sic multitudinem puerorum invitaverant [4], ut, cum prius frigidiores essent, quam par erat, jam, postquam tintinnabulum pulsabatur, concitato cursu, omnes ad ecclesiam convolarent: quae res multum aedificationis provectioris aetatis hominibus praestabat.

2254. Ex concionibus in summo templo habitis, fructus etiam non poenitendus cernebatur; et peccata a compluribus relicta fuerunt. Duae [5] autem inter alias mulieres, conversione quadam ad Dominum non vulgari eminuerunt; quarum altera, diuturna consuetudine peccandi relicta, serio divinis obsequiis vacare coepit. Alia etiam, voto castitatis emisso, cum vidua esset, in frequentia sacramentorum et oratione mentali firma perseverabat.

2255. Tres etiam virgines, quae pompis satis deditae fue-

[1] Ms. *ratio.*
[2] Sic: *agendi?*
[3] Ms. *intererat.*
[4] Ms. *invitaverat.*
[5] Ms. *duo.*

rant, in eorum contemptu conspicuae fuerunt; et duae illarum virginitatem Deo voverunt; tertia tantumdem erat factura, nisi ad maturiorem considerationem quodammodo invita, id, prout consilium ipsi datum fuerat, distulisset.

2256. Factae sunt autem complures confessiones generales, quae ad priorum defectum supplendum erant necessariae. Morituri etiam vix contenti erant, nisi aliquis ex collegialibus eis adfuisset.

2257. Vir quidam solum vertere cogebatur ob delictum aliquod Gandiae perpetratum, et uxorem ac multos liberos peditos relinquebat, grandi etiam detrimento alii illato; nec adversario ejus persuadere quis poterat, ut illi veniam condonaret. Cum autem quidam ex nostris, praecedente oratione, idem tentasset; venia impetrata est ab eo, qui sine morte adversarii nullo modo eam se donaturum affirmabat. A magistratu etiam venia fuit obtenta; et ita familiae et multis aliis consultum est; et qui in exilium mittendus [1] erat, divino servitio, manens Gandiae, et laetus vacabat.

2258. Constituerat anno praecedenti P. Franciscus Borgia, ut theologiae studia in Universitate Gandiensi omitterentur; partim quod scholastici externi ad lectiones non venirent, partim quod nostri pauci esse poterant, cum Collegii domus magnis expensis esset reparanda, cum, parum solide aedificata, ruinam minaretur.

2259. Quatuor ergo sacerdotes tantum, et totidem coadjutores, et duo grammaticae praeceptores in eo Collegio relicti fuerant; unus etiam ex sacerdotibus conscientiae casus praelegebat. Qui autem humaniores litteras docebant, cum magna utilitate juventutis institutae, suo munere fungebantur.

Et haec de Collegio Gandiensi.

DE COLLEGIO BARCHINONENSI

2260. In ipsa vigilia Nativitatis Domini, qui hujus anni initium est, ecclesia Collegii Barchinonensis utcumque absoluta est, non quidem omnino, sed usque ad quemdam parietem no-

[1] Ms. *mitturus*.

strae domus. Temporis progressu ultra illum, altare majus instituendum erat, et pars ea, quae capella major dicitur, et fere tertia pars templi futura erat. Aliae duae tertiae partes cum quatuor capellis, hinc inde, satis pulchris confectae fuerunt; et super illas atrium ad chorum templi patebat; et tam pulchra visa est ecclesia, licet non plene absoluta, ut non solum benevolos [1], qui suis expensis ad hoc opus promovendum juverant, sed adversarios etiam et oblocutores consolatione afficeret.

2261. Ipso autem die, qui Natalem Domini praecessit, majus altare ornatum fuit coelo, et cortinis, et aliis ornamentis ex tela aurea confectis. Mutuo etiam dederat Pro-rex [2] sui sacelli argentea vasa; et vesperi cantores Cathedralis ecclesiae solemniter matutinum officium decantarunt, et ipso die Natalis Domini Episcopus quidam Missae officium celebravit, et Urgellensis Episcopi [3] cantores eam suis cantibus ornarunt.

2262. Astitit et Pro-rex cum Asturecensi Episcopo [4], Inquisitoribus, et multis nobilibus ac primariis ejus urbis hominibus. Concionatus est et P. Strada, Provincialis, (qui praecedentibus dominicis diebus ac festis idem fecerat), ea frequentia auditorum, ut multo plures jam pleno templo excluderentur, quam in eo continerentur.

2263. Provincialis etiam S.ti Dominici cum quatuor ejusdem ordinis theologis ad Missam et vespertinum officium decantandum ipso die Circumcisionis, quo festum Societatis celebrabatur, venerunt, et praedicti cantores cum aliis Cathedralis ecclesiae solemnitatem auxerunt.

2264. Concionatus est etiam mane P. Strada, et post meridiem adfuit etiam Pro-rex cum proceribus urbis, et tanta eo confluxit hominum multitudo, ut etiam omnia superiora loca impleret.

2265. Constituerat et P. Strada ipso die Epiphaniae concionari; sed Aitonae [5] Comes et alii primarii viri importunis pre-

[1] Ms. *benevolis.*

[2] Vide supra, t. v, pag. 379, n. 1022; et t. iv, pag. 356, n. 762, annot. 2.—Pro-rex Catalauniae erat Petrus Afan de Ribera et Portocarrero, Marchio de Tarifa.

[3] Urgellensis Episcopus erat adhuc Michaël Despuig, qui hoc ipso anno ad ecclesiam ilerdensem translatus est. De eo facta est mentio supra, t. v, pag. 383, n. 1038.

[4] Hic erat Didacus Sarmiento de Sotomayor, sacrae Inquisitor fidei, de quo vide supra, t. iv, pag. 343, n. 730, annot. 3.

[5] Erat Joannes de Moncada, "Conde de Camarasa y de Marmila, Baron de Serós, Mequinenza y Chiva, gran senescal y Virey de Cataluña, gran justicier y Virey de

cibus eum urgebant, ut in templo multo majori, cognomine Pini, eo die concionaretur; et quia ea ecclesia nostro Collegio adversabatur, et aedificium ecclesiae impedire per litem conata erat [1], ne videretur animus nostrorum contra eos exasperatus, eis P. Strada acquievit.

2266. Hoc autem fuit observatum, quod adversarii, non solum qui litibus, sed qui oblocutionibus multis Societati se opponebant, et demoliri aedificium nitebantur; illi ipsi ad novum nostrum templum, ut christianae doctrinae audiendae interessent, devote conveniebant. Non tamen defuerunt etiam postea qui nostrorum patientiam detractionibus, immo et litibus etiam, exercerent.

2267. Duo scholastici, a P. Strada admissi, Romam mittendi erant cum Fratre nostro Antonio Gou [2], sed triremes eos admittere noluerunt, quod vectoribus nimis plenae essent; illi tamen, in Italiam navigaturo, alter eorum comes adjunctus est; alter P. Joanni Cheralt [3], quem Caesaraugustam P. Strada misit, ut Patri Roman [4] auxilio esset.

2268. Venerat praedictus Frater noster Antonius cum triremibus Barchinonam, et progressus fuerat cum classe ad portum ejusdem regionis, nomine Palamos, ubi cum socio adjuncto, cognomine Monserrat [5], in gravem morbum incidit, et inde ad vicinum quemdam locum, nomine San Feliu, ut curaretur, delatus (complures enim ibi consanguineos habebat), paucis diebus diem obiit extremum [6]. Ejus autem socius, Gironam deductus, convaluit.

Sicilia; cuyos altos merecimientos le valieron de parte de la Majestad imperial del Sr. D. Carlos V el título de Conde de Aitona. Casó... con D.ª Ana de Cardona, hija de D. Fernando segundo Duque de este título..., Condestable de Aragon.„ BURGOS, *Blason de España*, t. I, pag. 114, 115.

[1] Vide supra, t. V, pag. 381, n. 1031, pag. 385, n. 1042 et pag. 386, n. 1044.

[2] Vide supra, t. IV, pag. 355, n. 760, annot. 2, n. 4; et infra statim, n. 2268, et seqq.—Hic vero ms. habet *Goo*.

[3] Vide supra, t. V, pag. 385, n. 1043.—Hic in ms. legitur *Caesaraugusta;* sed perperam.

[4] P. Alphonsus Roman.

[5] Confer quae dicta sunt supra, t. IV, pag. 355, n. 760, annot. 2.

[6] "Yendo á Roma [Antonius Gou] para ser Procurador, murió en S.t Phelice de Guijolas [San Feliu de Guixols], puerto de Cataluña, estando para embarcarse el año de 1551.„ RIVADENEIRA, *Hist.* ms. *de las Provincias de España*, t. I, fol. 16, v.—Patet autem ex *Chronico* Rivadeneira aut ejus librarium errare, qui scripserit obiisse Fr. Gou, anno 1551.

2269. Missus fuit P. Gesti [1], cum de ejus morbo intellectum fuit, sed jam ille mortem obierat.

2270. Romam mittebatur dictus Antonius, ut Procuratoris generalis officio fungeretur; quamdam etiam pecuniarum summam in subsidium Collegii Romani adferebat, quae a Principe Joanna classis duci, D. Joanni de Mendoza, commendata fuerat, ut eam scilicet Genuam usque deportandam curaret, et idem Antonius prudenti consilio usus, praedictam summam ipsi tradiderat. Cum autem aegrotare coepisset, fertur dixisse idem Antonius, quod in cujusdam consanguinei domo, in oppido Palamos, cui cognomen erat Chagna, reliquerat manticam quamdam, et in ea ducentos aureos et amplius; et dedit claves, ut quae ibi continebantur, acciperent. Sed nihil se invenisse dixerunt, et consanguineus ille negabat se quicquam scire. Haec scripsit idem P. Gesti se intellexisse, et si summam illam majorem penes se habuisset, fortassis idem accidisset.

2271. Obiit autem ipso die Purificationis Antonius Gou ex morbo, ut aiunt, qui caput solet pectere, (vulgo modorram vocant), et ideo mirum non est, si pecuniae rationem, quam deferebat, habere non potuerit.

2272. Vir erat magnae integritatis, et ab ipso initio Societatis nostrae, ipsi addictissimus: officio notarius erat; et cum uxorem haberet, et tamen legitime eam a se separasset, adhaeserat Societati [2], et in negotiis tractandis perutilem ipsi operam praestitit. Et quamvis tanquam frater admissus fuit (nam liber prorsus erat), non est tamen ad sacerdotium promotus; et ut de pecunia, quam ferebat, ita de aliis rebus accidit, ut nihil prorsus inveniretur.

2273. Expetitus fuit P. Strada, ut in eadem ecclesia D. Virginis, cognomine Pin[i], sequenti Quadragesima concionaretur, et quamvis messem uberem, quod in ipso erat, praeparabat; pauci erant confessarii, qui praedictam messem colligerent, cum praeter praedictum P. Cheralt, etiam P. S.ta Cruz [3],

---

[1] P. Joannes Gesti, de quo supra, t. v, pag. 879, n. 1023; pag. 884, n. 1040; et infra n. 2280.

[2] Vide *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 478, 566: in sequentibus vero ejusdem operis voluminibus plurimus fiet de eodem viro sermo, quem meritis laudibus extollunt scriptores nostri, Polancus, Rivadeneira, Alvarez.

[3] Ita perpetuo appellari solet, omisso nomine proprio. Vide supra. t. IV, pag. 368, 371. Et praesertim *Litterae Quadrimestres*, t. III. pag. 172, annot. 4.

qui socius erat P. Stradae (alius est hic ab illo concionatore granatensi [1]) in Castellae regnum a P. Francisco revocatus fuit, et alius, P. Ludovicus Sisteron [2], in gravem morbum incidit. Sed religiosi S.ti Dominici hanc messem, et quam ipsi etiam praeparabant, diligenter metebant, decem confessariis ab eorum Provinciali, scilicet F. Petro Martyre [3], designatis, qui gratis confessiones omnium audirent.

2274. Concionabatur autem quotidie cum frequentissimo auditorio praedictus P. Strada, quem primores urbis totius bona ex parte sequebantur, et Deo propitio, fructus non poenitendus ex ejus laboribus capiebatur. Ipse etiam Pro-rex coepit aliquas ejusdem Patris conciones [4] postulare; et quamvis aliquanto serius, intellexit tandem, et fatebatur salubre fuisse consilium a P. Strada auditum, sed non acceptum, de larvis in carnis privio vel prohibendis vel moderandis; nam pridie cinerum infelix quidam casus et acerbus ea de causa Barchinonae accidit; et ita, quamdiu ipse praeesset Catalauniae, se non permissurum hujusmodi larvas dicebat.

2275. Moliebantur etiam tunc, cum praedicationis officium recens esset, homines qui praedictae ecclesiae Pini curam habebant, aliquid contra nostram ecclesiam; sed Comes Aitonae et Magister Rationalis, cum quo rem contulerunt, vehementer eis sese opposuerunt; et ita sperabant nostri eos a lite cessaturos. Non solum enim spiritualis, sed temporalis etiam utilitas non mediocris ad ecclesiam Pini redierat, cum stipendium vel eleemosyna, aliis concionatoribus dari solita, accepta a nostris non sit, et propter procerum ac divitum concursum pingues ipsi eleemosynas sua in ecclesia acceperunt.

2276. Aliud autem melius stipendium accepit P. Strada, multarum, scilicet, animarum spirituale auxilium, simul cum oblocutionibus et calumniis praedictorum hominum, qui contra ejus conciones varia seminabant; cum tamen vix forte unquam

---

[1] Erat hic P. Jacobus sive Didacus Santacruz, etiam dictus P. Santacruz *granatensis*. Fratrem habebat sacerdotem, Christophorum Sanchez, de quo dictum est supra, t. v, pag. 511, n. 1392. Patrem vero Jacobum Santacruz, qui hic concionator granatensis vocatur, degentem in Portugallia vidimus, supra, t. v, pag. 581, n. 1609, et pag. 585, n. 1611.

[2] Alibi, et quidem recte, scribitur *Cisteró:* supra, t. iv, pag. 353, n. 755, annot. 1.

[3] De hoc clarissimo viro dictum est supra, n. 2223.

[4] Ms. *concionis*.—Vide quae de larvarum abusu dicta sunt, supra, t. v, pag. 382, n. 1033. Pro-rex vero ibi laudatur, et t. iv, pag. 356, n. 762.

perinde fructuosas Quadragesimae conciones habuissent; sic enim multorum conscientiam stimulavit, ut confessarii ad confessiones generales totius vitae audiendas non sufficerent.

2277. In hebdomada sancta concionatus est aliquoties nostro in templo P. Strada, quod tota Quadragesima facere non potuerat, cum, praeter quotidianas conciones in templo Pini, etiam diebus veneris secundam concionem coram Pro-rege haberet, et aliquas aliis diebus aliis in locis; vires tamen Dominus conservavit, ut his laboribus pares essent, quamvis satis debilitatus post Pascha a medicis inventus [est], qui ad curam corporis habendam eum hortabantur.

2278. Postea christianae doctrinae tradendae exercitium, quod hactenus [1] factum non fuerat in Collegio nostro, inchoatum est; quotidie autem sub vesperam, diebus autem festis post meridiem, pueri in fidei nostrae rudimentis instituebantur; qua exercitatione absoluta, concio a P. Baptista Sepulveda, (quem P. Miron Valentia miserat) ad provectiorum utilitatem habebatur, et frequentari prae solito templum nostrum coepit; et multum aedificationis haec cura instituendi juventutem praebebat, adeo ut, ab illis etiam, qui aliis nostris functionibus obmurmurabant, haec laudaretur.

2279. Initio Maji cum jubilaei gratia, licet satis tepide, Barchinonae promulgata esset, tanta hominum multitudo ad nostros confluebat, ut licet quatuor confessarii diu noctuque audiendis confessionibus vacarent, multi tamen audiri non potuerint. Aegrotantes autem, qui plurimi erant id temporis Barchinonae, hanc confessionum messem augebant; quibusdam etiam spiritualia exercitia cum fructu tradebantur.

2280. Evocatus fuerat Valentia P. Strada litteris Ducis Maquedae, Pro-regis [2], ut ibi concionaretur; sed quia usque ad Pascha ipsius opera Barchinonae necessaria fuit, et P. Ramirez Valentiae id temporis verbum Dei praedicabat, non recessit Barchinona usque ad Ascensionem Domini, quo die P. Michaël Govierno Barchinonam ad concionandum missus, suis concionibus prosperum dedit initium. Reliquit autem P. Strada Rectorem Collegii P. Joannem Giesti, ac P. Baptistam de Sepulve-

[1] Ms. *eactenus*.

[2] Bernardinus Cárdenas et Pacheco, de quo supra, cum ageretur de Collegio Valentino.

da, qui christianam doctrinam explicaret, praeter concionatorem praedictum.

2281. Quartus sacerdos erat P. Ludovicus Cysteron, qui, quamvis minister erat Collegii, simul cum aliis confessionibus dabat operam. Sedes autem ad confessiones audiendas valde commodas reliquit; illi enim ex Collegio ad praedictas sedes, a nemine conspecti, venire poterant: poenitentes autem in ecclesia, palam constituti, confiteri poterant accedentes ad cancellum ferreum. Quae omnia juxta morem ejus regionis ad aedificationem facta erant.

2282. Praeter hos quatuor sacerdotes, totidem Fratres, qui in coadjutorum ministeriis domi versarentur, relicti sunt. Jam ab initio hujus anni sanctissimum sacramentum in ecclesia asservabatur, quam B. Mariae *de Belen* nominabant, satis decenter in sacrario ad id designato.

2283. Miserat etiam Episcopus Segorbiensis [1] depictum altare sive imagines ex urbe Valentia satis elegantes, in tabula penicillo depictas, quae satis opportune ad ornandum templum venerunt. Alia etiam ornamenta ad cultum necessaria prospecta sunt, et ita nostrum templum studiosius et a pluribus frequentari coepit. Debita, de quibus anno superiori actum est [2], praesertim cujusdam mercatoris, cognomine Bolet, dissoluta non erant; cum enim summa sexcentorum aureorum esset, quos ille dederat ad templi aedificationem, et ejus creditores a nostris eam summam repetebant, iniri ratio facile non poterat hujus summae dissolvendae.

2284. De Collegio nulla mentio tunc fiebat, nec P. Strada aliam viam teneri posse putabat, quam ut Rex aliquam Abbatiam ad id destinaret, vel studia publica ejus civitatis, quae aliquos habebant reditus, ad Societatem nostram transferrentur, et utrumque satis difficile videbatur.

2285. Domus quaedam nihilominus, Collegio conjunctae, paulatim emebantur, quod non magno pretio, cum essent exiguae, fieri poterat, et ita situs ad aedificationem Collegii auge-

---

[1] Gaspar Jofré de Borja. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 169, 171, 172. Et supra, t. IV, pag. 343, n. 730, annot. 3; ubi corrigitur per transennam Victor Balaguer in *Historia de Cataluña*, lib. IX, cap. XII.

[2] Vide supra, t. IV, pag. 355, n. 761, annot. 3, ubi de Joanne Bolet fit sermo.

batur, et interim ad habitationem et usum nostrorum domunculae hujusmodi concinnabantur.

2286. Is tamen erat rerum temporalium status, ut si tum domus, tum ecclesia vendenda fuisset, vix ad solutionem aeris alieni sufficere potuisset. Hoc ergo in statu P. Strada Collegium illud reliquit, et constituit, ut duo scholastici ibidem perpetuo retinerentur, [et] ad studia publica ejus urbis accederent, quae vicina satis Collegio nostro erant; ubi, praeterquam quod ipsi in litteris proficere poterant, alios exemplo et colloquiis Christo lucrifacere poterant.

2287. Confessionis etiam et disputationis gratia, eorum occasione, aliqui studiosi ad nostrum Collegium dominicis et festis diebus venturi videbantur.

2288. Alterum autem ex his nostris scholasticis Episcopus [1], alterum vero pia quaedam persona se sustentaturam promiserat.

2289. Post ejus recessum auctus est eorum numerus, et fructus [eorum], qui ad christianam doctrinam accedebant. Pater etiam Govierno [2] suis concionibus, et spiritum et eruditionem non mediocrem prae se ferens, satisfacere magnopere barchinonensibus coepit.

2290. Confitentium etiam et communicantium numerus augebatur; eorum autem, qui Societati devoti et addicti erant, et interdum refrigescere solebant, numerus etiam et fervor crescebat; et qui non bene de nostris sentiebant, mitescere ac melius de rebus nostris sentire ac loqui incipiebant; et illi quidem, qui ecclesiae B. Mariae del Pino curam gerebant, non omnino contradictionem deposuerunt, sed Regis cujusdam privilegium ostendebant, quo cavebatur, ne ecclesia nova sine civitatis facultate institueretur; sed praeterquam quod idem Rex privilegium revocavit, ut immunitati ecclesiasticae contrarium, civitas suum consensum ad nostrae ecclesiae aedificationem dederat; et ita frigida satis contradictio erat, quamvis aliquid latere posse sub hac tepiditate litis nostri suspicabantur.

2291. Supervenit P. Joannes Cheralt, qui Caesaraugustae

[1] Episcopus Barcinonensis erat Jacobus Cassador, de quo saepe in *Cartas de San Ignacio* et in superioribus voluminibus.

[2] P. Michaël Govierno.

male habebat, et ita confessariorum auctus est numerus. Munuscula etiam quaedam addita libellorum, aut rerum devotionem excitantium, puerorum ad christianam doctrinam addiscendam diligentiam ac fervorem excitabant. In dies etiam P. Govierno auctoritatem majorem et doctrinae existimationem, praesertim apud ingeniosos et doctos homines, acquirebat. Et quia pauci ex his ad nostrum templum veniebant, aliis in ecclesiis ipse eos quaerebat; et solebat aliquot conciones in una continuas habere: deinde ad aliam se transferebat. Hoc autem ejus erat consilium, ut, cum eos sibi conciliasset in aliis ecclesiis, deinde ad nostram, quae [1] remotior erat, invitaret; et ita observabatur, tamquam fructus spiritualis signum, quod homines nostrae Societati addicebantur, et aemuli atque adversarii silebant, et plures sacramentorum gratia ad ecclesiam accedebant.

2292. Saepius autem in ecclesia Pini concionatus est, partim ut animos illorum hominum placaret, partim quod ab eisdem, etiam a sacerdotibus, rogabatur, qui tamen prius ne videre quidem nostros volebant.

2293. Et cum concionem B. Mariae Magdalenae in ejus festo cuidam monasterio monialium promisisset, nec impetrare ab eo possent homines praedictae ecclesiae Pini, ut desineret stare promissis sine monialium consensu, adierunt illi moniales, et alium concionatorem eo die offerentes, impetraverunt ut in festo praedicto, in ecclesia Pini P. Govierno verbum Dei praedicaret, ea tamen adhibita conditione, ut alio die eisdem monialibus P. Govierno concionaretur.

2294. Tres autem meretrices publicae in concione praedicta de B. Magdalena conversae fuerunt, quod Barchinonae difficilius quam Valentiae erat, quod nulla esset poenitentibus excipiendis domus destinata. Sic autem affectus hominum ejus ecclesiae immutatus est, ut omnino a lite in posterum cessaturi crederentur.

2295. Pervenit in Hispaniam nuntium transitus ex hac vita in aeternam P. Ignatii, et quamvis perculsi fuerunt nostri, aliqui tamen observarunt ab eo tempore commotionem animorum multo majorem ac benevolentiam erga Societatem propensio-

[1] Ms. *quae in remotior erat.*

rem, quam [civitas] unquam habuisset, ex quo domum ibidem habuit Societas, quodque in dies fructus uberior praeparabatur; nec indignationem et contradictionem, quam [nostri] experiri soliti erant in multis, quin potius charitatis significationem, nostris exhibitam, videbant.

2296. Parochia S.ti Michaëlis ad Quadragesimam futuram [ut obtineret] P. Goviernum diligenter ad Viceprovincialem scribendum curabat. Cum enim in ea ecclesia inter alias concionaretur, magnopere ipsis placuerat, et frequens primariorum hominum auditorium habuerat, et nostros, ne contradicerent, rogabant.

2297. Qui etiam ecclesiae Pini curam gerebant, apud quos praedictus P. Govierno fuerat aliquoties concionatus, magno cum desiderio eumdem ad Quadragesimam futuram, triplicatis ad P. Provincialem litteris, postulabant; et litem contra Collegium omnino reliquerunt, et suum procuratorem, quem Romae contra nostros habebant, ut referebatur, revocaverant, et ita, praeter ipsum jus, quod a nobis stabat, charitas et obsequium eos Societati conciliavit.

2298. Alia etiam parochia S.ti Justi concionatorem Societatis, et nominatim Drem. Ramirez, postulabat. Major etiam frequentia hominum nostro in templo, qui vel sacramentorum vel lectionum christianae doctrinae gratia eo conveniebant, mutationem animorum ostendebat. Itaque contradictiones post P. Ignatii mortem brevi cessarunt; et qui ne videre quidem nostros aequo animo poterant, libenter familiaritatem cum ipsis contrahere cupiebant; et patres familias non tantum filios, sed etiam filias puellas diebus festis, ut christianam doctrinam addiscerent, ad nostrum templum mittebant.

2299. In monasteriis monialium fructus etiam non poenitendus capiebatur. Inter alios Abbas Petrus Domenech, qui a loco suae Abbatiae se abesse non posse prius judicabat [1], post P. Ignatii mortem in alium hominem mutatus, Barchinonam venit; immo et subindicabat, antequam de ejus morte quidquam literarum in Hispaniam pervenisset, eum se vidisse. Paratum autem se exhibebat, ut Societatis consilio omnino regeretur, et permutare illam Abbatiam (quae S.tae Mariae de Villa

[1] Vide supra, t. IV, pag. 357-360, n. 764 767, et alibi in hoc *Chronico* et *Cartas de San Ignacio*. Vide etiam *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 462.

Beltram dicebatur) cum quodam simplici beneficio quadringentorum scutorum annui reditus volebat, ut ad Collegii Barchinonensis dotationem applicare posset.

2300. Nobilis quidam, qui in direptione Urbis quingentos aureos ex quorumdam civium nobilium redemptione habuerat, cum mortuus esset, testamentum ejus apparuit, quo, ut praedictos quingentos aureos a suis haeredibus, antequam haereditatem adirent, restitui jubebat; et ita Romam Barchinona per nostros missi fuerunt, et nonnullis civibus restituti; et quod cambio impendendum erat, id est... [1], aureos, curatum est, ut nostri barchinonenses in eleemosynam acciperent.

Et haec de Collegio Barchinonensi.

DE COLLEGIO CAESARAUGUSTANO

2301. Postridie Nativitatis B. Virginis Mariae anni praecedentis revocati fuerant nostri, urgente Archiepiscopo et ejus Vicario, qui auctores fuerant expulsionis [2]; et prius idem Archiepiscopus componere res nostras cum monachis et clericis diligenter tentaverat, et ex parte obtinuerat, et interim, dum alii duriores ad concordiam adducebantur, ut nostri ad propria redirent sollicite urgebat; nam dure admodum a Principe Portugalliae et Gubernatrice Hispaniae D. Joanna arguebatur; quae, ut par erat, justitiae zelo contra eos, qui persequuti nos fuerant, exarserat [3].

2302. Binae itaque litterae ab officiali ac Vicario generali Archiepiscopi emanarunt, quibus et censuras contra nostros et alios ex eadem causa latas, nullas prorsus esse declarabant; et religionem nostrae Societatis, de qua tam indigna jactata fuerant, a S.tis Pontificibus esse approbatam, et eorumdem privilegiis consueta ministeria exercere posse profitebantur [4].

---

[1] Definire non possumus an legendum sit *10* vel *40*.

[2] Vide supra, t. v, pag. 391, n. 1059 et seqq., ubi fuse narrantur, quae caesaraugustanis sociis, superiori anno, acciderunt. Archiepiscopus, de quo hic agitur, est Ferdinandus de Aragon; ejus autem Vicarius est Lupus *(Lope)* Marco, Ord. S. Bern., Verulensis monasterii Abbas.—Ad hunc annum spectant *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 282-298 et 460-468, quibus Polancus est usus: eas vide.

[3] Vide *Chronicon*, *l. c.*, pag. 399, n. 1075, annot. 1.

[4] Vide in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 609, harum litterarum transumptum

2303. Et litterae hujusmodi per omnes fere ecclesias publice lectae fuerunt. Unde populus coepit mitescere et emolliri; ac demum, nostris evocatis ex quodam loco Comitis de Ribagorza [1], obviam eis [processerunt] D. Episcopus Oscensis [2] et Vicarius, qui Abbas Veruelae erat, cum magistratibus urbis, et nobilibus multis, ac decurionibus, ac civium et populi caterva; et perstiterunt per aliquot horas ad urbis ingressum. Et quamvis nostri non honorem, sed onus, sibi fore conquererentur, et privatim ingredi, praemisso viro quodam nobili, curassent [3]; non tamen obtinuerunt, et ad domum usque nostram sunt deducti, ubi Dux Francaevillae, Pro-rex [4], cum quodam ex Inquisitoribus et aliis nobilibus eos expectabat, et, omnibus praesentibus, Oscensis Episcopus Missam nostro in sacello celebravit.

2304. Hic nostrorum reditus properatus visus est, [plus] quam voluissent, oppidanis Comitis de Ribagorza, (qui bona ex parte ex saracenis ad Christum conversi fuerant), eo quod filios eorum in christiana doctrina sic nostri instituerent cum parentibus eorum, Patre Santander articulos fidei declarante, ut nunquam se tale quid audivisse profiterentur. Et cum illud genus hominum magna vi cogi ad alios concionatores audiendos solitum esset, ipsi jam ultro rogabant Patrem Santander ut ipsis concionaretur et viam salutis sibi ostenderet.

2305. Ex aliis etiam pagis catervatim ad nostros audiendos hujusmodi neophyti confluebant, ac plane nostrorum exilium ab urbe Caesaraugusta diuturnum se optare magno affectu dicebant.

2306. Non erat Caesaraugustae P. Franciscus de Rojas, qui alio (ut anno superiori dictum fuerat [5]) profectus erat: cum tamen suam operam utilem fore nostris, dum in talibus difficultatibus versabantur, intelligeret; a P. Francisco [6] missus, libenter Caesaraugustam rediit. Sed jam reductos in domum

---

"*Edicto en que se revocan las censuras lanzadas contra los Padres de la Compañia de Jesús en Zaragoza.*„

1 Pedrola. Vide supra, t. v, pag. 400, n. 1077, 1080. Ms. habet *et obviam*.

2 Petrus Agustín "nuestro Juez conservador.„ ALVAREZ, *Historia* ms. *de la Provincia de Aragon*, S. J. lib. 1, cap. 52. Vide supra, t. v, pag. 395, n. 1066, annot. 1.

3 Ms. *curasset*.

4 Didacus Hurtado de Mendoza, primum Comes II de Melito, postea Dux de Francavila.

5 Vide supra, t. v, pag. 387, n. 1048.

6 A P. Francisco Borgia.

suam eos invenit; Patres scilicet Alphonsum Roman, Santander et Pignas [1]: in quibus tantum consolationis et constantiae in persecutionibus invenit, ut aedificationi magnae et confusioni sibi fuisse fateretur [2].

2307. Quamvis autem, qui male interpretari res Societatis soliti erant, ex hac reductione tam celebri novam obmurmurandi occasionem nacti fuerint; Dei providentia factum esse P. Rojas censebat: ad reparationem [scilicet], boni nominis Societatis sic fuisse ordinatum censebat.

2308. Invisit idem Pater multos ex amicis antiquis, quos solidos valde et inter contradictiones in spiritu profecisse deprehendit. Aliqui, qui contrarii videbantur fuisse, se excusabant. Alii etiam negabant quicquam se contra Societatem egisse.

2309. Pro-rex et Inquisitores praeterita aegre admodum se tulisse significabant; et in posterum favorem in omnibus offerebant. Archiepiscopum ter invisit, qui excusabat se quantum poterat, et negabat a se quicquam contra Societatem actum fuisse, (quod tamen aliter se habere, et fomentum adversariis ipsum dedisse, satis nostris constabat). In posterum autem se pro justitia Societatis fautorem fore promittebat.

2310. Satis tamen intelligebat P. Rojas hoc illum se facturum dum Princeps Joanna in evocando ad curiam ipsius Vicario perseverasset; nihil enim [magis] aut perinde ipsum Archiepiscopum aut Vicarium torquere poterat; et quia non solum ab urbe sed ab animis etiam multorum Societas rejecta fuerat; licet nostros in urbem recipere et quidem honorifice coacti fuerint, ut ad benevolentiam eosdem in suis animis admitterent, perdifficile erat, tam Archiepiscopo et Vicario, quam clericis, praesertim parochialibus, qui etiam post reditum nostrorum conjurasse contra eos videbantur. Et religiosi non minus, immo forte magis, infensi nostris erant.

2311. Plebs autem, a clericis et religiosis commota falsis informationibus, suas opiniones contra Societatem ab illis haustas retinebant, et injuriae loco alter alterum, *ignistam* vel *ignatianum* vocabant. Et nostros etiam per vicos transeuntes eodem nomine, irrisionis gratia, compellabant.

---

[1] PP. Alphonsus Roman, qui domui praeerat, Ludovicus Santander et Balthasar Piñas. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 289.

[2] Ms. *fateatur*.

2312. Inter nobiles ac primarios viros multi favorem ac benevolentiam Societati exhibebant; alii eventum rerum expectabant.

2313. Quod ad res judiciales attinet, quamvis ab Ordinario, ut diximus, censurae contra nostros nullae declaratae fuerant, aliqui timore quodam et non juridice id factum cavillabantur; et ita curatum est, ut Nuncius Apostolicus Archiepiscopum et ejus Vicarium judices apostolicos nominaret, ut de causa nostrorum cognoscere, et quaecumque oporteret legitime facere possent. Non tamen sine suspicione quidam erant, timore cessante evocationis Vicarii, rediturum esse Archiepiscopum ad ingenium, et curaturum expulsionem Societatis ab eo regno; et quidem per litteras ex curia romana emanantes, quas monachi et clerici curabant, ut nostri ex sua domo expellerentur, et quibusdam aliis juribus regni Aragoniae, ex tota civitate nostros expelli posse sperabant; et quae ipsos movebant hujusmodi erant, ut etiam ex toto orbe terrarum Societatem expulsam vellent.

2314. Interim nostri, qui redierant, Societatis munia obire coeperunt, et confitentium et communicantium in nostro sacello magna statim frequentia conspecta est. Aliis etiam charitatis operibus, prout poterant, vacabant. Concionabatur in sacello Collegii P. Santander; nam ex ecclesiis urbis nullus nondum quemquam ex nostris, praedicationis gratia postulabat [1], quamvis prius postulare soliti essent, nec exigua esset concionatorum penuria.

2315. Hi autem, quos capere poterat nostra ecclesia, cum consolatione et satisfactione non mediocri verbum Dei audiebant; et paulatim populus quiescebat, cum bonus odor hujusmodi concionum per urbem spargeretur.

2316. Cum autem quatuor essent confessarii, connumerato P. Rojas, novi poenitentes subinde ad sacramenta suscipienda in nostrum templum conveniebant. Amici autem, immo et nostri, convenire omnino existimabant, ut post tempestatem, quae tantopere nostros Caesaraugustae concusserat, aliqui de Societate, qui doctrina et auctoritate pollerent, Caesaraugustam venirent; ut essent qui et concionari et legere assidue, et Cae-

[1] Ms. *postulabant*.

saraugustae et in vicinis populis possent, qui carcerem et hospitale inviserent et aliis operibus charitatis vacarent.

2317. Et quia eleemosynae satis erant arctae, et aliqui a nostris recedere videbantur, quod propter penuriam ipsis onerosi futuri timerentur; aliunde necessaria esse quaerenda, ad numerum operariorum augendum. Nam in autumno anni praeteriti sex tantum de nostris, et inter eos quatuor sacerdotes erant, et domum illam caesaraugustanam propter commune bonum Societatis sustentandam et augendam censebant; nam contra bonum ejus cessurum videbatur, si nostri inde recessissent. Et a Principe Abbatiam aliquam, quae ad ejus praesentationem pertineret, petendam esse, ut Collegium sine molestia civium sustentaretur; et civitas, hac ratione adjuta, ad Universitatem instituendam (quam magnopere optabant) animaretur.

2318. A Summo etiam Pontifice vel Cardinalibus quibusdam litteras esse curandas ad Archiepiscopum et civitatem, ut, institutum Societatis commendando, existimationem sinistram, quam a religiosis et ecclesiasticis acceperant, deponerent. Et quia bona ex parte nostri, qui Caesaraugustae versabantur, castellani erant, qui valde molesti et odiosi aragoniensibus [1], ratione nationum esse solebant, aliquos ex regnis Aragoniae nostros religiosos Caesaraugustam mittendos esse, immo et P. Francisci Borgiae adventum valde opportunum fore censebant; nam, praeter caetera, famosus quidam libellus et satis impudens contra Societatem paulo post reditum nostrorum, in publico inventus est; quem Episcopus Gerundensis, Inquisitor [2], ad se missum accepit, ut pro officii sui ratione provideret.

2319. Pervenit sub initium Novembris anni praeteriti ad nostros quaedam citatio et inhibitio, qua causa haec et controversia tota, inter religiosos et Societatem, Romam transferebatur; quae res multum consolationis nostris attulit, et quodammodo totum molestiae pondus ab eis removit. Has autem litteras inhibitorias et citatorias voluit ipsemet Archiepiscopus et

---

[1] Ms. *aragonensibus*.

[2] Vide supra, t. v, pag. 407, n. 1092, 1094; ex quo loco Episcopus Gerundensis erat Gundisalvus Arias Gallego.

ejus Vicarius generalis per suos ministros intimari, et sic videbantur et amplecti causam nostram et ei favere.

2320. Supererat adhuc apprehensio, quam vocant *per Justitiam* Aragoniae [1], facta, id flagitante parochia, in qua Collegii situs erat, et ita nihil aedificare licebat propter Aragoniae jura, donec illud impedimentum tolleretur.

2321. Cum urgeret Princeps Joanna, ut Vicarius generalis Archiepiscopi ad suam curiam veniret, quod irreverenter se habuisset erga regiam Majestatem, cujus vices D.ª Joanna gerebat, cum negotium Societatis Archiepiscopo tam serio commendavit; ut in bono malum vinceretur, ut congererentur [2] carbones super caput eorum, ipse P. Rojas ad curiam se contulit, ut mitigaret Principem Joannam, et, ut desisteret ab evocando Vicario Archiepiscopi, persuadere ei conaretur, cum jam satis demisse se gereret praedictus Vicarius et compensare velle praeterita, nostris favendo, videretur.

2322. Quamvis autem Vallisoleti aliquandiu in hoc negotio ille elaboravit sub finem anni praeteriti quinquagesimi quinti, scripsit bona quidem verba sibi dari, sed quae curabat, obtinere se minime posse [3]. Id tamen consecutus est, quod in curia Caesaraugustae hoc ipsius officium multum aedificationis praebuit. Sed cum rediisset Caesaraugustam P. Rojas, re infecta, facile intelligi potuit Archiepiscopi animus, qui exterius quidem benevolentiam vultu ac verbis ostendebat, quemadmodum ejus Vicarius, Abbas Veruelae; sed re ipsa nostris minime fauturos esse satis significarunt, licet quaedam gravia incommoda facile impedire potuissent.

2323. Hoc eodem tempore monachus quidam ordinis S.ti Hieronymi, qui Tridenti, Concilii tempore, confessarius Archiepiscopi Granatae fuerat, cum concionaretur Caesaraugustae, tam multa contra frequentiam sacramentorum et contra Societatem nostram dixit, ut concitatam denuo civitatem contra nostros relinqueret, et timore ac scrupulis plenos eos, qui nostrorum opera utebantur. Adversariis autem magnam occa-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 594, n. 1064, et annot. 3.

[2] AD ROM. XII, 20, 21.—In ms. autem non satis perspicitur quid scriptum sit; videtur tamen *conierentur*.

[3] Vide infra, n. 2698 et seq., ubi haec uberius clariusque explicantur, et quare Princeps Joanna merito infensa fuerit.

sionem [praebuit] libere detrahendi eis, qui operibus pietatis vacabant, quamvis facile multi intellexerunt ex animi perturbatione monachum ea dixisse; qui, ex Aragonia recedens, Toletum se contulit, et graviter admodum Princeps Joanna hanc monachi libertatem seditiosam tulisse dicitur.

2324. Missus fuerat P. Franciscus de Rojas ut nostris praeesset, et in his difficultatibus eosdem juvaret; et fideliter, diligenter et amanter se in rebus Societatis gessit; et ipsae Societatis contradictiones magis eum accendere videbantur. Sed cum paucis diebus ibi commoratus esset, demum Vallisoletum ad P. Franciscum rediit, propter negotia ad ipsummet pertinentia; et cum tres menses, ut de statu rerum suarum deliberaret, accepisset; amplius nec Caesaraugustam, nec ad Societatem rediit, nec sine facultate Superiorum extra illam mansit [1].

2325. Nostri igitur suo in collegiolo consuetis Societati exercitationibus vacabant, nec dies praeteribat in quo aliqui ad confessionem et communionem non accederent, nec tam multis advenientibus nostri confessarii satisfacere poterant; et aliquot mensibus hujus anni elapsis, plures quam ante tempestatem, nostrorum opera et familiaritate frui cupiebant, cum paulo ante ne respicerent quidem. Et in quodam jubilaeo, Caesaraugustae promulgato, tantum negotii poenitentes nostris exhibebant, ut diebus noctes conjungere ad eorum confessiones audiendas cogerentur, et aliquos sacerdotes externos adhibere oportuit, qui S.mam Eucharistiam eo die communicarent, quo juxta praescriptum jubilaei sumenda erat, quod omnes nostri confessionibus sic distinerentur, ut non eis vacaret S.mam Eucharistiam ministrare.

2326. Audierunt autem multorum confessiones generales, et eorum, qui nunquam antea ad ipsos accesserant; et, Dei gratia juvante, multa peccata publica cessarunt: multae animae a faucibus daemonis ereptae fuerunt: multorum conscientiae, quae misere vitiis serviebant, reparatae, in accepta gratia perseverare videbantur; sed illi evidentius qui octavo vel quinto

[1] Saepe in superioribus voluminibus indicatum est Patrem de Rojas nutasse in sua vocatione, studiorum graduumque suscipiendorum causa. Vide supra, t. IV, pag. 596, n. 1269; t. V, pag 387, n. 1048; *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 550.—Prae caeteris vero lege in hoc *Chronico* splendidum locum, optimae sane frugis, ubi res funditus declaratur, t. III, pag. 367, n. 806.

decimo quoque die sacramenta frequentabant, qui plus quam centum erant; qui tam constantes contra obtrectatores se praebebant, ut sui profectus vel ea in re magnum testimonium adferrent; nullis enim vel maledictis vel conviciis frangebantur, immo nec periculis terrebantur, ut a frequentia sacramentorum recederent.

2327. Cum eo tempore quidam concionatores publice et privatim contra hanc frequentiam communionis inveherentur, et ejus rei gratia libellum, quem superius diximus, a P. Madridio [1] concinnatum de frequenti communione P. Alphonsus Roman saepius postulavit, et eo ad se misso magnopere laetatus est, et perutilem fore ad hujusmodi hominum importunam insectationem ac certamen contra frequentantes sacramenta institutum existimabant.

2328. Spiritualia exercitia, paulo post quam nostri rediissent, aliqui domi nostrae susceperunt, inter quos sacerdos quidam theologus fuit, et alii hoc ipsum expetebant; aliqui etiam in Societatem admitti postularunt, quorum admissio dilata fuit. Duo tamen ex eis in Societatem admissi fuerunt.

2329. Extra domum autem nostram eadem spiritualia exercitia pluribus, tam religiosis quam laicis, tradita fuerunt. Inter religiosos autem duo monachi ordinis S.ti Francisci, et complures foeminae religiosae, insignis ac primarii monasterii ordinis B. Dominici. Praepositus enim Provincialis ejus ordinis, (qui magnae dilectionis erga Societatem signa prae se ferebat), id postulaverat; et pro magno beneficio ducebat, quod ipsi subditae moniales a nostris inviserentur, et in rebus spiritualibus instruerentur; et prorsus praedictum monasterium, quod hujusmodi spiritualibus exercitiis imbutum est, usque ad admirationem nostrorum et etiam externorum profecit; et ita odor ex ea re optimus in urbe sparsus est; et ita in aliis coenobiis, hujusmodi auxilia religiosae foeminae a nostris expetebant; sed quia negotium hoc, licet perutile, laboriosum erat, et multum temporis in eo erat impendendum, non omnibus potuit satisfieri, ne alia majoris momenti ad Dei obsequium impedirentur. Sed providentiae Dei ac bonitati acceptum omnino ferendum

[1] Opusculum hoc sic inscribitur: CHRISTOPHORI MADRIDII, SOCIETATIS JESU, *libellus de frequenti usu sacramenti* EUCHARISTIAE.„ Vide supra, t. IV, pag. 28, n. 35, et t. V, pag. 179, n. 514.

erat, cum illi, qui nostros paulo ante tam exosos habuerant, tanto studio eorumdem opera nostros juvari cuperent.

2330. Vocabantur etiam, ut infirmis et morituris adessent, ut et consolationem et auxilium ad migrandum ex hac vita a nostris acciperent : multorum etiam indigentium necessitati temporali, partim eleemosynis, partim ex liberali mutuo ditiorum subveniebant; et dum misericordiae opus in necessariis corpori exhibebant, ita et spirituale in conscientiis eorumdem pauperum juvandis impendebant; et aliis permultis charitatis functionibus pro re nata nostri se exercebant, et quidem cum fructu non mediocri.

2331. Sacellum autem nostrum jam P. Santanderii [1] auditores capere non poterat; ex quibus multi stimulati ad Deum ex animo redibant. In parochialibus etiam quibusdam ecclesiis coepit concionari, sed cum Inquisitor pravitatis haereticae, nostri amantissimus, invisere hac Quadragesima deberet loca quaedam neophytorum, qui ex saracenis christiani facti jam pridem fuerant, Patrem Santander secum deducere magnopere optavit, et a Patre Roman obtinuit.

2332. His autem in christianae doctrinae rudimentis eos instruendo, et crebras in eorum populis conciones habendo, fructum ex hac vinea Domini, quae nimium deserta habebatur, non poenitendum retulit; cum enim prius tepidissimi et in religione christiana parum admodum stabiles deprehenderentur, ea tunc signa compunctionis et resipiscentiae dederunt, ut Inquisitor, et qui eum comitabantur, magnam de ipsorum correctione spem conciperent; et ita ad hujusmodi visitationem denuo eumdem Patrem obtinere Inquisitor expetebat.

2333. Alter etiam Inquisitor, praedicti collega, nostrorum studiosissimus, Gaspar, cognomine Cervantes [2], qui, cum esset Hispali Inquisitor et Archiepiscopi Vicarius generalis, de nostris optime meritus erat, et Caesaraugustae in eadem benevolentia perseverabat; (hic postea Archiepiscopus Tarrachonen-

---

[1] De P. Ludovico Santander vide supra, t. IV, pag. 343, n. 730; pag. 371, n. 794; t. V, pag. 370, n. 996; et saepe alias.

[2] Vide de hoc praeclarissimo viro *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 57, annot. 6, pag. 551-553 et pag. 759-760, ex quibus ejus pietas et aliae virtutes elucent. In hoc ipso opere fit de eo mentio, inter alia loca, supra, t. IV, pag. 465, n. 994 et pag. 595, n. 1264.— Porro evectus est ad sedem tarraconensem anno 1568, Cardinalis creatus 17 Maji 1570; obiit 17 Octobris 1575. Gams.

sis et Cardinalis fuit), et unum ex nostris confessarium habebat; in eodem munere visitandi neophytos comitem sibi dari de nostris postulabat, et huic etiam in eodem munere suam operam P. Santander navavit, et non vulgaris fructus ex ea consecutus est, et major in dies sperabatur, nec sine auctoritate ac bono odore Societatis; nec enim exigui momenti esse homines existimabant, quod Inquisitores ministeria nostrae Societatis tanti facerent, nostrosque adeo paterno affectu complecterentur, eo tempore quo plurimi infestis animis nostrum Collegium evertere, et, si fieri potuisset, nomen delere voluissent.

2334. Nam monachi et parochi contra nostros sacerdotem quemdam miserant, qui inter ceteros, qui parochiis praeerant in praeteritis controversiis, durissimum nostris adversarium se praestiterat; et ideo inter alios ad negotia ipsis communia contra nostros tractanda electus fuerat.

2335. Amici autem quidam nostris referebant in ore multorum esse, quod nostri in empta domo vi potius quam jure manebant; et hoc dabant consilii, ut ex curia romana clarum jus nostrum adferri curarent, ut, scilicet, constaret omnibus, quod aedificare collegium et ecclesiam, derogatis religiosorum et aliarum ecclesiarum privilegiis, possemus; et cum 28.ª Junii significatum nostris esset, nomine Fratrum et aliorum adversariorum nescio quid Romae impetratum, quo nostri citabantur; statim spargi rumor coepit, quod Romae contra nostros sententia lata esset, quodque brevi ut excommunicati nostri denunciandi essent; et addito interdicto, nostros brevi de sua domo expellendos, et saltem videbatur alicui amico, quod per citationem illam, aedificandi facultas impediebatur, quamvis aedificatio etiam per apprehensionem, quam vocant Justitiae Aragoniae, impedita censebatur.

2336. Sic autem Romae Societas cum Pontifice Paulo IV se habebat (quamvis illius opera ille multum uteretur), ut remedium efficax ne curandum quidem P. Ignatio, aut ab eodem Pontifice postulandum videretur, praesertim si, nostri privilegii declaratione, aliquid etiam gratiae fuisset postulandum.

2337. Affligebantur etiam tunc a viris religiosis [illi] qui sacramenta frequentabant, et decretum illud facultatis theologicae parisiensis ad alia arma adversariorum accessit, nam

idem spiritus utrobique contra pusillum gregem Societatis pugnare videbatur.

2338. Quaedam tamen litterae indicae, in Portugallia typis excusae, eo tempore Caesaraugustam venerunt, ex quibus bonus odor egressus, contradictorum insectationibus sese opponebat. Oscensis etiam Episcopus [1] semper strenue egit, et quidem totis viribus, defensorem; nec deerant qui et sacramenta apud nostros et conciones frequentarent.

2339. His autem diebus Inquisitores ad Collegium nostrum eos neophytos mittere solebant, qui ex carcere sancti illius tribunalis educebantur; nec eos omnino liberos esse volebant, donec a nostris in fidei rebus essent instructi; quod bis singulis diebus a quodam ex nostris sacerdotibus curabatur, et insignis fructus ex hujusmodi catechismo capiebatur; nam genus illud hominum in summis ignorantiae tenebris, quod ad ea attinet, quae religionis christianae sunt, versabatur; et denuo initio mensis Julii P. Santander ad quaedam hujusmodi neophytorum loca praedicationis gratia egressus est, postquam aliquandiu Caesaraugustae fuisset concionatus, et utcumque tumultus, qui propter superius dicta contra nostros excitatus fuerat, aliquomodo conquievisset; expetebantur enim a quibusdam hujusmodi excursiones, et nostros etiam nonnulli mordebant, quod crebriores illas non facerent; quamvis propter operariorum paucitatem, non ex bonae voluntatis defectu, id accideret.

2340. Dedit autem Inquisitor Cervantes (cum quo res collata fuerat) auctoritatem suam P. Santander, quae illi perutilis in hoc ministerio fuit, immo sine illa parum praestitisset; et cum septendecim diebus in quibusdam locis [esset] versatus, non mediocri cum utilitate eorumdem Caesaraugustam rediit. Ante vero quam egrederetur, ad benedictionem petendam Archiepiscopum cum P. Roman adierat, ut benedictionem ipsius postularet, et rem quidem sibi placere significavit, sed fructum se exiguum sperare; et quamvis supra expectationem placuit Deo fructum referri, tepiditas tamen religionis, quae in hujusmodi hominibus cernebatur, et fragilitas summa, magnam occasionem hujusmodi diffidentiae dabat.

---

[1] Petrus Agustin. Vide supra, n. 2303.

2341. In festivitate Assumptionis Beatissimae Virginis et tribus diebus hanc [1] praecedentibus, tanta fuit accedentium ad confessionem multitudo, ut pene jubibaei tempus videretur; nec hujusmodi frequentia alio in loco urbis cernebatur, licet monasteria multa in ea essent.

2342. Spiritualia etiam exercitia quidam sacerdos apud nostros suscepit, qui secularibus rebus renuntiare et Societati nostrae se addicere constituit; et ad id maxime ex lectione Constitutionum nostrarum se motum fuisse affirmabat, quas Deo plenas testabatur, et mirum in modum ei placuerunt. Vir erat egregio praeditus ingenio, sed quinquagenarius et qui curam animarum gesserat, et exemplo vitae et mediocri eruditione aliis aedificationi fuerat.

2343. Cum egressus fuerat P. Santander, quidam vir illustris, qui Comes de Sastago [2] nuncupatur, vir magnae pietatis, manum ei adjutricem dedit, ut quae ab ipso bene coepta erant, conservarentur ac crescerent.

2344. Missus est etiam in civitatem Calatayud, (olim Bilbilis dicebatur), et suis concionibus populum illum non mediocriter commovit, et ita litteris a P. Alphonso Roman magistratus obnixe postularunt, ut diutius quam statuerat apud ipsos idem Pater commoraretur. Dicebant autem initio nonnulli "¿Nonne hic ex illis est, quos audiebamus in Deum non credere? quomodo ergo evangelicam nobis doctrinam tam egregie disserit?„ Plurimi autem sua peccata eidem confessi sunt, et alia pietatis opera ejusdem ministerio [sunt] confecta.

2345. Accidit autem, ut monachus quidam ordinis S.ti Francisci, qui Caesaraugustae contra Societatem in concione quadam debacchatus fuerat, adeo ut amici Societatis offensi, et injuriam ulcisci volentes, vix a P. Roman arceri potuerint, ne aliquid illi molestiae inferrent; is, inquam, monachus, cum ad praedictam civitatem Calatayud, frumenti eleemosynam postulans, devenisset, ad sui monasterii subsidium; populo voluit proximo in festo concionari. Cum autem intellexisset P. Santander eodem die primam concionem ad illum populum esse habiturum, adiit illum in domo pauperum existentem; et animi sui

---

[1] Ms. *hunc*.
[2] Artal de Alagon. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 461, annot. 2.

desiderium exprimit de concione illa ad populum habenda, ut sui monasterii indigentiam explicaret. Cessit illi libentissime suum locum P. Santander.

2346. Monachus igitur initio concionis coepit populo multa dicere de [Patris Santander [1]] humilitate, doctrina et in concionando dexteritate, ut non minori confusioni ei, qui praesens aderat, quam aliis audientibus aedificationi et admirationi fuerit; et ita non parum auctoritatis bonus ille monachus, beneficio et charitate victus, concionaturo praedicto Patri parasse creditur; nam summa cum attentione ejus conciones a populo auditae, tenacius mentibus hominum insederunt; nec unquam tanta hominum multitudo ad illius hominis concionem audiendam congregata unquam fuisse dicebatur.

2347. Rediit demum Caesaraugustam [P. Santander], sed parum ibidem commoratus, sub initium Septembris cum uno ex Inquisitoribus ad loca neophytorum invisenda profectus est, et per tres aut quatuor menses in eo pietatis opere utiliter, ut inferius dicemus, fuit occupatus.

2348. Cupiebant quidem alios ex nostris praedicti Inquisitores, ut Commissarios S.ti illius Officii, sua cum auctoritate ad alia loca dimittere; sed occupationes assiduae et paucitas operariorum nostrorum, ne id commode fieri posset, obstabat.

2349. Tranquilliora interim omnia Societati a Deo reddebantur, et saltem publice nulla insolentia quisquam contra eos utebatur, quod pro miraculo haberi posse, habita ratione rerum praeteritarum, censebatur.

2350. Unus autem ex nostris, ter in hebdomada, pauperum infirmorum hospitale visitabat, et eorum consolationi et auxilio spirituali praecipue vacabat, quos magis indigere animadvertebat. Ad privatas etiam aegrotantium domos vocati nostri accedebant, et paulatim in charitatis functionibus procedebant, donec ad majora ostium aperiretur.

2351. Obtinuerant augustiniani, ut ferebatur, quamdam facultatem Romae ut nostros caesaraugustanos excommunicatos denuntiarent; sed litterae illae, nescio qua ratione impetratae, in itinere perierunt. Ideo sollicite P. Roman postulabat, ut vel declaratio nostri privilegii, vel novi impetratio Romae

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 462 et 466.

curaretur, ut, litteris Apostolicis ostensis, Justitia Aragoniae suae apprehensionis monumentum, de quo superius egimus [1]; removeret.

2352. Venerunt tandem Caesaraugustam diu ac multum expectati Patres Dr. Ramirez ac Dr. Rodriguez [2], quos Archiepiscopus humaniter excepit. Aggressus est autem suas conciones Dr. Ramirez, et coepit magnopere auditoribus placere, et populus satis frequens eumdem sequebatur, et aliquot menses in ea exercitatione cum perstitisset, eo recedente, in Adventu Domini, P. Strada [3] Caesaraugustam veniens, concionatus est, et utriusque concionibus magnopere caesaraugustanus populus fuit commotus, et habita ratione aversionis et contradictionis praeteritae, mira prorsus videri poterat concionum harum acceptatio.

2353. Postquam etiam P. Santander ex missione sua rediit, et ipse coepit Caesaraugustae cum satisfactione concionari, et in multorum animis motiones validae cerni potuerunt, et aliqui inimicitias inter sese deposuerunt; et de excitata contra nostros tempestate multi compuncti fuerunt, et suum errorem fatebantur.

2354. Antequam P. Santander Caesaraugustam rediret, aliquot menses in tertia illa hujus anni sui missione ad loca neophytorum expenderat. Concionabatur fere quotidie, et aliquando bis eodem die, eo quod Inquisitores, cum quibus profectus erat, properarent. Bis etiam christianam doctrinam explicabat. Et quia gens illa a secta saracenorum ad Christi fidem conversa fuerat, eis de rebus agebat P. Santander, quae auditoribus congruebant, et quidem suaviter sese eis insinuabat; ita ut illi sese, praeter morem suum, erudiendos amanter praeberent; et ita de multis, quae ne audierant quidem unquam, illustrati per eum a Domino fuerunt.

2355. Multi autem ex his, qui majorem inter ipsos auctoritatem habebant, et rerum cognitione reliquis praestabant, satisfactionem et consolationem prae se ferebant de his, quae docebantur. Et cum facultatem eis ad dubia proponenda haberent,

---

[1] Supra, n. 2320.

[2] P. Joannes Ramirez et P. Christophorus Rodriguez. *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 460.

[3] Norissimus P. Franciscus de Estrada, Aragoniae Provinciae Praepositus.

ea proponebant; et responsis libenter acquiescebant; et spes erat omnino, quod, illis in fide stabilitis et instructis, qui apud reliquos in pretio habentur et primas inter eos gerebant, alii etiam essent in religione confirmandi et adjuvandi.

2356. Omnes autem magno dilectionis affectu P. Santander prosequebantur, et si ipsum retinere penes se possent, bonos se christianos futuros affirmabant, immo in quibusdam eorum locis aliquid ad ejus sustentationem offerebant, ut apud ipsos maneret; quod signum erat non sine fructu verbum Dei illis praedicatum fuisse; et non parvi hoc ipsum fiebat, cum de illorum hominum vera religione ac vita christianis digna, fere omnes propemodum diffiderent.

2357. Erant autem in Aragonia $\frac{m}{30}$ hominum et eo amplius, quos nemo instruendos et juvandos in spiritualibus rebus susceperat, cum nec temporales ipsorum domini nec etiam Episcopi se teneri ad pascendas hujusmodi oviculas dicerent; et ita sine pastore errabant. In hac tamen eorum lustratione observari potuit ratio hujusmodi homines juvandi; et Inquisitor a P. Francisco Borgia, Commissario, aliquos ex nostris postulavit, qui cum auctoritate illius tribunalis huic pio negotio darent operam. Simul autem cum his novis plantis, aliqui etiam ex veteribus christianis juvabantur, qui non mediocriter et ipsi auxilio indigebant, et aliqui ex eis admixti neophytis in locis illis vivebant, et christianae doctrinae explicandae intererant, et eidem Patri confitebantur, et tam ex veteribus quam ex novis christianis abeuntem ad alia loca sequebantur, ut ejusdem concionibus ac doctrina diutius fruerentur.

2358. Quamvis enim in itineris labore P. Santander versaretur, non propterea conciones aut catechismum omittebat; et ita ejus charitas et labor multum aedificationis Inquisitori et ejus familiae praebuit; et totum hoc ministerium ad bonam existimationem Societatis per regnum Aragoniae spargendam, quam laeserant contradictiones et calumniae multorum, multum contulit.

2359. Quidam ex sacerdotibus hujus Collegii, ad quamdam civitatem ejus regni aliquoties instanter evocatus, et eo accedens, curavit, ut vir quidam primarius, qui ab uxore etiam nobili propter discordiam discedere ac divortium facere cum magna offensione civitatis volebat, invicem conciliarentur.

2360. Vir etiam cum sorore et nepote in gratiam rediit, a quorum colloquiis non sine offendiculo aliorum diu abstinuerat.

2361. Quidam etiam sacerdos et canonicus summi templi illius civitatis, qui multos menses a Missa dicenda abstinuerat, (qua ex causa et ex aliis, urbem illam et alia vicina loca scandalo affecerat), diligenter confessionem apud eumdem Patrem instituit, et cum consolatione spiritus sui ad celebrandi consuetudinem rediit, ac civitati, in qua notissimus erat, aedificationi erat.

2362. Audivit idem Pater (is autem erat Rector Collegii Caesaraugustani) aliquot confessiones generales. Aliqua etiam gravia mala quarumdam animarum ejusdem ministerio remedium a Domino acceperunt. Canonici autem et capitulum ejus civitatis (quae Calatayud dicebatur) concionatorem aliquem ab eo in proximum Adventum postularunt; et quamvis spem eis non ademerit, nihil tamen promittendum censuit, donec ab Episcopo Turiasonensi [1], cui subest Calatayud, suum consensum praeberet.

2363. Episcopus autem hanc modestiam magni fecit, cum intellexisset sine Ordinariorum benedictione nostros non uti sua ad praedicandum facultate; et rescripsit illi Inquisitori, qui ea de re litteras nomine P. Roman, Rectoris, ad ipsum dederat, se feliciter secum agi existimare, quod nostri vellent in ejus dioecesi semen verbi Dei et sanctae doctrinae spargere, ac sibi subditos visitare; et optare sese, quandiu illi praeesset dioecesi, ut nostri id praestare non desinerent. Et ita P. Santander eo missus, cum magna frequentia hominum et acceptatione in Adventu concionatus est, et multi magnopere commoti fuerunt; et aliquod collegii initium apud se habere optabant, ut aliqui ex nostris apud ipsos residerent; magno enim affectu Societatem complectebantur.

2364. Qui ad nostros confessionis et communionis gratia accedebant, peculiari cum desiderio et spe profectus veniebant, et ita, Deo propitio, id consequebantur, et hi valde multi erant. Aliqui etiam spiritualia exercitia uberi cum fructu domi susceperunt. Effecit autem paucitas operariorum, ut aliquot diebus

[1] Ms, *Tarachonensi.*

interrumperetur carceris et hospitalis pauperum visitatio. Cum autem nostri poterant, nec consolationis nec profectus in confessionibus fructu eos privabant.

Et haec de Collegio Caesaraugustano.

DE COLLEGIO MURCIAE

2365. Provinciae Aragoniae Collegium hoc ab initio fuerat applicatum, et ita P. Baptista de Barma, qui P. Stradae vices Provincialis in ea Provincia gerebat, eidem instituendo et promovendo praefuit [1].

2366. Invenerat quidem Episcopum bonis desideriis ferventem [2], sed ab instituti nostri ratione alienum; sed brevi colloquiis ejusdem Patris sententiam mutavit, ut intelligeret nihil magis suae dioecesi profuturum, quam si Collegium cum scholis juxta Societatis nostrae formulam institueret; et ita situm valde bonum, quem in alium usum emerat, et in cujus aedificium magnam pecuniae vim consumpserat, Collegio nostro applicaverat; et statim architectos ac fabros congregavit et domum cum claustro medio in quatuor latera distinctam, sic aedificare aggressus est, ut pars inferior in scholarum usum cederet.

2367. Interim autem dum hoc aedificium conficiebatur, partem episcopalis domus valde accommodam nostris assignavit; et tam in ecclesia, quam aedificare constituerat [3], et suum corpus sepeliri volebat, quam in ipsa nostrorum habitatione, $\frac{m}{30}$ ducatorum et amplius expendere oportebat. Dotare autem annuis reditibus plus quam mille ducatorum in animo habebat, nec obscure id significabat, et jam fere quingentos sub finem

[1] Hoc in loco Polancus, quasi ab integro initia Collegii Murciani auspicatus, multa refert, quae ad praeteritum annum spectant. Quod ipsemet testatum voluit infra, n 2388, his verbis: "Et hactenus anno 1555, quae diximus, acta fuerunt.„—Vide supra, t. v, pag. 534, n. 1457 et seq.; *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 671.

[2] Erat hic Stephanus de Almeyda, de quo plura inveniuntur apud Alvarez in *Historia* ms. *de la Provincia de Aragon*, lib. 2, cap. 20 et cap. 47.—Vide supra, t. IV, pag. 345, n. 786; t. V, pag. 533, n. 1456; *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 671, et t. IV, pag. 185. Miram illius in borgianis aedibus Gandiae conversionem narrat ALCÁZAR. *Chronohist. de la Provincia de Toledo*, t. I, pag. 108-111; primordia vero Murciani Collegii, *ibid.*, pag. 242; absolutionem denique, *ibid.*, pag. 387.

[3] Ms. *continebat*.

anni praeteriti emerat; et si viveret, insigne prorsus Collegium, si quod aliud Societas nostra in Hispania haberet, erecturus videbatur; et, ut ipsemet Episcopus P. Ignatio scripsit, divinae bonitati acceptum ferebat, ut singulare beneficium, quod Societatis nostrae Collegium Murciae instituere dedisset, cujus opera, ut ipse ait, quae per negligentiam pastoris, detrimenta oves illius gregis acceperant, resarcirentur.

2368. Quod movit magnopere Episcopum, ut tanto affectu hoc Societatis Collegium instituere aggrederetur, fuit haud dubie fructus ille, quem ex nostrorum ministeriis provenire cernebat. Cum primum enim P. Baptista cum sociis Murciam pervenit, christianam doctrinam pueros edocere nostri variis in templis coeperunt; nec solum pueri frequentissimi, sed provectioris etiam aetatis homines, cum magna civitatis aedificatione, huic catechismo aderant [1].

2369. Unus autem ex nostris ad provectiorum usum sese accommodans, conciones aliquas ad catechismi conciones [2] habebat. Non solum numerosior in dies populus confluebat, sed Episcopus etiam auditor esse volebat. Cum etiam nostri hospitale pauperum aegrotantium inviserent, et consolationi ac confessionibus eorum audiendis darent operam, ac demum ministerio sacramentorum confessionis et communionis civitatem illam excolere coepissent, latius etiam spiritualis fructus manare coepit.

2370. Cum autem sub autumnum praecedentis anni 1555 suam dioecesim invisere Episcopus constitueret, socium habere Doctorem Baptistam de Barma voluit, cujus operam suo gregi perutilem futuram sperabat; nec spes eum fefellit. Nam fere diebus singulis, hortatu Episcopi, concionabatur; et praeter populi instructionem et commotionem, sic ipsemet Episcopus afficiebatur (semper enim eum [3] audiebat), ut alia de re deinde vix loqueretur, quam de documentis, quae a P. Baptista audierat; et si quis ex ejus familia aliquid minus dignum viro christiano fecisset, aut dixisset, statim ei conciones P. Baptistae objiciebat, quibus id consonum non esse exprobrabat [4].

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 671 et t. IV, pag. 184.

[2] Id. est, *conciones aliquas praeter catechismi conciones habebat, vel ad normam catechismi.*

[3] Ms. habet *eos*.

[4] ..."y en ver alguna cosa menos christiana en alguno de sus criados, le daua luego

2371. Curabat autem P. Baptista diligenter, ut temporales etiam necessitates, quae in illis populis essent, intelligeret; quas statim ad Episcopum deferebat. Ipse autem, ut erat benigno animo ac P. Baptistae fidem magnam habebat, omnibus subveniebat. Exiguo itaque tempore, magnam pecuniae vim per P. Baptistam in pietatis hujusmodi operibus distribuit, ac praecipue in virginibus pauperibus matrimonio collocandis, quae a parentibus erant destitutae; et sic hujusmodi misericordiae operibus bonus Episcopus afficiebatur ac delectabatur, ut, cum quodam in populo nullam eleemosynam relinqueret, quod nullam in eo urgentem cujusquam penuriam P. Baptista invenisset; diceret: "O Pater, quam mihi displicet, quod hoc in loco nihil seminaverimus„; intellexit, tamen, non defuisse curam inquirendi, sed necessitatem [1].

2372. Praeter concionum officium, etiam examinandi sacerdotes cura P. Baptistae demandata erat; eis autem, quos valde ignorantes deprehendit, vicarios assignari Episcopus curavit.

2373. Peccata autem publica, tam sacerdotum quam aliorum, Deo adjuvante, sublata fuerunt. Inter eas autem utilitates, quas ex hac lustratione Episcopus percepit, illa fuit, quod videre, et quodammodo contrectare, potuit cujusmodi essent gregis sibi commissi necessitates, et quam utile nostrae Societatis ministerium, ut remedium eis adhiberetur, futurum esset.

2374. Et ita Murciam rediit tanta cum fame Collegii absolvendi, ut summum studium adhibens, sic opus promoveret, ut admirationi spectantibus id esset. Et, ut crescebat erga Societatem dilectionis affectus, ita crescebat etiam aedificia et commoditatem nostrorum ministeriorum augendi propensio. Nec enim minus intra urbem ipsam, quam in dioecesim, utilem nostrorum operam experiebatur, et cum a tam paucis operariis (nam septem erant omnes, et eorum quinque sacerdotes in autumno praeterito) tam multa praestari animadverteret, multis commodam habitationem et reliqua parare constituebat, ut, aucto numero, fructus etiam augeretur.

2375. Prorsus magna erat doctrinae penuria in eo episcopatu; cum tamen Murcia, in qua Episcopus Carthaginensis re-

---

en los ojos con los sermones del Padre, diziendo ser aquello muy otro de lo que el Padre predicaua „ *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 672.

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. III, *ibid.*

sidet, quinque millia familiarum haberet, et septem aliae civitates prope illam [essent] non exiguae, ac multa praeterea magna oppida et loca; omnia procul erant ab Universitatibus, et ideo Collegium hoc utilius futurum merito Episcopus censebat: in quo, praeter scholas litterarum humaniorum, duos philosophiae praeceptores, qui liberalium artium cursum conficerent, et duos theologiae professores, quorum alter partes Divi Thomae, alter conscientiae casus explicaret in novo Collegio, habere intendebat; quamvis superveniens ante opus Episcopi mors, ut postea dicetur, antequam aedificium et dotationem absolveret, partem etiam hujus ideae absciderit.

2376. Postquam rediit Murciam Episcopus cum P. Baptista, evocatus [hic] fuit a P. Francisco Borgia Complutum; et bona cum venia Episcopi, id fecit, cum et lectores se curaturum designari, et ipsum etiam P. Franciscum Murciam adducere, ut benedictionem illi novo Collegio impenderet, (nam id Episcopus valde optabat) operam se daturum reciperet.

2377. Pervenit ergo Complutum 10.ª Octobris anni praeteriti 1555, et a P. Francisco suaviter obtinuit, ut studia theologica et philosophica Gandiae removerentur; cum externi pene nulli ad eam Universitatem convenirent, quod vicina loca fere neophytorum essent, et Valentiae Universitas vicina; et ita intermissae lectiones grammaticae, prout populus petebat, restitutae fuerunt, et superiorum facultatum lectiones sublatae; Rector tamen Collegii aliquas in hebdomada lectiones casuum conscientiae in gratiam confessariorum praelegeret, et concionatore ibidem relicto, satis prospectum populo videbatur, licet removerentur tam multi lectores, quorum opera oppidum gandiense non utebatur, et quodammodo plures hi quam auditores erant.

2378. Inde, aliis non paucis tractatis, Valentiam et Gandiam perlustrans, et novo Duci scribens (nam exulabat Bazae [1]) ut mutationem boni consuleret, Murciam rediit, ubi summo cum gaudio ab Episcopo fuit exceptus, et concionibus Adventus dare operam potuit.

2379. Cum autem mittendus esset P. Miron in Provinciam Aragoniae [2], postulavit a P. Ignatio, ut liber a cura illius Pro-

1 Vide *Stus. Franciscus Borgia*, t. I, pag. 320, 321; et infra, in hoc ipso t., n. 2390.
2 Vide supra, n. 2193 et 2226-2227.

vinciae ipse relinqueretur [1], et illi novo Collegio Murciae suam operam navaret; et ita cura Collegii Valentini et Gandiensis P. Mironi, Patri autem Stradae cura Barchinonensis et Caesaraugustani commendata est; non tamen Viceprovincialis officium a P. Baptista sublatum fuit.

2380. Cum cresceret in dies erga Societatem Episcopi benevolentia et existimatio, Romam misit quemdam ex suis, ut facultatem testandi a Summo Pontifice obtineret; nec dissimulabat Collegium nostrum suum haeredem futurum.

2381. Omnes autem nostros ut filios habebat, et ita eos vocabat; et P. Baptistae consilio familiarissime ad omnia sua negotia, etiam intima, utebatur, et magna cum devotione ejus conciones audire pergebat, exemplo suo populum, alioqui satis propensum, excitans; qui tam frequens ad eum audiendum veniebat, ut, cum ipso festo S.tae Luciae in satis ampla ecclesia concionaretur, et festum sub praecepto non observaretur, ne ipse quidem concionator ad suggestum per ecclesiam ire potuerit, et per tecta quaedam cum aliis viris honoratis ad suggestum accedere debuit.

2382. Inquisitoribus etiam, qui Murciae suum habent tribunal, acceptus erat; et ita, cum ipso festo S.ti Andreae actum quemdam, ut ipsi vocant, sui officii celebraturi essent, eum in Cathedrali templo concionatorem habere voluerunt; et abunde, non solum populi multitudini, sed plurimis etiam viris religiosis, qui aderant, satisfecit. Porro Murciae magna charitas et mutua inter omnes religiosos et nostrum Collegium servabatur, et ex omnibus ordinibus, et praecipue S.ti Francisci, monachi P. Baptistam familiariter visitabant, et in octava Conceptionis B.mae Virginis eumdem concionari in ecclesia sua optarunt et obtinuerunt, et ipsa B. Virgo impetravit, ut insignem concionem et omnibus gratam haberet.

2383. Retinuerunt autem illum ad prandium illi religiosi S.ti Francisci, et eosdem ipse vicissim invitavit ut duo vel tres Provinciales eorum ad eremitoria illa, quae nostris Episcopus dederat, animi causa venirent, ubi non exiguam consolationem boni illi Patres acceperunt; nam locus ille non tantum ad devotionem, sed ad recreationem etiam est aptissimus.

---

[1] Vices enim gerebat Provincialis Aragoniae. Vide loca nuper citata.

2384. Dominica tertia Adventus jubilaei gratiam, a Paulo IV concessam, murciani consecuti sunt; et quamvis breve fuit tempus ad confitendum praescriptum, in praedicto jubilaeo plurimi utriusque sexus nostris confessi sunt, et inter eos Episcopi familia, et qui in custodia publica detinebantur, quibus nostri adfuerunt.

2385. Curatum est etiam ab eis, ut omnes pauperes hospitalis et confiterentur et ad hanc gratiam obtinendam se disponerent; et ita quarta dominica Adventus communicarunt, quia non eis antea fuerat promulgatum.

2386. Praeter D.rem Baptistam [1], alius etiam ex nostris per parochias concionabatur, et valde acceptus erat, cum non mediocri talento praeditus esset. Ipse autem Dr. Baptista singulis dominicis diebus Adventus bis concionabatur, mane in primaria parochia S.tae Catharinae, et vesperi in quodam monasterio religiosarum, quae Episcopo subditae sunt; nec sine in signi profectu illarum.

2387. Nam ejusdem P. Baptistae et aliorum ex nostris opera, quibus frequenter confitebantur, effectum est, ut cum praedictum monasterium prius male admodum audiret, et civitati offendiculo esset; sic se colligerent, ut cum spirituali suo profectu bonum jam nomen et famam apud homines sibi pararent.

2388. In populo autem inducta fuit sacramentorum frequentia, ut diu versata fuisset Societas ea in civitate videretur. Et hactenus anno 1555, quae diximus, acta fuerunt.

2389. Initio hujus anni 1556, P. Natalis cum P. Ludovico Gonzalez [2] et aliis compluribus sociis, qui sub finem anni praeteriti Genua solverant, et in Hispaniam pervenerant, Murciam appulerunt; et multum consolationis nostris, et etiam Episcopo attulerunt, qui omnibus fere vestimenta confici curavit, et rebus opportunis ad iter versus Portugalliam reliquos instruxit, praeter Patrem Natalem, qui, rogatu Patris Baptistae, Valentiam, ut superius tetigimus [3], venit, antequam in regnum Castellae perveniret.

---

[1] Loquitur de P. Baptista de Barma.

[2] Ludovicus Gonçalvez da Camara, de quo saepe dictum est. Vide supra, t. v, pag. 116, n. 322, ubi de hoc itinere est sermo, et pag. 30, n. 52; necnon in ipso hoc vol. VI, pag. 16, n. 39.

[3] Supra, n. 2200.—Quae vero ad P. Nadal spectant, locum suum obtinent, ut par est, a caeteris distinctum, apud nostra MONUMENTA in *Epistolae P. Nadal*, t. I.

2390. Ipse autem P. Baptista mense Januario novum Ducem Gandiae, P. Francisci filium [1], in civitate Bazae agentem, (sic enim Princeps jusserat ob tumultus et factiones regni Valentiae) invisit; nam saepe litteris, ut id faceret, ab eodem rogatus erat.

2391. Audivit [2] autem ejus et Ducissae confessiones, et bis in eadem civitate concionatus est; et existimationem sinistram, quam nescio quis contra Societatem ibi seminaverat, [dissipavit, et] opportunam Societatis cognitionem dedit.

2392. Rediens autem Murciam, invenit Episcopum, qui ad invisendam dioecesim egressus erat, et eum penes se habere voluit; et eadem, quae prius in visitatione acta diximus, hoc etiam anno repetita fuerunt cum simili fructu.

2393. Cum autem intellexisset Episcopus hanc esse mentem P. Francisci, ut comes [sibi] ipsi adjungeretur P. Baptista, cujus opera ad officii sui exequendi commoditatem indigebat, aegre id tulit; quamvis compensatio Dris. Ramirez et etiam Dris. Mironis ipsi oblata fuisset: posterior autem jam Murciam venerat, et eam curam a P. Francisco acceperat in Provincia Aragoniae, quam eactenus P. Baptista exercuerat [3]; propterea quod ipse ex tota Provincia Aragoniae recessurus erat.

2394. Inter illos de Societate, qui Murciae versabantur, praeter Drem. Baptistam, tres alii sacerdotes concionari variis in locis coeperant; et charitas ac labor eorum in hominibus per consueta Societatis ministeria juvandis valde acceptos toti civitati, tam religiosis quam clero, et nobilitati ac populo, nostros reddebant; nam ante ipsorum adventum ne stipendiis quidem suis invenire poterant suorum filiorum in christiana doctrina institutores, et eo magis sollicitudo nostrorum ea in parte et in sacramentorum ac verbi Dei ministerio, sine ulla humani praemii compensatione, admirationis et aedificationis multum praebebat; et ita vehementer absolvi Collegium optabant, quod sub

---

[1] Dux Gandiae, cujus hic fit mentio, est Carolus de Borja, filius Sti. Francisci major natu. Causam, ob quam Gandia discedere coactus fuit, habes in his MONUMENTIS, *Stus. Franciscus Borgia*, t. I. pag. 320, 321; qui tamen locus ex his, quae hic obiter tangit Polancus evolvitque uberius infra, aliquid luminis accipit.

[2] Scilicet, P. Joannes B. de Barma.

[3] Curam scilic., Viceprovincialis; sed vide supra, n. 2379, ubi dictum est ad quae Collegia ejus auctoritas extendebatur. Munus tamen hoc non diu gessit, siquidem "rediens [P. Barma haud multo post] ad suam Provinciam, ejusdem, sicuti prius, curam resumpserat.„ POLANCUS, infra, n. 2415.

finem Februarii eo perductum erat, ut nostri ad illud habitandum facile migrare potuissent, nisi humiditas novi aedificii timenda fuisset.

Erant autem hoc tempore ex nostris sex sacerdotes et tres fratres laici.

2395. Concionatus est tota Quadragesima quater et quinquies singulis hebdomadis P. Baptista, (nec enim in more est in Hispania ut quotidie conciones habeantur). Alias etiam exhortationes, vel magis privata colloquia, variis in locis habuit. Fructum autem ex hoc labore provenientem confessarii in multorum animis deprehendebant; et tanta hominum multitudo eum sequebatur, ut aegre admodum penetrare ad suggestum usque ipse concionator posset. Et cum aliquando de ipsius recessu mentio facta esset, cum non mediocri doloris sensu id audiebant, ut erga quem magnopere essent affecti. Animadvertebant autem, ut tetigimus, confessarii a peccatis publicis etiam multorum annorum homines recedere, et qui in ignorantia simul cum malitia diu vixerant, quasi a diuturno sommo excitati, ad nostros veniebant, et quomodo sese, quae audierant, haberent, percontabantur; nam ejusmodi doctrinam se non audivisse alias ajebant.

2396. Confitentes autem nostris, cautiores in posterum futuri in suis contractibus recedebant; et ut male parta vel damna illata restituerentur, sanum consilium datum est; et forte supra duo millia et quingentos aureos restitui jussa sunt, et a quibusdam pignora ad id data fidedignis fuerunt: aliorum simplici promissione creditum est.

2397. Restitutiones etiam famae factae fuerunt, et inter alios vir quidam honoratus ad monasterium quoddam, ut veniam peteret a Superioribus nomine totius conventus, se contulit; qui numquam se talem animi affectionem sensisse fatebatur; et quamvis in itinere sudoribus ex afflictione corriperetur, confundi tamen maluit coram hominibus, quam coram Deo.

2398. Multi autem in gravissimis peccatis et occasionibus eorum immersi erant; et partim concionibus praedictis, partim confessariorum opera ab eis emerserunt.

2399. In blasphemiis etiam et juramentorum abusu magna emendatio consecuta est. Confessiones etiam multorum annorum, quod ita necesse erat, repetitae sunt, inter quas fuit aliqua

quadraginta annorum multis cum lacrymis confecta. Alius autem qui, mortale peccatum decem vel duodecim annos texerat, cum illud confessus esset, post paucos dies mortem obiit. Inter aliquos inimicitiae compositae fuerunt eadem ratione. In carcere etiam et hospitali pauperum, conciones vel exhortationes habitae. Aliquos etiam Dominus ad consiliorum perfectionem etiam in statu seculari movit; ad quam et oratione mentali et corporalibus etiam ad carnem affligendam exercitationibus [pervenire] curabant; nam et cilicium sub vestibus olosericis ferebant, et flagellis corpus, quamvis exterius ornatum, castigabant.

2400. Fructus tamen christianae doctrinae inter alios forte primas tenuit; cum non pueri solum, sed et natu grandiores necessaria ad salutem ignorarent. Tam late autem inter pueros ea patuit, ut etiam qui loqui non satis didicerant, eam tenerent. Senes autem id observando, erubescebant; nec deerat inter eos, qui diceret, quod Dominus visitaverat plebem suam, quodque, voces puerorum, christianam doctrinam per publicas vias cantantium, infectum peccatis magnis aërem purgaverant.

2401. Captivus quidam sarracenus, quem toto triennio multis persuasionibus ad Christi fidem adducere non potuerant, sic motus est his consideratis, ut saepius sponte sua baptismum ipse postulaverit et consecutus fuerit.

2402. Injunxit etiam Episcopus omnibus parochis suae dioecesis, ut christianam doctrinam suos populos docerent; quamvis homines ab eis instituti dicebant, aliter Murciae a nostris eam doctrinam proponi; et ita Episcopum urgebant, ut aliquos ex nostris ad se, catechismi et praedicationis gratia, mitteret.

2403. Ubique igitur bonus odor Societatis sentiebatur. Egressus est autem ex Quadragesimae concionibus P. Baptista sanus quidem, sed valde defatigatus: magno etiam labore confessarii suum pensum in hac Quadragesima absolverunt; nam mira devotione homines ferebantur, ut nostris sua peccata confiterentur.

2404. Aedificium domus eo usque progressum erat, ut ad festum Pentecostes eo nostri migrare posse viderentur.

2405. Crebro Episcopus P. Ignatio scribebat et avidissime responsum ejus expectabat; et quia subjectionem capitulorum suis Episcopis a tridentino Concilio praescriptam, Paulus IV

suspenderat, eidem P. Ignatio Episcopus commendabat, ut Praelatis Hispaniae, in causa, quam ille honestam judicabat, apud Pontificem faveret.

2406. Expenderat jam in Collegii aedificio Episcopus $\frac{m}{15}$ ducatorum mense Junio, et magno animo coeptum opus prosequebatur, et nostri jam ab Episcopi palatio in novas aedes migraverant.

2407. Ipse autem P. Baptista Vallisoletum ad P. Franciscum profectus est, misso ejus loco Dre. Ramirez et P. Emmanuele Lopez, qui Complutensi Collegio praefuerat [1]. Nihilominus tanto affectu Episcopus P. Baptistae adhaeserat, ut non desierit variis rationibus ac summo studio a P. Francisco impetrare, ut idem P. Baptista Murciam remitteretur. Et cum etiam civitas hoc ipsum magna diligentia et studio curaret [2], P. Franciscus arbitratus est saltem ad tempus D.rem Baptistam eis restituere; et cum Majo mense Vallisoletum venisset, Junio sequenti eo rediit.

2408. Venerat, eo absente, Murciam P. Ramirez, et, aliquot concionibus habitis, sic animos civium commovit ac sibi conciliavit, ut, cum, redeunte P. Baptista, Valentiam ipse rediisset, acerbe admodum ejus recessum civitas tulerit, et a P. Francisco Borgia eumdem etiam impetrare cogitabat; sed alibi ejus opera magis erat necessaria, redeunte P. Baptista; et ita sub finem Junii, antequam ipse Murciam perveniret, accessit; nec tamen facile ab Episcopo avelli potuit, a quo, cum benedictionem peteret, ut Caesaraugustam iret, et ea de re P. Francisci litteras Episcopo dedisset; tam acerbe is hoc tulit, ut vix loqui nostros sineret; et quamvis unum ex ministris, qui gratia et auctoritate apud Episcopum pollebat, intercessorem ad hanc facultatem obtinendam adhibuissent, ne is quidem quidquam obtinuit.

2409. Cum ergo ad Sacrum audiendum Episcopus se contulisset, sic inter illud audiendum a Deo motus est, ut simul atque fuit absolutum, P. Ramirez evocari jusserit; cui advenienti dixit, se in ejus recessu durum nimis fuisse, sed inter audiendum Sacrum sic cor ipsius fuisse commotum, ut non pos-

---

[1] De eo agitur supra, t. v, pag. 447, n. 1206; et pag. 452, n. 1220.

[2] Ms. hic addit *et ita*; quod redundare videtur.

set conquiescere; et agnoscere se quod [non] aequum peteret, eum simul cum P. Baptista retinere volendo; P. Franciscum a Domino regi, et ita, ut cum benedictione Domini recederet, permisit, et suam etiam ei impendit, amanter eum, et quidem cum lacrymis, amplexatus.

2410. Erat id temporis Murciae P. Emmanuel Lopez, qui loco P. Baptistae missus fuerat, et in febrem satis molestam inciderat. Alius etiam ex nostris graviorem [contraxit], et omnes fere reliqui male affecti erant; et id fortassis, tum ex aestibus, quibus Murcia valde in aestate obnoxia est, tum quod domus, quam habitabant, recens aedificium habebat, et plus aequo in ea inhabitanda properatum [1] videtur.

2411. Agebatur autem de scholis litterarum instituendis, quamvis aedificium absolutum non erat; sed magno cum fervore ab Episcopo promovebatur.

2412. Erant autem sub finem Julii septem sacerdotes et alii quinque Fratres nostri, et in aliis ministeriis Societatis consuetis, praeter quam in litterarum scholis, strenue vineam illam Domini colebant.

2413. Effecit tamen penuria populorum, quae illo anno insignis fuit, ut aedificium Collegii remittendum videretur; et quamvis jam de lectoribus quinam essent futuri constitutum erat, quia scholae absolutae non erant, initium studiorum dilatum est: brevi tamen ea inchoanda erant, quamvis enim ad subsidia pauperum vires Episcopi sese converterunt, brevi ad prosequendum ferventer opus rediit. Interim sub autumnum hujus anni quatuor ex nostris sacerdotibus per dioecesim carthaginensem a P. Baptista dimissi sunt, qui concionando, christianam doctrinam explicando, et alia ministeria Societatis consueta exercendo, mirum quantum aedificationis illis populis attulerint [2].

2414. Qui interim Murciae versabantur, superabundantem duplicatis operariis messem habebant; et tanta multitudo conciones P. Baptistae auditura conveniebat, ut, quod superius diximus, saepe acciderit non praedicatori solum, sed et Episcopo, ut difficile aditum in templis invenirent.

2415. Hoc autumno pervenit Murciam, sicut et ad alia Hi-

[1] Ms. *properandum.*
[2] Ms. *attulei it.*

spaniae loca, nuncium obitus Patris nostri Ignatii; et P. Baptista, qui rediens ad suam Provinciam, ejusdem, sicuti prius, curam resumpserat, ut ad Congregationem veniret, se comparabat, et Valentiam veniens, cum aliis Patribus responsum P. Francisci ultimum ante discessum expectabat; et cum dilationem ad sequentem annum ibidem intellexisset, Murciam rediit, ut studia ibi inchoanda praesens curaret, ac rationem coram praescriberet, et ipso in initio positiones, typis excusas, in logica, philosophia morali, naturali, metaphysica, ac etiam in theologia teneri ac defendi publice ad auctoritatem Collegio conciliandam voluit, et earum exemplum Romam misit [1]. De fundatione etiam Collegii cum Episcopo aliquid certi transacturus erat. Sed de his et reliquis anno sequenti dicetur.

Et haec de Collegio Murciae et tota Provincia Aragoniae.

---

[1] Inter hucusque scripta et ea, quae statim sequuntur, interposita prius fuere nonnulla, a Polanco transversa linea suppressa. Ea hic subjicimus, licet sensus imperfectus in fine appareat. Sunt hujusmodi: "Multi Murciae ad viam consiliorum sectandam et valedicendum rebus saecularibus commoti erant, et nostrae Societatis institutum suscipiendum: admissus autem fuit unus, qui philosophiae operam dederat, et egregiis dotibus praeditus videbatur. Alter etiam philosophus, et ut condiscipuli ejus fatebantur...„

Credibile est horum in Societatem ingressum ad annum sequentem spectare; idque cum Polancus animadvertisset, narrationis filum abrupisse.

DE PROVINCIA CASTELLAE

AC PRIMUM

DE COLLEGIO SALMANTICENSI

2416. P. Bartholomaeus Hernandez huic Collegio praeerat [1], in quo erant ex nostris initio hujus anni viginti octo: decem ex eis sacerdotes, ex quibus novem theologi erant, et alii sex ejusdem quidem facultatis studiosi, sed non ad ordines promoti.

2417. Qui autem philosophiae dabant operam, sex erant; reliqui domesticis ministeriis occupabantur; quamvis eorum aliqui aliis facultatibus diu operam dederant, in his, quae ad spiritualem profectum pertinent, seriam dabant operam. Scholastici minus in oratione et spiritualium librorum lectione occupabantur; quamvis unam horam singulis diebus, praeter examina conscientiae, orationi tribuerent; et tum quidem singulis hebdomadis semel, praeter diem dominicum, communicabant.

2418. Quod attinet ad scholasticas exercitationes, quotidie tam de philosophicis quam de theologicis in Collegio conferebant; et singulis dominicis diebus positiones vel theologicas vel philosophicas alternatim, et in quibusdam aliis festis, tuebantur, et disputationis gratia, aut ut spectatores essent, viri graves, et inter eos aliqui ex lectoribus publicis, et collegiales, quos majores vocant, et monachi S.^{ti} Dominici accedebant; et cum satisfactione et aedificatione discedebant, non ingenia tantum et curam studiorum, sed modum etiam atque modestiam approbando.

2419. In quodam jubilaeo circa festa Natalitia, Salmanticae

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 410, n. 1099, ubi plurima, ad socios spectantia, Salmanticae hoc anno commorantes, attinguntur. Ad rem quoque faciunt *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 725, 739; t. IV, pag. 204, 436.

promulgato sub finem anni praeteriti, quamvis ad triduum redactae fuerunt confessiones, quadringenti fere nostris confessi sunt, quorum multi collegiales erant majorum collegiorum vel ex primoribus Universitatis atque urbis.

2420. Quaedam autem religiosae foeminae in oratione non parum, a P. Rectore adjutae, profecerunt.

2421. Cum autem in quemdam pagum, urbi vicinum, christianam doctrinam explicaturi nostri se conferrent, (nam in pluribus id facere soliti erant), parochus simplex quoddam beneficium, quod praestimonium vocant, Collegio Salmanticensi applicandum dare voluit. Alius etiam urgebat, ut curatum beneficium suum, quod eidem Collegio applicandum [erat], nostri admitterent, cujus annui reditus quadringentorum ducatorum erant, sed ob curam animarum non est admissum.

2422. Pervenit ultima die Januarii Salmanticam P. Natalis, qui non mediocriter nostros sua praesentia est consolatus [1]. Erat cessatio a divinis in ea civitate, ab ecclesiasticis imposita primis hujus anni mensibus, eo quod recusarent quartam fructuum partem, a Summo Pontifice Imperatori concessam, solvere; et oportebat, ut nostri extra urbem in templum quoddam ad Missas celebrandas et sacramenta ministranda [2] egrederentur; et quamvis non sine labore tam nostrorum quam aliorum, qui opera ipsorum utebantur, satis frequentes homines ad confessionem et communionem eo pergebant. Sed a P. Ignatio hac occasione postulabatur, ut nostris [facultatem] Missas celebrandi, simili tempore cessationis a divinis, impetraret, sed paulo post hoc impedimentum divini cultus fuit sublatum.

2423. Domi christianam doctrinam unus ex nostris tanta cum frequentia auditorum explicabat, ut ad eam prosequendam necesse fuerit, relicto Collegio, in aliam domum, quae capacior erat, concionem hujusmodi transferre, ubi semper et auditorum multitudinem magnam habuit, et tanto affectu concionibus hujusmodi assistentem, ut quamvis eadem hora alii egregii concionatores verbum Dei praedicarent, ad eos tamen audiendos non dilaberentur, nec suum catechistam relinquerent.

2424. Eorum autem animi vehementer ad confessionem

---

[1] De P. Hieronymo Nadal, ejusque in Hispania rebus gestis, redibit infra sermo a n. 2737: vide locum.

[2] Ms. repetit hic *celebranda*.

frequentandam impellebantur. Idem Pater in Quadragesima, quadam in ecclesia monialium et in oppido Salmanticae vicino, quod primogenito Comitis Montisregii [1] parebat, concionatus est, et non sine fructu egregio.

2425. Quidam autem sacerdos, qui ejus populi curam gerebat, pius et eruditus, qui nostros hospitio recipiebat, summo desiderio in Societatem admitti petebat; et quamvis multa difficilia esse proponerentur, omnia illi proclivia ac levia videbantur. Familia etiam Comitis inter alios, non parum profecit.

2426. Eadem Quadragesima conciones habitae fuerunt, et in carcere et aliis proximis Salmanticae locis, ad quae quidam ex nostris, diebus festis, mittebantur. Ad confessiones etiam audiendas eorum, qui in custodia publica detinebantur, nostri crebro vocati accedebant; et toto fere anno in hac occupatione confessionum hujus populi audiendarum, ac primariorum praesertim hominum utriusque sexus, et scholasticorum praesertim, perseverarunt. Et ex hujusmodi confessionibus multae generales totius vitae fuerunt, quas magna renovatio spiritus et mutatio in multis sequebatur. Hujusmodi autem confessiones defectus praecedentium supplebant in plerisque, qui multos annos in peccatis versati erant, et per Dei gratiam ab eorum luto emergebant.

2427. In Adventu Domini, et in sacello Collegii nostri et in carceribus conciones habitae fuerunt; et qui otiosi in via currebant, eo deducebantur, ut concione et ipsi fruerentur.

2428. Per exercitia spiritualia nonnulli peculiarem a Domino gratiam acceperunt. Inter hos unus fuit, qui totos triginta annos nunquam confessus fuerat ad animae suae salutem, sed potius ad perniciem.

2429. Quibusdam damnatis ad ultimum supplicium nostri etiam adfuerunt, et ut bene dispositi ex hac vita migrarent, magno studio curarunt; quae res multum aedificationis populo praebuit, et ad hujusmodi ministerium nostri magno cum desiderio expetebantur.

2430. Reducendis etiam meretricibus ad vitae honestatem

[1] Comes de Monterey erat Alphonsus de Acebedo et Zuñiga; primogenitus autem ipsius Hieronymus de Acebedo. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 205, ex quibus Polancus suam deprompsit ad hunc locum narrationem.

aliqui ex nostris dabant operam, quibus monasterium quoddam designatum erat. Hanc autem rationem eas juvandi tenebant, ut primo hujusmodi mulieres in privata quadam cujusdam matronae domo exciperentur, et inde singulis diebus ad nostram ecclesiam adductae, modum et rationem instituendi confessionem generalem et Domino se commendandi docebantur; ac deinde complures in monasterium praedictum sese recipiebant; quae prorsus omnium expectationem in suo profectu superabant, dum et poenitentiae et devotioni serio vacabant.

2431. Quamvis autem aliqui viri religiosi nostris sese opponerent, benevolentiam tamen civium parum minuebant; cujus signum illud fuit, quod duo clari viri, qui P. Cano adhaeserant, (quorum alter ejus rationibus pene lapsus habilitate fuerat [1]), apud nostros peccata confessi sunt; et alter eorum Rector Universitatis fuerat [2].

2432. Positiones, quae haberi solitae erant, hac aestate intermissae sunt propter aegrotantium multitudinem; sed hujus exercitationis loco, theologica lectio domi habita cum magna nostrorum satisfactione fuit.

2433. Inter ea ministeria, quae multum aedificationis praestabant, auxilium, quod aegrotantibus in privatis domibus adferebatur, fuit; et magno desiderio ad morituros juvandos nostri postulabantur; quorum desideriis sic satisfaciebant, et aliis pietatis operibus, ut litterarum studia illi non omitterent, qui eis darent operam; et ita festis diebus ad loca vicina nostri

---

[1] Rectius haec in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 206 sic leguntur: "Duo praecipue proceres in domo nostra confessi sunt; quorum alter rectoratus dignitatem obtinuit, alter autem insignium, qui hic degunt; licet ambo cum Patre Magistro Cano [Melchiore scil., Cano, O. P.] circa res Societatis versati fuerunt, adeo ut unus in eius opinionem suis rationibus pene adductus, et quodam modo prolapsus fuerit.„

[2] Post haec, in ms. continuatur periodus satis longa, quam Polancus aut alia antiqua manus, deducta a summo deorsum linea, suppressam voluit. Est hujusmodi: "Aestate hujus anni morbis non exiguis complures ex nostris vexati fuerunt. Fuit autem domi lectio illa theologica, quam a prandio in scholis nostri audituri erant, praelecta; quia aestatis tempore sic expedire videbatur; nam periculose admodum quidam ex aegrotantibus laborarunt, quamvis omnes, Dei gratia, convaluerunt. Tempore autem, quod a studiis vacabant in ea Universitate, non solum domi in humilibus ministeriis nostri se exercebant; sed in quibusdam etiam peregrinationibus; et hospitalia quandoque invisebant.„—His adduntur sequentia: "Fuit autem admissus in Societatem quidam studiosus juris canonici, et duo alii sacerdotes, ex his qui exercitia spiritualia mense Augusto susceperant.„ Verum postrema haec verborum complexio, licet perspicue legi possit, transversis calamo lineis deleta est. Caeterum de iis, qui Societatem capessere cogitabant, vide *Litterae Quadrimestres*, t. VI, pag. 439; et infra statim, n. 2437.

scholastici egrediebantur, ut ibi concionati ad Collegium redirent. Parochi autem pro magno beneficio ducebant, quod nostri ad eorum populos, hoc beneficio eos affecturi, se conferrent.

2434. His diebus, sub finem, scilicet, aestatis, decretum theologicae facultatis parisiensis, Salmanticae per religiosos S.ti Dominici evulgatum est ; ex quo tamen hoc consequi nostri observabant, ut aliquorum professorum ejus Universitatis ac magistrorum, major quam antea, erga Societatem benevolentia appareret. Inter hos professor quidam theologiae, cum in festo S.ti Dominici invitatus fuisset ad decretum illud videndum, respondit se illud videre nolle ; et addidit, quod si illius decreti articulos contra nostros admitterent, contra S.tum Thomam etiam admittere deberent; et addidit se laetari, quod homines spirituales sub habitu S.ti Petri invenirentur [1]. Duo ex eisdem Patribus [cum adiisent] Collegium, quod Majus vocant [2], ad prandium invitati, voluerunt etiam collegialibus idem decretum communicare ; sed Rector ejus Collegii et alii, qui nostris confiteri soliti erant, illud ne videre quidem voluerunt, et nostris rem significarunt.

2435. Comitissa etiam Montisregii [3] ad Rectorem nostri Collegii accedens, ei significabat, quod, postquam hoc decretum circumferebatur, majori desiderio ad eum accedendi tenebatur. Primogenitus autem ejus filius [4], ad monasterium horum religiosorum se conferens, cum eis expostulabat, quod, cum perspectam haberent Societatis nostrae integritatem et fructum ex ea provenientem, sic se erga illam gererent. Sed quidam ex primariis religiosis, cum quibus ipse agebat, negabant se hujusmodi rei auctores vel conscios fuisse, sed quemdam socium P. Cani; immo, dicebant, se nostros Deo commendare.

2436. Unus autem ex Universitatis praecipuis professoribus ad Archiepiscopum Toletanum ob quaedam Salmanticensis

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 438, unde, quae hic dicuntur, desumpsit Polancus. Ibi vero ad verba "*del hábito de San Pedro*„ quae Polanci verbis "*sub habitu sancti Petri*„ respondent; haec notantur: "*del hábito de San Pedro*, qui non alio habitu seu veste uterentur, quam clericorum saecularium. In civitatibus enim Hispaniae, ubi plures erant clerici saeculares, coalescebant ii plerumque, ut etiam nunc fit, in sodalitatem quamdam, quae *congregatio* seu *ordo* sancti Petri appellari consuevit.„

[2] Collegium Sancti Bartholomaei, appellatum postea *el Viejo*.

[3] Maria Pimentel et Velasco, cujus memoria in annalibus nostris extat. De ea egimus saepe alias. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 24, t. IV, pag. 438.

[4] Hieronymus de Acebedo, cujus mentio nuper facta est, n 2424.

Academiae negotia se conferens, omnino de Societatis rebus cum ipso agere, ut melius eas intelligeret et ad easdem afficeretur, constituerat.

2437. Plures praeterea, quam ante id tempus, in Societatem se admitti postulabant; et inter eos qui exercitia spiritualia suscipiebant, tres erant theologi sacerdotes, qui theologiae cursum absolverant, et boni concionatores duo ex illis erant, quorum alter Societatem ingredi decreverat, et duo reliqui de re eadem agebant. Quinque alii sacerdotes etiam, absolutis theologiae cursibus, ad exercitia suscipienda missi sunt, de statu vitae suae deliberaturi; quorum unus, qui religionis votum emiserat, jam nostros urgebat, ut eum in Societatem admitterent; et hi omnes, post evulgatum decretum parisiense, moti fuerunt. Sicut et quidam vir nobilis ejus urbis, cujus uxor nostris confitebatur cum profectu non mediocri, cum intellexisset nostros penuria frumenti laborare (late enim in Hispania patebat hoc anno rei frumentariae caritas), sponte sua motus est, ut inter alios nobiles frumentum, usui Collegii necessarium, emendicaret; et ita, nostris nihil petentibus, eorum necessitati prospexerunt.

2438. Senserunt etiam nostri salmanticenses, intellecto P. Ignatiii obitu, animos suos ardentioribus desideriis profectus juxta Instituti nostri rationem, inflammari, et quadraginta illis diebus ante festum B. Lucae, quibus consuetum est a studiis vacare, exercitationibus, spiritum ac virtutem promoventibus, serio vacarunt.

2439. Quemdam etiam sacerdotem, qui philosophiae et theologiae cursus absolverat, hoc autumno admiserunt. Alios, qui eodem desiderio tenebantur, statim admittendos non censuerunt; angustiis enim rerum temporalium satis premebantur, quamvis Hispalim et Cordubam aliquos, ut ibi docerent, miserant. Quidam etiam ex his, qui se domi nostrae in spiritualibus exercuerant, in monasterium ordinis S.ti Augustini ingressus est. Alius etiam parochus cujusdam ex illis locis, in quibus nostri, Salmantica egressi, diebus festis [1] concionabantur, cum magno profectu, ex exercitiis spiritualibus susceptis, ad gregem suum curandum rediit. Alii etiam sacerdotes multum in eisdem

[1] Ms. repetit *egressi*.

fructum [1] perceperunt; sicut et quidam mercator, qui, eisdem absolutis, a libera admodum vita ad optimam frugem se recepit.

2440. In postremis hujus anni mensibus multum nostri in juvandis morientibus occupati fuerunt, nam eo in negotio magnus erat erga nostros salmanticensium affectus; et cum alicui ex hujusmodi hominibus nostri assistebant, alii etiam sani interesse soliti erant, ut his frui possent, quae ad morientium consolationem vel auxilium dicebantur.

2441. Ad conciliandos quosdam primarios viros, inter se dissidentes, utilem operam nostri navarunt, et eorum controversias diremerunt.

2442. Aliquos etiam, in carcerem conjectos, liberandos curarunt; et id obtinuerunt. Inter quos quidam erat, propter aes alienum non modicum, in custodia publica detentus, et a creditore precibus nostri impetrarunt, ut totum illud debitum remitteret. Eos, qui juramentis crebro abutebantur, ad pravam consuetudinem deponendam opportuna admonitione impulerunt; et non modo audiebant aequo animo admonitionem, verum et corripientibus gratias agebant. Pauperibus etiam in xenodochio Fratres et inserviebant et consolationem impendebant.

2443. Episcopus [2] benignum se ac nostris studiosum [3] praestabat, et optime de P. Ignatio ac Societatis instituto sentiebat. Benevolum etiam animum praetor nostris ostendebat, et tam ille quam Episcopus Rectorem [4] obnixe rogabant, ut, si quid occurreret, quod ad ipsorum officium pertinere arbitraretur ad majorem Dei gloriam et commune bonum, ipsos admoneret; et addebat Episcopus, ut perinde id faceret Rector Collegii nostri, atque si ipse episcopatum illum administraret; et uterque, cum aliqua suggessit praedictus Rector, P. Bartholomaeus, libentissime amplexus est; et alii etiam proceres ejus civitatis simili dilectione nostros prosequebantur.

Et haec de Collegio Salmanticensi.

---

[1] Ms. *fructus*.

[2] Franciscus Manrique de Lara, cujus mentio facta est supra, t. v, pag. 553, n. 1517, annot. 2 et 3.

[3] Ms. repetit iterum *se*.

[4] Erat P. Bartholomaeus Hernandez, ut dictum est supra.

DE COLLEGIO METHYMNAE CAMPI

2444. Inceptae fuerant scholae in hoc Collegio cum magno methymnensium applausu mense Julii anni praeteriti [1], in quatuor classes distributae; adhibito etiam correctore, et aliis, juxta Constitutionum praescriptum, observatis; quarum ordines cives cum admiratione et expectatione spectabant. Et sub anni praeteriti finem jam ex pagis vicinis aliqui, studii gratia conveniebant; quae res, senatum ad id usque tempus, parum rebus nostris faventem, Societati conciliavit, (quamvis et alia Societatis ministeria et exempla hujus conciliationis causa ex parte fuisse credendum est); et hanc animi propensionem re ipsa testati sunt; et sua sponte, in magna annonae penuria, indigenti Collegio, licet nihil petenti, frumentum ad ejus victum necessarium prospexerunt.

2445. Medici, tamen, peculiari quodam modo suam benevolentiam ostendebant [2]; cum non pauci eorum certatim ad nostros, cum aegrotabant, curandos conveniebant, et magna cum sollicitudine et dilectione is, cui concedebatur, aegrotantium curationem prosequebatur. Efficiebat etiam benevolentia inter primarios ejus oppidi, ut etiam ad perdifficilem concordiam inter aliquos ex primis conciliandam, nostrorum opera efficax esset.

2446. Cum initio hujus anni jam propriam domum inhabitarent, non solum ipsi melius, quod ad valetudinem attinet [3], habebant, sed etiam studia magis vivida reddebantur, et tam numerus quam profectus scholasticorum augebatur. Ad centum septuaginta hi pervenerant, et eo amplius; et inter eos 25 [4] sacerdotes, qui grammaticis institutionibus indigebant.

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 421, n. 1126; et ad hoc Collegium spectantes *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 718, t. IV, pag. 221 et 434.

[2] Vide supra, t. v, pag. 421, n. 1124.

[3] In ms. iteratur *melius*.

[4] Numerus hic non ita exaratus est, ut legi *15* non possit, tametsi melius *25* legatur. At *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 222 haec tradunt: "Studiorum fructus et scholasticorum quantus sit, ex hujus oppidi clericis, qui in nostras scholas docendi ve-

2447. Fuit autem tragoedia quaedam "de vendito Joseph„ per Josephum de Acosta [1], Fratrem nostrum, effecta, a scholasticis acta tam venuste, ut multum aedificationis omnibus spectatoribus, ac simul consolationis dederit. In festis etiam natalitiis ab eodem auctore alia comoedia composita et a scholasticis acta fuit, quae populi et scholasticorum simul instructioni, et non solum consolationi conferebat.

2448. Praeter fructum scholarum, ministerium sacramentorum multorum conscientiis et spirituali fructui perutile fuit; et ita sine concionatore (nec enim hoc anno obtinere hic populus propter penuriam ejusmodi operariorum potuit), fructum concionum capere videbantur; nec solum in sacello domestico audiendis confessionibus vacabant, sed etiam in hospitalibus et publica custodia, ubi fructus perceptus clarius cernebatur.

2449. Erat autem custodia vinctorum in eadem domo, quam praetor habitabat, qui ingenue et publice fatebatur, hoc genus hominum nostrorum opera multum profecisse, et ejus testimonium ideo majoris erat auctoritatis, quod se parum admodum Societatis nostrae [2] studiosum ostendebat; immo ille omnium primus parisiense decretum Methymnae Campi in publicum ediderat; nec tamen contra Societatem quicquam ibi virium habuit; et hoc telum, contra nostros contortum, divina providentia prorsus Methymnae confregisse visa est.

2450. Idem praetor, cum vir quidam ob crimen atrox perpetratum capite damnatus esset, et summa caecitate mentis ac pertinacia, nullis religiosorum aut aliorum suasionibus adduci posset, ut peccata confiteretur; cum tamen brevi extremo supplicio esset afficiendus, curavit duos ex nostris ad custodiam accersiri, qui, totam illam noctem cum reo insomnem ducentes, demum ad confessionem eum adduxerunt, Deo propitio; et ita se comparavit, ut verum ac pium christianum decebat, et sic dispositus, merito supplicio affectus est.

2451. Qui correctorem egerat Collegii Methymnensis, et cujusdam ex nostris frater ad exercitia spiritualia admissus,

---

niunt (audiunt enim grammaticae praeexercitamenta quinque et viginti) facile intelliges.„ Caeterum, magnus quidem est sacerdotum numerus hujus oppidi, grammaticam perdiscentium.

[1] Vide supra, t. v, pag. 421, n. 1127, et *Litterae Quadrimestres*, t. iv, pag. 431.

[2] Iteratur hic vox *parum*.

decrevit carthusiensium religionem ingredi, et in ea admissus est. Quidam etiam alii, exculti eisdem, profecerunt; inter quos vir quidam theologus fuit, et regii consiliarii filius, quem tamen ob impedimentum quoddam, in eo inventum, in Societatem non admiserunt.

2452. Ipso die Purificationis B. Virginis Hieronymus de Acosta, qui jam quatuor fratres in Societate habebat [1], quintus accessit. Sub finem anni praeteriti id constituerat, sed expeditis suis negotiis, praedicto die id est executus. Caeteris natu major erat, et magnae admirationi fuit methymnensi populo, quod ejus pater, Antonius de Acosta, qui in hunc filium, ut in senectutis suae baculum, oculos conjecisse videbatur, vocationi filii minime restiterit, quam a Deo fuisse egregius illius in probationibus profectus satis declarabat [2]. Simul cum eo Gaspar Suarez, ejus consobrinus, Societatem ingressus est, et uterque in latinis litteris bene versatus erat. Paulo post Dr. Ferdinandus Solier, qui Bononiae promotus fuerat, et reditus annuos trium fere millium ducatorum post patris mortem ad ipsum redituros auctoritate Apostolica sibi concessos expectans, egregiis aliis Dei dotibus praeditus, Methymnae Societatem ingredi constituit, quamvis ad Domum Probationis Simancas missus est.

2453. Alii complures id ipsum postulabant, sed mense Majo unus tantum admissus est, et ad P. Franciscum Borgiam destinatus. Erant autem qui admitti se postulabant, virorum nobilium filii, et eorum unus patri, claro viro, unicus filius erat; sed non facile hujusmodi juvenes admittendi videbantur. Duos tamen alios admiserunt, quorum alter, cognomine Gutierrez, post suscepta exercitia, id obtinuit; alter Matthaeus de Dueñas, [filius] D. Roderici de Dueñas [3], qui auctor fuerat Societatis Methymnam deducendae, de qua optime meritus ab initio fuerat.

2454. Matthaeus autem, decem et octo annos natus, in graecis et latinis litteris versatus, philosophiae etiam curriculum,

---

1 Vide supra, t. v, pag. 422, n. 1131.

2 *Ibidem*, n. 1134; et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 221, a quibus mutuatus est Polancus suam narrationem.

3 Vide supra, t. v, pag. 423, n. 1132, ubi jam dicta reperies, quae hic leguntur. Attamen *Litterae Quadrimestres*, 3 cal. Septemb. 1556 datae, t. IV, pag. 435, haec ipsa referunt.

jam emensus erat, quem alii postea fratres, in eadem vocatione, successu temporis sunt secuti.

2455. Vivebant nostri Methymnae ex eleemosynis, et quemadmodum anno praeterito, ita etiam in hoc, quo annona cara etiam erat, frumentum nostris donavit, et ex pinetis ligna, quorum penuria Methymnae magnopere laboratur. Reliqua praedictus D. Rodericus de Dueñas et alii eleemosynis supplebant.

2456. Ineunte autem aestate proxima, templum novum et amplum inchoandum erat; nam sacellum tantum ad usum sacramentorum et christianae doctrinae hactenus nostri habebant. Quidam autem ex studiosis duo millia ducatorum ad hoc pium opus erat pollicitus, et ulterius progressurus sperabatur.

Et haec de Collegio Methymnensi.

DE DOMO PROBATIONIS QUAE SIMANCIS ERAT

2457. Praefuit hoc anno huic Domui Probationis, primis quidem mensibus, P. Petrus Domenech [1]. Eo autem in anni progressu Bazam misso, ut novi Ducis Gandiae [2] confessiones audiret, et eumdem in rebus spiritualibus juvaret, P. Portiglio [3] domui praefuit.

2458. Numerus autem nostrorum varius erat, prout in hujusmodi domibus accidit. Sub hujus anni initium viginti duo ea in domo versabantur, qui tam ferventer abnegationi et profectui spirituali dabant operam, ut admirationis veteranis causa essent. Vix enim, ut P. Portiglio scripsit [4], in scriptis S.ti Joannis Climaci de majori sui abnegatione et profundiore humilitate atque sui odio exempla leguntur, quam ibi invenirentur; et de quodam sacerdote refert, quod ad eum sensum suae indignitatis pervenisset, ut cum omni bono se indignum arbitraretur,

---

[1] Vide supra, t. v. pag. 433, n 1159. — Pertinent ad hunc annum *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 99, 156, 500.

[2] Caroli Borgiae, Ducis V Gandiae. Vide supra, n. 2390.

[3] P. Hieronymus Ruiz del Portillo. Vide supra, t. v, pag. 433, n. 1159.

[4] Hae litterae Patris Portillo, quibus est usus Polancus, periisse videntur.

non solum celebrare, sed ne comedere quidem aut dormire nisi ex obedientia volebat; et cum in laboribus totum diem expenderet, nihil boni se agere novisse dicebat; et ne tanquam inutilis de Societate ejiceretur, timebat. Et cum omnibus esset admirationi et aedificationi, prorsus ille sibi persuadebat, quod aliis Fratribus ruinae causa esset.

2459. Inter alios novitios duo sanguine praenobiles, sed magis spiritu, aliis praelucebant; unus eorum Dominus Laurentius de Padiglia, qui archidiaconatum malacensem a quodam suo consanguineo accepturus erat, magno moerore patrem affecerat, cum, Salmanticae juri canonico studens, Societatem ingredi constituit [1]; et ita omnem lapidem pater movere constituit, ut a Societate eum avelleret; et ita cuidam viro nobili, qui praetor Malacae fuerat, et Palentini Episcopi frater, curam dedit ut negotium id conficeret; industrius enim ad omnia, quae aggrederetur [2] conficienda, efficax admodum habebatur.

2460. Is autem, cum tentasset Simancis per quosdam emissarios quomodo se Laurentius haberet, ubi intellexit non permitti novitiis ut externos alloquerentur, nisi coram uno ex sacerdotibus, noluit Simancis cum eo congredi; sed, impetratis ab Archiepiscopo et Inquisitore litteris, Vallisoletum deduci juvenem curavit, et in cujusdam viri nobilis domum deductum, libere juvenem aggressus est; et in primis novem epistolas, sanguine junctorum singillatim legere eum compulerunt, qui lacrymis, promissis et aliis rationibus id agebant, ut Malacam [3] veniret.

2461. Demum nobilis ille, qui hanc provinciam susceperat, omnibus mediis adhibitis, nihil ab eo prorsus impetravit, ut mallet Simancis coquo inservire (nam in eo officio versabatur) et in lavandis pannis lineis domus, quam archidiaconatum et omnia, quae illi offerebant, obtinere; quamvis in hoc ultimo lavandi officio, non illi tanta peritia fuit; quia aquae ferventis concha semel decidens, pedem ejus sic laeserit, ut tres hebdomadas a combustione curari in lecto debuerit.

2462. Dominus Joannes Manuel, emptoris officium exercens,

---

[1] De Laurentio de Padilla fit sermo supra, t. v, pag. 412, n. 1101, annot. 4: de Episcopo autem Palentino, Petro de la Gasca, *ibid.* pag. 435, n. 1165, annot. 2 et 3.

[2] Ms. *ingrederetur.*

[3] *Malagam.*

tristissimis vestibus utens, tanta cum libertate sportam ad plateam deferebat, atque si in hoc exercitio fuisset enutritus; et in hoc ministerio peculiarem a Domino consolationem est consecutus. Et cum jam vota Societatis emisisset, novum adjecit votum in officio coadjutoris temporalis, quandiu viveret, Deo serviendi, si sancta obedientia aliud ipsi non injungeret. Juris studio dabat operam Salmanticae, cum ad Societatem a Domino fuit evocatus [1].

2463. Quidam alius, qui D. Garcia de Larcon [2] dicebatur, qui duorum locorum temporalis dominus erat, coquo etiam devote inserviebat, nec ullum in eo vestigium nobilitatis cernebatur. Hic studio abnegationis Vallisoletum ex Domo Probationis se contulit, sago quodam lacero, et tibialibus similibus indutus, ac sine pallio. Vocatus quidem fuerat a P. Francisco; sed sponte ingressus est palatium regium, et inter multos nobiles, qui in eodem versabantur, per varia loca palatii incedebat, sui contemptum et, ut ab aliis despiceretur, quaerens.

2464. Habebat autem in palatio consanguineos viros primarios, qui hoc ipso tempore de ejus matrimonio agebant, uxorem ac dotem egregiam eidem curando; et non parum aedificationis aliis novitiis, immo et veteranis, hoc proprium abjectionis studium attulit. Mansit Vallisoleti in eodem cochinae officio, quod Simancis exercebat.

2465. Cum autem P. Franciscus ex his novitiis duodecim ad varia loca sub tempus primi veris misisset, qui jam probationibus perfuncti erant, totidem aut plures Dominus misit; et Aprili mense triginta ex nostris Simancis agebant, inter quos aliqui erant theologi, qui gradum magisterii Salmanticae vel Compluti susceperant; reliqui vel jurisprudentiae vel philosophiae operam dederant; et affirmat P. Portillo, sic eos in spiritu profecisse, ut etiam in veteranis majorem se perfectionem non vidisse in Societate affirmaret: et hoc illi admirationi erat, quod

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 412, n. 1104, annot. 5. De his ac sequentibus viris, qui hic meritis ornantur laudibus, longus est apud nostros scriptores sermo, ALCÁZAR, *Chronohistoria;* RIVADENEIRA, *Historia* ms.; VALDIVIA, *Colegios de Castilla;* NIEREMBERG, *Varones ilustres,* aliosque, quos percensere longum esset.

[2] "D. García Giron de Alarcon, joven de veinte años y caballero nobilísimo, hijo de Don Alonso Giron de Alarcon y de Doña Juana Pacheco..., Mayorazgo de su casa... A los 18 años de edad heredó á su padre... Con la vista y trato de San Francisco de Borja se movió de tal suerte, que resolvió imitarle y dejar el mundo." ALCAZAR, *l. c.,* t. I, pag. 254. Vide *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 501.

nullam tentationem, quae alicujus esset momenti, in eis deprehendebat.

2466. Habebant inter alios juvenem quemdam coadjutorem temporalem, qui ne legere quidem didicerat; in quo singularem Dei gratiam stupebant. Abundabat dono lacrymarum, et intimo sensu rerum spiritualium; et res tam altas, interrogatus, dicebat, ut res plane mirabilis videretur. Aliis in rebus simplex alioqui erat, et magnum calcar litteratis ad sui odium et abnegationem ejus exemplum adferebat, ut ad id a Domino evocatus, et in Domum Probationis adductus videretur.

2467. Erant autem tam diligentes observatores regularum Societatis, ut compendium haberent, ex Constitutionibus ac regulis exceptum, eorum, quae singulis diebus, quae octavo, quae decimo quinto quoque die, quae singulis mensibus, semestribus et annis servaturi essent. Nec in vestitu magnas expensas domui faciebant, cum fere omnes laceris eis uterentur; et tam P. Franciscus, qui libenter Simancas, cum poterat, veniebat, quam P. Provincialis Araoz, qui curandae valetudinis gratia a P. Francisco fuit eo missus, multum consolationis ex eorum aspectu ac profectu percipiebat.

2468. Inter novitios erat Mag. Quadra, theologus, ac Mag. Baptista, ac Mag. Gaspar; inter licentiatos in jure canonico, Bernal et Solier [1].

2469. Aliqua tamen, quae in ea domo visa fuerunt P. Natali consona non esse illis, quae Romae in Societate fiebant, ex praescripto P. Francisci Borgiae sublata fuerunt; nam uterque ex dictis Patribus hac aestate Simancis fuerunt, et ad normam Probationis Romanae, quae videbantur exigi posse, exigebant.

2470. Quidam Burgis missus est ad hanc domum, qui molestis quibusdam imaginationibus sic vexabatur, ut ibi curari non posse videretur; et simul atque Domum Probationis hanc ingressus est, dicebat se, tanquam a tenebris, ad lucem deductum esse; et illis molestiis fuit liberatus.

2471. Multi ex novitiis hac aestate in morbum inciderunt; et quia hospitalia, quibus aliqui eorum inserviebant Vallisoleti,

---

[1] Memorantur hic Mag. Joannes Cuadra, Joannes Baptista de Segura, Gaspar Suarez, Petrus Bernal et Ferdinandus Solier. De Suarez et Solier dictum est nuper, n. 2452; de caeteris vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 501 et 502, annot. 4.

infecta hoc tempore morbis contagiosis erant; visum est P. Francisco, ut ad ea non mitterentur.

2472. Admittebantur autem alii atque alii subinde in locum eorum, qui probati ad Collegium mittebantur: qui partim ex aliis provinciis, partim ibidem recipiebantur. Non erat autem necessarium ad hospitalia nostros mitti, ut charitatem cum aegrotantibus exercerent; accidit enim ut cum viginti numero essent, tres tantum vel quatuor sani relicti essent, quos videbatur divina providentia conservare, ut aliis inservirent.

2473. Inter aegrotantes autem fuit et ipse P. Portillo. Itaque charitatem exercere domi abunde licebat sanis, sicut et patientiam aegrotantibus. Venerant primis mensibus fere duodecim aut tredecim electi admodum scholastici Compluto ex praescripto P. Francisci, aliqui etiam ex Portugallia.

2474. Venit et inter alios Salmantica P. Antonius de Cordoba, qui praefectus erat vel Superintendens illius Collegii, sed magnopere ad hanc Probationis Domum anhelabat; nam in probationibus se versatum non esse asserebat. Et ejus humilitatis exemplum multum aedificationis omnibus attulit; nam et ipse, quae ad abnegationem pertinebant, et quidem avide exercere solitus erat. Nam inter alia cum asino aquam ex flumine per medium oppidum attulit, et cum disciplina ad refectorium egressus et in omnibus humilibus officiis versatus, ad sui imitationem novitios valde commovit; et cum ad animum relaxandum a labore studiorum Salmantica venisset, iis, quas diximus, deliciis utebatur.

2475. Inter eos, quos sub autumnum ex hac domo P. Franciscus alio misit, unus fuit P. S.ta Cruz, quem praedicationis gratia nostri ex Portugallia repetebant [1]. Licenciatus etiam Bernal, qui publicus canonum professor Granatae fuerat, sed philosophiam non audierat, ad eam audiendam Concham missus est. Nonnulli etiam ad lectiones varias praelegendas missi sunt.

2476. Quia de multis aegrotantibus mentio facta est, quamvis aliqui magno in periculo fuerunt, nullus tamen mortuus est. Unus autem eorum, qui extremam unctionem jam acceperat, et

---

[1] Lege quae diximus in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 398, annot. 1. — Caeterum quae hic narrantur a Polanco desumpta sunt ex *l. c.* pag. 500-503.

quatuor vel quinque a medicis sine spe vitae esse dicebantur; et juxta eorum sententiam contra omnem naturae legem convaluerunt; inter quos P. Portillo fuit. Quidam autem ex novitiis, cognomine Segura, qui professione egregius medicus erat, cum Societatem hoc anno ingrederetur, perutilem operam aliis aegrotantibus praestitit; quemadmodum et P. Antonius de Cordoba, qui, cum aegrotantibus interdum inserviisset, ipse tandem in morbum incidens, a Marchione Tavarae Vallisoletum deductus est, medico et lectica ad id missa [1]; id enim a P. Francisco Marchio impetraverat, et graviter apud eum, nec sine gravi periculo vitae, decubuit.

2477. Venit et P. Bustamante, Baeticae Provincialis, ad quaedam negotia magni momenti cum P. Francisco conferenda; et cum sub finem Septembris de P. Ignatii obitu nuncium in Hispaniam perlatum esset, et de profectione ad Congregationem generalem ageretur, non statim in Provinciam suam rediit; cum praesertim P. Franciscus, laboribus defatigatus, ejus opera vellet [2] juvari. Fuit autem hoc autumno valde imminutus numerus Simancis, partim propter morbos praedictos, partim quod jam probati novitii alio missi sunt.

2478. Duo tamen, praeclaris dotibus praediti juvenes, Simancis admissi fuerant; quorum alter duos annos theologiae, alter juri canonico impenderat; et satis opulentis parentibus nati, qui Salmantica eo animo egressi fuerant, ut alterius religionis habitum susciperent. Sed in itinere ea de Societate intellexerunt, quae, relicto priori itinere, eos moverunt, ut Simancas venirent; et quia ab aliis Salmanticae noti fuerant, admissi sunt.

2479. Populus ille ex concionibus P. S.tae Crucis, qui ex Portugallia in Castellam venerat, multum aedificationis accepit, addita etiam explicatione christianae doctrinae, quae post meridiem domi nostrae fiebat; et multi ad confessiones, etiam octavo quoque die, veniebant. Et cum in jubilaeo, paulo initio hujus anni promulgato, nostris triduo ducenti quinquaginta

---

[1] De Marchione Tavarae, Bernardino de Pimentel, supervacaneum est quidquam addere his, quae in caeteris jam voluminibus de eo dicta sunt; v. g. supra, t. v, pag. 436, 437, n. 1170, 1171; *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 533; *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 161, 290, 310, 330, 338, 360; et alibi saepe numero.

[2] Ms. *vel'e*.

fere confessi fuerint, supra octoginta ex illis nomina sua dederunt ad frequentanda sacramenta.

2480. Aliqui etiam ex filiis nobiliorum ejusdem oppidi Simancas, qui magna cum licentia vixerant, sese valde collegerunt; et exemplo suae mutationis, alios ad vitam in melius mutandam excitarunt.

2481. Etiam Magister Montesae [1] et Dominus Thomas de Borgia, fratres P. Francisci, nostris confessi sunt: et ipsismet oppidanis suorum profectus admirationi erat; et non exiguum nostris calcar, ut se ad anteriora extenderent, addebat, quod laicum populum sic proficere viderent, et cum vix illud oppidum quadringentas habeat familias, centum et eo amplius sacramenta frequentabant; quae res ante nostrorum adventum prorsus insolita erat; et triginta et amplius ex filiis familias, nobiliorum filii, inter hujusmodi crebro communicantes erant, cum prius totas noctes per vicos incedere soliti essent.

2482. Cavebat autem is populus diligenter juramentorum abusum et detractiones proximorum; et ne quisquam ex eis frigesceret ab accepto emendationis vitae proposito; et cuidam ex eis curam reliqui dederant ut alios animaret, et si quis laberetur, erigendum statim curabant; quod cuidam accidit, ad quem alii accedentes, eum nunquam reliquerunt, donec ad confessionem adducerent.

2483. Dominicis autem et festis diebus, qui nihil nisi profana loqui et agere soliti erant, de Deo loqui et de rebus, ad ipsorum profectum spiritualem pertinentibus, agere domi nostrae coeperant; et aliquis ex nostris, ut eorum bona colloquia dirigeret, eis praeficiebatur; et ita ferventes admodum incedebant.

2484. Cum autem accidisset festum quoddam, ex populi devotione observatum, quod ea die quidam Castellae Rex multa ipsis privilegia concesserat; quidam ex his, nostris addictus, facultatem postulavit, ut cum suis famulis et quibusdam aliis a prandio quamdam vineae nostrae partem fodere possent; quae cum data illis esset, et res in populo innotuisset; sponte sua septuaginta vel octoginta alii cum suis ligonibus ad vineam

---

[1] Petrus Ludovicus Galcerán de Borja, Marchio *de Navarrés*. Vide in Monumenta Historica, *Stus. Franciscus Borgia*, t. I, pag. 432 et seq.

nostram accedentes, illo ipso die quidquid agendum erat, peregerunt; multis aliis spectantibus et gratias Deo agentibus, quod aliquid ad nostrorum usum ab eis fieri posset; quod facile populi devotionem ostendit, quam etiam erga minimum nostrorum magnam prae se ferebant.

2485. Septingenti ex eis in Quadragesima nostris confessi sunt, nec multo plures erant in populo. In hebdomada sancta divina officia cum magna aedificatione populi in nostra ecclesia celebrata fuerunt. Eadem hebdomada fuit apud nostros Praeses consilii regii Castellae [1], qui ex illis erat, qui cantum in Societate nostra requirebant; et ita cum aedificatione magna recedere visus est.

2486. Venit et Marchio Tavarae [2], et tota hebdomada sancta ac festis Paschae Magister ordinis Montesae versatus, generalem totius vitae confessionem instituit et communicavit cum profectu spiritus. Eodem tempore ibidem nobilis quidam aragonensis spiritualia exercitia ibidem suscepit, et paulo post primarius quidam monachus ordinis S.ti Hieronymi.

2487. Post Pascha etiam christianae doctrinae lectiones nostri sunt prosecuti, cum frequenti etiam primariorum hominum auditorio et fructu, quod ex frequentia sacramentorum colligi poterat; quamvis clerici ejus populi huic frequentiae sacramentorum se contrarios initio exhiberent, postea tacuerunt.

2488. Cum autem quidam theologiae Doctor ex primoribus ejus populi parum nostris afficeretur, accidit ut in morbum incideret; et dum aegrotaret, tantum ei desiderium alicui de Societate confitendi datum a Domino est, ut donec illud fecisset, quiescere non posset. Laborabat autem continua et periculosa febri; et simul atque uni ex nostris confessus est, melius habere coepit, et sequenti die jam liber erat a febri et ad spiritualia exercitia suscipienda valde propensus fuit.

2489. Canicularibus diebus propter aestum suspensa est ad tempus christianae doctrinae lectio, quae, petente populo, in ecclesiam praecipuam ipsius translata erat; et non mediocris ex ea fructus sperabatur. Quasdam etiam conciones ibidem ha-

---

[1] Antonius de Fonseca, Episcopus olim Pampilonensis.—Vide supra, t. v, pag. 434, n. 1161. Et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 385.

[2] Vide nuper, n. 2476.

buit P. Strada ac P. Benedictus [1], quibus populus in bono proposito crescebat. In festis Natalitiis ducenti apud nostros confessi sunt.

2490. Panis et vini copiosam eleemosynam et aliarum etiam rerum ad nostrorum victum faciebant; et si quid empturi erant nostri, tertia vel quarta parte minoris quam aliis, nostris vendebant, et gratis aliquando dare volebant; et si res alicujus esset ponderis, statim aliquis de populo portare ad domum nostram volebat, nec sinebat Fratrem emptorem onerari. Ligna etiam nostris subministrabant, et alia ex his, quae habebant.

2491. Ipse autem Dominus Moschera [2] qui domum et alia donaverat, in bonis desideriis et affectu erga Societatem crescebat, quamvis sub anni finem regio jussu ad quemdam Hispaniae locum, Cazorla nomine, missus est, ut populum illum tumultuantem in officio contineret.

Et haec de Domo Probationis Simancas sint dicta.

DE COLLEGIO VALLISOLETI

2492. P. Joannes de Balderrabano aliquamdiu praefuit Collegio Vallisoletano [3], quamvis in anni progressu ad jacienda fundamenta Montisregii missus est.

2493. In primario carcere, cancellariam vocant, Senatu et justitiae ministris id postulantibus [4], pergebant nostri cum aedificatione magna et fructu christianam doctrinam explicare, et praeter ipsos, qui in custodia detinebantur, alii etiam accedebant.

---

[1] P. Franciscus Strada et Benedictus, catalaunus? Vide de hoc ultimo *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 700 et 701; et in hoc *Chronico*, supra, t. III, pag. 316, n. 706, annot. 1.

[2] Joannes Mosquera. Vide supra, t. V, pag. 429, n. 1151; et *Litterae Quadrimestres* passim, ubi de rebus hujus domus agitur: quae vero hoc loco dicuntur, habentur in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 503.

[3] Vide supra, t. V, pag. 423, n. 1135, et seqq. *Litterae Quadrimestres*, ad hunc annum spectantes, inveniuntur in t. IV, pag. 33, 219, 367, quibus satis superque narratio Polanci declaratur.

[4] Vide supra, t. V, pag. 427, n. 1146; et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 730, ubi haec etiam attinguntur.

2494. Confessiones autem et ibi et in templo nostro frequentes admodum erant; et communiones, non solum festivis diebus, sed etiam profestis erant plurimae; et si templi angustia non impediisset, plures erant futurae.

2495. Magnates autem curiae, magna ex parte, domum nostram, vel de rebus spiritualibus tractaturi, vel divinis officiis quiete interfuturi veniebant; et de his, quae ad profectum ipsorum spectabant, vel in confessione vel extra illam cum nostris conferebant.

2496. Christiana doctrina vix alibi fructum uberiorem, quam in custodia publica, de qua superius memini, reportabat; nam ejus occasione spiritualia etiam colloquia ibidem habebantur. Nam praeter quam quod articulos fidei, decalogum, septem sacramenta et praecepta S.tae Ecclesiae addiscebant, (maxima enim rerum harum ignorantia prius laborabant), ex viris et etiam mulieribus, seorsum ibi detentis, multi confitebantur, et non jam frequentiam hujus sacramenti, ut prius, extimescebant.

2497. Inter eos, qui ad domum nostram accedebant, insignis fuit cujusdam nobilis foeminae metamorphosis; quae cum quatuordecim annos in peccatis gravissimis sine confessionis remedio insorduisset, integra confessione peracta, fervens admodum in contritione ac Dei amore ac servitio perseverabat [1].

2498. Duo etiam mariti, qui a suis uxoribus recesserant, cujusdam ex nostris ministerio cum eisdem vitam agere decreverunt; et alter eorum, quam penes se habebat, quae uxor non erat, reliquit.

2499. Fuit etiam cujusdam ad Deum conversio magni momenti, qui totos 50 annos a confessione abstinuerat [2]; et quamvis domi sex vel septem confessarii huic ministerio vacarent, venientium tamen frequentiae satisfacere non poterant, cum in dies ejus populi amor ac devotio erga Societatem augeretur; quamvis non deessent aliqui, qui ratione frequentium sacramentorum, nostris obmurmurarent.

2500. Initio Februarii septemdecim ex nostris in hoc Col-

[1] Haec desumpta sunt ex epistola inserta in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 731.

[2] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 219.

legio versabantur, praeter hospites de Societate, cum quibus crebro exercenda erat charitas; novem ex eis sacerdotes erant, inter quos P. Provincialis Araoz sic negotiis variis, ad Dei tamen servitium spectantibus, distinebatur, ut ejus prandium ad secundam et tertiam horam post meridiem, quies autem nocturna ad mediam usque noctem erat differenda.

2501. Aliquot conciones habuit coram Gubernatrice, quae Princeps erat Joanna, magnae doctrinae et aedificationis; et magnopere in illa curia diligebatur.

2502. Crescebat autem in dies hoc Collegium, in quo P. Franciscus hoc anno scholasticos philosophiae et theologiae constituit; et ita plures quam viginti ex nostris ibi habitare coeperunt, praeter ipsum Patrem Provincialem, qui magna ex parte Vallisoleti residebat; et inter sacerdotes duo Doctores theologiae, et tertius utriusque juris, consuetis Societati ministeriis praedicationis et confessionis et aliis pietatis operibus vacabant.

2503. Scholastici vero liberi ab occupationibus relinquebantur; ut non solum lectionibus, sed etiam aliis exercitationibus scholasticis serio vacarent, et singulis hebdomadis suas et illi positiones alternatim in theologia et philosophia defendebant. Et sic in studiis proficiebant; nec minus in spiritu; nam, ut quidam scribit, vix limina et primum tirocinium Societatis attingebant, et repente veterani milites apparebant in obedientia et sui abnegatione et aliis virtutibus.

2504. Observabant autem morem in Hispania novum, sed Constitutionibus consentaneum, latine loquendi; et inter disputandum sic ingenii acumen ostendebant, ut modestiae non obliviscerentur.

2505. Praelegerat hoc anno P. Franciscus Borgia dominicis et festivis diebus aliqua ex Threnis Hieremiae, maxima populi multitudine eum audiente, et quidem cum fructu, ut apparebat, insigni; sed cum occupationes innumerae eum impediissent, successit ei in hac lectione Dr. Madrid [1], ac deinde Dr. Rodriguez; uterque eorum egregie et utiliter suo munere functus; sed primo capite Threnorum absoluto, visum est P. Araoz, Provinciali, ut ejus lectionis loco P. Rodriguez chri-

[1] Antonius Madrid, de quo supra, t. v, pag. 512, n. 1398.

stianam doctrinam explicaret; quod tam erudite praestare coepit, ut etiam viri docti multum inde commodi reportarent; et frequentissimum illustrium virorum et foeminarum auditorium et ministrorum regiorum commoti, ad frequentanda salutifera sacramenta non parum negotii nostris confessariis exhiberent. Cum tamen vacabat, et aegrotantibus in privatis domibus, ad quas evocabantur, et monialibus in monasteriis ipsarum utilem dabant operam; sicut etiam detentis in custodia publica, qui ludos, blasphemias et alia gravissima vitia relinquebant, et cum magna detestatione confitebantur.

2506. De regia domo, quod anno praeterito dicebatur [1], hoc etiam vere dici poterat, domum videlicet, religionis eam videri, et non, ut assolet, vanitatis ac superbiae atque aliorum vitiorum domicilium.

2507. Omnes autem fere Principis Joannae nobiles virgines, et aliae mulieres frequenter admodum ad sancta sacramenta accedere pergebant; et cum bis aut ter in hebdomada aliqui ad regiam vocarentur, admirabilem vitae puritatem, continuam corporis castigationem, largas admodum eleemosynas, et reliquas virtutes ibidem mirabantur. Ipsa autem Princeps cum Infante Carolo, Principis Philippi filio unico, magnam benevolentiam erga nostros, largis eleemosynis et aliis signis ostendebant. Sed nec pauperes, in xenodochiis aegrotantes, oblivioni a nostris traditi fuerunt; crebro enim ad illos nostri mittebantur, ut eos erudirent, confessiones eorum audirent, et alia consueta erga ipsos misericordiae opera exercerent.

2508. Domus ipsa sic initio hujus anni concinnata erat, ut triginta ex nostris non incommode posset excipere; non tamen deerat patientiae exercitatio, praecipue propter multorum hospitum (quos ad curiam saepius venire tunc accidebat) multitudinem: oportebat enim ut erga illos melius hospitalitas exerceretur, ut quae ad collegialium usum erant necessaria, eis non raro subtraherentur, et sic paupertatis oblivisci nostri non poterant.

Et haec de Collegio Vallisoletano [2].

[1] Vide supra, t. v, pag. 424 et seq., n. 1137 et seq. Neque haec sane miranda videbuntur ei, qui prae oculis habeat quod supra, t. v, pag. 47, n. 94 legitur de Principe Joanna, inter religiosissimas feminas praeclarissima. Videsis locum.

[2] Plura tamen Vallisoleti acta recensebuntur infra, cum agatur de rebus gestis Patrum Araoz, Nadal et Borja.

DE COLLEGIO BURGENSI

2509. Inchoata fuerant studia in Collegio Burgensi post festum Nativitatis Beatissimae Virginis anni 1555; et satis magna scholasticorum multitudo confluxerat. Nam ad ducentos et eo amplius sub hujus anni initium ascenderant; qui in quatuor classes erant distributi, quarum primae lector erat P. Gaspar Fernandez [1], et idem Praefectus studiorum fuit constitutus. Pater autem Gaspar de Azevedo [2], qui designatus fuerat ut in Indiam Peru cum aliis proficisceretur, ea missione impedita, Burgos rediit, et Rector ei Collegio praepositus est; nam P. Ferdinandus Alvarez [3], qui Rector prius fuerat, Abulam a P. Francisco Borgia missus fuerat, ut coeptum ibi Collegium promoveret.

2510. Cum autem efficeret scholasticorum multitudo ut domus illa, alioqui satis arcta, et nostris ministeriis incommodior videretur; de alia domo paranda Rector sollicitus erat, cum ab Abbate de Salas [4] nulla jam quasi spes relicta esset. Non tamen ejus conatus successum tunc habuit.

2511. Operibus pietatis nihilominus, utiliter nostri dabant operam; et potissimum aegrotantibus et in agone mortis constitutis perutilem, et illi civitati gratissimam operam praestabant; inter quos fuit parens P. Victoriae [5], quem duo ex nostris sunt comitati, et multum aedificationis mors illius, quae graves et diuturnos morbos est subsequuta, praestitit; et sic ille in patientia profecerat, ut cum acutis et diuturnis doloribus urgeretur, se consolationem non invenire diceret, cum illorum molestia remittebatur; et ita suaviter et cum magno desiderio ac spe videndi Deum decessit.

---

[1] Gaspar Fernandez sive Hernandez. Vide supra, t. v, pag. 439, n. 1180, et *Litterae Quadrimestres*, quibus Polancus est usus, t. III, pag. 703. — Ad hunc quoque annum spectant quae habentur *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 196 et pag. 415.

[2] P. Gaspar de Azevedo; *ibidem*, locis nuper citatis.

[3] *Hernandaluarez* legitur scriptum in *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 704, et t. IV, pag. 681.

[4] Erat is Franciscus de Miranda. Vide supra, t. IV, pag. 403, n. 871 et seq.; t. v, pag. 439, n. 1179, et pag. 440, n. 1183.

[5] Patris Joannis de Victoria. De eo statim agetur infra, a n. 2516.

2512. Tam multi erant ex scholasticis, qui confiteri nostris volebant, ut, cum nostri omnibus satisfacere non possent, ad alia religiosorum monasteria eos dimitterent. Ex aliis autem ejus populi hominibus tam multi confluebant, ut ne quindecim quidem sacerdotes omnium confessionibus audiendis sufficere posse viderentur.

2513. Pater autem Gaspar Fernandez primae classis, id est, rhetoricae lector, diebus veneris in inferiori parte Collegii concionem de christiana doctrina apud frequens scholasticorum, sacerdotum et aliorum auditorium habebat; et cum Dei timorem et aliarum virtutum exercitium eis commendaret, in his omnibus scholastici recte proficiebant.

2514. Rector autem Collegii in custodia publica hac Quadragesima cum valde frequenti et attento auditorio concionabatur. Cessabant illa hora negotia, et multi ad verbum Dei audiendum eo conveniebant; et ut res erat inusitata, sed valde necessaria, ita multum aedificationis civitati praebuit.

2515. Ad loca etiam quaedam civitati vicina, id postulante Domino Benedicto Huguccioni [1], praedicationis gratia nostri accedebant, et fructus non poenitendus ex eo labore capiebatur.

2516. Primo vere hujus anni P. Joannes de Victoria Roma missus post patris mortem, ut res domesticas curaret [2], Burgos pervenit; et ita cum nostri undecim vel duodecim essent, numerum cum socio auxit.

2517. Coepit autem concionari in parochia S.ti Laurentii et S.ti Aegidii; et prius hoc ipsum officium in itinere exercuerat, etiam in Domo Loyolae, ubi D. Joannem de Borgia [3] est allocutus. Et quaedam in Collegio Burgensi et aliis, quae a consuetudine Societatis Romanae dissonabant, observavit; et non solum Superiores commonefecit, sed et P. Ignatio, quae observaverat, scripsit.

2518. Decrevit scholasticorum numerus in hujus anni de-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 439, n. 1181, et pag. 440, n. 1184; et de hoc viro, infra, n. 2523.

[2] Haec innuit Polancus, supra, pag. 17, n. 40, hujus voluminis. Ex hoc vero loco et sequentibus, ubi de P. Victoria est sermo, plane intelligi potest epistola Sti. Ignatii, quam habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 195, necnon adnotatio 2, pag. 196.

[3] Filius hic erat Sti. Francisci Borgiae. Vide supra, t. III, pag. 9, n. 10; t. II, pag. 612, n. 450; pag. 671, n. 571, et pag. 711, n. 640. Etiam MONUMENTA HISTORICA, *Stus. Franciscus Borgia*, t. I, pag. 628 et seq.

cursu, quod accidit partim ob domus angustias, partim quod regulae illae, de confessione singulis mensibus instituenda, durae multis, aetate [1] provectioribus, videbantur. Centum plus minus relicti sunt, et quidem ex praecipuis ejus urbis familiis, et in eis satis insignis profectus elucebat.

2519. Quidam ex scholasticis initio Quadragesimae, rhetoricae auditor, orationem habuit, qua ad jejunium, poenitentiam, et orationem hortabatur, graviorem aetate sua, quae decimum sextum annum non excedebat [2].

2520. Post Pascha etiam alii declamationes publicas aliquot habuerunt. Graecae grammaticae praecepta superioribus tradebantur; et hi praesertim, qui rhetoricae dabant operam, proficere cernebantur, nam pueri interdum, qui quatuordecim annum egressi non erant, sic de proposito themate disserebant et id locupletabant, ut vigor et ubertas ingenii ipsis etiam nostris admirationi esset. Quatuordecim ex eis progressus magnos in graeca lingua fecerunt, et circa Natalitia festa, dialogo quodam habito et quatuor orationibus latinis, suae indolis specimen praebuerunt. In pietate vero ac animi puritate, multi eorum mirum in modum proficiebant, ex quibus unus S.ti Hieronymi, alter S.ti Augustini [ordinem], cum nostrorum consolatione, ingressi sunt.

2521. Inter confessionum fructus multa narrari possent. Qui duodecim, qui quatuordecim annis, et aliis multis, in peccatis vixerant, vel ea in confessione reticendo, vel a confessione abstinendo, hoc sacramento a Domino adjuti, a tenebris ad lumen divinae gratiae a Domino adducti sunt. Alii etiam, sui profectus gratia, confessiones generales vitae totius fecerunt.

2522. Rector etiam in carcere singulis diebus dominicis concionari pergebat, et inveterata ac medullis quorumdam infixa odia remittebantur. In Quadragesima etiam in aliis duobus templis civitatis est concionatus.

2523. In pago autem, nomine Bellimar [3], ubi postea Colle-

---

[1] Ms. *aetatis*.

[2] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 197.

[3] Bellimarum appellant *Litterae Quadrimestres*, quae haec referunt, t. IV, pag. 198: dicitur etiam Villimar, "pagus minus leuca procul Burgis, loco salubri et amoeno, multis hinc atque hinc circumdatus pagis.„ Sacchinus, *Hist. Soc. Jes.*, part. II, lib. IV, n. 172.

gium a D. Benedicto Huguccioni [1] erectum est, P. Gaspar Fernandez aliquas conciones habuit. Simul atque etiam P. Victoria Burgos venit, tres conciones magno cum applausu habuit. Deinde in variis parochiis idem officium ecclesiastes prosecutus est; et accidit aliquando, quatuor conciones nostrorum eodem die Burgis fieri, in parochiis S.ti Petri, S.ti Laurentii, S.ti Stephani et in carcere.

2524. Venerat Burgos, Barchinona vocatus, P. S.ta Cruz, non ille concionator, sed qui P. Stradae socius fuerat, et ita quatuor sacerdotes confessarii, praeter alios Fratres, Burgis esse coeperunt [2].

2525. Rogatus autem P. Victoria a parocho S.ti Aegidii, ut ibidem epistolam Apostoli Jacobi praelegeret, ad id praestandum erat paratus; sed qui parochiae S.ti Laurentii curam habebant, sub qua erat domus P. Victoriae, quasi suo jure eum sibi vindicare volebant. Sed apud S.m Aegidium dominicis et festis diebus, id praestare coepit post vespertinum officium, et quia nomen christianae doctrinae non perinde accipiebatur, huic lectioni praetexuit nomen S.ti Jacobi, in qua tamen christianae doctrinae documenta explicabat. Hora ipsi praefixa parum erat commoda; et ita quamvis initio numerum habuit non poenitendum auditorum, non eum diu retinuit: forte quia in patria nemo acceptus, vel raro, esse solet. Et ita lectiones cum aliquandiu prosequutus esset, reliquit; nam et aliis negotiis, propter quae in eam civitatem venerat, distinebatur; quamvis de his, quae ad patrimonium pertinebant, non perinde ut optabat se potuit expedire, quod res essent variis in locis impeditae; quingentos tamen aureos in subsidium Societatis nostrae Romanae curavit; et ne diu expectare cogeretur, sub autumnum cum fratre Didaco de Victoria profectus est.

---

[1] De hoc viro haud semel loquuntur annales Societatis, ubi sermo est de Collegio Burgensi. Vide supra, t. III, pag. 317, n. 710; pag. 368, n. 808; ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, lib. XI, n. 64.—Uberius autem VALDIVIA, *Historia* ms. *de la Compañía de Jesús en la Prov. de España*, t. II, pag. 7...; RIVADENEIRA, *Historia* ms. *de la Compañía de Jesús de las Prov. de España*, t. I, pag. 226; et SACCHINUS, *l. c.*, ad annum 1560, cum originem Bellimarensis Collegii litteris mandant. Quo postremo auctore "Benedictus Vgucciónus, genere Florentinus, ortus in Hispania, Burgis, vir fuit pietate, litteris, prudentia, et apud viros Principes gratia nobilis, ac postremis temporibus Burgensis Ecclesiae Canonicus.„ Vide locum: nobis ad alia properantibus, diutius immorari non licet.

[2] "Sumus autem numero omnes quatuordecim: decem fratres, Patres vero quatuor.„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 198; quae tamen, sociorum nomina tacent.— Vide infra, n. 2533, ubi sociorum numerus ad duodecim redactus dicitur.

2526. Alium etiam fratrem Ludovicum de Victoria, qui ad Societatem etiam animum adjecerat, secum deducere Romam voluit, prout facultatem a P. Ignatio acceperat; sed propter morbum, qui tempore profectionis accidit, secum illum deducere non potuit, et neuter ex fratribus in Societate perseveravit.

2527. In oppidum Cantabri[ae] insigne, nomine Bilbao, se contulit, ut cum patruo negotia quaedam temporalia tractaret; et cum ibi quinque vel sex dies versaretur, privatis colloquiis quosdam ex consanguineis utriusque sexus ad frequentiam sacramentorum adduxit.

2528. Alii etiam, partim horum exemplo, partim exhortatione eorumdem et ipsius P. Victoriae, hos consecuti sunt; et cum ad monasterium quorumdam religiosorum eos direxisset, cum magna ipsorum consolatione confiteri eisdem coeperunt. Et cum virgines quaedam initium [sacramentis frequentandis] dedissent, aliae, matrimonio junctae, et viduae, tantumdem facere coeperunt; et aemulatione quadam pia alias adducere ad hoc ipsum curabant.

2529. Harum autem mariti, fratres ac filii, inter viros huic frequentiae initium dederunt; et quia obmurmurare aliqui coeperant, contra eorum dicta eos armare P. Victoria studuit.

2530. In oppido etiam nomine Frias, eamdem frequentiam introducere conatus est. Invitabatur ipse quidem ad concionandum in oppido Bilbao, sed honestas ob causas id recusandum esse censuit.

2531. Cum inde Burgos rediret, vir quidam viae ductor ipsi fuit, qui multos annos sic in peccato mortali vixerat, ut fere nullum conscientiae scrupulum ea ex re haberet; sed ex verbis P. Victoriae et exhortatione sic resipuit, ut omnino promitteret se concubinam domo ejecturum, vel in uxorem eam ducturum.

2532. Nobilis quidam juvenis, qui Regi inserviebat, Dominus Hieronymus de Chiaves nomine, Burgis, in Societatem admissus est, sed Simancas, probationis gratia, fuit destinatus.

2533. Quidam religiosus, velut alter P. Canus, et quidem ejusdem ordinis, qui et doctrina et concionandi talento non mediocrem auctoritatem sibi comparaverat, multa contra Societatem nostram dicere coepit; sed duo canonici, Societatis amici,

alter cognomine Cuevas, alter Hieronymus de Castro, huic contradictioni sese opponere et remedium adhibere coeperunt; sed multorum benevolentia, et praesertim nobilium matronarum et virorum etiam, qui, fastum saeculi calcantes, Deo se totos obtulerant, studium et amor erga nostros facile illius religiosi contradictionem et aliorum, si qui tales erant, compensabat. Ex plebe etiam multi summopere affecti erant, cum ne ipsis quidem diu noctuque operam nostrorum denegari, praesertim assistendo morientibus et aegrotantibus, viderent; et tam uberem messem nostris exhibebant pia civitatis desideria, ut plures operarii merito ad eam colligendam optarentur. Sed ii, recedente P. Victoria, imminuti sunt [1]; et duodecim numero ibidem manserunt, ex quibus tantum quatuor sacerdotes erant.

2534. In Adventu duo ex his in duabus praecipuis urbis ecclesiis cum fructu verbum Dei praedicarunt, nec praedictam carceris concionem omiserunt.

2535. Concurrebant multi consultationis gratia in his, quae ad animarum profectum attinent; et non parum in vitae mutatione, Dei gratia cooperante, proficiebant. Sed inter alios mulier quaedam, daemonis fallacia delusa, et variis imaginationibus implicita, (quae aliquando magnos in via spirituali progressus fecisse dicebatur), Rectoris opera ad meliorem mentis statum paulatim reducebatur.

2536. Jam incommoda videbatur nostra ecclesia vel sacellum, ut non solum pauci viri eo accederent, ne propter loci angustias foeminis immixti viderentur, sed foeminis etiam ipsis, magno affectu ad spiritualia ardentibus, molestum erat tam arcto in loco commorari; et eadem de causa nostri ibidem non concionabantur. Et cum civitas illa satis alioqui sit avida ad verbum Dei audiendum, aliis in templis utcumque eis satisfacere nostri curabant. Difficile tamen erat locum alium idoneum invenire, ad quem nostri migrarent. Et quia nullus, qui insignis esset ex nostris, Burgis versabatur; et illi, qui coeperant valde placere et animos conciliare, alio missi erant; non magnopere incalescebant burgensium animi ad domum novam comparandam vel aedificandam; quamvis tamen nonnulli ex primoribus nullum esse concionatorem insignem conquere-

[1] *imminutus est.*

bantur, scholas tamen et reliqua ministeria multum utilitatis societati adferre fatebantur.

2537. Nocuit etiam spes illa fallax Abbatis de Salas, qui se aedificaturum et dotaturum Collegium scripserat, immo et coeperat [1]. Tentaverat ergo Rector per amicos Societatis, Benedictum Huguzonium [2] et Gonzalvum de Tamayo, [3] emptionem quarumdam domorum Comitis Stabilis Castellae [4], quas veteres vocant, et sex millibus ducatorum emi poterant; et, ea quam nostri habitabant, vendita, quod reliquum erat pretii ex amicis locupletioribus colligi posse videbatur.

2538. Domus praedictae situm amplum, in optimo civitatis loco, habebant et valde opportunum, quod nullum templum in illis locis esset, quae tamen erant membra nobilia civitatis; et si id non succedebat, proponebat ille domum Comitis de Salinas, quae decem millibus ducatorum vendebatur; sed duo praedicti amici hanc provinciam sibi suscipiendam esse non judicarunt, nec alii, quibus id committeretur, tunc occurrebant.

2539. Cum primum Burgos venit P. Victoria, domus nostrae [5] angustias, et ad nostrorum ministeriorum incommoditatem cernens, aggressus est Christophorum de Miranda, unum ex senatoribus civitatis, fratrem Abbatis, qui impedimentum instituendo Collegio nostro semper fratri suo praebuerat, et canonicum Obregonem, Abbatis procuratorem, et utrique persuasisse videbatur expedire omnino, ut Collegium, ab Abbate promissum et inchoatum, promovere curarent [6]; et ita duo praedicti simul cum Benedicto Gundizonio et Gonzalvo Tamayo litteras ad Abbatem dederunt, quibus et suas adjunxit P. Victoria. Sed sero id tentatum est; nam interim Abbas ex hac vita decessit, et in testamento suo nihil nominatim Collegio reliquit;

---

[1] Vide supra, n. 2510 et loca ibidem adnotata; praecipue vero, t. IV, pag. 403, n. 871 et seqq., ubi plurima, ad fundationem Collegii Burgensis spectantia, referuntur.

[2] Vide supra n. 2515, et nuper, n. 2523.

[3] De eo caeterisque viris, quorum hic fit mentio, vide quae supra litteris consignata sunt, t. IV, pag. 402. n 865, 867 et seqq.

[4] Erat is D. Petrus Fernandez de Velasco. Vide supra, t. IV, pag. 402, n. 865, annot. 1; pag 433, n. 930; pag. 489, n. 1031; et saepe alias.

[5] Ms. *domum nostram*.

[6] Praeter laudatum Pelanci locum, t. IV, pag. 404, n. 872, 873 et seq., ex quo multa discuntur ad complendam hujusce anni narrationem, vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 520, 521; necnon ejusdem operis t. V, pag. 541-546; Ap. II, n. 30, ex VALDIVIA, *l. c. Fundacion del Colegio de Burgos*.

et saltem situm illum et initium aedificii, quod inchoatum erat ad Collegii erectionem, vel donatum vel emptum applicari quidam cupiebant; sed quia extra frequentiam populi ea pars civitatis erat, emi non debere judicatum est.

2540. Ostendebant nihilominus tam canonicus Obregon, quam Benedictus, peculiarem affectum erga Collegii promotionem; et quidem Benedictus viam aperuit, qua, non recedendo a voluntate testatoris, posset Collegium erigi et sexcentis ducatis annui reditus dotari; et simul quae in usum infantium expositorum et puellarum orphanarum et aliorum pauperum relinquerat, in illis ipsis piis operibus expenderentur.

2541. Sed alii censebant hanc pecuniae summam, quae Collegio erigendo et dotando erat necessaria, potius in instaurandis ecclesiis, ex quibus reditus Abbas sumpserat, et aliis piis operibus expendendum censebant.

2542. Quidam hoc ipso tempore ex his, qui romanam curiam diu secuti fuerant, nomine Franciscus Burgera, burgensis ac dives, spem dederat, quod ad Collegium nostrum erigendum vellet et ipse opem conferre; et amici Societatis nostrae ejus institutum valde laudabant; sed ne hujus quidem bona ad hoc opus admittere se velle Dominus visus est, quemadmodum nec prioris; nam hoc ipso [tempore] Burgos et ille venit; sed de Collegio adjuvando parum ab ipso sperari posse facile significavit; et utriusque praedicti promissa nihil aliud nostris contulerunt, nisi quod animi aliorum frigidiores reddebantur ad illud promovendum, dum potentes alioqui viros manum admoturos operi credebant.

2543. Bona autem Abbatis, litibus et aliis modis, consumenda parum [1] juxta sententiam et utilitatem Abbatis videbantur; et ex parte jam id cernebatur, quemadmodum et in bonis Francisci de Peschera ex parte accidit [2]. Nostri nihilominus molestiam maximam domi suae ferebant; nam tota domus usque ad supremam ejus partem scholasticis erat exposita, quod ibidem essent eorum scholae constitutae; et ita etiam illi

---

[1] Id est: *bona Abbatis* non, aut *parum* certe, *consumenda videbantur juxta sententiam* et ad mentem *Abbatis;* sed *litibus et aliis modis;* ideoque non eam *utilitatem* illa bona allatura esse videbantur, quam Abbas animo conceperat; *et ex parte id jam cernebatur.*

[2] Vide supra, t. IV, pag. 597, n. 856, annot. 5.

cives, qui domum nostram venire soliti erant, venire desierunt propter tumultum scholarum; et licet lectores submissa voce, quantum fieri posset, praelegere vellent; nihilominus in tota domo audiebantur.

2544. Ipsum etiam sacellum, praeterquam quod angustissimum erat, hoc ipso scholarum rumore sic infestabatur, ut dum Missae audiebantur, clare auditae voces legentium sacerdotibus essent molestae [1], et confessiones audientibus molestiores, ac simul poenitentibus; et ita desinebant primarii homines utriusque sexus, ad templum nostrum venire, et id diligentem faciebat Rectorem in quaerenda alia domo; et P. Franciscum ac etiam Provincialem urgebat, ut apud Comitem Stabilem de domo sua vendenda agerent; sed neutri eorum visum est expedire, ut huic negotio sese immisceret; et ita hoc negotium dilatum est; quamvis tamen [2] successu temporis praedicta domus Comitis Stabilis fuit empta.

Et haec de Collegio Burgensi.

DE COLLEGIO COMPLUTENSI

2545. Rector hujus Collegii, quod ad titulum attinet, erat P. Franciscus de Villanova [3], sed absens bona ex parte anni praeteriti et etiam absens hujus 1556 Compluto fuit, in negotiis Placentini Collegii occupatus; ejus vices primis mensibus gerebat P. Emmanuel Lopez, sed et ipse initio hujus aestatis Murciam missus est, et ejus loco P. Didacus Carrillo [4] Collegio praeerat.

2546. Etiam initio hujus anni reliquiae morborum anni praecedentis in quibusdam videbantur; nam triginta sex aegrotantes habuerant, quorum non pauci recidebant, et duo mortui fuerant; alter nepos Doctoris Vergarae, qui inter duos, qui So-

---

[1] Ms. *molesti.*
[2] Ms. *autem.*
[3] Vide supra, t. v, pag. 447, n. 1206.
[4] *Ibid. loc. cit.*, pag. 448, n. 1206, annot. 3.—Ad hunc annum spectant *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 5; 237; 521.

cietatem ingressi fuerant, aetate minor fuerat, et alius, nomine Michaël Perez [1]. Sub initium autem Decembris praeteriti Complutum rediit P. Villanova, cujus tamen praesentia diu Collegium illud frui [2] non potuit; debuit enim Concham ad Doctorem Vergaram proficisci, qui sibi non observari quaedam a P. Ignatio concessa querebatur: hospites etiam externos admitti, ut D. Hieronymus de Vivero [3] cum famulis; quod minime ille expedire judicabat.

2547. Quod autem attinet ad ingressum ipsius [4] in Societatem, rationibus quidem ille, ut id faceret, convincebatur; et non solum fructus et folia bonorum temporalium sed arborem etiam, id est, seipsum Deo offerendum esse censebat. Aliam tamen vocationem cum propensione affectus et spirituali aliquo gustu non sentiebat, et optabat ille vehementer tractum hunc in se experiri, et ad id in locum aliquem remotum a tumultu secedere cupiebat, si P. Ignatio videretur, cum aliquibus de Societate, ut se ad sentiendam Dei voluntatem etiam in affectu disponeret; si tamen ibidem hoc a Deo non obtinuisset, et P. Ignatio visum esset, ut omnibus relictis Deo in Societate serviret, se id facturum esse affirmabat.

2548. Interim ille non parum moleste ferebat quod extra Complutum Villanova placentino officio occupatus distineretur: nunquam tamen propositum illud semel susceptum reliquit, ut se, velut oeconomum ac dispensatorem Collegii Complutensis gereret, et illud, quandiu vixit, magna ex parte aluit ex suis reditibus, et, ut suo loco dicetur [5], aliquos in perpetuum eidem applicavit.

2549. D.ª Leonora Mascaregnas, quae erga P. Ignatium magnam semper devotionem gessit, pretiosum quoddam donum Collegio Complutensi obtulit; integrum, scilicet, caput

---

[1] CASTRO, *Historia* ms. *del Colegio de Alcalá*, lib. VI, cap. 6; et supra, t. V, pag. 453-454, n. 1223-1226.

[2] In ms. repetitur *diu*.

[3] Vide supra, t. V, pag. 456, n. 1236, ubi sermo est de hoc viro "quoddam suum beneficium, quod *de Priego* dicebatur, ad dotationem augendam Collegii Complutensis resignare„ volente.

[4] Scil. Doctoris Vergarae. Porro de ejus in Societatem cogitato ingressu, saepe in hoc *Chronico* dictum est, et in *Cartas de San Ignacio:* numquam tamen Societatem capessivit.

[5] Multa de his supra diximus, dicemusque infra, cum sermo sit de rebus gestis PP. Araoz, Borja et Nadal; novoque lumine haec proxime collustrabuntur hujus postremi epistolis, prelum jam subeuntibus.

unius $\frac{m}{11}$ virginum, ac simul centum ducatos obtulit ad quamdam domumculam Collegio vicinam [1].

2550. Spiritualia exercitia ea a P. Eduardo [2] [suscepit]; qui ante ingressum in Societatem illi quondam inservierat; et ita in spiritu proficiens, magis etiam erga Societatem affecta, suo in testamento memor fuit Collegii Complutensis.

2551. Rediens autem Complutum P. Villanova, mense ipso Januario, secum assumpto Doctore Saavedra [3] (de quo plura inferius), Placentiam se contulit. Duo etiam alii Cordubam Compluto missi sunt, qui ad id fuerant designati. Alium etiam secum deduxit, praeter Saavedram, P. Villanova, qui artium curriculum absolverat; et quamvis pauci operarii Compluti relicti essent, confessionibus tamen et aliis pietatis operibus operam diligentem navabant; scholasticis interim in sua studia incumbentibus, quos non esse impediendos P. Franciscus Borgia, juxta Doctoris Vergarae sententiam, censuerat.

2552. Rediit autem ex his, qui foras missi fuerant, quidam sacerdos, et aucto operariorum numero plurium etiam confessiones audiri potuerunt. Tam multi autem studiosi ejus Universitatis ad nostros, confessionis gratia, accedebant, ut interdum quinque et sex confessarii satisfacere non possent; et cogebantur ad alia loca, confessionis gratia, accedere, et ex hac messi

---

[1] Ms. rursus *obtulit*. – De religiosissima femina Eleonora Mascareñas, praeter ea, quae saepe numero dicta sunt, vide annotat. seq. et Alcázar, *Chronohist.*, t. I, pag. 386, 387.

[2] Erat hic Eduardus, sive Duarte, Pereira, cujus mentio fit supra, t. IV, pag. 407, n. 878. – De eo sic Alcázar, *Chronohist.*, t. I, pag. 79: "Augmentóse entonces [1546] en Alcalá el número de los Nuestros con el recibo de un page de Doña Leonor Mascareñas, Portugués de Nacion, llamado Duarte Pereyra, el qual por el familiar trato que con los Nuestros tenía, y con los Exercicios espirituales, que le dió el H. Villanueva, se determinó á dexar el Mundo, y servir á Dios de veras en la Compañía;... y fué despues uno de los sujetos señalados de esta Provincia." – Matritensi Societatis domui primus praefectus Pereira fuit, qui Leonorae Mascareñas a confessionibus erat. "Initium Collegii [Matritensis] fuit domus, eaque non ampla, quam Eleonora Mascarenia pro insigni sua erga Societatem pietate ad hanc rem emptam donavit [1560]. Primus ei Collegio praefuit Odoardus Pereira, Lusitanus, inter honorarios olim Eleonorae ephebos educatus. Nullae initio scholae, nulla res familiaris, aedicula sacra perpusilla fuit: sed Deus propitius et Procerum benignitas industriae Patrum favens, molem, quae hodie spectatur, paulatim effecit." Sacchini, *Hist. Soc. Jes.*, p. II, lib. IV, n. 176. – Vide Rivadeneira, *Historia* ms. *de las Provincias de España*, t. I, pag. 235 et seq.; Alcázar, *l. c.*, pag. 386, quo auctore, Eleonora "continuó en favorecer y amar á la Compañía, y se confessó con los jesuitas hasta su muerte que fué muy santa, conforme á su vida, el año de 1581, á 20 de Diziembre."

[3] Supra, t. V, pag. 432, n. 1157, jam de complutensi Dre. Petro de Saavedra facta mentio est, ac fiet denuo infra, n. 2560.

uberi poenitentium fructus etiam copiosus capiebatur. Nec paucis explicari posset, quot et quanta vitia sint exstirpata; quam multi corruptos mores in meliores commutaverint; et peccata plurimis annis retenta per sinceram confessionem abluerint; ex quibus aliqui tarditatem et detrimenta dilatae vel male factae confessionis, octavo quoque die peccata confitendo, compensabant; immo et secum alios ad tanti boni communicationem trahebant. Complures, qui nullum in ludendo modum retinebant, et omnia sua bona magno suorum incommodo profundebant; ad longe honestiora studia sunt revocati; et ut singillatim aliquid dicatur, foemina quaedam fuit, quae totos triginta annos nullum peccatis gravissimis modum nec finem imponebat, nec tamen sincere unquam confitebatur.

2553. Cuidam ergo ex nostris, virtutes suas loco peccatorum dictura, cum pro more accessisset, ejus animae Dominus misertus est; et verbis confessarii eam dedit gratiam, ut perditam hanc oviculam Dominus lucratus fuerit; et quidem [ita], foenore multo, profectus ex peccatis reportatus [est], ut vitae sequentis solida virtus anteactae vitae vitia superaret. Et tanta ejus animum poenitudo peccatorum subierat, ut vix confessarius ei posset obsistere, quin per vicos et plateas publice peccata sua proclamaret, quae prius etiam ipsos confessarios celaverat, et ejus fervor non exiguae admirationi eis erat quibuscum agebat.

2554. Alia etiam pietatis opera, hoc anno ineunte, et viribus convalescentium utcumque recuperatis, resumpta sunt; et, quasi redintegratis viribus, ad multorum auxilium se nostri comparabant.

2555. P. Emmanuel [1] in templo B. Mariae et in aliis quibusdam vicinis Compluto pagis conciones habuit, quae cum audientium consolatione et fructu verbum Dei seminarunt; et valde frequens hominum multitudo eum sequebatur, quae in domestico templo, vel potius sacello, licet impleretur, esse non poterat ob ejus angustias: in eo tamen dominicis Quadragesimae diebus quidam ex nostris ibidem est concionatus. Argumentum autem concionibus, vel lectionibus potius, christiana doctrina praebebat; quae superioribus mensibus propter multorum morbos fuerat intermissa, et ita avide eam multi audiebant.

---

[1] P. Emmanuel Lopez; *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 237.

2556. In Quadragesima autem aliquot conciones praedicto Patri Emmanueli commendatae Compluti fuerunt; et diebus veneris et quibusdam etiam dominicis cum magna satisfactione et concursu ecclesiastes munere functus est.

2557. In xenodochio etiam, quod nostri invisebant, charitas compluribus impensa est, eos consolando et confessiones eorum audiendo. Assistebant etiam morituris, et alia hujusmodi, quae Societatis propria sunt, exercebant.

2558. Spiritualia exercitia multis et scholasticis et aliis personis non vulgaris auctoritatis tradita fuerunt: et primis mensibus hujus anni sex et septem simul hujusmodi exercitationibus domi nostrae excolebantur, et si occupationes nostrorum et habitationis commoditas id permisisset, plures haud dubie nostrorum opera in his se meditationibus exercuissent. Quantum autem in eis proficerent, qualemque spiritum a Domino hauserint, ostendebat egregia pietas et fervor divinae legis observandae, et in omni virtute proficiendi, quae in hujusmodi hominibus in consequenti vita cernebantur; quae prorsus mutatio dexterae Excelsi judicanda erat.

2559. Primis autem quatuor mensibus ex horum numero in Societatem admissi sunt quatuordecim, eis praediti dotibus, ut merito magnam expectationem in nostris excitarent, perutiles vineae Domini operarios eos futuros; erant enim fere omnes inter primarios ejus Academiae scholasticos computati [1].

2560. Ipso in initio anni, primo loco, admissus fuit Dr. Saavedra, qui in litteris et morum gravitate magnam Compluti auctoritatem sibi conciliaverat; ad eum enim majoris momenti negotia deferebantur, et in rebus dubiis eum consulebant et arbitrum constituebant: cum in his, quae ad ejus facultatem, scilicet, juris canonici, spectabant, dexteritatis et exercitationis plurimum habere cum magna integritate conjunctum existimabatur; et ita suis consultoribus quid justitiae aut quid injustitiae haberent, absque ullo fuco statim declarabat.

2561. Vivente ipsius uxore, spiritualia exercitia susceperat, et simulatque illa obiit, in Societatem se admitti postu-

[1] Quae iis numeris a Polanco posteritatis memoriae commendantur, ea tradunt laudatae *Litterae Quadrimestres*, Compluti 1 Maji ab Hieronymo de Ripalda conscriptae, quas vide t. IV, pag. 237-241.

lavit; quamvis aliquot annos Villanova ejus admissionem distulit [1].

2562. Secundus, fuit Dr. Ramirez, qui concionator eximius in regno Castellae habebatur; et talentum hoc, cum magna vitae integritate [conjunctum], non mediocrem ipsi gratiam et auctoritatem conciliabat. Simulatque admissus est a P. Villanova, P. Mironi fuit adjunctus, ut Murciam et inde Valentiam proficisceretur. Et duo praedicti, ut maturi accesserant, statim in aliis juvandis se exercere coeperunt [2].

2563. Tertius, adolescens quidam insignis fuit, qui totos sex annos apud nostros sacramenta, et alia pietatis opera frequentaverat, ex Collegio *trilingui* (sic enim vocant Compluti insigne quoddam Collegium) ad nostrum accessit; et magnum progressum in linguis, graeca praesertim, fecerat, ut inter primos [suae aetatis adolescentes, qui] eam facultatem [addiscunt, adnumerari] mereretur [3]. Duos etiam annos philosophiae dederat.

2564. Quartus, cursum artium absolverat, de quo magna erat apud Doctores et scholasticos expectatio.

2565. Hunc duo etiam condiscipuli consecuti sunt.

2566. Septimus, sacerdos fuit, post diuturnam probationem ac perseverantiam admissus, in jure canonico bacchalaureus; sed etiam philosophiae cursum absolverat, ac postremo theologiae; qui divitiis (nam eis abundabat) et hominum existimationi valedicens, nudum Christum nudus sequi voluit.

2567. Alii duo, theologiae studiosi, immo qui ejus facultatis ac prius philosophiae cursum confecerant, nostris adnumerati sunt.

2568. Reliqui etiam cursum philosophiae absolverant, quorum unus, nondum vigesimum annum attingens, multum etiam in trium linguarum studiis erat progressus, ut qui insigni inge-

---

[1] Vitam resque gestas hujus clarissimi viri late complexus est CASTRO, *Historia* ms. *del Colegio de Alcalá;* RIVADENEIRA, *Historia* ms. *de las Provincias de España*, ex quo multa deprompsit ALCÁZAR, *l. c.* Vide etiam NIEREMBERG, *Varones ilustres*, t. VIII (Bilbao), pag. 101 et seqq.; SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, suis locis.

[2] Vide quae de ingressu P. Joannis Ramirez in Societatem disputata sunt t. V, pag. 365 et 366, n. 986, annot. 5. Porro de celeberrimo hoc per universam Hispaniam sacro concionatore agunt scriptores nostri Sacchini, Nieremberg, Tanner, Patrignani, etc., quos adi, si plura desideras.

[3] Sermo est de Alphonso Ramiro. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 240, annot. 2, et pag. 245.

nio atque memoria a Deo donatus erat; et a teneris annis pietatem imbiberat.

2569. Fuit etiam inter hos juvenis quidam insignis, cognomine Segura, qui post feliciter peractum artium curriculum, tam strenue se in medicinae studio gesserat, ut loco suorum magistrorum publice et cum magno scholasticorum applausu doceret, et jam magnis stipendiis ad aegrotos curandos invitabatur; et ita ejus ingressus multis admirationi fuit [1].

2570. Horum exemplo alii plurimi commoti fuerunt, ut Societati nostrae se adjungerent, sed differendam eorum admissionem et ejus propositum diutius probandum visum est; nam eorum, quos diximus, vocationes satis perspectae fuerant, et multi eorum, antequam scirent se admittendos in Societatem, perpetuam castitatem, paupertatem et obedientiam in eadem se observaturos voverant; et ita constantes in vocatione ac

---

[1] Nomina Societatis candidatorum, quorum hic meminit Polancus, recenset CASTRO, *Historia* ms... *del Colegio de Alcalá*, lib. VII, cap. 2: "Al mesmo tiempo que fué recebido el P. Saavedra, entró el H.º Juan de Fuentes, coadjutor, natural de Vallonar en Aragon...

Pedro de Leon, natural de Santo Domingo de Silos... siendo criado de Don Gerónimo Riberos, que tenía posada en casa, fué rezeuido á los 28 de henero...

Juan de Casasola... fue reçebido á diez de Marzo...

Alonso Ramiro, natural de Herrera, fué reçebido á los 10 de Marzo, siendo collegial trilingue, y muy docto en la lengua griega; fué luego embiado a Italia...

El licenciado Gaspar de la Fuente, toledano, entró ya theólogo sacerdote, sábado á 14 de Marzo, de edad de 25 años: ayudó á este collegio con ochocientos ducados de su legítima...

Alonso de Montoya, natural de Ocaña, entró... á los 14 de Mayo, de edad de 20 años.

El Maestro Juan de la Quadra, toledano, entró acauados sus estudios, jueves á 9 de Abril... Fué muy notable la buena disposicion exterior que Dios le dió, porque tenía vn aspecto de ángel... y según su exterior era su interior...

El Maestro Juan Baptista de Segura, natural... de Toledo, fué el mismo dia reçebido, yendo bien adelante en su teología...

El P. Juan Sanchez, natural de Galapagar, fué recebido ya hombre, y sacerdote, sábado á 10 de Octubre. Siendo mozo sirvió al Doctor Ortiz, y por orden suyo anduvo acompañando al P. Maestro Fabro el tiempo que estuvo en España...

El P. Rodrigo Arias, natural de Truxillo, fué recebido viernes á 20 de Nouiembre. Fué de los primeros fundadores del collegio de Monte Rey: a sido Rector de Medina y de Valladolid y muy grande operario.„

Hactenus P. CHRISTOPHORUS DE CASTRO, *l. c.*, qui obiter facta et munera cujusque horum virorum paucis perstringit —Distinctis vero capitibus agit de P. Garci Rodriguez "hermano del P. Doctor Christoval Rodriguez... Fué reçebido ya sacerdote, de 38 años, á los 20 de Junio...„ *Ibid*, cap. 3.

Et cap. 4: "El P. Doctor Juan Fernandez nació en la ciudad de Toledo...„

Plerique ex his magnam gloriam nomenque celebre sibi pepererunt: eorum res gestas, litteris consignatas, vide apud rerum nostrarum scriptores, qui posteriora tempora illustrarunt, necnon apud Nieremberg, Patrignani, etc. qui *virorum illustrium* vitas conscripsere.

firmi ad perfectionem omnes anhelabant, et fere omnes Simancas ad Probationis Domum missi sunt.

2571. Alii, non minoribus ornamentis a Deo donati, locum sibi dari inter nostros postulabant, et perspecta eorum perseverantia, admittendi postea, et non tunc, videbantur.

2572. Quatuor ex collegialibus Plasentiam ex praescripto P. Francisci missi sunt; reliqui suis studiis dabant operam; et in usum revocatae sunt positiones theologicae octavo quoque die defendendae, et etiam philosophicae, ad quas externi scholastici pro more antiquo conveniebant. Et haec quatuor primis mensibus gesta sunt; in reliquis mensibus aestatis, cum aestus ingruere coepisset, morbi etiam Complutum invaserunt, et ita collegiales ad vicina collegia et domus amicorum extra Complutum mitti pro more coeperunt; ex quibus aliqui aegrotabant, aliqui a morbis convalescebant.

2573. Hac de causa, et quia nostri in quadam parte Collegii aedificanda occupati erant, minus operae proximis navare nostri poterant; loco enim octo aut novem hospitum, qui exercitia spiritualia suscipere solebant, totidem ex nostris aut plures aegrotabant; et eos, qui sani erant, exercebant; omnes tamen, Deo propitio, convaluerunt. Ex his autem qui, distributis aliis, substiterunt Compluti, qui numero quatuordecim erant, novem adversa valetudine laborarunt: non tamen simul, et ita de proximis benemereri utcumque poterant, et spiritualia exercitia quibusdam proposuerunt, inter quos nobilis quidam cum magno spirituali fructu ab eis egressus, Societatem nostram ingredi constituit.

2574. Ex his, qui dispersi fuerant, quatuor Berlangam [1] venerunt; quod cum Comes Montis Acuti [2], qui in oppido suo Almazan residebat, intellexisset, accersivit unum ex eis sacerdotem, ut ab eo spiritualia exercitia susciperet; quod litteris et misso ad id quodam ex carioribus ministris suis, ab eo, qui praeerat Collegio Complutensi, postulaverat; et praeter spiritualem profectum ipsius Comitis et quorumdam aliorum, sic quidam frater Comitis commotus fuit, ut in Societatem se ad-

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 422, n. 911; propius vero ad rem nostram *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 521 et seq.

[2] Franciscus Hurtado de Mendoza. Quae hic a Polanco narratur, habes in *Litterae Quadrimestres*, *l. c.*, pag. 523.

mitti peteret, et cum Compluto ille transiret, cuidam ex nostris dixit, nihil sibi perinde in votis esse, atque in aliquo Collegio Societatis nostrae in culinae vel quovis vili ministerio Deo servire.

2575. Tres autem alii, qui Berlangae commorati sunt, valetudini recuperandae dabant operam, et interim christianam doctrinam cum magno populi concursu et aedificatione, immo etiam canonicorum ac nobilium, explicabant; et quamvis nullus eorum erat sacerdos, eos, qui morti vicini erant, ad bonum transitum ex hac vita juvabant; et ad frequentanda sacramenta homines hortabantur. Erat in illo oppido nobilis quidam, Martinus Cortesius nomine, qui in Collegio nostro Complutensi spiritualia exercitia susceperat, et in eisdem non parum profecerat. Hic, cum ad suspendium vir quidam duceretur, pedes ac sine pileo reum illum comitabatur, et multis cum lacrymis et charitatis significatione eum ad bene suscipiendum illud Domini flagellum hortabatur. Filius hic erat Marchionis del Valle in nova Hispania, et hujusmodi charitatis functionibus quantum in exercitiis profecisset, suo in statu facile ostendebat [1].

2576. Siguntum duo alii ex nostris missi sunt, ubi multi, eorum exhortationibus ad meliora profecerunt; et inter alios vir quidam, qui suam uxorem, adulterii gratia, dimiserat, denuo in domum suam eamdem admisit. Quidam alius non solum ad sacramentorum frequentiam est adductus, sed etiam visitandis hospitalibus et ministerio pauperum se dedicavit. Quidam alius, qui homicidium perpetraverat, cum sacerdoti nostro ibi confessus fuisset, ad poenitentiam agendam sese collegit.

2577. Quaedam etiam mulier, quae a marito recesserat, quod ab eo infamiae notam sibi inustam contra veritatem diceret, offensam condonavit, et ad mariti domum rediit. Et in his, quae ad spiritus profectum faciunt, non parum progressa est.

2578. Alia quaedam ibidem ad Dei gloriam acta sunt. Quidam autem Doctor Collegii Siguntini, et alius, qui in philosophia magisterium acceperat, simul cum alio quodam nobili, et quodam Cathedralis ecclesiae portionario ad exercitia spiritualia suscipienda Complutum se venturos promiserunt. Alter

[1] Vide infra, n. 2582, et *Litterae Quadrimestres*, loco nuper citato.

etiam, qui in eadem ecclesia portionem habebat post generalem portionem, arbitrio Societatis se commisit; quidquid ipsi injungeret facturus.

2579. Quatuor alii Concham missi fuerant, qui valetudinem curantes, hac aestate in quibusdam lutheranis, qui ab Inquisitoribus ad poenitentiam admissi fuerant, instruendis, utilem operam impenderunt.

2580. Alius quidam, Madridium missus, non mediocrem ex eo populo fructum colligebat; et quamvis propter edicta quaedam Archiepiscopi [1] et excommunicationes contra fautores Societatis nostrae impediebatur pius ejus conatus; effecit tamen divina providentia, ut coeptum opus, quemadmodum coeperat, utiliter prosequeretur.

2581. Mense Septembri jam fere omnes redierant, et opportune, cum a multis, spiritualium exercitiorum gratia, expectarentur. Docuit autem experientia multorum annorum in aestate non expedire, ut multi ex nostris Compluti manerent, nisi morbis plurimis et molestis vexari vellent; et ita omnium facultatum lectiones in aestate Compluti cessant, et ejus Universitatis scholastici alio concedunt usque ad autumnum; cum ipsis tamen complutensibus semper, qui ex nostris in Collegio manent, exercendae charitatis occasionem habent.

2582. Nobilis ille, quem paulo ante diximus [2], ad Societatem animum adjecisse, primogenitus erat, et patri suo in majoricatu, quem vocant, successurus, qui summopere eum diligebat; et quia propensum ad studia eum esse observaverat, timens ille ne religionem ingrederetur, a studiis eum removerat; sed ne sic quidem vocationem Dei impedire potuit, et ad P. Franciscum Borgiam, Simancis probandus, missus est.

2583. Aedificium, in Collegio inchoatum, in hac aestate prosecuti sunt nostri diligenter, quamvis paupertas Collegii non mediocris erat, sed divina bonitas variis modis suis subveniebat.

Et haec de Collegio Complutensi.

---

[1] Joannis Martinez Guijarro, qui vulgo Siliceus; de quo satis multa in superioribus vol. et *Cartas de San Ignacio* dicta sunt. Quae vero hic attingit Polancus, habes in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 524.

[2] Supra, n. 2575.

DE COLLEGIO CONCHENSI

2584. Pauci ex nostris initio hujus anni Conchae versabantur, quibus P. Alphonsus Lopez praeerat [1], quamvis idem ecclesiastem etiam agebat; ut in Adventu anni praeteriti ac deinceps id praestitit; licet nostri vix cogniti videbantur in ea civitate, quod domus nostra in angulo quodam, a civium frequentia remoto, prope canonicum Puteum [2] esset, qui nostros alebat et vicinos eosdem habere ad suam spiritualem consolationem volebat.

2585. Mense Januario ineunte, P. Pertusa, qui ibidem versabatur [3], ad pagum quemdam, cujus cura D.ri Vergarae [4] imminebat, missus, omnes illos homines fere sacramento confessionis adjuvit, quo redeunte Concham, ipse P. Alphonsus Lopez ad alium locum, ejusdem Doctoris curae subditum, se conferens, multorum etiam confessiones audivit; sed propter adventum P. Natalis, Concham et ipse revocatus est. Multum autem consolationis Dr. Vergara ejus adventu percepit; ut enim molestiis quibusdam affectus esset, propter quaedam, quae non ex ejus sententia Compluti fiebant, ejus opera prorsus conquievit. Canonicus etiam Puteus ejusdem colloquiis animatus est.

2586. Quinque tantum ex nostris eo tempore Conchae versabantur; sed numerus aliquantulum deinde auctus fuit. Quidam enim scholasticus ejusdem urbis, nomine Franciscus Escuderus, bonae indolis, nostris se adjunxit. Illi etiam quatuor, quos superius diximus [5], Compluto venerunt; nam in aestate aër conchensis salubris est, et ita illi valetudinem recuperarunt.

2587. Judicavit autem P. Franciscus Borgia expedire, ut

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 444, n. 1195; et *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 756; t. IV, pag. 202 et 424.

[2] Nempe, prope aedes canonici Petri del Pozo. Vide supra, t. v, pag. 445, n. 1198.

[3] Gundisalvus Pertusa, de quo mentio facta est supra, t. v, pag. 444, n. 1195.

[4] De praestantissimo hoc viro saepissime actum est in *Chronico* et in *Cartas de San Ignacio*. Vide supra, ubi sermo est de Collegio Complutensi; et propius ad ea quae hoc numero attinguntur, *Epistolae P. Nadal*, t. I, qui in lucem jam editur.

[5] Supra, n. 2579.

Conchae aliquis artium cursum praelegeret, quem saltem sex scholastici de Societate nostra audirent; et ita missus est Mag. Aegidius Gonzalez, qui post festum S.ti Lucae praedictum cursum inchoavit; quidam enim ad illum et sex discipulos sustentandos necessaria subministrabant; inter quos ipse canonicus Puteus et alii ecclesiastici erant.

2588. Externi autem fere totidem Magistrum Aegidium audiebant. Praelegebat autem mane et vesperi, et lectionibus suas repetitiones addebat; et quia bono ingenio nostri scholastici praediti erant, et doctum habebant praeceptorem, de ipsorum in philosophia profectu bona spes erat, et ita decem numero nostri Conchae esse coeperunt; nam laicus etiam quidam ibidem admissus est.

2589. Quod ad conciones attinet in ipsa urbe habitas, P. Alphonsus Lopez, Rector, in Quadragesima duas habuit singulis hebdomadis in primaria quadam parochia. In aliis autem ecclesiis extraordinarias etiam aliquas habuit, ut etiam in custodia publica; nam ibi detentorum rationem nostri habebant; ut tum in verbo Dei proponendo, tum confessionibus eorum audiendis, eos consolarentur et juvarent. Rarius tamen, quam voluissent conchenses, praedictus P. Alphonsus Lopez hoc ministerio praedicandi utebatur; multis enim erat morbis obnoxius; sermones ejus nihilominus, licet non multi, multum consolationis afferebant.

2590. Cum autem P. Franciscus Strada, Provincialis Aragoniae, a P. Francisco, Valentia, in Castellae regnum evocatus, Concha transiret, et quatuor aut quinque dies ibi subsisteret; die quodam dominico concionatus, tantopere auditoribus placuit, ut die lunae sequenti, licet festus non esset, in gratiam canonicorum Cathedralis ecclesiae concionari debuerit; quamvis in ipsorum templo ne omnibus quidem solemnioribus festis concio haberi solita esset. Et secunda concio etiam magis quam prima placuit; et ut aliquot dies ibidem commoraretur, et quaedam ecclesiae negotia cum eo conferre possent, nuntium ad P. Franciscum Borgiam mittere volebant, ut aliquot dies apud se P. Stradam retinere possent [1].

2591. Sed cum ille obedientiam sui Superioris, qua vocatus

[1] Ms. *posset*.

fuerat, id non ferre existimaret, ne nuntium illum mitterent obtinuit. Quis autem fructus ex illis duabus concionibus pervenerit, ex eo cerni potuit, quod tam multi ad confessionem instituendam accesserunt, ut, praeter Patres Alphonsum Lopez et Pertusam, P. Balthasar Diaz, qui aliquot menses Conchae fuit, non possent tam multis poenitentibus satisfacere [1]. Ipse etiam licentiatus Alphonsus Lopez coram capitulo et canonicis bis tempore rogationum, et tertio in ipso Pentecostes festo, in ecclesia Cathedrali sic concionatus est, ut non solum amici, addicti Societati nostrae, sed illi etiam, qui alieno ab ipso erant animo, multum satisfactionis ex eis conceperint.

2592. In nostro autem templo, vel potius sacello, licet remoto, singulis dominicis diebus a prandio christianae doctrinae sermones habere solitus erat, et alia complura colloquia. Saepius etiam ad morituros juvandos et aliorum aegrotantium confessiones audiendas vocabatur, et in omnibus his functionibus non poenitendum fructum capiebat, et augebatur in dies frequentantium sacramenta multitudo; et nisi remotum fuisset admodum a frequentia sacellum, et in [parte] edita urbis, ad quam asper admodum erat ascensus, haud dubie non potuissent tam multis nostri sacerdotes satisfacere, dominicis praesertim diebus ac festis solemnioribus, ut Assumptionis B. Virginis, quo die multis S.^{m} Eucharistiae sacramentum fuit administratum; et alii post confessionem aliis in ecclesiis communicarunt. Itaque bonus odor in dies magis atque magis per eam urbem spargebatur.

2593. Rogabantur autem crebro ab illius Cathedralis ecclesiae canonicis, ut ad circumjacentes populos se conferrent, et in pascendis ovibus, quae ipsis erant commissae, suam ipsis operam navarent. Omnibus tamen satisfieri non poterat, propter sacerdotum paucitatem. Initio tamen Quadragesimae P. Pertusa ad duo quaedam loca, quae cuidam beneficio Doctoris Vergarae annexa erant, profectus (nec enim illi hoc officium charitatis negari poterat), omnium sibi subditorum confessiones audivit [2]. Deinde ad locum beneficii praecipuum se transtulit, ut vicarium in confessionibus audiendis juvaret, et

---

[1] Haec mutuatus est Polancus a litteris P. Balthasaris Diaz, quas habes inter *Quadrimestres*, t. IV, pag. 425.

[2] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 202.

ibidem, praeter hoc ministerium dominicis ac festis diebus, Missae tempore, concionabatur; et sub noctem quotidie christianam doctrinam docebat; postquam orationem *Salve Regina* pro more decantaverant. Ipse etiam P. Alphonsus Lopez in cujusdam amici ecclesiastici gratiam, cum ad alium locum egressus esset, cum magna commotione animorum et fructus paucos ibi dies commoratus est.

2594. In pacibus quibusdam valde difficilibus curandis, Conchae non parum desudavit; sed, Deo adjuvante, dissidentes inter se conciliavit.

2595. Spiritualia exercitia quibusdam tradita fuerunt, et quorumdam confessiones generales auditae, nec mediocrem fructum eo modo, qui se exercuerant, retulerunt.

2596. Cum Inquisitionis quidam actus hac aestate celebratus Conchae fuisset, in quo multi poenitentes in publicum prodierunt; eorum aliqui, et praecipue alienigenae, domum nostram, ut instruerentur, missi sunt; et non inutiliter tritum fuisse tempus cum eis videbatur, cum, post colloquia crebra, verae conversionis animum prae se illi ferrent [1].

2597. Sub anni finem duodecim jam erant nostri, et inter eos quatuor sacerdotes; et quamvis nullos haberent reditus, ex eleemosynis quorumdam amicorum sustentabantur. Absolvit autem ad festa natalitia Mag. Aegidius Summulas, quas vocant, quaedam spinosiora et nimis [2] subtilia, quae sophistae tractant, ut ad textum Aristotelis initio sequentis anni accederet; et crebris disputationibus et exercitationibus suorum discipulorum ingenia excolebat.

2598. Venit P. Tablares [3] Concham, et cum primariis quibusdam hominibus, ex quibus bona gubernatio urbis pendebat, cum spirituali fructu egit; inter quos erat Praetor, Marchionissa de Chianete [4], Comes, et Comitissa de Pliego [5], et alii tam ecclesiastici quam seculares.

---

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 425.

[2] Ms. *minus;* sed sensus videtur aliud adverbium requirere.

[3] P. Petrus de Tablares.

[4] Dna. Maria Manrique, uxor Andreae Hurtado de Mendoza, "segundo marques de Cañete, guarda mayor de la ciudad de Cuenca... é hija... de D. Garci Fernandez Manrique, tercer conde de Osorno.„ BURGOS, *Blason de España*, t. II, pag. 149. — Vide *Cartas de San Ignacio*, t. V., pag. 246, annot. 5.

[5] Ex hoc loco definire certo non possumus an sermo sit de "D. Luis Carrillo de Mendoza, sexto conde de Priego, señor de Escavas y Cañaveras,„ qui "contrajo ma-

2599. Inter cetera vero unum pium opus confectum est; ut scilicet [rite collocaretur] filia cujusdam honorati viri, quae desponsata fuerat secreto, viro cuidam, divitiis inferiori, et cum offensione multorum eadem in domo versabantur; nec tamen in facie Ecclesiae matrimonium celebrabatur, eo quod pater, alia, quam filiae suae bona, non habens ex quibus viveret, matrimonium publicum non permittebat: obtinuit autem P. Tablares a patre, ut filiam suscipere sacramenta sineret; cui cum persuasisset ut id faceret, ad quod secundum Deum tenebatur, a patre etiam facultatem ad matrimonium publice contrahendum impetravit; et ita in facie Ecclesiae cum populi aedificatione conjuncti, offendiculum cohabitationis removerunt.

2600. In insigni conventu ordinis militum S.ti Jacobi, P. Alphonsus Lopez, cum Compluto Concham veniret simul cum Doctore Vergara, amanter hospitio exceptus est; et cum P. Baptista de Barma eo etiam venisset, die sequenti cum magna aedificatione, tam populi quam ipsius conventus militum, concionatus est; et cum Murciam ille properaret, P. Alphonsus Lopez in parochia quadam populi bis etiam cum fructu concionatus est. Et [1] populus ille, Societatis institutum minime cognoscens, immo multa sinistra ab aliis audiens, veritate intellecta, affici valde Societati coepit.

2601. Ipse etiam Dr. Vergara cum militibus et religiosis illius conventus sic interim egit, ut eos Societati valde conciliaret.

2602. Quod ad materiale Collegium attinet, si canonicus ille Puteus ejus fundandi provinciam non suscepisset, ejus augmentum sperari merito poterat. Ille autem [Collegium augeri volebat] ex bonis ecclesiasticis, quae tamen post ipsius vitam ad quemdam ex fratre nepotem redibant, a quo ille obtine-

---

trimonio con D.ª Estefanía de Villareal...„ Burgos, *l. c.*, t. v, pag. 123; vel potius de "D. Fernando Carrillo de Mendoza, sétimo conde de Priego„ qui "sirvió al rey D. Felipe II de embajador á Portugal, fué... mayordomo mayor de D. Juan de Austria, en cuya galera se halló en la batalla de Lepanto... Casó con D.ª Juana, hija de D. Luis Carrillo de Albornoz, señor de Albornoz... y murió en 1579.„ Burgos, *ibid.* pag. 124.— Attamen ex alio loco ipsius Polanci, infra, n. 2742, evincitur sermonem hic esse de Ludovico Carrillo de Mendoza, VI Comite de Priego. Infra enim, *l. c.*, dicitur "Cantor ecclesiae conchensis... Collegium in oppido Priego (cujus Comes, pater ipsius erat) erigere cum P. Natali„ constituisse... Jam, ex Burgos, *l. c*, discimus Ludovicum Carrillo ex laudata Stephania genuisse: "á D. Fernando, que sucedió... D. Diego Hurtado de Mendoza, Chantre de la iglesia catedral de Cuenca, etc...„

[1] Ms. *Et cum populus...*

re nitebatur, ut pensionem trecentorum ducatorum perpetuam super canonicatu, in quo succedere debebat, constitui vellet. Sed cum id parum succederet, alio canonicus [Puteus] animum convertit, ut scilicet, domos aedificaret, quae inquilinis locarentur, ut ex earum reditibus Collegium ditaretur, et si diu vixisset, quod ad aedificia propensus erat, non male res successura videbatur.

2603. Interim nostri domum quamdam, ei, quam inhabitabant, contiguam, instaurabant, ut ad illam [1] migrare possent, non relictis prioribus; sic enim ad communicationem cum proximis aliquid commoditatis accedebat, et ecclesiae nihilominus conjuncti futuri erant.

2604. Alibi quidem, longe meliori situ, Collegium institui poterat ad hominum frequentiam alliciendam et conservandam. Sed hoc a canonico Puteo impetrari minime poterat, qui domos quasdam dederat, suae habitationi vicinas, de quibus tamen cum consanguineis litigabat. Sed id nostros male non habebat; nam licet illi litem vicissent, aedificii pretium solvere nihilominus debebant; et hoc non minus gratum nostris fuisset, quam domum sibi adjudicari, ut in meliori situ et commodius aedificare possent; et sic [2] descendissent ab illa suprema parte urbis, ubi Cathedralis erat ecclesia et ejus canonici, ad partem inferiorem et magis planam, ubi populus habitabat, et unde per arduas et difficiles vias ad nostros adscendere oportebat.

Et haec de Conchensi Collegio [3].

DE COLLEGIO PLACENTINO

2605. In autumno [4] praecedentis anni situs ille, qui ad Collegium aedificandum electus fuerat, in optimo et saluberrimo

---

[1] Ms. *ad illas.*

[2] Ms. *et si...*

[3] De hoc Collegio, deque ejus in futurum tempus incremento, vide RIVADENEIRA, *Historia* ms. *de las Provincias de España*, t. I, fol. 89; SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. II, lib. V, n. 2-5. Plura et nos suo tempore dicemus in vol. *Epistolae P. Nadal.*

[4] Ms. *neptuno.* Sed vide *Litterae Quadrimestres* superioris anni 1555, t. III, pag. 579; et in hoc opere supra, t. V, pag. 474, n. 1288, et seq. praecipue vero *ibid.*, pag. 475, n. 1293.

urbis loco, jam ad planitiem erat redactus, et fundamenta aperta fuerant; et magna vis lapidum, calcis, arenae, etc., lignorum fuerat comportata, et jam jam fundamenta jacienda erant; sed ne res inchoaretur, civis quidam impedimento fuerat, cujus erat quaedam area, quae situm Collegii ingrediebatur; et quia dominus magni eam faciebat, Episcopus [1] curabat praedictam aream taxari; et quia juridice procedendo, tempus aliquod necessarium erat, evocato ad se areae domino, offerebat Episcopus chirographum propriae manus, [quo constabat] se promissurum solutionem illius pretii, quod aestimatores taxassent.

2606. Non acquievit ille, et cum sua uxore peregrinationem quamdam, religionis gratia, ad eremitorium B. Mariae de Francia, quod est prope Salmanticam, suscepit; in itinere autem tantis angustiis et afflictione cordis vexari ejus uxor coepit, ut nocte quadam se mori diceret, nisi Placentiam ad aream Episcopo dandam rediret, eodem modo quo ipse vellet.

2607. Coactus itaque fuit vir, ejus uxore in diversorio relicta, Placentiam redire, et aream Episcopo offerre: qui autem hominem noverant, et de eo negotio prius ipsum allocuti fuerant, miraculo hanc ejus mutationem tribuebant; et ita impedimento remoto, operi manus admota est.

2608. De dotatione autem Collegii adventus P. Francisci Borgiae expectabatur: utrinque enim dotatio exoptabatur, et ex sententia P. Francisci Borgiae negotium hoc fuerat dilatum usque ad Imperatoris Caroli in Hispaniam adventum, a quo aliquid sperabant, cum nondum de renunciatis in filium regnis constaret; quamvis autem properaret et urgeret opus Episcopus, placentini tamen tantopere illud perfectum esse cupiebant, ut omnia ipsis lenta viderentur.

2609. Dederat civitas, ut meminimus superius [2], non mediocrem vim materiae, cum pineta valde bona haberet. Ipse autem Episcopus donationem $\frac{m}{30}$ ducatorum cum fecisset, ut in eventum mortis non esset omnino desertum Collegium, ad eos recuperandos, auctoritate propria, facultatem Societati dedit;

---

[1] D. Gutierre Vargas de Carvajal. Vide in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 661 et seq. *Biografia del Sr. D. Gutierre de Carvajal, obispo de Plasencia, y fundacion de aquel Colegio.* Etiam *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 16 et 256; RIVADENEIRA, ALCÁZAR, SACCHINI in Societatis annalibus, ubi de Collegio Placentino sermo instituitur.

[2] Supra, t. V, pag. 476, n. 1292; et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 20.

quamvis in ipso aedificio $\frac{m}{40}$ aureos, si superviveret, expendere constituerat; et de relinquendo episcopatu agebat, pensione aliqua sibi reservata.

2610. Valor autem annuus episcopatus ad $\frac{m}{30}$ ducatorum ascendebat. Non solum autem domum sed et templum simul aedificabat (post Pascha Resurrectionis anni praeteriti opere inchoato), et statim dederat P. Francisco de Villanova ad aedificium $\frac{m}{10}$ ducatorum, et paulo post totidem assignavit, urgens ad expendendum quidquid opus esset; se enim alia denuo signaturum.

2611. Quamvis autem solitus esset, in his quae ad aedificia pertinerent, neminem praeficere, sed omnibus ipse assistere, eo quod ad hujusmodi opera valde propensus erat; Patrem tamen Villanovam ad omnia idoneum existimans, praefectum totius aedificii eum esse voluerat; nihilominus mane admodum surgebat Episcopus, et usque ad horam prandii fabris operariis assistebat, et statim a prandio ad hoc ipsum redibat.

2612. Totum aedificium ex lapidibus et calce confectum erat, cum tribus areis, inter quas una scholarum erat. Duas etiam cisternas et complura loca subterranea (quod aestus ejus regionis id requirat), et crescente ejus animo, jam non quinque sed tribus annis opus confectum reddere volebat; et ita plurimos ex ministris suae domus a se ablegare decrevit; sex aut septem exceptis, qui sacris ordinibus essent initiati, quos non ut famulos sed ut fratres habere, et mensae suae assidere, et eodem quo ipse modo tractari volebat; quod et fecit cum aedificatione summa populi; et ita reditus ad aedificium et pauperum eleemosynas sufficere poterat. Nam quod ad aedificium attinet, ducentos et eo amplius operarios assiduos habebat, praeter quinquaginta fere alios, qui materiam, calcem et saxa deportabant; et ita ad festum S.^{ti} Joannis hujus anni, jam hortum valde magnum muro circumdederant valde bono, et parietes usque ad admirationem hominum surgebant, ut occasionem haberent quidam dicendi quod ab angelis aedificium illud juvabatur, et ad proximi anni Quadragesimam templum nostri se habituros credebant.

2613. Quia vero ingens erat illo anno annonae caritas, duabus rationibus eam Episcopus sublevabat: altera erat ut quotquot vellent conduci ad operas Collegii libenter admitte-

bat; quod in illa regione, tempore aestatis, ingens erat; et ea pars domus, quam nostri inhabitaturi erant, brevi admodum conficienda putabatur, ad festum, scilicet, Resurrectionis sequentis anni.

2614. Altera autem ratio, quam iniit Episcopus pauperes sublevandi, haec fuit. Duae sunt ejus episcopatus nobiles civitates, Placentia scilicet, et Castrum Julii [1]. Placentiae ita providit, ut ex his civibus pauperibus, quibus verecundia et pudor fortunae ne mendicarent impediebat, centum familias ipse suo sumptu aleret. Reliquum autem pauperum numerum primoribus civitatis, qui multi sunt, alendum committebat; et cum Episcopus exemplo eos praeiret, facilius illi sequebantur. Et ita fami, quae urbem premebat, consuli potuit; reliqua erant oppida et pagi, quae fere agricolis constant; quotquot autem ex his Placentiam veniebant, paratis epulis Episcopus excipiebat.

2615. Nostris [est] usus ministris, a quibus et cibi parabantur et [2] distribuebantur. Dabatur autem hoc epulum in area quadam, sub area domus episcopalis, quae in hospitium nostrorum cesserat. Hoc autem convivium tam multi frequentabant, ut sperarent nostri se quingentos convivas et eo amplius habituros: integrae enim familiae in urbem confluebant vi egestatis ex propriis sedibus convulsae.

2616. Eam autem nostri rationem atque ordinem in hoc negotio servabant, ut nec ministerium confunderet multitudo, nec cum magna jactura temporis illud fieret.

2617. Ad alteram civitatem, scilicet Castrum Julii [3], quidam ex nostris sacerdotibus cum Fratre laico missus est, ut 120 pauperes Episcopi expensis ibi alendos curarent; postulabat autem nostrorum operam in hujusmodi ministerio Episcopus, quod, ut ipse ajebat, aliis non auderet committere quam nostris, quos charitate christiana, non humanis affectibus, duci censebat.

2618. Gratias autem Deo agebant placentini, quod suae

---

[1] Trujillo. Vide infra, n. 2617.

[2] Ms. iterum *ministris*.

[3] "Trujillo, c. en la prov. de Cáceres (8 leg.)... diócesis de Plasencia... de grande antigüedad, fortaleza de la España romana... Se apellidó *Castra Julia*... El escudo de armas de esta c. ostenta la imagen de la Vírgen con el niño Dios en los brazos, colocada entre muros y dos torres, en conmemoración de que... se la vió intervenir en su conquista contra los agarenos... Es patria de Francisco Pizarro, conquistador del Perú y de muchos otros hombres célebres...„ MADOZ, *Diccionario geográfico...*, t. XV, pag. 171

ecclesiae tandiu adesse viderent Episcopum, quodque tantam ejus munificentiam experirentur; et ut talis ille esset, nostrorum familiaritate multum juvari sibi persuadebant.

2619. Quae de frequentia sacramentorum ac fervore dicta sunt anno praeterito, in hoc etiam fuerunt continuata; id autem diligenter curabatur, ut qui frequenter ad communionem accederent, homines essent, qui et orationi et spirituali profectui vacarent. Qui autem in Collegio nostro sacramenta frequentabant fere trecenti quinquaginta erant, et aliis in ecclesiis alii multi, quod omnibus nostri non possent vacare, faciebant.

2620. In quodam jubilaeo plenissimo, quod tres dies confessioni tantum designatos adferebat, septingenti apud nostros illo triduo confessi sunt; qua in re multum quidem nostri elaborarunt, sed eximio cum fructu ad Dei gloriam: multi enim vel voluptatibus vel aliis vitiis a principe hujus mundi irretiti, veram confessionem in hoc jubilaeo instituentes, animae suae morbis remedium adhibuerunt.

2621. Amicitiae inter multos curatae fuerunt: vincti etiam et detenti in publica custodia ad fructum ex suis vinculis eliciendum instructi, nostris etiam confessi sunt; et ad festa Natalitia sub initium hujus anni missi fuerunt a Rectore Collegii, qui domum, quam valde immundam habebant, everrerent et purgarent.

2622. In christiana etiam doctrina, quam pueri docebantur, eo uberior capiebatur fructus, quod illi domi suae alios docerent, qui ad eam audiendam commode accedere non poterant; multa vel dolo parta, vel per injuriam aliorum retenta, veris dominis rependebantur.

2623. Quamvis autem initio non caruit obtrectationibus frequentia communionis; effectum tamen est divina ope ne quid magis illustre aut proficuum universis videretur, quam si numero piorum hominum hoc sacramentum frequentantium nova fieret accessio; et ea in re monachos ordinis S.ti Dominici atque Francisci nostri adjutores et praecones rerum Societatis habebant.

2624. Sacerdotes etiam, quicumque Placentiae doctrina et vitae probitate celebres erant, aperte a nobis stabant; ac sese pro nostris invidiae, si undae pullularent, opponebant [1].

---

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 257, ex quibus haec deprompta sunt, sic rem

2625. Conciones Doctoris Salinae [1] in Quadragesimae tempore omnibus fuere gratissimae, cum, praeter eruditionem et venustatem, spirituali condimento essent respersae, et mirum in modum ea in civitate eum et venerabantur et amabant; sed cum in quartanam febrim in anni progressu incidisset, ex praescripto P. Francisci Borgiae venit P. Baptista Sanchez Hispali, qui per Adventum Domini ad civitatem Placentiae conciones habuit; a qua votis omnium optatus magnopere fuerat jam inde ab anno praeterito, cum Hispalim pergens semel placentinis est concionatus, et ita eum a P. Francisco litteris impetrarunt.

2626. Nec solum placebat omnibus et honorifice accipiebatur, sed magnum laboris ejus fructum est consecutus. Venit et P. Franciscus Borgia sub finem hujus anni ad oppidum Giarandillam [2], jussu Caroli Imperatoris accitus; unde non potuit ad vicinos Placentini Collegii non divertere ut ea festa transigeret: magno etiam solatio Episcopum et cives affecit, et concionem de Nativitate Domini gratissimam habuit.

2627. Inter alia pietatis opera, quae Placentiae per ministerium Societatis sunt confecta, insigne illud fuit, quod, cum placentinus quidam cum Satana pacta quaedam inivisset, et, quam fieri poterat, indissolubiliter firmasset; multa etiam aliena, quae abstulerat, velut pignus ejus facti retineret; is, inquam, cum in morbum incidit, sacerdotem aliquem nostrae Societatis ad se vocari jussit; qui nequissimam illam conjurationem irritam fecit, instrumentis ejus pacti in ignem conjectis; adduxitque hominem ut ex bonis propriis aliqua divenderet, quo posset male ablata restituere.

2628. Primis mensibus hujus anni novem sacerdotes et tredecim alii fratres nostri in Collegio Placentino versabantur: postmodum ad viginti quinque omnes pervenerunt, nec tamen eorum quisquam otiosus esse poterat; nam, praeter aedificium Collegii, de quo supra, et verbi Dei ac sacramentorum ministerium et alias consuetas Societatis nostrae exercitationes, ad

---

tradunt: "Dominicani atque Franciscani... tum etiam sacerdotes... aperto marte, praelia nostra decertant, ac sese pro nobis inuidiae (sicunde pullulet) opponunt.„

[1] P. Marci Salinas, de quo fit mentio in *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 257.

[2] Alibi scribitur *Xarandilla*, estque *Jarandilla*, cujus nomen saepe recurrit supra, t. V. Vide praecipue ejusdem vol. pag. 543, 544, n. 1485-1487.

proximorum auxilium, quatuor lectores ordinarii, praeter sublevantes coadjutores, studiosis dabant operam, quae res civitati ac dioecesi gratissima accidebat. Ex tota enim dioecesi, bono studiorum odore ac fama [1], Placentiam ut ad universitatem quamdam conveniebant, et regulae nostrarum scholarum, praecipue quae ad menstruas confessiones attinebant, cum magna scholasticorum spirituali utilitate, qui vitam in melius mutabant, et singulari parentum consolatione observabantur; et quamquam ea regio aestibus infestari solita sit, non ideo magistrorum aut discentium conatus frigescebat.

2629. Discipuli erant morigeri, honesti, litterarum cupidi, confessionum et Eucharistiae amantes. Itaque non mirum est, si parentes dicerent feliciter se genuisse liberos, quos sic educari et institui sub nostrorum disciplina contigisset; et praemature quidam eorum suos liberos erudiendos nostris tradebant.

2630. Multi autem inter nobiles adolescentes erant, qui totis votis ostium Societatis nostrae sibi aperiri expetebant; quos tamen Villanova statim admittendos non censebat, sed ad perseverandum in honestis studiis hortabatur, ut opportunius, aetate adultiore, religioni se possent consecrare.

2631. Quintum addi praeceptorem temporis progressu opus fuit, et cum P. Dionysius Vasquez, qui rhetoricam legebat, et quartana febri, hyeme praeterita, fuerat vexatus, alio recessisset, a P. Francisco evocatus, Alphonsus Ramirez ei in hoc docendi munere successit.

2632. Magnus autem studiosorum fuit proventus, quod magis multi mirabantur ob anni illius inopiam; sed et ingenia inter illos multa praeclara erant: plures autem multo sequenti anno expectabantur.

2633. Post festum Pentecostes recessit Episcopus ad suum oppidum nomine Zarayzego, ut inde Madridium pergeret ad quaedam negotia conficienda, et ut non libenter Placentia recessit, ita ad festum Divi Lucae se rediturum promisit.

2634. Post festum S.ti Joannis ex praescripto P. Francisci Borgiae studia cessarunt, vel potius relaxata fuerunt, quod aestus eo in loco molestissimus esset; nihilominus in tribus classibus usque ad festum D. Lucae, mane praelegebatur per

---

[1] Ms. habet hic *accipi*, quod superfluum videtur.

horam unam, et praeterea aliquid exercitationis litterariae addebatur, ne ea, quae didicerant, studiosi obliviscerentur; nostrorum etiam cura, quod ad valetudinem attinet, habebatur, et nihilominus, quinque vel sex tertiana febri hac aestate laborarunt.

2635. Exercitia spiritualia quibusdam fuerunt proposita, inter quos fuit unus ex provectioribus nostrorum studiosis, immo qui reliquis anteibat; qui ad Societatem nostram animum adjecit.

2636. Hospitale, ubi pauperes aegroti curabantur, episcopali domui, quam nostri inhabitabant, vicinum erat; et cuidam ex nostris sacerdotibus haec fuit imposita cura, ut eos inviseret et eorumdem confessiones audiret.

2637. Alter sacerdos, carceris cura suscepta, singulis dominicis diebus christianam doctrinam vinctos docebat, et ad confessionem hortabatur; sed quod plus negotii nostris exhibebat, multitudo erat incidentium in morbum, in variis urbis locis, et omnes ad Collegium nostrum mittebant, ut confessarios ad se mitterent, et ad communionem ipsis ministrandam Sacrum apud ipsos facerent: morituris etiam consolationem et auxilium impenderent.

2638. Minabatur itaque medicus nostris omnibus morbum; quod ea in urbe hujusmodi labores et incommoda tolerari non posse existimabant. Accidit autem ut hoc anno post festum Divi Joannis multi in febres tertianas duplices et periculosas inciderent, ex quibus aliqui moriebantur, sed non propterea nostri ab eorum auxilio cessabant; quamvis Dr. Salinas difficile esse existimaret professorum simul et collegialium et novitiorum ministeria in eo Collegio exerceri; nam ex his tribus hominum classibus domus illa constabat: facile autem in tempore hujusmodi morborum affectus civium etiam primariorum erga Societatem apparuit; nam etiam illi, qui in aliis monasteriis confessarios habebant, imminente periculo ex morbo, confessarios ex nostro Collegio postulabant. Et fuit inter alios quidam, qui statim magnae pecuniae vim, cujusdam nostri confessarii consilio, restituit, et ex bonis suis, quod reliquum erat, jussit restitui, ut conscientiae suae securitati consuleret.

2639. Cum autem existimatio hominum de Societate tanta esset, ut perdifficile nostri ei responderent; non deerat aliquis

qui obmurmuraret; sed ejus mores hujusmodi erant, ut auctoritas accederet Societati ex ejus aemulatione.

2640. De benevolentia etiam Episcopi erga nostros satis dici non posset, qui dies noctesque vigiles videbatur traducere, dum rebus et personis sui Collegii prospiciebat. Et cum paucis illis ecclesiasticis, de quibus diximus [1], magna simplicitate et aequalitate in collegii modum vivebat, quamvis aliis ministris in propriis domibus necessaria subministrabat, et quotidie ad ostium suae domus centum quinquaginta vel ducentos pauperes habebat; et aedificare Dominus in ipsius spiritu multo melius videbatur, quam ipse materialem domum ac templum nobis aedificare; et haec illis in locis et in persona Episcopi Placentini admirationi magnae et aedificationi omnibus erant.

2641. Curabat ille Romae a Summo Pontifice obtinere reditus aliquos ex episcopatu separari ad Collegii dotationem; et quam brevissime fieri posset, certior fieri cupiebat, num id impetraretur; nam si Summus Pontifex id negasset, quaedam ecclesiastica beneficia habebat, quae ad eamdem dotationem unienda curasset. Nostris etiam properandum esse videbatur, eo quod aliquando podagra et quidem periculosa Episcopus laboraret; nam in occiput humor ille aliquando descendebat.

2642. Interim vineas quasdam et eremitorii cujusdam redditus [applicaverat]; sed haec perexigua erant ad integram Collegii dotationem aspiranti.

Haec ergo de Placentino Collegio sic se habebant.

DE COLLEGIO MONTIS REGII

2643. Urgente Comite Montisregii ut Collegium in oppido suae ditionis, unde titulum sui comitatus habebat, in regno Gallitiae inchoaretur, misit eo P. Franciscus Borgia sub medio mensis Martii P. Joannem de Valderrabano. Collegio Vallisoletano praefuerat; et sub initium Aprilis cum socio non sacerdote pervenit; et sub finem Aprilis duo alii sacerdotes cum alio fra-

[1] Supra, n. 2612.

tre nostro ad idem Collegium novum accesserunt; praecesserat enim P. Valderrabano ut res necessarias praepararet, et post inchoatum Collegium Vallisoletum rediret, nisi aliud ipsi praescriberetur [1].

2644. Cum autem pridie Annuntiationis B. Virginis Montemregium pervenisset, eamdem B. Virginem advocatam ad res omnes illius novi Collegii assumpserunt. Expectabantur a Comite avidissime, qui nostros in domo quadam, ad tempus accepta, hospitio excepit, et admodum sollicitum, in his quae ad Collegii institutionem pertinebant, [se] exhibebat; quamvis tantum erant quinque ex nostris, ut diximus, usque ad Junium mensem, [quo tempore] sextus eis accessit. Quatuor ex eis sacerdotes erant; et quamvis propriam domum nondum haberent, sollicite Comes cum religiosis S.tae Mariae sub titulo Mercedis (nam redemptioni captivorum exprofesso is ordo vacat) agebat ut quoddam monasterium, quod in illo oppido habebant, nostris relinquerent; et populus id tantopere optabat, ut diligenter et assidue Deum precaretur, ut res ad effectum deduceretur, et nostri templum idoneum ad confessiones audiendas et alia Societatis consueta ministeria haberent.

2645. Jam inde ab initio sui adventus in verbi Dei praedicatione coepit se P. Valderrabano exercere, et Societatis ministeria ipso facto populis declarare; nec enim uno tantum in loco semen verbi Dei proponebat. Omnes autem miro affectu Societatem amplectebantur.

2646. Cum autem Passionem Domini in die veneris sancti praedicasset, multi, qui inimicitias inter se exercebant, inter se conciliati fuerunt; et id postridie intellexit P. Valderrabano, cum quorumdam confessiones audiret, qui post concionem praedictam, in ecclesia se mutuo fuerant amplexi, cum multos annos inimicitias exercuissent, in quibus etiam homicidia intercesserant. In eadem hebdomada sancta eos, qui in custodia publica detinebantur, peccata confitentes audivit.

[1] Exstat epistola P. Joannis de Valderrábano, *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 253-256, qua Polancus usus est, et ubi accurate initia hujus Collegii describuntur. Porro ex annotationibus illi epistolae annexis discimus Comitem de Monterey esse Alphonsum de Acebedo et Zúñiga (Alphonsum de Fonseca et Acebedo saepe dictum), de quo mentio alibi facta est, *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 24, annot. 9; inter socios vero Montemregium missos praeter P. Valderrábano, fuisse Paulum Hernandez et Petrum Ruiz sacerdotes, et Joannem Gonzalez rei domesticae adjutorem. Vide Valdivia, *Colegios de Castilla*, t. II, ms. fol. 81... *Colegio de Monterey*.

2647. Pater etiam Paulus, qui unus erat ex sacerdotibus Montemregium missis, conciones aggressus est; et ipse P. Valderrabano christianam doctrinam docere coepit, nec tamen conciones omisit.

2648. Tres itaque erant, qui ecclesiastes munere et confessariorum fungebantur; tres etiam catechistae quotidie in oppido Montisregii; dominicis autem diebus a prandio in pagis vicinis christianam doctrinam docebant; et tanto cum fervore nostri copiosae illi messi manum admovebant, ut freno prorsus illis opus esset, ut sese in laboribus temperarent.

2649. Fructus itaque egregius percipi incipiebat. Conveniebant autem a duabus leucis homines illius regionis Montemregium ad unam concionem audiendam, quod concionatori P. Valderrabano non mediocris confusionis causa erat.

2650. Cum autem gratia jubilaei eo pervenisset, non solum oppidanos, sed ex aliis variis locis confluentes, sacramento confessionis juvare debuerunt, et casus admirandos, immo et horrendos, qui propter sacerdotum ignorantiam inter peccata non numerabantur, deprehendebant. Et ita in dies, quemadmodum et necessitas major cernebatur, ita et momentum hujus Collegii majus ad regni Gallitiae auxilium cernebatur, cum in summa ignorantia doctrinae christianae et rerum ad salutem necessariarum versarentur.

2651. Per montes ergo illos, in quibus populi siti erant, duo ex nostris sacerdotibus praedicatione verbi Dei homines illius regionis instruebant, et eisdem monita salutis dabant; et alter eorum, qui catechismum in oppido Montisregii pueros docebat, festis ac dominicis diebus cum illis processionem instituebat post meridiem; et ad quamdam ecclesiam, oppido vicinam, cum convenissent, sermo ad eamdem christianam doctrinam pertinens, cum summa omnium aedificatione habebatur.

2652. Qui P. Valderrabanum, cum Montemregium veniret, comitatus est, medio fere mense Aprili grammaticam docere pueros coepit, et plures quam quinquaginta discipulos habuit [1]. Multi plures venturi erant anno sequenti, cujus initio studia inchoare constituerant. Regulae autem scholasticorum, cum eis

[1] "El hermano que vino conmigo ha comenzado á leer gramática avrá quince dias: ay çinquenta y tantos studiantes, digo cinquenta y tres...„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 254.

proponerentur, non solum eas discipuli observabant, sed eorum parentes magnam ex eo aedificationem capiebant. Et sub initium Maji scholastici confiteri voluerunt, et ipsimet id postularunt; qua re nihil magis inusitatum ea in regione audiri poterat; et ita nonnulli existimabant in Gallitia eam regulam a scholasticis non esse observandam.

2653. Accessit deinde secundus lector, et numerus scholasticorum ad octoginta initio Junii perveniebat, qui omnes ad unguem regulas omnes observabant. Tertius deinde lector accessit, cum numerus scholasticorum cresceret, qui in virtutibus et in eruditione magnos progressus faciebant; et ipso die Nativitatis S.ti Joannis Baptistae tres orationes habitae fuerunt in Baptistae et Evangelistae laudem, quae multis viris peritis et monachis, aedificationis multum praebuerant.

2654. Scholasticis seorsum doctrina christiana explicabatur, et coronam sive rosarium B. Virginis omnes ferebant, et quotidie perorabant, qui ne manu quidem, quandiu vixerant, ante contigerant. Erant et aliqui ex his orationi dediti, quae res in Gallitia nova prorsus erat. Juramenta etiam, in quibus magnus vigebat abusus, cessabant; nam filii parentes rogabant, ne jurarent.

2655. Proëpiscopus ejus dioecesis, scilicet Auriensis, tantopere erga Societatem affectus erat, et tam impense ei favebat, ut non aliunde quam a Deo eam hausisse charitatem facile appareret [1]. Zelum ipsius ad res nostras promovendas temperare oportebat; monachi etiam ordinis S.ti Francisci, tam benevolos se exhibebant, ut a Comite Montisregii peterent, ut situm Collegio nostro prope ipsorum monasterium designaret, ut ipsi nostris viciniores essent. Suam autem ecclesiam et suggestum ad concionandum nostris offerebant, quamvis bonum alioqui concionatorem ipsi haberent. Sed et sacerdotibus saecularibus nostri valde grati erant.

2656. Comes autem et populus Montisregii, immo et tota ea regio, et consolationis et aedificationis signa non vulgaria ex adventu nostro ostendebant. Cum quidam ex nostris aegrotaret, nec quid statim Comiti renunciatum esset, misit quem-

[1] "El Provisor desta diócesi, que es Orense, es necesario yrle á la mano...„ *Litterae Quadrimestres, ibi*, pag. 255. "El licenciado Elgueta, Canónigo y Provisor.„ *Ibidem*, annot. 1.

dam ex sui cubiculi ministris, qui conquereretur, quod ad ipsius domum Rector non misisset, ut quidquid in ea erat, ad melius tractandum infirmum, postularet.

2657. Religiosi etiam praedicti S.ti Francisci pro infirmo peculiarem orationem faciebant. Demum tanta cum devotione Societatis doctrina ab omnibus admittebatur, ut Comes, qui nunquam id expectaverat, gratias Deo dignas, se agere non posse agnosceret. Et omnes tanta veneratione quemvis de Societate prosequebantur, et sic excipiebant quae ab ipsis dicebantur, ut confusionis nostris causa essent. Et cum aliqui ex nostris ad aliquam ecclesiam concionaturus se conferebat; qui id postulaverat, et totus populus, pro magno honore id ducebant; et ne alii praevenirent, mensem unum antequam concionandum esset, sermonem in variis locis postulabant; et tam multae erant hujusmodi postulationes, ut sex concionatoribus negotium exhibere possent.

2658. Cum Comes aetate senex esset, et dum viveret, Collegium nostrum stabilire cuperet, sollicite hoc negotium urgebat. Dedit autem nomen Collegio S.ti Jacobi majoris, ut eumdem patronum haberet, quem tota Hispania ac praecipue regnum Gallitiae habebat; sed et B. Virginem patronam peculiari ratione habebant. Cum enim nihil nostri intellexissent, Proëpiscopus, de quo paulo ante diximus, nostros deduxit ad quoddam eremitorium B. Virgini sacrum, extra muros Montisregii, et cum manus P. Valderrabani et P. Pauli apprehendisset, cuidam notario, qui aderat, injunxit, ut testimonium conficeret, quod auctoritate Episcopi nostros in possessionem illius domus et ecclesiae B. Virginis Remediorum (sic enim dicebatur), inducebat. Et cum nostri dicerent, se particulare mandatum ad hanc possessionem capiendam, non habere, ait Vicarius non id referre : satis fore quod de Societate Jesu essent, cui eremitorium illud dabat; quod valde bonum erat, et ad quod ex toto regno Gallitiae et Portugalliae multi, devotionis gratia, concurrebant. Habebat autem domum non solum ad recreationem, sed ad spiritualia etiam exercitia tradenda valde idoneam, et quarta parte leucae tantum ab oppido Montisregii distabat.

2659. Cum autem a Vicario quandam facultatem in gratiam quarundam personarum postulasset, totam ille suam facultatem, quam Proëpiscopus habebat, ad absolvendum et sa-

cramenta ministranda, prout ipsi videretur (et id publice ac multis audientibus), concessit.

2660. Convenerant Episcopus Auriensis et Comes Montisregii, qui de patronatu seu jure conferendi quaedam beneficia inter se contendebant, ut ex eis partem quamdam dividerent, et ad Collegii nostri dotationem applicarent [1]. Episcopus itaque auctoritate ordinaria partem praedictam redituum Collegio applicavit, et instrumenta hujusmodi unionum vel applicationum Romam, ut auctoritate Apostolica confirmarentur, miserunt; et fere ad mille ducatus annui reditus dotatio ascendebat; et mirandum erat omnium desiderium fundationis hujus stabiliendae.

2661. Sed satis sint quae de initiis Collegii Montisregii, hoc anno inchoati, diximus. Hoc tantum addam quod quidam, fere ipso in ingressu Montisregii, contulit cum P. Valderrabano, quod magnam partem suorum bonorum, quae non erant exigua, quodam juramento falso emisso, possidebat: et non multis verbis auditis sic fuit commotus, ut totum hoc negotium in manibus ejus Patris constitueret, ut conscientiam ipsius exoneraret.

DE COLLEGIO ABULENSI

2662. P. Pradano [2] paucis illis, qui Abulae de Societate versabantur, praeerat; cum P. Ferdinandus Alvarez inde Burgos missus esset [3], cum Abbas de Salas de Collegio [4] ibi instituendo ageret.

2663. Fuit autem Salmantica missus praedictus P. Pradanus, ubi theologiae cursum absolverat, et solus sacerdos cum aliis tribus Fratribus, anno 1555, mense Majo, Abulam vene-

---

[1] "En aquella sazon el Conde D. Alonso de Fonseca y el Obispo de Orense, D. Francisco Manrique de Lara, traían pleito sobre la presentacion de cinco beneficios curados, pretendiendo cada uno pertenecerle á él. Viendo que había de ser común á ambos el provecho que se esperaba de la venida de los nuestros á esta tierra, se concertaron y determinaron de fundar un Colegio de la Compañía... „ VALDIVIA, *Colegios de Castilla.—Monterey*; t. II, fol. 82 v.

[2] Joannes Prádano, de quo dictum est supra, t. v, pag. 410, n. 1099.

[3] Vide supra, t. v, pag. 442, n. 1189.

[4] De Collegio hoc, necnon de Abbate de Salas, diximus supra, n. 2509, 2510 et seq.

rat [1]. Inde enim recesserat P. Gonzalez, in Indiam eodem anno missus [2], qui unus erat ex illis tribus qui, ne desererent multitudinem post naufragium in quadam insula commorantium, mortem obiisse diximus [3]. Hi quatuor, ex fructibus quorumdam beneficiorum, seu praestimoniorum P. Fernandi Alvarez, dum Collegio auctoritate Apostolica uniebantur, se sustentabant. Aliqui etiam amici suis eleemosynis eos adjuvabant.

2664. Ecclesiam habebant satis elegantem, quam etiam picturis illustribus decorarunt. Domus quidem pauper erat, sed salubris: situ, et ad populi aedificationem, commoda. Magna autem vis lignorum, lapidis et calcis et reliquorum, quod ad aedificium erant necessaria, empta jam erant, ut domus pars quaedam aedificaretur; ad quam migraturus erat Dominus Ludovicus de Medina, qui cum P. Francisco egerat de annuo reditu trecentorum ducatorum, Collegio post suam mortem applicando. Societatem tamen paulo post ingressus, vivens hos reditus Collegio fruendos dedit, ut suo loco dicetur [4].

2665. Interim P. Pradanus confessionibus audiendis vacabat, et aliis pietatis operibus; qui enim alibi spiritualibus morbis remedium non inveniebant, domi nostrae se illud inventuros sperabant; et Deo adjuvante, inveniebant.

2666. Mulier quaedam fuit inter alias, quae molestissimis tentationibus afflicta, jam collo laqueum ad suspendium imposuerat. Sed, Domino tunc illi impediente, ad domum nostram veniens, auxilium et remedium a divina bonitate obtinuit.

---

[1] Cf. VALDIVIA, *Colegios de Castilla: Colegio de Avila*, t. I, fol. 239 et seq.

[2] "En este año se le cumplieron al P. Andres Gonzalez sus antiguos y santos deseos... de pasar á las Indias, á la conversion de los infieles y á padecer algo por su amor; porque fué enviado por obediencia á la India oriental en compañía del hermano Alonso Lopez, navarro de nacion, á los cuales guardaba Dios en esta navegacion una gloriosa muerte, que padecieron por la caridad y amor de sus prójimos.„ VALDIVIA, *l. c.*, fol. 241.

[3] Vide supra, t. V, pag. 640, n. 1752, annot. 1; pag. 646, n. 1773-1775, et loca ibi signata.

[4] " Tambien se iba proveyendo bien este Colegio en lo temporal, y particularmente con la entrada en la Compañía del P. Luis de Medina, caballero ilustre, de gran valor y seso, y tenido y estimado por tal en Avila, de donde era natural; y había servido, siendo soldado, al Emperador Carlos V y á su hijo en el levantamiento del Perú, y volvió muy rico á su patria. Y no era al principio afecto á nuestra Compañía; pero despues se aficionó de modo, que nos dió á sí mismo y su hacienda. Entró en la Compañía en el Colegio de Medina el año de 1558, y con licencia del P. San Francisco de Borja se aplicó en gran parte á este Colegio [de Avila], cuyo insigne benefactor fué y casi fundador.„ VALDIVIA, *l. c.*, fol. 247. — SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. II, lib. II, n. 159 et 160.

2667. Altera ad desperationem etiam vehementer impulsa, per eumdem Patrem a Domino liberata est. Et quidam sacerdos laqueis daemonis vehementer irretitus, sine consolatione et spirituali remedio non recessit. Ad aegrotantium confessiones audiendas, et morituros juvandos, et alia hujusmodi ministeria vocabatur; et inter eos qui domi nostrae confitebantur, aliqui vehementer in spiritu proficiebant, et puritati cordis diligenter studebant.

2668. Aliqui etiam ad Societatis institutum afficiebantur, qui ad bonum propositum exequendum ostium sibi aperiri expectabant.

2669. Invisebat aliquos viros primarios [1] ejus urbis, cum quibus de his agebat, quae ad animi profectum pertinebant. Cum autem Episcopum inviseret, non mediocrem ille benevolentiam erga Societatem nostram ostendit [2]; et cum domus Collegii aedificata esset, se tribus anni mensibus eo migraturum [dicebat], ut cum nostris in ipsorum refectorio cibum caperet.

2670. Noverat ille Tridenti P. Jacobum Laynez et Alphonsum Salmeronem: et magnifice de ipsorum rebus loquebatur, et de Societatis progressibus et fructu, quem ubique Dominus per eam capiebat. De contradictoribus etiam magno cum zelo multa disserebat. Offerebat etiam suggestum Cathedralis ecclesiae et aliarum. Et inter cetera probabat quod multis caeremoniis Societas nostra non uteretur. Et quos noverat de Societate valde probabat; sed praecipue duos illos Patres Tridenti notos, quos Eliam et Enoch vocabat; et P. Laynez ad gubernandum regnum, sufficienti talento praeditum, affirmabat. P. Ferdinandus Alvarez multum quidem favoris ab Episcopo praestari Societati fatebatur; sed auxilia majora ipsis effectibus ab eo proficisci cupiebat. Granatam brevi profecturus erat, quia Praeses consilii regii in ea civitate erat.

2671. Augebatur autem numerus sacramenta frequentantium, et eorumdem fructus, tam in animis propriis quam in operibus pietatis, quibus studebant. Erat inter alios quidam studiosus ex primoribus, qui sic se in charitatis et humilitatis

---

[1] Ms. iterum *viros*.

[2] Erat is tunc Didacus de Alava et Esquivel, praeses regii tribunalis sive Audientiae granatensis. Vide supra, t. v, pag. 443, n. 1191; pag. 510, n. 1391; VALDIVIA, *l. c.* fol. 241.

functionibus exercebat, ut non solum pauperes in hospitali inviseret et christianam doctrinam eos doceret, sed ex fonte etiam publice aquam hilari animo ferret; et cum pauperem quemdam, chirurgo indigentem, vidisset, (qui tamen ad cum non veniebat), humeris eumdem sustulit publice, et medio die, ut ibi curari posset eum deportavit [1]. Et cum curam haberet mulieris cujusdam, quae crus plenum ulceribus habebat, nec alium, qui eam curaret, inveniebat; cum ejus animus abhorreret et nausearet, ut seipsum vinceret, pannos, quibus ejus ulcera abstergebat, in os aliquando immisit. Hic obedientiae P. Pradani se omnino subjiciebat.

2672. Fuit inter alios qui quadraginta annis nunquam veram fecerat confessionem; et a Domino auxilium per eumdem Patrem accepit.

2673. Cum Abulam venit P. Provincialis Araoz, injunxit huic P. Pradano ut concionaretur et spiritualia colloquia haberet. Primae autem ipsius concioni apud S.m Aegidium [2] inter frequentissimos auditores ipsum etiam Episcopum habuit; et lacrymis aliqui commotionem animorum testati sunt. Perrexit autem in hujusmodi concionibus, non mediocri populi attentione et satisfactione.

2674. Inter eos, qui admitti in Societatem cupiebant, et vocari a Domino ad ejus institutum se sentiebant, quidam sacerdos spiritualia exercitia suscepit, magnae sanctimoniae vir, quem alii sequi cupiebant. Quamvis tamen populus Societati nostrae valde afficiebatur, quidam fuit concionator Abulae, doctrina non vulgari praeditus, et populo valde acceptus: quem cum Pater Pradano, charitatis gratia inviseret, officium hoc in suggestu reprehendit, admonens populum ut caverent a quibusdam hominibus, qui demissa cervice incedebant, nec pro Missis pecuniam accipiebant; sic enim coepisse Lutherum, etc. Nihil tamen contra Societatem in eo profecit, immo magis hominum erga eam [et] populi devotio augebatur, et fuit qui surgere contra praedicatorem ex ipsius auditoribus voluit.

2675. Sub finem anni praeteriti 1555 P. Ferdinandus Abulam ex obedientiae praescripto rediit; in vigilia scilicet, Omnium Sanctorum, et invenit magis affectam, quam reliqueae

[1] Ms. *deportaret.*
[2] Ms. *et inter.*

rat, erga nostros civitatem; et aliquos ex ecclesiasticis primariis, qui non solum suis eleemosynis Collegio subvenire, sed reditus etiam perpetuos applicare cupiebant: habebant enim aliqua praestimonia, quae unienda Collegio dare constituerant.

2676. In aliis etiam sacerdotibus et scholasticis frequentiam sacramentorum crevisse intellexit; et cum gratia jubilaei sub initium Decembris ibi promulgata esset, diu noctuque cum P. Pradano in confessionibus audiendis fuit occupatus; et cum aliquot ecclesiae designandae essent ad hujusmodi jubilaei gratiam obtinendam, nostra inter alias fuit designata; et tanta hominum multitudo ad eam confluxit, etiam a remotis civitatis locis, quibus aliae ecclesiae designatae vicinae erant, ut satis suam devotionem populus ea in re ostenderet.

2677. Fuit autem fructus hujusmodi confessionum insignis; cum aliqui suae conscientiae aliquot annis parum satisfecissent, alii autem viam Domini qua progrederentur, invenisse sibi viderentur.

2678. Adducti sunt autem multi ad sacramentorum frequentiam et vitae seriam [1] mutationem; inter quos aliqui erant obtrectatores eorum, qui sacramenta frequentabant; et tamen octavo quoque die id facere ipsi coeperunt. Aliqui domum nostram ad pavimentum verrendum et alia humilia ministeria exercenda veniebant, qui fere scholastici nostri erant. Alii ut in ecclesia nostra flagellis se caederent alios [2] invitabant.

2679. P. Ferdinandus Alvarez inter alia pia opera pacem quamdam inter viros primarios ejus urbis curavit, quae ad communem quietem societatis non parum conferebat. Quidam etiam sacerdos juvenis, et non mediocri virtute praeditus, Salmantica inde discessit ut exercitia spiritualia susciperet ac Societatem ingrederetur; alius ad P. Provincialem in Societatem admitti cupiens, proficisci voluit; cum enim quinque numero solum essent Abulae, commodus instituendis novitiis locus non erat. Inter alias autem eleemosynas, quibus multi suum animum propensum erga Societatem ostenderunt [3], senatus abulensis fuit, qui magnam materiae copiam ad aedificii opus Collegio dedit.

Et haec de Abulensi Collegio.

---

[1] Ms. *seriae.*
[2] Ms. *et alii alios.*
[3] Ms. *quibus multi suum animum erga propensum Societatem ostendit...*

DE COLLEGIO OGNATENSI

2680. In hoc Collegio Rector quidem erat P. Michaël Ochoa [1], navarrus; sed paucissimos, quibus praeesset habebat; et illi ipsi per varia loca ejus provinciae spargebantur; adeo ut cum P. Joannes de Victoria, veniens in Hispaniam [2], eo concessisset, duos tantum Fratres, quorum neuter sacerdos erat, ibidem invenerit; quamvis messem pluribus operariis ibidem paratam esse arbitraretur.

2681. Itaque opportune ad eorum confessiones audiendas et Eucharistiam ministrandam eo venit. P. Michaël, Rector, Vergarae et aliis in locis concionibus et aliis pietatis operibus dabat [3] operam.

2682. P. Chaseglias in domo Loyolae cum D. Joanne de Borgia, qui ejus domus dominam, uxorem duxerat [4], versabatur. Et ita Collegium pene desertum erat; quamvis domus satis magna et multorum capax satis erat.

2683. Erat inter illos Fratres, Joannes de Rebila, philosophiae studiosus, qui parum utiliter suis studiis consulere poterat. Ipse autem P. Michaël ex nimiis laboribus dum huc et illud discurrit, et valetudinem parum curat, eo redactus erat ut vix ejus stomachus cibum ullum retineret; quem tamen commonuit P. Victoria, ut corporis majorem haberet rationem.

2684. Idem invisit Dominum Joannem [5] et semel in domo Loyolae concionatus est. Observavit autem in his Collegiis idem Pater Ognatensi et Burgensi, nostros nimium poenitentiis ac potissimum disciplinis deditos esse, partim in refectorio, partim in cubiculo. Observavit etiam non solum culpas in genere dici in refectorio, sed cum genua flecterent, interrogabantur de tentationibus et culpis admissis. Post prandium etiam ac coenam, gratiis actis in refectorio, ad sacellum se conferebant,

[1] Vide supra, t. v, pag. 441, n. 1185.
[2] De eo supra dictum est, n. 2516...
[3] Ms. *dabant*.
[4] Vide supra, n 2517, et loca ibi laudata.
[5] Joannem scil. de Borja.

ubi prolixius aliqui orabant. De his autem omnibus P. Victoria eos commonefecit; et quid Romae in usu esset, et quid gratum P. Ignatio fore censeret, significavit.

2685. Vidit autem in oppido Ognatensi Collegium Episcopi, fere duobus millibus ducatorum annui reditus dotatum; et tamen cum quinque vel sex collegialibus hi reditus expendi dicebantur [1]. Si Societati illud assignatum fuisset, quinquaginta ex nostris alere posse P. Michaël affirmabat; et de eo Collegio Societati applicando idem agebat; sed alias etiam de eo cogitatum fuit; et quia ex multis res ea pendebat, hoc negotium non successit.

2686. Cum Pompejopoli (Pamplonam vocant) P. Victoria transiret, antequam Ognatem venisset; ibi D. Henricum de la Cueva [2] invenit apud patruum Ducem de Alburquerque [3], qui eodem die concionatus fuerat, et quidem cum satisfactione. Cum eo P. Victoria venerat, et videbatur decrevisse mense Septembri iter Romam versus arripere; et valde miratus est quod litteras P. Ignatii nullas accepisset; votum ille emiserat coram P. Natali, ut superius dictum est [4], et a P. Francisco in Octobri anni praeteriti Simancas evocatus, ab eo intellexit quod in Societatem ipsum admittere P. Ignatius jussisset; quidvis in ejus negotiis accidisset: hoc enim in gratiam Cardinalis de la Cueva [5] patris ejus, P. Ignatius faciendum censuerat; quamvis multa, ex parte Societatis, ejus admissionem impedire videbantur. Et ita se promptum P. Franciscus exhibuerat; tunc D. Henricus coram Deo affirmavit, [6] quod nemo ex his, qui Societatem ingressi fuerant in Hispania, magis optabat quam ipse in Societate vivere et mori; nihilominus vires sui corporis debiles agnoscebat et fractam valetudinem, ut communem vitam in Societate agere posset; et si perpetua

---

[1] Exstruxerat hoc Collegium Rodericus Sanchez del Mercado, Episcopus abulensis, de quo vide *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 213 et 487; et supra in *Chronico*, t. V, pag. 442, n. 1188.

[2] Diximus de hoc viro supra, t. IV, pag. 441, n. 946, et alibi, locis ibi designatis: de eo agunt etiam *Cartas de S. Ignacio*, t. VI, pag. 28, 73, 74, 334; et *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 198, 199.

[3] Beltramum de la Cueva, fratrem Bartholomaei de la Cueva, Cardinalis.

[4] Vide supra, t. III, pag. 429, 430, n. 919. — De hac re multa tradunt *Epistolae P. Nadal*, t. I.

[5] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 333 et seq.

[6] Ms. *affirmans quod neminem.*

dispensatione in victu et aliquo servitio necessario sublevandus erat, id non sine molestia sua et incommodo Societatis futurum esse; et se cum hominibus doctis et bonae conscientiae contulisse suum negotium ajebat, qui securum eum reddebant, si cum facultate Societatis nostrae aut Summi Pontificis, liber ab obligatione voti relinqueretur.

2687. Haec cum audivisset P. Franciscus dixit liberum se cum relicturum fuisse, si res in ejus fuisset sita potestate; et ita constituit ut Pompejopolim ad Ducem, qui Pro-rex erat Navarrae, rediret, dum ipse P. Ignatium consuleret et responsum acciperet; et ita in dies P. Ignatii responsum avide expectabat, quibus liber declararetur, vel si id P. Ignatio non videretur, ut cum censuris et omni rigore religioso ipsi praeciperet, ut obstricto votis Societatis, ut ad aliquem ejus locum iret; tunc enim se prorsus obediturum et excusationem apud Ducem patruum et apud omnes habiturum. Postea cum haec fuissent intellecta, omnino a Societate liber dimissus est; nam dispensatione quadam utebatur P. Ignatius, cum eum admittere in Societatem volebat.

Et haec de Collegio Ognatensi.

DE PATRE ARAOZ

CASTELLAE PROVINCIALI

ET QUIBUSDAM ALIIS PROVINCIAE REBUS

2688. Inviserat P. Araoz, Provincialis, anno proximo 1555 tria collegia, scilicet Salmanticense, Methymnense et Abulense, nec ad alia excurrere potuit quod Princeps Joanna et alii multi ac primarii ejus curiae viri ac Nuncius Apostolicus eum diutius abesse non permittebant [1]. Non solum autem externis aedificationi fuerat concionibus et colloquiis spiritualibus, sed nostros

[1] Confer, quae anno superiori dicta sunt de PATRE PROVINCIALI CASTELLAE, supra, t. v, pag. 457 et seq. Nuncius autem Apostolicus erat Leonardus Marini, Laodicensis Episcopus, de quo vide supra, t. v, pag. 399, n. 1075, annot. 3.

etiam dum singulos alloquitur seorsum, et accommodatas ad eos simul conciones habet, multum est consolatus; res etiam temporales, quo in statu essent, diligenter observavit.

2689. In omnibus autem Collegiis aut domibus hujus Provinciae, de quibus seorsum est actum, curabat ferventer observari regulas ac modum procedendi Societatis; et ut initio hujus anni scribit, in universum in tota Provincia Castellae res Societatis prospere se habebant, et multi a Domino ad nostrum Institutum vocabantur, egregiis dotibus praediti; et is cernebatur populorum erga Societatem affectus et messis tam copiosa, ut ubique pauci viderentur esse nostri operarii ad eam colligendam.

2690. Studia etiam in plerisque Collegiis, sed praecipue Salmanticae et Compluti, diligenter tractabantur, quod ad nostrorum attinet profectum; nam quod ad externos attinet, ubi scholae a nostris apertae erant, ut Placentiae, Burgis, Methymnae et in Monteregio uberior fructus capiebatur.

2691. Residebat Vallisoleti Provincialis, fere semper valetudinarius, et multitudo eorum, qui consilii et auxilii gratia adibant, ut ejus valetudo imbecillior esset efficiebat, dum sui rationem non habebat, ut universalis boni et multorum magnae auctoritatis hominum in ipsorum spiritualibus necessitatibus rationem haberet. Tam enim hos quam alios cum consolatione et auxilio a se dimittere nitebatur, et ita multi ex aulicis sese colligebant et sacramenta frequentabant.

2692. Inter occupationes autem fere continuas aliquot etiam conciones habebat; et inter alias ipso die S.ti Stephani, anno hoc ineunte, cum Infantem Carolum ac multos ecclesiasticos praelatos, et temporales dominos, ac judices, auditores haberet, valde fuit celebrata a Nuncio praesertim Apostolico, qui ordinis S.ti Dominici monachus et bonus concionator erat, qui alias tubas verbi Dei tacere posse dixit, postquam illa sonuisset, quam tunc audierant; et alia hujusmodi dixit, quae non admodum libenter Mag. Canus et alii quidam audiebant.

2693. Commendata ipsi fuerat concio Epiphaniae, quo die processio generalis erat instituenda; sed cum illa ad monasterium aliquod ex ordinibus mendicantium ventura esset, modestiae gratia, et ne illis offensionis occasio daretur, eam non admisit.

2694. Invisebat eum domi aliquando Nuncius Apostolicus, et multo crebrius id fecisset, nisi Provincialis se id aegre ferre significasset. In his autem quae ad Sedis Apostolicae auctoritatem pertinebant, eam operam ei navabat P. Franciscus et Provincialis, ut Nuncio in ea parte abunde satisfieret.

2695. Invisit etiam eum Comes Stabilis Castellae [1] ut aliqua cum ipso tractaret, et propensum affectum erga Societatem ostendebat, quamvis cantum in ea, quemadmodum et alii nonnulli, exoptabat; nec solum quae in Collegio Vallisoletano, sed etiam quae Simancis gerebantur (nam duabus tantum leucis Vallisoleto id oppidum distat), [ei valde probabantur].

2696. Inter praelatos et alios proceres eorum regnorum, qui opera Dei in nostris novitiis referri audiebant, vel ipsi spectaverant, optimum Societatis odorem spargebant. Tam multi autem Societatis ministerium ex variis locis expetebant, ut nulla ratione eis posset satisfieri.

2697. Princeps autem Joanna, et eadem Gubernatrix, modum excedere in affectu erga Societatem videbatur; et quamvis illi, qui gubernationis universalis ministri erant, aegre admodum ferebant quod litteris Apostolicis Pauli IV revocatum esset subsidium quartae partis fructuum ecclesiasticorum Regi Hispaniarum prius concessae, cum praesertim eo tempore de recuperanda Busia, quam saraceni paulo ante in Africa occupaverant, et ad classem instruendam magnam rei pecuniariae penuria laboraretur; nostri tamen Principem Joannam in officio et obedientia Sedis Apostolicae continuerunt.

2698. Cum venit P. Franciscus de Rojas ad curiam Principis Joannae ut Abbati Verulae et generali Vicario Archiepiscopi Caesaraugustani veniam impetraret, et ne ad curiam, prout jussus fuerat, venire cogeretur, nihil, ut diximus [2], impetravit; quamvis ei P. Araoz astiterit, qui rationem scribit hanc fuisse; quod, scilicet, Princeps cum consilio supremo Aragoniae contulerat, et eo approbante, fecerat, quaecumque in favorem Societatis nostrae facta diximus; et quod non obeditum esset regiis litteris et executorialibus (ut vocant), effecerat, ut non jam causa Societatis nostrae censeretur, sed ipsius regiae

[1] Petrus Fernandez de Velasco, de quo saepe numero in nostris MONUMENTIS facta est mentio. Vide praecipue supra, t. v, pag. 364, n. 984, annot. 1.

[2] Vide supra, n. 2321 et seq.

auctoritatis, contra quam obstitisse Vicarium praedictum constabat.

2699. Id autem innotuit hac ratione. Evocatus fuit P. Tablares, eo tempore quo nostri Caesaraugusta recesserant, a Comitissa Rivagorzae [1] cum qua quidam sacerdos erat, qui dixit se aliquot noctibus dormire aut conquiescere minime potuisse, donec referret quid nostro in negotio ageretur: se quidem secretarium esse Archiepiscopi, et omnes expeditiones contra Societatem per ejus manus transiisse; et omnium malorum, quae contra Societatem tentata fuerant, Abbatem Veruelae auctorem esse, a quo Archiepiscopus se regi sinebat.

2700. Cum autem haec fusius P. Tablares intellexisset, curavit ut Pro-regi omnia haec secreto diceret, quod et fecit. Pater autem Tablares omnia, quae oportebat, scripto concipiebat, et eadem Pro rex subscribebat et ad curiam mittebat; et cum Princeps Joanna fusius, quomodo sese res habuissent ad se referri jussisset, et non posse scriptis committi intellexisset, Patrem Tablares illa accersivit, a quo intellexit non solum ea, quae ad Societatem, sed de his etiam, quae ad Dei servitium et regiae Majestatis pertinebant.

2701. Tunc Princeps jussit ut contra Archiepiscopum procederetur, bona temporalia ab eo auferendo, et Abbatem vocando, ut sub gravibus poenis se praesentem sisteret in curia.

2702. Statim aliqui proceres ad Principem accurrerunt, et pro Archiepiscopo et ejus Vicario supplicarunt; sed advocabat secreto Patrem Tablares Princeps, et cum referret Principi quae ex litteris secretarii praedicti ad se missis acceperat, intercessores illi, quod volebant, minime impetrarunt.

2703. Haec indignatio Principis effecit ut nostri, ut praediximus, honorifice revocarentur; nec tamen etiam tunc placari potuit Princeps contra Abbatem, de quo intellexerat a P. Tablares quod, dum esset Caesaraugustae, non poterat Societas nostra in Aragonia radices agere.

2704. Imperatoris etiam servitio convenire [Princeps sentiebat] ut ad suum monasterium ille rediret. Ne autem nostri

---

[1] Ludovica de Borja, quae, ut notum est, Sti. Francisci soror germana erat, non minus pietate ac moribus quam sanguine.

viderentur mittere falcem in messem alienam nec provocare ad rigorem Principem, rem totam consilio Aragoniae reliquerunt, quod [1] existimavit ejus vocationem in curiam suspendendam non esse, nec tamen urgebat ut statim veniret, eo quod ab Archiepiscopo Caesaraugustano pecuniam contra Busiam petebant.

2705. Egit etiam P. Tablares cum confessario Principis de reductione claustralium ad observantiam suae regulae, quam Princeps Joanna magnopere cupiebat, et simul allocuti sunt Nuncium Apostolicum, qui usque ad mortem operam suam apud Pontificem obtulit. Promovit etiam hoc negotium diligenter P. Araoz, Provincialis, qui magnam omnino auctoritatem ea in curia habebat.

2706. Interim aliquot monachos, quos P. Tablares nominaverat, per suos Provinciales ex regno Aragoniae alio mittendos curavit; et ita claustrales, qui Societatem nostram Caesaraugustae vexaverant, poenitentiam agere inviti coeperunt, quamvis post aliquod tempus pleniorem egerunt, monasteriis privati, quae observantibus tradita fuerunt.

2707. Cum P. Gaspar de Azevedo simul cum sociis in Indiam Peru cum Marchione del Cañete proficiscerentur [2], cum jam in naves essent ascensuri, inventum est quod Marchio facultatem ad eos secum ducendos a Rege non postulaverat, et ita, Deo aliquid melius providente, ut credibile est, in Hispania tunc substiterunt, et tunc P. Araoz Burgos remisit P. Gasparem, qui cum magno applausu ejus civitatis, ubi acceptus erat, exceptus est.

2708. Cum P. Natalis Vallisoletum venisset, egit cum Principe Joanna, nomine P. Ignatii, de profectione P. Francisci Borgiae vel P. Araoz in Angliam aut Flandriam; quod cum acerbissime Princeps Joanna accepisset, significatum est ei sic demum profectionem hanc expeti, si valetudo mittendorum id ferret, et ipsi Principi Joannae non displiceret; et in hanc sententiam scriptae litterae eidem Principi datae sunt; quae singulari laetitia affecta, et multum se deberi agnoscens quod

---

[1] Ms. *qui*.

[2] Andrea Hurtado de Mendoza. Vide supra, pag. 581, n. 2509, et pag. 602, n. 2598, annot. 4.

hanc profectionem ipsius arbitrio reliquisset, propria manu rescribens P. Ignatio, id testata est.

2709. Quia vero Principis Philippi adventus in Hispaniam expectabatur, confectis cum Rege Galliae tunc induciis, et renuntiatis ei a patre Hispaniarum regnis, minus necessariam hanc profectionem ad Regis Philippi curiam nostri existimarunt.

2710. Mortuus est hoc tempore Marchio Villenae, qui P. Franciscum ac P. Araoz testamentarios cum Comite Oropesae reliquit. Properavit quidem ad oppidum Scalonae P. Franciscus cum de ejus vitae periculo intellexit, nam amicissimus erat; sed jam eum mortuum esse invenit [1].

2711. Versabatur [Vallisoleti [2]] initio hujus anni Mag. Canus, qui putabat, ut videtur, se obsequium praestare Deo, dum Societatem nostram oppugnabat; et quacumque occasione affulgente, id agebat. Dominum Moscheram, fundatorem Domus Probationis Simancis, hortabatur, ut videret quid ageret, et caveret sibi; et declaravit ei quid sibi vellet haec vox falsi prophetae; et cum duo ex nostris praesentes essent, perinde de Societate nostra loquebatur, atque si res aliqua, ut haeretica, reprobata esset.

2712. Suscepit autem interpretandam epistolam B. Pauli ad Timotheum priorem, quod ideo ab eo fieri ferebatur, ut occasionem haberet contra Societatem loquendi. Non tamen ille

---

[1] De Marchione de Villena, Francisco Pacheco et Bobadilla, saepe mentio facta est; v. gr. supra, t. IV, pag. 438, n. 943, annot. 3; pag. 587, n. 1250, annot. 2, et alibi: Comes vero de Oropesa erat Ferdinandus Alvarez de Toledo, de quo vide supra, t. IV, pag. 587, n. 1250; pag. 594, n. 1263; et t. V, pag. 413, n. 1104.—Vide etiam infra, n. 2781, ubi dicitur quid post fatum Marchionis de Villena egerit Franciscus Borgia.

[2] Omittit Polancus nomen urbis, in qua tunc Mag. Canus versabatur; sed constat aliunde Vallisoleti haec acta fuisse. Audiatur RIVADENEIRA, *Historia* ms. *de las Provincias de España*, lib. III, cap. 7, t. I, fol. 164: "En tres cosas, entre otras muchas, mostró este Padre [Mag. Canus] la mala opinion que tenia de los nuestros: la 1.ª en decir y publicar que éramos alumbrados, dexados y los dignósticos antiguos y uñas del Anticristo. La 2.ª en que venido el Emperador Carlos de los estados de Flandes á recogerse á España, procuró por medio de su confesor ganar al Emperador, é imprimir en su pecho la mala opinion que él tenía de nosotros, y darle á entender que si el Turco quisiera destruir á España, no pudiera hallar gente para hacerlo más á propósito que los de la Compañía. La 3.ª, viendo que todos estos medios y diligencias, que había usado, no le salían, se puso muy de propósito á leer en Valladolid (donde á la sazon estaba la corte), las epístolas que San Pablo escribió á Timoteo su discípulo, contra la Compañía y interpretándolas á su modo, y escandalizando á la gente con sus razones y palabras". Vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 519 et seq., annot. 2, et statim infra, n. 2715-2725.

tantum auctoritatis habebat, ut videri posset timendum esse ne ab ejus devotione curiam aut civitatem averteret.

2713. Admonuerat etiam confessarius Principis Joannae Nuncium Apostolicum, quod idem P. Canus contra auctoritatem Sedis Apostolicae in capitulo ecclesiae segoviensis male admodum locutus esset, qua in re grave scandalum multis dedit. Cum enim per Litteras Apostolicas Pontifex Paulus subsidium, de quo superius est facta mentio [1], ab ecclesiasticis Regi tribuendum, revocasset, ille censuit exigi nihilominus subsidium posse. Fr. Dominicus de Soto et P. Araoz contrarium sentiebant, et horum opinioni adhaesit Gubernatrix, et suspendi executionem subsidii jussit.

2714. Et quia Episcopus Lucensis [2], Commissarius generalis, P. Cani sententiam sequi et exequi velle videbatur, decrevit Gubernatrix ad suum episcopatum eum mittere. Et cum eadem Gubernatrix aliunde quam a nostris intellexisset P. Canum contra Societatem multa loqui, misit Praesidem consilii regii [3] ut eum alloqueretur, qui respondit se ea, quae dixit, coram viris doctis probaturum; quod cum intellexisset P. Araoz, nomine nostro ei significandum curavit, ut scriptis complecteretur dubia et objectiones, quas contra Societatem habebat, et Gubernatrici mitteret, quae personas doctas, coram quibus res ageretur, nominatura erat; et ipse P. Araoz in scriptis etiam coram eisdem responsum erat daturus; et illi arbitri, ei parti silentium imponerent, cui, secundum rationem, erat imponendum. Excepit autem P. Araoz ea, quae disputationem non ferrent, quod a Sede Apostolica essent confirmata, ut ipsum Institutum Societatis et spiritualia ejus Exercitia, quae in dubium vertere non licebat. Sed ille respondit quandiu linguam haberet, scriptis se agere nolle; et mirum in modum scripto aliquid tradere hujusmodi refugiebat.

2715. Ex eo nihilominus Princeps Joanna et Praeses consilii regii facile intellexerunt quo spiritu P. Canus moveretur. Immo ex religiosis ejusdem ordinis, aliqui in favorem Societatis insurgebant [4].

---

[1] Nuper, n. 2697. Vide etiam supra, n 2422.

[2] Joannes Suarez de Carvajal.

[3] Erat Antonius de Fonseca, Pampilonensis olim Episcopus, de quo est saepe dictum. Vide supra, n 2485, et infra, n. 2723.

[4] Longum esset percensere nomina virorum e familia dominicana, sanctitate, sa-

2716. Cum autem ipsum P. Canum Gubernatrix percontata esset, cur sic de Societate loqueretur, cum religio esset approbata per Summum Pontificem, respondit ille, multas esse religiones non sic, ut par erat, approbatas a Sede Apostolica; et addidit quod, cum in Italia esset, effecerat ipse ut religio quaedam dissolveretur, quam Pontifex Summus approbaverat.

2717. Admonitus fuerat a suo Superiore Provinciali, et quidem expresse in litteris patentibus [1], idem P. Canus, ut si lectionem D. Pauli interpretaturus esset, Societatem nostram missam faceret; et ab aliis fuerat [2] admonitus (quod in quibusdam concionibus quam male de Societate nostra sentiret, attingeret), ut ab hujusmodi obtrectationibus abstineret; cum ipse potius de sua auctoritate multum amitteret quam Societati adimeret; nihilominus epistolam praedictam sic interpretari coepit, ut facile intelligeretur signa Antichristi et alia hujusmodi de Societate eum interpretari; et cum viri aliqui insignes commoverentur et perturbarentur contra ipsum, tam ecclesiastici quam saeculares; sic emendavit dicta, ut multo clarius contra Societatem debaccharetur.

2718. Lector quidem S.ti Thomae ejusdem Collegii, Fr. Joannes de la Peña, qui et praesentatus erat, non solum collegit objectiones P. Cani contra Societatem, sed etiam scripto eisdem respondit, quod Romam P. Ignatio transmissum est [3].

2719. Ille quidem non nominabat expresse Societatem; sed sic describebat, ut de ea, quae dicebat, intelligerentur, et in familiari colloquio constabat quod clare hoc ipsum ageret.

---

pientia et litteris clarissimorum, qui in illis turbis a Mag. Cano excitatis pro Societate steterunt; quorum memoriam nulla unquam apud nos obliterabit oblivio. Nec aliunde necesse est, singulos nominare, cum ex his, quae in hoc *Chronico* dicta sunt, liquido constet universum FF. Praedicatorum ordinem favisse semper Societati, optimeque de ea meritum esse. Quod si nonnulli, bono, ut credibile est, permoti zelo, at non secundum scientiam, secus ac alii sui confratres senserunt, id quidem illis vitio vertendum est, non toti praeclarissimo ordini adscribendum, cum illorum agendi cogitandive ratio numquam Superioribus suis probata fuerit. Caeterum vide auream Fr. Ludovici Granatensis, sanctissimi viri, epistolam hoc anno 1556 datam, apud *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 504-506.

[1] Postrema haec verba adjecta sunt orae paginae manu ipsius Polanci.

[2] Ms. *esset*.

[3] Jam ab anno 1548 Fr. Joannes de la Peña, O. P., magna integritate vir, Societatem adversus Canum defendendam susceperat, ejusque defensionis summam affert Orlandinus, *Hist. Soc. Jes.* p. I, lib. VIII, n. 49 et seq.; quo in loco Fr. Francisci Romaei, Generalis Magistri Praedicatorum, ad suos litterae omni laude dignissimae in Societatis commendationem proferuntur. Vide etiam Rivadeneira, *l. c.*, lib. I, cap. 12, t. I, fol. 29 et seq., qui Fr. Joannis de la Peña apologiam pro Societate paucis contractam exhibet.

2720. Salmanticam etiam scripsit ad quemdam amicum quod ipse nitebatur quidem errorem ab hominum animis amovere (eorum, scilicet, qui erga Societatem affecti erant), sed quod nihil proficiebat; et prorsus ita erat; nam tacendo et operi vacando, Societas nostra ejus obtrectationes facto ipso confutabat.

2721. Demum Nuncius Apostolicus vocavit Rectorem Collegii S.ti Pauli, ubi legebat P. Canus, et graviter, quae ab eo dicebantur, reprehendit; et ita in medio lectionis cursu subsistere debuit; et cum ad tertium caput epistolae pervenisset, Salmanticam velut confusus recessit; cum in suggestu concionando dixisset unum ex majoribus signis vicini Antichristi, vel jam nati, esse frequentiam sacramentorum.

2722. Eo autem tempore quo praedicta duo capita legit, septem vel octo doctores et licentiati et aliqui eorum publici lectores, quos cathedraticos vocant, Societatem nostram sunt ingressi; ut salse quidam ex nostris dixerit, si epistolam P. Canus perlegisset [integram], nostram probationis domum capacem non futuram tam multorum, qui ad Societatis institutum movebantur.

2723. Praeses etiam consilii regii [1], cujus animus ob familiaritatem P. Cani in dubium revocatus fuerat multis in rebus ad Societatem pertinentibus, cum Simancas ad P. Franciscum Borgiam venisset, ubi et P. Natalis jam erat, cum omnia in medium proposuisset et ei responsum esset, abunde sibi satisfactum esse confessus est.

2724. Quidam etiam ex primoribus Hispaniae eodem tempore, quo praedictus Pater nostros insectabatur, cum ab ipso aliqui ex nostris sibi timerent, ad P. Franciscum accessit, et voto emisso, ejus obedientiae se subjecit.

2725. Itaque multum nostri se debere concionibus atque lectionibus P. Cani fatebantur; quod multos viros insignes ad devotionem Societatis adduxerint; cum enim vellent exactius informari de his, quae ab illo dicebantur, veritate perspecta, vel Societatem ingressi sunt, vel certe erga eam valde affecti ac benevoli in posterum fuerunt. P. Dominicus de Soto inter alios Societatis defensionem suscepit, et eodem tempore aliqui reli-

[1] Antonius de Fonseca, nuper laudatus supra, n. 2485.

giosi ejusdem ordinis in publicis concionibus Societatem nominando, contra calumnias eam defendebant, et alii etiam ex aliis ordinibus [1].

2726. Primo vere, male valere coepit P. Araoz, et ad nativum aërem provinciae Guipuzcuae eum mittendum sentiebant. Prius tamen Simancis valetudinem [2] recuperare curavit; et vix alio unquam tempore ea curia aut melius de Societate nostra sensit, aut magis ad eam affecta fuit.

2727. Cum nuncium obitus P. Ignatii in Hispaniam pervenisset, et nominatim Patrem Araoz aliquis ex nostris hortatus esset, ut Congregationi omnino interesse curaret, sibi quidem nunquam in mentem venisse scripsit, ut ei adesse desineret, nihilominus P. Franciscum Borgiam propensum non esse, ut ad eam veniret, si Romae celebraretur, admonuit. Et ideo proposuit idem P. Araoz Avenionem, quae civitas Pontificis velut in confinio earum provinciarum est, in quibus sparsa erat Societas. Et sic aliis etiam videbatur propter bellicos tumultus, qui Romam eo tempore infestabant: alii Nizam, alii Genuam proponebant.

2728. Sub autumnum, decretum parisiense ad curiam pervenit, et in ea fervebat, cum etiam Imperator Carolus et ejus soror, Regina Maria, parum affecti in Societatem, ut apparebat, in Hispaniam venissent ex Brabantia. Nec quid Imperator dissimulabat [3] quibusdam in dictis. Qui Societati nostrae parum erant addicti, nacti hanc occasionem, liberius contra ipsam loquebantur; et aliqui etiam obmurmurabant quod prohibitus esset ingressus [nostrorum] in domum Principis Joannae: quod licet verum non esset, quia [tamen] prorsus rarius ad ipsam nostri accedebant, et illa etiam P. Francisco, absenti, nihil scripserat pro suo more; suspicari quis poterat aliquid novi accidisse; et ideo praesentia P. Araoz in curia magis ipsi necessaria videbatur et aliis quibusdam; quamvis P. Francisci [4] haec erat sententia ut in Januario sequentis anni itineri se darent, qui Romam venturi erant; cum tamen tempus hyemale, hominibus

---

[1] Inter praecipuos Societatis patronos numerandus est P. Fr. Ludovicus de Estrada, O. S. Bern., cujus eloquentissimas epistolas habes in *Cartas de San Ignacio*, t. II pag. 509-519.

[2] Ms. *eandem*.

[3] Ms. *dissimularet*.

[4] Borgiae.

praesertim valetudinariis valde incommodum futurum esse videbatur.

2729. Evocatus fuerat, ut superius diximus [1], P. Strada, partim quod de ejus profectione in Angliam aut Belgium tunc agebatur, partim ut Vallisoleti concionaretur; et ita Julio mense eo pervenit, cum in itinere quibusdam in locis esset concionatus.

2730. Voluit autem Princeps Joanna eum concionantem audire in festo Assumptionis B. Virginis; et ita donec tempus esset veniendi ad Congregationem generalem, in eodem officio ecclesiastes Vallisoleti perseveravit; et in eo P. Provincialem Araoz sublevavit; et libenter se praeventurum alios ex Hispania, qui ad Congregationem generalem venturi erant, significavit; et aliqua cum Vicario transigenda se habere dicebat; et tamen accidit, ut ne cum aliis veniret, ut dicetur.

2731. Urgebat hoc anno D. Ludovicus de Mendoza [2], ut quaedam commutatio voluntatis a Summo Pontifice obtineretur, ut Collegium Societatis Segoviae fieret; res autem sic habebat. Quidam Episcopus, nomine Joannes Arias de Avila, cum ante hoc tempus decem et septem annos obiisset, bona quaedam elegerat ad hospitale erigendum [3]; et tamen nunquam erectum fuerat: bona autem, ad hoc opus relicta, ad quadringentos fere aureos annui reditus perveniebant; et quidam consanguinei defuncti Episcopi ea bona administrabant, tamquam patroni; et in domo quadam tres aut quatuor lectos in usum peregrinorum aliquando habuerant; et cum annonae caritas quibusdam annis accidisset, aliquam etiam panis cocti eleemosynam pauperibus largiebantur, cum aliqua pecuniola.

2732. A quinque vero annis ante hoc tempus modernus Episcopus Segoviensis ad se bona haec et patronatum traxerat, et oeconomum quemdam ad recipiendos reditus constituerat, nec hospitale fiebat aut reditus in pauperum usus distribuebantur; et ita plus quam millia et quingenti aurei parati esse credebantur.

2733. Emerat autem situm optimum Episcopus, D. Joannes

---

[1] Supra, pag. 514, n. 2226.

[2] De hoc viro, quem Polancus alibi "veterem Societatis amicum„ appellat, vide supra t. IV, pag. 481, n. 1017.

[3] Ms. *eligendum*.

Arias praedictus, in parochia quadam, quam Ludovicus de Mendoza possidebat; qui admodum idoneus ad aedificandam ecclesiam et Collegium censebatur, nec vicinus erat cuiquam monasterio, a quo contradictio timeretur.

2734. Commutaverat autem hanc praedicti Episcopi voluntatem Paulus P. III ad supplicationem D. Arias Gonzali, Comitis Pugnorostro, et voluerat ut loco hospitalis monasterium monialium fieret; nec tamen hoc ad effectum deductum erat, quia narrata non fuerat lis inter praedictum D. Petrum Arias, successorem fundatoris, et Episcopum Segoviensem, qui de patronatu hospitalis certabant.

2735. Videbatur autem rationi consonum, ut commutaretur testatoris voluntas in Collegium Societatis, quae grammaticae scholas in ea civitate haberet; nullum enim in ea urbe studium erat hujusmodi; et ita ad majus commune bonum hoc opus redundaturum videbatur, cum praeter institutionem juventutis, aliis etiam modis de civibus benemereri Collegium posset.

2736. Comes autem de Pugnorostro, Dominus Arias Gonzalvus, hanc commutationem cupiebat; sed quia P. Ignatio visum non est expedire ut nostri eam postularent, praedictus Comes recepit se eam curaturum, cum Romam venisset; et alii etiam, nomine ipsius Ludovici de Mendoza, id ipsum postularunt, et Romae obtinuerunt, ut suo loco postea dicetur. Fundamenta jam jacta erant in aedificio, ad quod absolvendum, civitas ligna necessaria datura erat: cupiebant tamen etiam aliquid philosophiae legi, et quod alia essent hospitalia in illa urbe, hoc facile carebat.

DE ACTIS IN HISPANIA

A P. NATALI

2737. Missus fuerat, ut superius diximus [1], in Hispaniam a P. Ignatio P. Hieronymus Natalis, ad id potissimum ut Collegio

[1] Supra pag. 16, n. 39; pag. 508, n. 2200 et pag. 552, n. 2389. Vide in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 22-32: *Memoria de las cosas que ha de hacer en su viaje á España*, et in *Epistolae P. Nadal*, t. I, quae ipse, de rebus a se in Hispania gestis, Sto. Ignatio scribebat.

Romano, debitis multis onerato, subveniret, et cum P. Francisco Borgia aliquam rationem iniret ejusdem in posterum sublevandi; aliqua etiam parte sui laboris Patrem eumdem Franciscum, reliquis in rebus ad gubernationem pertinentibus, sublevaturus.

2738. Sub festa ergo Natalitia, id est, ipso die Apostoli Thomae, Genua profectus cum P. Ludovico Gonzalez et aliis compluribus, qui in Portugalliam mittebantur, 30 Decembris anni 1555, in portum, quem vulgo Alicantem vocant, pervenit. Ibi fratrem Antonium Gou, alias Monserrat, invenit, qui subsidium aliquod, ut superius attigimus [1], Romam adferebat; inde Murciam et Concham ac postea Valentiam ac demum Placentiam, ubi erat P. Franciscus, pervenit. Quod autem diverterit Valentiam, impellente P. Baptista de Barma, Viceprovinciali Aragoniae, id fecit; et interim cum decano Gandiae Rocha [2], qui negotia novi Ducis Gandiae curabat, egit, ut ad mille aureos [ab] Episcopo Esquilacensi [3] mutuo datos P. Francisco, et deinde ad aedificium ecclesiae nostrae romanae destinatos, recuperandos, juvaret; et ad alios quingentos, quod singulis annis Dux Gandiae Collegio Romano promiserat, jam tamdem providendos suam operam navaret; et ille se id officiose curaturum recepit.

2739. Quamvis autem professionem emissam a P. Hieronymo Domenech publicavit, dubitare se dixit an Collegia possent succedere; nam de jure communi poterant; [et] quidem Constitutiones non ita clausae fuerant, quin P. Ignatius hoc posset interpretari vel declarare; et ita sororem P. Hieronymi in officio continere voluit, quae valde mutata, ut superius diximus [4], a primis illis suis propositis fuerat.

2740. Ostium etiam quoddam apertum ipsi videbatur ad

---

[1] Vide supra, n. 2267 et seqq. ubi narratur obitus fratris Gou; ejus vero elogium texitur, n. 2272.

[2] Domino Francisco de la Roca, de quo vide *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 239, 248, 276, 466...

[3] De Alphonso de Villalobos, Episcopo Esquilacensi, haud semel est facta mentio in *Cartas de San Ignacio*. Vide t. II, pag. 274, annot. 2; pag. 283, annot 2; t. III, pag. 161, annot. 2; pag. 172, et ad rem nostram, t. VI, pag. 27; ubi haec leguntur: "Procúrese que, si no son vendidos los censales del Obispo de Esquilache, se vendan hasta mil escudos dellos, para la fábrica de la iglesia deputados....„ Confer in hoc *Chronico*, supra, t. II, pag. 18, n 21.

[4] Supra, pag. 508, n. 2290.

Valentinum Collegium juvandum per applicationem quorumdam redituum annuorum, qui ad octingentos aureos ascendebant, qui ad neophytos sarracenorum instituendos relicti fuerant; et domum valde bonam habebant, et opus hoc omnino inutile inventum fuerat. Erat autem administratio hujus Collegii neophytorum in manu cujusdam amici P. Natalis et ejusdem patris, scilicet majoricensis, qui Regens regni Valentiae erat (nomen est magistratus) et cujusdam alterius jurati civitatis Valentiae, qui Societati erat addictissimus, et hanc applicationem peroptabat. Egit ergo cum eis P. Natalis de hoc negotio et duo praedicti administratores Gubernatrici Hispaniae scripserunt ut huic applicationi consensum praeberet, et bona spes erat quod res ad effectum esset perducenda; sed dum haec in curia Gubernatricis tractantur, Pro-rex Aragoniae praedictus mortem obiit, et ita negotium [non] confectum relictum est.

2741. Concham Valentia perrexit, ubi cum Doctore Vergara, quod attinet ad status ejus mutationem, egit; quae, ut superius diximus [1], P. Ignatii arbitrio commissa est. Egit cum eodem de Collegio Romano juvando, si qua occasio se obtulisset; et videbatur opportune cadere mentio facta, cum vir quidam bona sua ejus arbitrio disponenda se relicturum significasset, quae ad octo vel decem millia ducatorum ascendebant; et quamvis ille cogitaverat de Collegio Complutensi, statu Collegii Romani intellecto, eo se conversurum hanc eleemosynam, quod ejus fieri posset, promisit; hoc tamen non ex sententia successit.

2742. Cantor [2] ecclesiae conchensis (nomen dignitatis est), praestimonium quoddam obtinuerat, cujus reditus annuus sexcentorum ducatorum erat, et adjuncto alio praestimonio ducentorum ducatorum, quod ipse prius habebat, Collegium in oppido Pliego (cujus Comes pater ipsius erat) erigere cum P. Natali constituit, et litteras ad P. Franciscum Borgiam dedit. Sed ne hoc quidem Collegium tunc maturuit.

2743. Complutum inde veniens, Placentiam paulo post progressus est, quo 24 Januarii pervenit, et non exiguam consolationem percepit, cum P. Franciscum tam animatum ad subve-

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 408, 409, nn. 881-884. Et *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 196. Porro de D. Alphonso Ramirez de Vergara saepissime in *Chronico* fit mentio.

[2] Dnus. Didacus Hurtado de Mendoza. Vide supra, pag. 603, n. 2598, annot. 5.

niendum necessitati Collegii Romani, invenit. Acceperat enim ille ante P. Natalis adventum litteras manu P. Ignatii scriptas, quibus hoc ei serio commendabat [1]; et ita P. Tablares Placentia dimiserat, ut curaret quatuor millia ducatorum Romam mittere; quamvis ea pecunia mutuo, bona ex parte, accipienda erat, et perdifficile erat rationem eam transmittendi in Italiam invenire; et quia intellexerat debita Collegii Romani ad sex vel $\frac{m}{7}$ ducatorum ascendere, et octoginta tunc collegiales habere, constituerat totum hoc debitum dissolvere, et tria millia et ducentos aureos mittere, quae summa ad praedictum numerum alendum sufficere posse videbatur.

2744. Decrevit ergo P. Natalis P. Francisco assistere, et ad praedictum subsidium mittendum, quacumque ratione posset, juvare; nam et ipse ad quaedam bona vendenda P. Jacobi de Guzman [2] ac Doctoris Loarte facultatem et procuratorium intrumentum habebat; magna tamen quaedam difficultas in hoc pecuniario negotio exorta est, a quibusdam de ipsamet Societate, et tentationes non leves excitatae fuerunt. Externi etiam aversi valde a rebus romanis erant; et in progressu anni adhuc magis fuerunt propter bella superius dicta.

2745. Erat etiam Hispaniae regnum in magna difficultate rei pecuniariae constitutum, immo quodammodo extrema, et ad bellum africanum pecuniae mutuo quaerebantur; et ita admonitus fuit P. Ignatius de hoc subsidio secrete agendum esse, et P. Francisco tantum scribendum, quamvis et P. Antonius de Cordoba et P. Tablares bene se in hoc negotio gerebant; et toto mense Aprili quatuor millia ducatorum in regno Valentiae habiturum esse P. Ignatium, et alia duo millia alia ratione Romam mittenda curabant; quia tamen his mensibus cambia a regno Castellae ad praedictum regnum Valentiae et aliorum Hispaniae regnorum sublata fuerunt, paulo amplius res est dilata.

2746. Significaverat quidem Pater hispanis [3] quinque millia ducatorum singulis annis necessaria fore Collegio Romano; et ita P. Natalis se memorem fore scribit; quia tamen in quibusdam litteris ex Urbe missis continebatur numerus octoginta

---

[1] Confert *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 328; t. vi, pag. 19 et pag. 89.
[2] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. vi, pag. 29.
[3] Ms. *hispanius*.

collegialium, quadraginta aureos singulis designando, ad trium millium et ducentorum [summam] mittere P. Franciscus constituerat.

2747. P. Bustamante, Provincialis Baeticae, quingentos etiam aureos in subsidium misit; ex Lusitania quadringentos obtulerunt; et ita, vivente adhuc P. Ignatio, vel missa fuit summa praedicta sex millium ducatorum, vel certe ratio jam erat inita; et antequam proficisceretur in autumno Romam [1] P. Natalis, tota summa transmissa fuit, praeter mille aureos Esquilacensis Episcopi, quos diximus aedificio fabricae romanae fuisse deputatos.

2748. Ut autem minueretur difficultas mittendi subsidium annuum praedictum, existimabat P. Natalis expedire ut Patri Araoz praeciperetur ut hanc curam susciperet; nec parum se propensum exhibebat ad hujusmodi negotia; et si ipsi confidenter committeretur, diligentius hoc munus ipsum obiturum esse credebatur. Quod autem assignatio subsidii trium millium et sexcentorum ducatorum, in rebus non admodum firmis sita erat, vix umquam post mortem P. Ignatii ea summa integra missa fuit. Multos tamen annos mille et amplius ducati, ex concessione Imperatoris ad quinquennium et prorogationis Regis Philippi ad aliud quinquennium, Romam venerunt, et alii fere trecenti a Duce Gandiae missi; aliae assignationes non ita successerunt; et rem prorsus fuisse satis violentam apparuit temporis successu evidentius; et omnino tribus annis, scilicet, a 54 usque ad finem 56, $\frac{m}{12}$ ducatorum ex Hispania ad Collegii subsidium missa fuerunt, praeter cambiorum expensas, quae graves admodum erant.

2749. Cum alloqueretur P. Natalis Principem Joannam, et eam vehementer commotam videret, quod intellexisset P. Franciscum in Angliam mittendum esse; non solum placavit eam verbis, et litteris, cuidam subscriptioni P. Ignatii superscriptis; sed cum magna consolatione reliquit; et [hujus rei signum fuit] quod multum se debere fateretur P. Ignatio, quod sine ipsius consensu nollet P. Franciscum ex Hispania alio mitti [2].

2750. De profectione autem P. Araoz ad eamdem Regis

---

[1] Ms. *Roma*. Sed vide infra, n. 2754.
[2] Vide supra, n. 2708.

Philippi curiam nec P. Francisco nec ipsi P. Natali visum est de ea agendum esse, donec constaret an Rex in Hispaniam esset venturus, necne; nam sub finem aestatis hujus anni venturum esse ferebatur.

2751. Simancis erat P. Natalis, cum Praeses consilii a P. Cano male instructus de Societatis nostrae Instituto eo se contulit, et ita ei P. Natalis melius illud declarare potuit [1].

2752. Est autem animadversum quod verba quaedam a P. Laynez cum in Concilio tridentino versaretur, P. Cano in familiari colloquio dicta, alte admodum infixa in ejus animo fuerant, et secreto proceribus quibusdam ea verba dixerat [2]. Ipse tamen de sua auctoritate multum amisit, dum contra Societatem loquitur; et agebatur de quadam ratione ipsum excusandi, quod male informatus sic locutus fuisset, etc.

2753. Commiserat P. Ignatius quorumdam admittendorum ad professionem curam P. Natali, quorum etiam catalogum dederat: hoc autem P. Natalis cum P. Francisco ac P. Araoz constituit, ut illi paulatim admitterentur, ad quos admittendos facultatem P. Ignatius dederat.

2754. Animadvertit P. Natalis, debilitari aliquo modo animum P. Francisci Borgiae, eo quod maneret in Hispania apud ipsum P. Natalis; et hoc ipsum P. Tablares litteris P. Ignatio significavit, cum diceret quatuor verba manu P. Ignatii scripta majus momentum apud P. Franciscum esse habitura, quam si quivis de Societate ad praedicta negotia urgenda mitteretur; et ita eodem mense Julio, quo P. Ignatius ad Dominum migravit, 13.ª die ejusdem, arbitrio P. Natalis reliquit [idem P. Ignatius] tempus in Italiam redeundi; et re collata cum P. Francisco, cum et ipsi probaretur ejus reditus, constituit recedere sub initium autumni.

2755. De fundationibus collegiorum, praesertim in Hispania acturus, quamvis ejus animus [3] supra modum erat propensus, nec ullam consolationem perinde magnam se sentire scribit, atque illa erat, quam de augmento, in Germania sentiebat, nec ullo modo laboribus ac periculis nostrorum in illa re-

---

[1] Vide quae nuper, dicta sunt, n. 2723.

[2] Haec verba, et quae *in familiari* illo *colloquio* acta fuere referuntur in *Cartas de San Ignacio*, t. II, pag. 522.

[3] De P. Natali Polancus loquitur. Vide de hac re *Epistolae P. Nadal*, t. I.

gione compatiebatur, sed potius, quodammodo invidebat; et cum semper in Societate sine ulla peculiari propensione ad hunc vel illum locum fuisset, nolens cuiquam inclinationi in hac parte indulgere; solum in hoc negotio Germaniae videbatur sibi eo modo propensus, ut non esset situm in ipsius potestate eo non inclinare, quamvis, si aliquid aliud P. Ignatius ei significasset, cum animi quiete id se accepturum significat.

2756. Cum perlatum Majo mense fuisset in Hispaniam coeptum esse cantari in ecclesia Societatis nostrae romanae et quidem cantu, quem vocant figuratum, valde laetati sunt quod vespertinum officium cantaretur, sed simplicem tonum juxta Constitutiones expectabant; bene nihilominus tamen omnia interpretabantur.

2757. Convenerat P. Franciscus cum Marchione de Tavara [1] in quasdam conditiones, quae Patri Natali parum convenire Societati videbantur; et ita curavit ut rescinderentur, et alius contractus novus cum eodem Marchione initus est, cui non interfuit P. Natalis nec illum vidit; et libentius totam illam fundationem omitti voluisset, quamvis id aegre laturus P. Franciscus videbatur. Cum Comite etiam Montisregii et Episcopo Placentiae obligationes quasdam idem P. Franciscus admiserat [2], quas etiam P. Ignatius corrigendas censuerat; et hoc ipsum P. Natalis curavit et bona ex parte res obtenta est; et in posterum rationem et ordinem admittendi fundationes hujusmodi collegiorum mittendam esse idem P. Natalis [3] censebat; quamvis in admissis jam collegiis, condescendendum esse P. Franciscus arbitrabatur et optabat, eo quod cum ipso res essent transactae; in posterum sequi praescriptum P. Ignatii difficile non erat.

2758. Admonet idem P. Natalis molesta fuisse quibusdam ex Superioribus ea privilegia [4] quae Doctori Vergarae P. Ignatius concesserat; quodque P. Franciscus applicabat quidem animum ad res Societatis; sed quia scriptum ei fuerat nomine P. Ignatii, ut ab afflictionibus corporis abstineret, quod satis

---

[1] Bernardino Pimentel et Almansa. Vide supra, t. v, pag. 436, n. 1170.

[2] Comes Montisregii erat Alphonsus de Acebedo et Zúñiga: Episcopus autem Placentiae Gutierre de Vargas Carvajal.

[3] Vide supra, pag. 33, n. 91, et infra, n. 2815.

[4] Vide supra, pag. 19, n. 47, ubi ea privilegia continentur.

esset valetudinarius, interpretatus fuit hanc Patris Ignatii mentem P. Natalis, prout videbat ipsum P. Franciscum, ad hujusmodi exercitationes satis propensum, suaviter ferre posse; et si P. Baptistam de Barma aut P. Bustamante socium haberet, et Provinciales suis officiis fungerentur (quod necessarium P. Natalis censebat), suum Commissarii onus suaviter et cum animi hilaritate laturus P. Franciscus videbatur.

2759. Cupiebat interim P. Natalis subjici obedientiae non solum P. Francisci sed Provincialis etiam et Rectoris in [Collegio] quo versaretur; et ita a P. Ignatio postulavit, quamvis non magnopere suam praesentiam in Hispania desiderari commonuit.

2760. Cum perlata esset eo tempore expeditio fundationis Collegii Baezae, sentiebat P. Natalis nomine Episcopi Gienensis vel alterius, et non Societatis id esse Romae tractandum.

2761. Rescivit P. Natalis obitum P. Ignatii ex litteris P. Ribadeneyrae ex Belgica missis; et tristitiam primo nuntio conceptam longe superari fatebatur ab interiori consolatione et laetitia, cum magna confidentia augmenti Societatis et renovationis ejus universae et partium ejus ad Dei gloriam; et cum ignoraret an officium Vicarii, ad quod annis praeteritis ipse electus fuerat a P. Ignatio, esset revocatum, (nec enim Roma litteras etiam adhuc acceperat), cumque P. Franciscus Commissarius ad alios congregandos ad generalem Societatis conventum facultatem non haberet, re inter utrumque collata, visum est tam P. Natali quam P. Francisco, quatuor Hispaniae Provinciis scribi oportere, ut omnes, qui ad Congregationem juxta Constitutiones venturi erant, se praepararent; et Provinciales bonum ordinem in suis Provinciis relinquerent.

2762. Explicarunt autem tres professos ex Portugallia venire oportere, scilicet, Patrem Torres [1], Provincialem, ac Patres Ludovicum Gonzalez ac Gundizalvum Vaz, et monuerunt, ut idoneum aliquem virum ad negotia tractanda nomine Rectorum adducerent.

2763. In Baetica solus erat professus P. Bustamante [2], Pro-

---

[1] P. Michaëlem de Torres.
[2] P. Bartholomaeus Bustamante.

vincialis, qui quemdam alium, ut nomine Rectorum veniret, secum adduceret.

2764. Pro Provincia Aragoniae P. Strada, Miron et Baptista [1], qui professi erant, fuerunt designati. Ex Provincia vero Castellae P. Araoz, Provincialis; nam P. Franciscum venire non posse consulti medici responderunt. Ipse vero P. Natalis cum P. Victoria [2] se ad iter mense Septembri accinxit; et ita in Italiam rediit.

Et haec de P. Natali.

DE REBUS

P. FRANCISCI BORGIAE, COMMISSARII

2765. Cum hoc anno ex Provincia Castellae egressus non fuerit P. Franciscus, de rebus ejus antequam ad aliam Provinciam transeamus, agendum erit [3].

Nona die Octobris anni praeteriti, Siguntum pervenerat, ubi a decano ejus ecclesiae expectabatur, ut de Collegio ibi instituendo ageretur [4]; et placuit P. Francisco ejus civitatis aptitudo ac praecipue Universitatis commoditas, ubi nostri tam philosophicis quam theologicis litteris a publicis professoribus bene institui poterant, qui diligenter et brevi tempore cursus conficiebant.

2765. Multi etiam ad Societatis institutum ibidem admitti poterant; nam biennio antea quatuor theologiae doctores simul, aut certe brevi tempore, ad Societatem ex ejus Collegio venerant, scilicet, PP. Salinas, Plaza, Rodriguez, et Sanchez [5]. Hoc tamen anno 1556 P. Ignatius Roma scripsit situm Collegio designatum sibi minus aptum videri, eo quod extra murum civitatis esset, et intra muros alium quaerendum potius esse existimabat; et ita se curaturum P. Franciscus recepit; sed quia

---

[1] Franciscus de Estrada, Jacobus Miron, Joannes B. de Barma.

[2] De P. Joanne de Victoria qui in Hispaniam ob negotia domestica venerat, dictum est supra.

[3] Vide supra, t. v, pag. 537, n. 1469 et seq.

[4] Supra nonnihil de hac re diximus, t. v, pag. 556, n. 1527.

[5] PP. Marcus de Salinas, Joannes de la Plaza, Christophorus Rodriguez et Antonius Sanchez. *Ibidem*, pag. 557, n. 1527.

reditus ecclesiastici ad hanc dotationem erant uniendi, res difficultatem ac dilationem Romae passa est, ubi res hoc anno satis erant perturbatae.

2767. Admiserat tamen Collegium P. Franciscus cum magna nostrorum complutentium consolatione, quia quatuor annis cursus theologicus solvebatur, et duobus philosophicus, id est, duplo brevius quam Compluti.

2768. Sigunto Guadalaxaram veniens, a Ducibus Infantatis diem cum dimidio retentus est [1], ex quorum colloquiis fructum non poenitendum sperabat. Inde Cumplutum cum pervenisset, et P. Baptistam de Barma eo evocatum invenisset, duodecim ex nostris, et inter eos octo sacerdotes ad fundationem Collegii Murciae designavit.

2769. Madridii complures ex amicis Societatis aliquam domum vel collegium optabant, quod ibi curia regis saepe resideret, et sequenti anno eo ventura diceretur. Commendavit autem P. Franciscus (cui etiam hoc placebat), P. Villanovae ut videret, cum Madridio transiret, an situs aliquis commodus ipsi videretur, et domum idoneam; ac bonam pecuniae partem ad eam emendam inveniebat. Domina etiam Eleonora Mascaregnas ad id auxilium se daturam significavit [2], ut etiam Episcopus Placentiae (cui Madridium patria erat), absoluto tamen prius suo collegio, et interim domum suam offerebat.

2770. Pergratum fuit P. Francisco et nostris quod a P. Ignatio sub finem anni praeteriti exemplum concessionis jubilaei accepit, nec enim alia via in Hispaniam pervenerat.

2771. Intellexit P. Franciscus quae de Collegii Romani necessitate P. Ignatius scripserat; et existimabat, tam ille quam alii, non posse ex eleemosynis tantum opus sustentari, cum praesertim regnum Hispaniae in tanta difficultate rei pecuniariae versaretur, ut etiam proceres aere alieno obruti essent. Reditus itaque quaerendos esse censebant, quamvis hoc venerat in mentem P. Francisco, ut singula collegia Hispaniae unum scholasticum suis expensis in Collegio Romano alerent. Cum tamen postea intellexisset potius pecunia quam hominibus Collegium Romanum egere, de illis mittendis cogitare de-

[1] Erant hi Duces IV *del Infantado* Ignigus Lopez de Mendoza et Elisabeth de Aragon. Vide supra, t. IV, pag. 588, n. 1250, annot. 1.

[2] Vide supra, pag. 591, n. 2550, annot. 2.

stitit, quamvis occasio bona ea videbatur ad subsidium bonum transmittendum.

2772. Animatus tamen praedictis P. Ignatii litteris [1], de ratione inveniendae pecuniae sollicitus, media excogitare coepit, ad eas pecuniarum summas mittendas, de quibus paulo ante dictum est [2]. Addebat etiam, ut in singulis locis, in quibus residebat Societas, amicus aliquis inveniretur, qui pecuniae aliquam summam ad illud opus mitteret.

2773. A Principibus autem aliquid petere de suo, theologi, an licitum esset, dubitabant, eo quod debitis erant oppressi, et Princeps Joanna, quae de suo libenter id factura videbatur, fratri Philippo, Regi, quod poterat, mutuo dare debebat. De pensione tamen aliqua petenda vel hujusmodi ecclesiasticis reditibus, cum Principes in Hispaniam venissent, cogitabat.

2774. Cum initio hujus anni de adventu praedictorum Principum in Hispaniam nihil certi haberetur, cumque ipse P. Franciscus melius corpore haberet, post orationem P. Ignatio de sua profectione in Angliam, vel ubi Principes essent, scripsit; ac de P. Araoz secum deducendo, ut resideret apud Regem Philippum, ipse autem P. Franciscus [mansurus erat] in Anglia vel apud Imperatorem: Patrem etiam Stradam, concionum gratia, deducere cogitabat, et Patrem Laynez vel Patrem Olavium eo etiam mittendum existimabat, ut in his, quae ad doctrinam pertinent, fundamentum solidius ibi Societas haberet.

2775. Patrem autem Mironem Provinciae Aragoniae, P. Baptistam Baeticae, P. Bustamantem Castellae praeesse posse arbitrabatur. Officium Commissarii non providendum alii censebat, ut collegiorum fundatores sperarent ipsius reditum; et ita minus aegre ferrent discessum. Si autem diu responsum P. Ignatii differretur, tunc praemitti posse Patrem Araoz, ut praepararet adventum ipsius P. Francisci existimabat. Sed cum valetudo corporis nec ipsi Patri Francisco nec Patri Araoz prospera esset, et cum Princeps Joanna, ut diximus, ferre non posset eorum recessum, cumque expectaretur, succedentibus mensibus, Imperatoris Caroli ac Philippi adventus, non visum est expedire, ut ullus eorum hoc iter aggrederetur. Immo cum

---

[1] Vide quae dicta sunt, n. 2743.
[2] Nuper, 2745, 2747.

P. Ignatius de P. Tablares cum Patre Strada mittendis scripsisset, et id etiam P. Francisco probaretur; ne illi quidem missi fuerunt.

2776. Existimabat quidem P. Franciscus referre plurimum ut aliqui ex nostris in illa curia Regis Philippi residerent, ex qua omnia fere negotia provinciarum Hispaniae [1] pendebant; et commoda se offerebat occasio cum Dux Franchaevillae [2], ut cuidam consilio regio praeesset, ad res Italiae pertinenti, vocaretur.

2777. Praedicta nihilominus spes adventus regii, ne ullus eorum ex Hispania recederet effecit. Ipsa quidem Princeps Joanna manu propria scribens P. Ignatio, et gratias agens quod sine ejus consensu praedictos Patres Franciscum et Araoz [3] ex Hispania non recedere jussisset; hoc postulavit ab eodem Patre, ut non permitteret iter ullum sine ipsius facultate eos facere, et ea in parte sibi subdi eosdem Patres, auctoritate P. Ignatii, [4] cupiebat.

2778. Scripsit eadem Princeps Romam, commendans unionem partis cujusdam redituum episcopatus placentini; nam de jure Episcopi quinquagesimam partem redituum hujusmodi ad fundationem monasteriorum et piorum operum facere poterat. Episcopus autem bona stabilia, quae quingentos vel sexcentos aureos redderent, assignare constituerat, sed hujusmodi erant bona, quae temporis successu facile ad mille aureos ascenderent; et videbatur ostium valde utile aperiri ad hujusmodi uniones ab Episcopis faciendas, et urgebat serio Placentinus [Episcopus] hoc negotium.

2779. Archiepiscopus quidem Toletanus, approbante capitulo, (nam consensus capitulorum ad hujusmodi uniones requirebatur) ad quaedam pia opera, usus hoc privilegio fuerat; sed Placentinus non ita cum suo capitulo conveniebat, ut vellet eorum requirere consensum, si a Sede Apostolica gratiam hanc obtinuisset; nam gesserat aliquando simultates cum suis canonicis, quamvis jam longe aliter, ut diximus, se gerebat.

2780. Roma etiam responsum acceptum est, quod, partim

---

[1] Ms. repetit *fere*.
[2] Didacus Hurtado de Mendoza.
[3] Ms. hic iterat *sine ipsius consensu*.
[4] Ms. repetit *sibi*.

quodam privilegio nostrarum litterarum Apostolicarum utendo, partim confirmationem a tribunali Poenitentiariae obtinendo, hujusmodi fundationes confici poterant, quamvis P. Natali videbatur difficile hujusmodi uniones ad praxim deduci.

2781. Cum Scalonam, ubi aegrotabat Marchio Villenae, evocatus fuisset P. Franciscus Placentia, Oropesa transivit, ut Comitem et ejus fratrem D. Franciscum de Toledo secum eo deduceret [1]; apud quos biduo commoratus est, et cum simul Scalonam pergerent, quamvis in via de morte Marchionis certiores facti essent, ad consolationem tamen Marchionissae et filiorum ejus eo pervenerunt. Nec frustra id effectum est; executor enim relictus erat testamenti P. Franciscus, et licet hoc munus non admiserit, aliqua tamen, quae ad animam Marchionis pertinebant, exequenda curavit. Et actum est inter caetera de Collegio Belmontensi, cujus meminit Marchio ante mortem, et in testamento ut erigeretur, constituit.

2782. Urgebat etiam Comes Oropesae ut in illo suo oppido aliud admitteretur: utrumque autem temporis successu fuit admissum, ut suo loco dicetur.

2783. Admonitus fuit a P. Ignatio P. Franciscus non decere Societatem negotia unionum Romae curare, ne per suum quidem Procuratorem in curia residentem, et ita recepit P. Franciscus, se eos admoniturum, qui collegia fundare vellent, ut suis expensis et per suos procuratores hujusmodi uniones curarent.

2784. Ex civitate Truxillo duo viri ex nobilioribus, qui et rectores erant (sic vocant senatores) P. Franciscum adierunt, et instanter ut domum sua in civitate admitteret, postularunt, et in optimo situ civitatis ad collegii institutionem illa erat, ad cujus sustentationem prolixe multa pollicebantur; sed honestas ob causas nec hoc collegium, nec aliud de quo agebat Episcopus Oscensis, de caesaraugustana [Societate] optime meritus [2], admissa sunt.

2785. In civitate Paraguay, quae est non procul a Brasilia, prope flumen, quod *de la Plata* vocant, aliquos ex nostris ad collegium instituendum hispani postulabant; et quamvis nostri,

---

[1] Vide supra, in hoc ipso volumine, n. 2710, et loca ibi signata.

[2] Petrus Agustin, de quo superfluum est quidquam addere his, quae supra dicta sunt, cum de caesaraugustanis rebus ageretur.

qui erant in Provincia Brasiliae, satis erant propensi ad hanc profectionem, P. Ignatius censuit non expedire ut ex praedicta Provincia, Regi Portugalliae subdita, nostri educerentur; et ita commisit P. Francisco Borgiae, ut si judicaret collegium illud admittendum, ex Hispania aliquos ex nostris ad ejus institutionem mitteret, quos idoneos arbitraretur; et ita P. Franciscus curam suscepit hujus missionis; et tamen nulli hoc anno eo missi sunt; nec mirum, cum etiam illi, qui ad Indiam Peru designati erant, et ad id, ex praescripto P. Ignatii, professionem emiserant, ex ipso portu Hispaniae, ut diximus [1], defectu regiae facultatis, quam Marchio Cañete non postulaverat, substiterunt; nec alia navigatio usque ad mortem P. Ignatii, ut verisimile est, in illas transmarinas regiones fuit oblata.

2786. Primis mensibus hujus anni post ingressum Doctoris Ramirez in Societatem, missus est a P. Magistro Avila licentiatus Vincentius Gomez, vir magnae eruditionis, ut Societatem nostram ingrederetur, nam ex ejus discipulis erat.

2787. A Principe Joanna, manu propria, litterae scriptae fuerunt P. Ignatio, quibus magnopere ei commendabat, ut dispensationem quamdam a Summo Pontifice impetraret, ut D. Petrus de Borgia, Magister ordinis Montesae, uxorem ducere posset D. Leonoram Manuel, quae inter alias nobiles Principi Joannae charissima et summae auctoritatis erat. Scripsit et ipse Magister Montesae, qui in studio et observantia erga P. Ignatium P. Francisco Borgiae, suo fratri, se non cedere [2] affirmabat.

2788. Ante id tempus milites ejus ordinis uxores non ducebant, quamvis militia ordinis Calatravae, cujus velut filia erat religio militum Montesae, eam dispensationem obtinuisset [3]; et partim ob commendationem Principis Joannae, partim in gratiam P. Francisci Borgiae, qui hoc matrimonium ad Dei gloriam fore censebat, diligenter hoc negotium Romae P. Ignatius curaverat; et quamvis a Paulo IV tunc obtenta non fuerit dispensatio, nec quamdiu vixit P. Ignatius; fuit ab eadem Principe Patri Laynez hoc negotium commendatum, et non cum exiguo labore, quod petebatur, tandem obtentum est.

---

[1] Supra, n. 2707.
[2] Ms. *se cedere non affirmabat.*
[3] Ms. *obtinuisse.*

2789. Quae emendanda esse [diximus] in fundationibus quorundam collegiorum Hispaniae, ut Placentiae, Montisregii et [in] aliis, ea fuerunt ad quae, juxta Constitutiones nostras, Societas obligari non debet, cujusmodi est theologica lectio, ubi studium generale non habet Societas, et dare concionatores aut confessarios: ad haec enim gratis praestanda Societas ex suo Instituto tenetur; ideo cum de reditibus collegiorum ac dotatione agitur ad hujusmodi ministeria Societatem obligari P. Ignatius nolebat [1].

2790. Fatebatur autem P. Franciscus rem ipsam sibi quam maxime gratam esse; sed Constitutionem prius non bene intellectam fuisse; et ita cum Episcopo Placentino, et Comite Montisregii et quibusdam aliis fundatoribus actum fuit et obtentum, ut hujusmodi obligationes removerentur. Et quia D. Rodericus de Duegnas ad quasdam conciones Societatem obligaverat, singulis annis in quodam monasterio conversarum habendas, reditus ab illo assignati non admittendi videbantur, donec ex contractu talem obligationem removeret. Difficile tamen a fundatoribus obtineri poterat ut in his, quae optabant omnino fieri, confiderent Societatem sine ulla obligatione ea perpetuo facturam esse, quamvis vivente P. Ignatio ac P. Francisco Borgia, ea praestanda non dubitarent [2].

2791. Evocaverat Vallisoletum P. Franciscus de Borgia P. Baptistam de Barma, Aragoniae Provincialem, et cum ad professionem ille esset admittendus, et alii in coadjutores, re cum P. Natali collata, visum fuit expedire ut quemadmodum in Portugallia biennio antea, Rege et proceribus ejus curiae expectantibus, aliqui ad omnes gradus Societatis, publice fuerant admissi, ita et in Hispania id publice fieret, ipsa Principe Joanna, Gubernatrice, et Nuncio Apostolico et aliis ejus curiae primariis viris praesentibus, et concione praevia, quae Institutum Societatis declararet. P. Araoz hujus sententiae non erat, ne ostentatio quibusdam videretur; sed praedictorum et aliorum praevaluit opinio, ut eorum ora obturarentur, qui nos furtim quodammodo res nostras transigere obmurmurabant; et hac occasione oblata, aliqua nostri Instituti ratio reddi posset.

---

[1] Confer quae diximus supra, pag. 33, n. 91.
[2] Ms. *dubitaret.*

2792. In ecclesia ergo nostra, praesente Nuncio Apostolico, quamvis non bene valebat, et cum alii primarii viri eo venirent, Princeps Carolus voluit et ipse interesse, ut rem hujusmodi tam novam videret; professionem scilicet, nostrae Societatis.

2793. Ipso ergo die S.ti Barnabae venit Princeps et adfuerunt ejus capellae cantores; Dux Sessae [1], Marchio de Mondejar [2], et alii primarii viri etiam Consilii regii; concionem autem habuit P. Provincialis Araoz, et opportune occasione accepta, quia concurrebat octava Corporis Christi cum festo Apostoli Barnabae, declaravit professionem Societatis et alia vota et res ad ejus Institutum pertinentes, ab ejusdem institutione et approbatione inchoando, et visus est Spiritus Sanctus ejus linguae valde favisse, et cum magna satisfactione fuit auditus et in universum affectus peculiaris erga Societatem in omnibus relictus esse videbatur.

2794. Missa ergo absoluta, egressus est ad altare P. Franciscus Borgia, quamvis podagra eo ipso die alterum ejus pedem invaserat. Tunc accessit P. Baptista de Barma, et juxta Constitutiones, quatuor votis emissis, communicavit; deinde P. Portiglo [3], Rector domus probationis apud Simancas, tria vota coadjutoris spiritualis emisit. Tertio loco quidam ex Fratribus vota coadjutoris temporalis; ultimo, scholasticus quidam vota scholasticorum: omnes alta voce emiserunt.

2795. Postea quinque novitii accesserunt, inter quos erat Doctor utriusque juris Solier [4], et alii duo theologi et duo nobiles juvenes, et postularunt se ad Societatis probationem admitti.

2796. Cum ad hos omnes gradus hi admitterentur, surgens Princeps stetit, ut melius videret, et omnibus, qui expectaverant, res pergrata fuisse visa est. Fuit inter hos confessarius Principis Joannae, ordinis S.ti Hieronymi, et quidam ejus ordinis Prior, et ex dominicanis Rector Collegii S.ti Hieronymi, et quidam concionator; ex augustinianis etiam Prior cum alio concionatore Principis Joannae; ex franciscanis Guardianus

---

1 Gundisalvus Fernandez de Cordoba.
2 Enecus Lopez de Mendoza, Comes de Tendilla, Marchio de Mondejar.
3 P. Hieronymus Ruiz del Portillo.
4 Dr. Ferdinandus Solier.

Ibarra, vir valde doctus, cum alio insigni concionatore et aliis religiosis, qui omnes cum in nostro refectorio pranderent, coepit P. Natalis praelegere litteras Apostolicas Julii III de confirmatione Societatis, ad quem cum P. Franciscus misisset quemdam, ut declararet aliquid ex litteris praedictis, coepit id latine fere per horam integram sic praestare, ut non ex tempore, prout erat re ipsa, sed adhibito magno studio, ea de re disseruisse videretur, et omnes, qui aderant, abunde satisfactum esse significabant.

2797. Auxit autem hanc ecclessiam Vallisoleti P. Franciscus post professionem praedictam, et muro quodam sublato, fere tantum spatium corpori ecclesiae addidit, quantum prius habuerat, et priore parte in usum feminarum relicta, posteriorem, quae nova erat, viris assignavit.

2798. Coepit autem ipsemet P. Franciscus in nova parte ecclesiae Threnos Hieremiae, ut superius dictum est, cum frequenti admodum auditorio enarrare, quamvis P. Stradam ut concionaretur Vallisoleti, accersierat, quod ipsius valetudo et negotia, officio Commissarii adjuncta, non videbantur permissura, ut diu, in ea lectione vel praedicatione ipse perseveraret. Accersivit etiam et Doctorem Madridium, qui Cordubae fuerat, et cum ipse postea [illum Vallisoleti] reliquisset, in lectione Threnorum ei successit [1].

2799. Accepit autem a P. Ignatio officii sui patentes litteras, quas postulaverat, ut cum fundatoribus collegiorum legitime contractus posset celebrare.

2800. Urgebat autem eumdem P. Ignatium, et postmodum P. Laynem, Vicarium, ut confirmationem eorum, quae transacta fuerant cum D. Moschera, a Summo Pontifice factam, mitterent; nam biennii tempus ad eam obtinendam fuerat praescriptum, intra quod, si confirmatio Pontificis et Generalis non venissent, non tenebantur praedictus Moschera et ejus uxor ad observationem contractus [2].

2801. Id quidem P. Ignatius non fecerat, quod ea bona cum saecularia essent, et libera, non indigebant alia confirmatione Apostolica, cum ex nostris privilegiis simul atque admissa es-

[1] Ms. *reliquit*.—Vide supra, pag. 579, n. 2505.

[2] De Joanne de Mosquera, ejusque rebus, dictum est in superioribus voluminibus. Vide t. IV, pag. 589 et seq., n. 1253, 1254, 1255... 1272.

sent, confirmata haberentur; sed nihilominus confirmatio petebatur per tribunal Poenitentiariae cum approbatione ejusdem P. Ignatii, partim ad consolationem ipsius fundatoris, qui id omnino expetebat, partim quia de uxoris inconstantia idem Moschera timebat, si tempus sine confirmatione fuisset elapsum, et ita affligebatur ejus animus ob dilationem confirmationis, quamvis ejus virtus et spiritus in dies cum admiratione curiae crescerent, et in dies aliquid adderet vel concinnaret in aedificio domus nostris donatae.

2802. Curavit P. Franciscus ut Nuncius Apostolicus Summo Pontifici scriberet, quam studiose Societas, quae ad Sedem Apostolicam pertinebant, in curia Hispaniae juvare ac promovere curaret; et [sicut dederat operam] ut Rex Portugalliae Summo Pontifici de Societatis ejusdem progressibus et fructu scriberet, idem facturus [erat] apud Regem Philippum, si in Hispaniam venisset; nam apud Pontificem Paulum IV hujusmodi testimonia opportuna fore videbantur.

2803. Idem executus est quod P. Ignatius injunxerat, ut pro Marchionissa de Pliego [1] tres Missae a singulis sacerdotibus dicerentur, ut pro fundatrice Collegii Cordubensis, etiam si necesse esset hoc ipsum deferre D. Joanni de Cordoba, et ita duos fundatores agnosceret, quod etiam fieri posse Roma scriptum fuit; quamvis postea Marchionissa totum hunc fundatoris honorem D. Joanni de Cordoba deferri voluit.

2804. Mense Majo P. Franciscus veterem quemdam suum morbum curare volens, et ad id cum medici consilio cujusdam ligni aquam, *salsam parigliam* vocant, bibere incipiens, quae sudorem exigebat, bis ad periculum suffocationis fuit adductus, cum pene spiritus ejus intercluderetur; et ita curationem relinquere juxta consilium medici coactus fuit, ut [2] cum veteri illo morbo, quod reliquum esset vitae, transigeret.

2805. Cum retulisset Principi Joannae Romae coepta esse decantari officia S.tae hebdomadae, magna laetitia affecta est; nam hoc ipsum illa desiderabat, sicut et Praeses Consilii regii et alii magnates Hispaniae, qui hoc solum [ad] nostrum institu-

---

[1] De hac religiosissima femina, Catharina Fernandez de Cordoba, saepe in superioribus vol. dictum est.

[2] Ms. *et*.

tum requirere videbantur [1]; et ita in Hispania permitti P. Franciscus postulavit, ut sic saltem quorumdam obmurmuratio cessaret; cum hac tamen moderatione ut nullus concionator, confessarius aut professus in choro occuparetur, et ut tantum dominicis et festis diebus vespertinum officium cum Missa diceretur, et ut id sine cantu figurato aut plano, quem vocant, [fieret], sed simplici ac devoto tono, qui facilius a nostris [disceretur], in Hispania praesertim, ubi non perinde atque in aliis nationibus homines in cantu institui solent; et alioqui ad aedificationem majorem in eo regno hic tonus simplex futurus esse dicebatur, quam si cantu uterentur, cujus ne odorem quidem in nostris probaturi videbantur. Et cum in hebdomada sancta in simplici tono hujusmodi officia peracta fuissent, multum devotionis hominibus, ac praesertim primariis et religiosis, id praebuit.

2806. Vespertinum officium Vallisoleti inchoatum est, ante P. Francisci lectionem.

2807. Cum transactio de Collegio Baëzae, Societati assignando, a Provinciali [2] missa fuisset P. Francisco, serio illam P. Ignatio commendavit, quod ad Patrem Magistrum Avilam ea pertineret, et responsum accepit a Vicario P. Laynez quod diligenter, quae ad contractus confirmationem pertinebant, Romae curanda essent; quamvis postea gravia onera Societati imponi, si illud admitteretur, visa sunt, et tandem admissum collegium non est [3].

2808. Ludovicus de Medina qui 300 aureos, ut diximus [4], Collegio Abulensi applicare voluerat, hac aestate a P. Francisco postulavit, ut sibi liceret prope nostrum Collegium et in ejus situ quamdam domus partem aedificare, et cum vellet, inhabitare, et ad Collegium ingredi et in refectorio cum nostris cibum capere [posset]; et aliquid horum ei P. Franciscus concedebat; sed praecedere donationem [debere] existimabat, ut tanquam fundatori vel benefactori illius [5] Collegii concederetur.

2809. Immutatus fuit contractus collegii, quod Marchio de

---

[1] Id est, *qui hoc solum nostro Instituto deesse existimabant.*

[2] Ms hic habet *Francisco*

[3] Vide supra, n. 2760. De hoc Collegio, ejusque oneribus egimus supra, t. IV, pag. 468, n. 1000; t. V, pag. 545, n. 1495. Confer etiam t. III, pag. 331, n. 737, 738.

[4] Supra, pag. 618, n. 2664.

[5] Ms. *id Collegii.*

Tavara [1] in regno Gallitiae Societati committebat, cujus hic [2] erat scopus, ut in eo juvenes jam octodecim aut viginti annos nati, in grammatica et casibus conscientiae instruerentur, ut curam animarum in regno Gallitiae exercere possent, et jam in curia Regis publicatum fuerat, quod Societati horum juvenum instructio et gubernatio committebatur. Ex reditibus autem hujus collegii ducenti aurei ducati, singulis annis designaban tur ad sex vel septem scholasticos Salmanticae alendos, quod principium Salmantini Collegii videbatur.

2810. Requirebantur autem duo tantum vel tres ex nostris, quorum unus duas grammaticae lectiones singulis annis praelegeret; alter casus conscientiae explicaret; tertius Rector esset, et si idem Rector casus praelegeret, duo tantum ex nostris in collegio Tavarae [3] fuissent occupati: qui autem casus conscientiae legisset, diebus profestis idem etiam lectionem sacrae Scripturae diebus festis, juxta sensum litteralem, explicaturus erat.

2811. Hi autem duo vel tres victum et reliqua necessaria praeter vestitum ex collegio erant habituri, et ducenti aurei praedicti Salmanticae expendi poterant, nisi mallet Societas partem eorum Tavarae expendere, aliquem ibi scholasticum alendo. Et fructus non poenitendus capi posse videbatur, juvenes illos instituendo, qui in summis ignorantiae tenebris ac vitiorum, [quae erant] in illo regno, boni exempli et doctrinae lucem aliquam afferre possent. Quia tamen juxta Constitutiones Societatis ad sacras lectiones sive theologicas Societas obligari non poterat, postulabat Marchio a P. Ignatio, ut in eis dispensaret vel ab aliis se legendas curaturum reciperet.

2812. Si tamen hoc non posset obtinere, quamvis optabat collegium hoc Societati committi; aliud tamen remedium se non invenire dicebat, quam ut a Societate opus hoc Domino commendaretur, et aliis, qui obligationem eam subirent, administratio collegii committeretur.

2813. Cum autem haec reformatio contractus, 23.ª Julii a P. Francisco Borgia et Marchione de Tavara subscripta, Romam mitteretur, P. Ignatium ex vivis decessisse invenit, et ita

---

[1] Vide supra, n. 2757. Et t. v, pag. 436, n. 1170 et loca ibi signata.
[2] Ms. *id erat scopus.*
[3] Ms. *Tavorae.*

ad effectum res perducta non est; et succedente diuturna sede vacante nostri Generalis, impedimenta alia acciderunt propter quae res omnino omissa est.

2814. De pueris instituendis in primis elementis legendi ac scribendi magnam experiri in Hispania nostros difficultatem P. Franciscus fatebatur; et ita non sine magna consideratione tale onus subeundum censebat, quemadmodum a P. Ignatio scriptum fuerat.

2815. Missa fuerant exempla litterarum Ducis Bavariae ad P. Franciscum, quibus sine ulla obligatione utrinque suscepta, Collegiam Ingolstadiense, propter causas superius dictas [1] inchoabatur, ut sic fundatoribus collegiorum Hispaniae persuaderetur ab exigendis hujusmodi obligationibus desistere; sed nec P. Francisco nec P. Natali expedire videbatur, ut hujusmodi litterae evulgarentur; periculum enim timeri poterat, ne hujusmodi exemplum Societati in Hispania incommodum esset, et alia media suaviora et utiliora excogitanda esse videbantur, ut a Societate obligationes hujusmodi non exigerentur, quamvis ipsi fundatores perpetuas dotationes facerent, nec obligatione ipsi carerent.

2816. Haec autem tractatio de ratione fundationum una fuit ex potioribus causis, quae P. Natalem moverunt ut ex Hispania in Italiam venire vellet, antequam de obitu P. Ignatii constaret; nam operae pretium existimabat, tam ipse quam P. Franciscus, ut de modo fundationum aliquid certi ex parte Societatis constitueretur.

2817. Marchio Villenae pingue quoddam beneficium cuidam sacerdoti conferri curaverat, ut collegium in oppido Belmonte Societatis instituetur. Ille autem sacerdos obtulerat sexcentos aureos singulis annis, ut aedificium inchoaretur; dicebatur autem beneficium de Jorchera. Scripsit autem P. Franciscus ut cum Cardinale Pacheco Romae ageretur, de exequenda voluntate Marchionis praedicti, qui ipsius consanguineus erat.

2818. Ille autem sacerdos procuratorias litteras ad unionem praedicti beneficii dederat, et dum unio Romae expediebatur, non solum obtulit praedictam summam sexcentorum du-

---

[1] Pag. 412, n. 1772, et plenius supra, pag. 25, n. 66 et pag. 33, n. 91. Vide etiam *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 99.

catorum, sed, nemine nostrorum id sciente, coram notario se ad summam illam singulis annis solvendam obligavit; sed propter impedimenta, quae acciderunt, ad executionem res deducta non est.

2819. Cum nuncium obitus P. Ignatii ad P. Franciscum pervenit, quamvis tenere ejus absentiam senserit, solidam tamen [habuit] consolationem cum spe auxilii uberioris a Deo per eumdem Patrem obtinendi, et de electione P. Laynez in Vicarium laetatus est.

2820. Quidam autem ex nostris, qui familiariter cum eo agebat, Romam scripsit necessarium sibi videri ut Patri Francisco corporis castigatio prohiberetur; nam praeter quam quod in victu subtrahere corpori necessaria videbatur, crebro admodum flagellis corpus affligebat. Erat collateralis ipsius P. Antonius de Cordoba, quamvis fere absens erat, et ideo liberari ab hujusmodi officio cupiebat. Notat autem ille remissius, quam par esset, Regularum et Instituti observationem in illis Provinciis exigi; et ad id corrigendum potius quam ad Collegium Romanum juvandum operam P. Natalis in Hispania utilem fore censebat.

2821. De Provinciali etiam Araoz scribit se emendationem sperare, quod attinet ad diligentem sui officii functionem; nam P. Franciscus id illi commendaverat, qui antea videbatur Provincialium quaedam officia per se ipsum exercere, et ita P. Araoz minus diligenter propriis suis functionibus dabat operam quod a P. Francisco eam dari existimaret; ille tamen, licet tempus hujusmodi occupationibus aliquod impenderet quotidie, orationi nihilominus ac lectioni scripturarum valde erat addictus, et ita P. Antonio [1] videbatur minus negotiis ipsum vacare quam ea postularent.

2822. Ab externis etiam gravissima et plurima negotia ei committebantur, ut eo minus Societatis negotiis vacare posset; et quia neminem apud se eo talento praeditum habebat, ut ab eo juvari in gubernatione posset, ideo expedire visum est, ut P. Baptistam de Barmam Murcia, ut superius diximus [2], evocaret, quamvis [3] postea eum remittere debuit; et cum Pater Nata-

---

[1] Sc. P. Antonio de Cordoba.
[2] Supra, pag. 553, n. 2393 et pag. 556, n. 2407.
[3] Ms. *et quamvis*.

lis rediit in Italiam (qui aliquot menses P. Francisco auxilio praesto fuit), P. Bustamantem, Baeticae Provincialem, interim dum ad Congregationem generalem veniebat, socium retinuit, qui suis litteris testatur, gubernationi spirituali et temporali multum curae a P. Francisco adhiberi, quamvis P. Antonius [1] adhuc amplius desiderare videretur. Et idem P. Bustamante hoc sentire videbatur, potius bono scriptore quam socio P. Franciscum indigere, quod nihil alterius arbitrio committeret, cum se teneri ad omnia per se ipsum tractanda existimaret.

2823. Ipse etiam suggessit P. Ignatio ut, quod attinet ad corporis necessitatem, socio auctoritas in ipsum non daretur, ne affligeretur dum se obedientia teneri ad omnia putaret, sed juxta medici consilium, ut etiam cibis illis uti posset, quos quibusdam temporibus Ecclesia prohibet; quamvis propter ipsius consolationem [2], vel potius ad amaritudinem vitandam, aliquando a prohibitis abstinere permitteretur; et si alicui facultas daretur ut ei posset in hac parte praecipere, ut simul hoc injungeretur ut obedientiam socius relaxaret, si ipsum ea affligi animadverteret.

2824. Cupiebat autem P. Antonius [ut] ante suum recessum P. Natalis constitutum aliquod relinqueret de modo expediendi negotia, et de eisdem cum consultoribus a Commissario tractandis, et calore ac vivacitate praedicti P. Natalis res spirituales illarum Provinciarum promoveri posse existimabat, [et] ab eodem etiam Constitutiones, quas declaraverat, ad praxim deduci cupiebat.

2825. De collegiis Oropesae et [in] alio quodam oppido ejus Comitis non bene P. Antonius sentiebat; nam accidit illi Comiti, quod aliis magnatibus in Hispania, dicebat, ut optimos quosque operarios in suis locis haberent, et potius auxilii proprii quam religionum [3] memores essent; oppida etiam illa esse exigua, et quae ab hujusmodi dominis inchoantur, ab aliis augeri non solere, et admissa collegia operariis confirmanda censebat.

2826. Notat etiam quod P. Franciscus, cum videret in aliis

---

[1] P. Antonius de Cordoba.
[2] Ms. *consolationis*.
[3] Id est, religiosorum ordinum aut familiarum religiosarum.

regionibus admitti collegia, facile admitteret [1] quae in Hispania offerebantur, quod importunis quorumdam precibus cederet; et ita novitios ante justam probationem, et scholasticos ante studia plene absoluta, in vineam Domini mitti, et si pauciora admitterentur collegia, utrosque posse radices altiores agere.

2827. Idem admonet plura negotia a P. Araoz externorum suscipi, quadam effusione charitatis, quam ejus officii ratio ferat, et quaedam etiam ex his, quae a Societate non proprie tractantur.

2828. Aliquem etiam, qui negotia digereret, ut cum P. Francisco ea tractarentur, in socium eidem adhibendum, et praecipue cum de admittendis collegiis ageretur, censebat; et ut negotia Provincialium ipsis relinqueret.

2829. Suggessit etiam P. Ignatio ut cura Provincialis Patrem Araoz sublevaret, quam diu exercuerat; et quod ad se ipsum attinet, obedientiae Rectoris Salmanticensis subjici cupiebat, et hac ratione suam operam utiliorem futuram obediendo, quam, ratione officii Superintendentis, praecipiendo, existimabat.

2830. In civitate Ocagnae, quae fertilis admodum est frumenti, vini et olei, et tria [millia] familiarum, inter quas fere septingentae nobilium esse feruntur, vir quidam senex fere octogenarius, Ludovicus de Calatayud nomine, Protonotarius Apostolicus, domum quamdam suam valde bonam et quingentos fere aureos annui reditus obtulerat; et partim per donationem applicaverat, partim applicandam Romae curabat, ut superiori anno ex parte dictum est [2], et praeter lectiones grammaticae, quae eo utiliores erant Ocaniae quod nullae publicae scholae ibi essent; addiderat philosophiae et theologiae lectiones, quas cum non convenire P. Ignatius judicaret, quamvis P. Franciscus obligationem susceperat, non esse illam confirmandam, sed contractum reformandum censuit, quod deinde effectum est.

2831. Intellexerat [haec] Archiepiscopus Toletanus, ad cujus spiritualem jurisdictionem Ocania pertinet; et statim ejus

[1] Ms. *admittere*.

[2] Vide supra t. v, pag. 462, n. 1256; pag. 554, n. 1521; et in *Cartas de San Ignacio*, t. vi, plura ad hanc rem spectantia: *Fundacion del Colegio de Ocaña*, pag. 654; *Exhorto del Arzobispo de Toledo, D. Juan Martinez Siliceo, en que manda al Protonotario Luis Calatayud que en el término de seis dias comparezca en su presencia*, pag. 657. *Edicto general*... pag. 658, *Prohibicion del Arzobispo*... *al Protonotario*... *de entender*... *en fundar*... *hospitales*, etc... 659; *Respuesta*... pag. 660.

decretum Ocaniam perlatum est, quo jubebat Protonotarium ad se Toletum venire, et interim constituit, ut in ocaniensi urbe in variis ecclesiis ejus mandatum sub variis censuris legeretur, ne collegium vel hospitale aliquod, se inconsulto, Ocaniae fieret; sic enim aliquando significaverat Archiepiscopus se non permissurum, ut domus vel collegium Societatis in sua dioecesi institueretur, quamvis in ipsa civitate toletana vir quidam ecclesiasticus, qui $\frac{m}{10}$ ducatorum annui reditus habere dicebatur, collegii ibidem erigendi voluntatem significaverat.

2832. Interim Protonotarius Toletum deductus, aspere ab Archiepiscopo receptus est, additis etiam minis, et loco carceris ipsam civitatem toletanam ei dedit.

2833. Admonuit itaque P. Ignatium Protonotarius ut expediri quidem [curaret] unionem trium praestimoniorum aut simplicium beneficiorum juxta litteras procuratorias in Urbem missas, sed ex manu datarii non eam redimeret, nec consensum praestaret, donec Archiepiscopi contradictio cessaret; qui 13 die Decembris anni proximi quoddam suum mandatum intimari Protonotario jussit nominatim, ne [institui] domi suae collegium vel aliud pium opus (sub poena excommunicationis latae sententiae et quingentorum ducatorum) consentiret, et sub eadem poena jubebat ut remitteret quidquid in hoc negotio egisset [sine] ipsius Archiepiscopi consilio.

2834. Paruit Protonotarius et instrumentum contractus initi, timore censurarum adductus, consilio Archiepiscopi praesentavit; sed haec, ut ipsemet admonuit Societatem, ut suo jure jam quaesito uteretur. Consilium interim Archiepiscopi nullam existimandam esse transactionem sive contractum cum Societate factum pronuntiavit; et exegit ab eo obligationem non habendi ratum nec utendi hujusmodi contractu et ne Toleto egrederetur, donec id effecisset.

2835. Bonus autem senex, afflictus, subquerebatur quod P. Franciscus Borgia, cum Archiepiscopi rigorem perspectum haberet, in hunc labyrinthum ingredi Protonotarium permisisset, donec difficultatem omnem in hoc negotio superasset.

2836. Quia vero Princeps Joanna et proceres inducere Archiepiscopum Toletanum eo tempore nitebantur, ut expeditionem africanam ad Busiam recuperandam suis expensis susciperet, nullus erat qui ei displicere conaretur.

2837. Ille quidem significaverat se insigne illud opus aggressurum, quamvis postea id non praestitit, nescio quam excusationem obtendens.

2838. Idem etiam magnam quamdam pecuniae summam se Summo Pontifici mutuo daturum promiserat; sed postquam cardinalitium galerum accepit, obtendens aliquam excusationem, id non praestitit.

2839. Sed ad senem redeundo, aucta est ejus afflictio morte cujusdam matronae consanguineae, quae domum ipsius Ocagniae regebat, interim dum ipse Toleti versabatur; et praeter incommoda sua perire etiam domum suam moleste admodum ferebat, octoginta quinque annos alioqui natus; et ita Dr. Ramirez initio hujus anni, Societatem nondum ingressus, qui erigendi collegii auctor Protonotario fuerat, scripsit Patri Araoz, aequum sibi videri, ut aliquot de Societate Toletum mitteret, qui defensionem senis susciperent, ne deseri ab eis videretur, cum Societatis gratia has molestias ferret, et aperte contra Archiepiscopum certamen sumendum, admissa domo Toleti, hortabatur; sed propter expeditionem praedictam non visum est expedire ut id quod petebat a Societate fieret; cum praesertim obtendere posset Archiepiscopus quae ad Complutense Collegium pertinebant; [etenim] cum eo nostri convenerant, ut nulla domus admitteretur in ejus dioecesi, nisi prius cum eo res esset communicata.

2840. Scripsit autem P. Franciscus Archiepiscopo se non contulisse ad id usque tempus hoc cum ipso negotium, eo quod neminem de Societate mittere Ocaniam adhuc constitueret.

2841. Haec voluntas Archiepiscopi, ne domus Madridii emeretur, de qua paulo ante diximus [1], etiam effecit. Utebantur autem tantum nostri mediis, precibus, scilicet, et commendationibus; nam Princeps et Consilium regium (ad quos spectabat hanc injuriam Societati ac Protonotario [2]) factam repellere, eo minus contra Archiepiscopum [3] quicquam moliebantur, quod adhuc sperarent Busiae bellum Archiepiscopum esse susceptorum; et quia judex quidam in aliis negotiis nescio quid, quod parum erat gratum Archiepiscopo, tentabat, ferebatur quod

---

[1] Vide supra, n. 2769.
[2] Ms. *a Protonotario.*
[3] Ms. *Episcopum.*

jam se excusaret a praedicta expeditione, et coacta fuit Princeps Joanna denuo rem commendare Archiepiscopo, et judici moderationem injungere.

2842. Post paucos menses P. Araoz censebat aliam viam asperiorem teneri posse; et quamvis pro se evocaret Protonotarius quaecumque fecerat, cum notoriam vim pateretur, et publica esset causa dissimulandi; [et quamvis] nihilo minus donatio valida futura erat, et integrum jus Societati quaesitum; noluerunt [tamen] nostri, et quidem prudenter, ut adscriberetur Societati quod ejus causa Archiepiscopus ab expeditione praedicta destitisset; et caverunt ne Princeps Joanna quidquam sciret, ne aliquid designaret in favorem Societatis, quod eo tempore non conveniret.

2843. Cum itaque tres menses Protonotarius Toleti detentus fuisset, et uno die in carcerem publicum et compedes conjectus, acquievit voluntati Archiepiscopi invitus, et quod in ipso erat, rescidit contractum cum Societate factum, in quantum poterat scilicet, et de jure licebat. Et haec addidit verba ne praejudicium ullum Societati pararetur, quia de jure id prorsus facere non poterat quod fecit.

2844. Postulavit ergo ut a Summo Pontifice facultas erigendi Collegii secreto impetraretur, cum derogatione quorumvis mandatorum Archiepiscopi, etc.

2845. Admonuit etiam P. Emmanuelem [1], qui nostris complutensibus praeerat, Protonotarius postquam Toleto Ocaniam redierat, cum magna significatione suae voluntatis, et cum consilio peritorum se rescissionem illam contractus fecisse propter minas et vexationem; et voluit officium, quod habebat Romae, vendi, ut expeditio tota conficeretur: poenam quidem duorum millium ducatorum imposuerat Archiepiscopus; sed auctoritate Sedis Apostolicae irrita fieri poterat.

2846. Fecerat hoc etiam bonus senex ante rescissionem contractus, ut coram notario et quibusdam amicis protestaretur se ratam esse velle donationem, licet eam ob timorem et ad redimendam vexationem revocaret. Et ita res ad effectum fuit deducta.

2847. Cum intellexisset P. Laynez, Vicarius, in Hispaniae

[1] Scilicet, P. Emmanuelem Lopez.

Provinciis tam paucos esse professos, ut deesset is numerus, qui juxta Constitutiones ad electionem Generalis convenire debet, cum tamen P. Ignatius ad aliquos admittendos facultatem dedisset, et eorum, ut superius attigimus [1], catalogum jam dudum ante hoc tempus accepisset, voluit sententiam nostrorum, ac praecipue P. Francisci Borgiae, intelligere, an scilicet expedire eis videretur, ut illi, qui jam designati erant, professionem emitterent; et initio quidem tam P. Franciscus quam P. Natalis expedire judicabant, ut eorum professio ad primam Congregationem differretur. Postea tamen sententiam P. Franciscus mutavit, et re communicata cum Patre Bustamante post reditum Patris Natalis in Italiam, cum videret ex paucis professis aliquos esse valetudinarios et qui difficile possent ad Congregationem accedere, sentiebat in Provincia Castellae et Baeticae aliquos saltem ex designatis ad professionem admitti debere; nec enim dilata fuerat ipsorum professio ob culpam ipsorum, et si suspicati fuissent Superiores mortem P. Ignatii, haud dubie illos, ipso vivente, ad professionem admisissent.

2848. Conditionem tamen hanc addendam esse censebant, ut in posterum nunquam fieret, ut vacante sede Generalis, quisquam ad professionem admitteretur, ne aliqua occasio ambitioni aut errori cuipiam daretur; sed tamen securius esse visum est, omnibus consideratis, ut nulli eo tempore ad professionem admitterentur, ne periculosum posteris exemplum daretur [2].

2849. Erat in hoc autumno decretum facultatis theologicae parisiensis tam vulgatum in Hispania, ut passim in ore omnium esset, qui enervare ea ratione Societatis nostrae existimationem cupiebant [3]. Et ita P. Franciscus rem ad P. Vicarium detulit, ut videret, nunc aliquod remedium adhibendum huic malo esset.

2850. Hoc mense Octobri profectus est P. Franciscus Complutum, ubi hyemem exigere decreverat, nec suam operam inutilem fore ea in Universitate arbitrabatur. Reliquit autem Collegium Vallisoleti et Salmanticense satis instructa electis operariis, nam Vallisoletum velut emporium erat regnorum Hispaniae, propter Principis curiae seu cancillariae, (sic vocant

[1] Vide supra, pag. 51, 52, n. 144-148.
[2] Vide supra, pag. 51, n. 147.
[3] Ms. *cupiebat*.

senatum regni Vallisoleti) praesidentiam; praecipue post Imperatoris adventum; et ita viros idoneos ad legendas Scripturas et concionandum, et ad alia, quae bonum odorem vel aedificationem praebere poterant, ibi reliquit; inter alios autem Doctorem Madridium, qui miro praedicandi et commovendi animos dono praeditus erat, ibi reliquit, qui Threnorum lectionem (quam ipse P. Franciscus inchoaverat) est prosecutus. Bonos etiam auditores theologiae et philosophiae et alios theologos, qui praesiderent disputationibus. Patrem etiam Baptistam Sanchez, qui concionabatur cum magno applausu, Vallisoletum vocavit.

2851. Salmanticae autem, praeter studiosos valde idoneos, egregium theologum, qui praeesset disputationibus et praefectus esset studiorum constituit

2852. Tantumdem fecit Compluti, ubi lectionem eamdem Hieremiae prosequi voluit; et eodem Doctorem Avellanedam [1] evocans, ac Patrem Villanovam, Placentia accersitum, Complutum reducens, satisfacturum se abunde Doctori Vergarae putabat.

2853. Praeter lectionem autem praedictam ipsius P. Francisci, quam dominicis ac festivis diebus prosecutus est, Dr. Avellaneda doctrinam christianam ibidem enarrabat; nec tamen introduxit vespertinum officium quod tantum, Vallisoleti, cum concio pomeridiana habebatur, inductum fuerat, et non Missa, quamvis Marchioni de Tavara P. Ignatius eam cum vespertino officio concessisset.

2854. Obtulit P. Vicario idem P. Franciscus eamdem curam se habiturum ut Romano Collegio prospiceretur, quam tempore, quo vivebat P. Ignatius, se curaturum receperat.

2855. Cum canonici ecclesiae quam *del Pilar* vocant, Caesaraugustae urgerent P. Franciscum ut ad se P. Franciscum Stradam concionaturum in Adventu et Quadragesima mitteret, eis gratificandum censuit, et Vallisoleto Caesaraugustam misit, ubi usque ad Congregationis tempus aliqua eorum, quae sui muneris erant, curare poterat.

2856. Exonerabat etiam se aliqua ex parte negotiis ad Provincialem pertinentibus, et inter caetera ad amortizationem bo-

---

[1] Vocabatur Dr. Didacus de Avellaneda, de quo loquuntur *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 141 et 142.

norum P. Hieronymi Domenech Vallisoleti curandam, cuidam nominatim hanc curam commisit; et quia a P. Vicario litteras accepit, quibus eum admonebat, ut ad observantiam Constitutionum ac Regularum P. Natalis opera uteretur, se eum fuisse retenturum, si in Hispania fuisset, rescripsit; sed quando ille recesserat, Patris Bustamante, quem penes se retinebat, auxilio se usurum.

2857. De Congregationis loco, Avenionem quidam praeferebant; sed si id fieri non posset, nec Nizae nec Genuae ut alii, sed Romae habendam esse censebat, cum multis in rebus auctoritate Summi Pontificis opus esse posset.

2858. Quoad tempus autem, decrevit ut nostri 20.ª Januarii sequentis anni proficiscerentur, cum frigora sese remittere incipiunt; ut cum mensem unum Romae exigerent, redire in Hispaniam ante graviores aestus possent; nam opera eorum magnopere Provinciae illae indigebant, nec diuturnam absentiam facile pati poterant. Non curavit autem ut Congregationes provinciales fierent in Castella et Baetica propter professorum defectum, nec etiam in Aragonia; in Portugallia tamen facta fuit.

2859. Fuerunt autem Rectores admoniti a P. Francisco, ut ea adnotarent, quae in Congregatione provinciali proponenda viderentur.

2860. Inter rationes illas propter quas P. Franciscus ad Congregationem sibi veniendum non censuit, illa una fuit, quam nunquam ante id tempus dixerat, quod, scilicet, cum Cardinalis esset Paulus Papa IV et ipsum inviseret, multo egerat de eodem ad cardinalitiam dignitatem promovendum, et si superstes fuisset Paulus Papa III non permissurum esse ut sic in Hispaniam rediret, idem dixerat.

2861. Itaque cum ad pontificatum ipse promotus esset, timeri poterat, ne tunc id exequeretur quod cum Cardinalis esset significaverat, et Princeps Joanna hoc ipsum timere videbatur; et cum de pace inter Pontificem et Regem Philippum tunc ageretur, si tali rerum statu Romam venisset, praeter [1] periculum praedictum, obmurmurandi occasionem non paucis dare potuisset, quasi ad aliquid venandum Romam veniret.

---

[1] Ms. *propter*.

2862. Inter alia de quibus P. Vicarium consuluit P. Franciscus illud fuit, quid agendum esset cum quodam sacerdote cognomine Coria, qui biennio in Societate fuerat, et in ea sua vota emiserat, ac bonorum suorum donationem eidem fecerat ducentorum fere ducatorum annui reditus: [is] nocte quadam, hospite insalutato, recedens, et in patriam, scilicet Utreram perveniens, bona sua sibi restitui postulaverat. Itaque jam inde ab eo tempore aliquid negotii hujusmodi donationes exhibebant. Sed de hoc quid postea successerit suo loco dicetur.

2863. D.ª Leonora Mascaregnas, quae olim Regis Philippi educandi, hoc autem tempore Caroli ejus filii curam gerebat, cum magno devotionis affectu aliquid sibi de rebus P. Ignatii donari postulabat; nam eum ante Societatem institutam, ut virum sanctum illa vehementer colebat; et eum ac Societatem suis eleemosynis adjuverat. Itaque P. Franciscus ex vestibus vel re quavis ejusdem Patris aliquid ad ipsam mitti P. Vicarium oravit.

Et haec de P. Francisco et de tota Provincia Castellae.

DE PROVINCIA BAETICAE

AC PRIMUM

DE COLLEGIO CORDUBAE

2864. Distinctum erat hoc Collegium in duas partes; altera, ad operarios et scholarum praeceptores et aliquot studiosos pertinebat (sub initium hujus anni numero quindecim erant); altera ad domum probationis fuerat segregata, ubi octodecim versabantur, et his P. Joannes Plaza jam inde ab initio hujus domus, id est, a 20.ª die Octobris anni 1555, praefectus fuerat [1]: admirandos autem progressus novitii in via Domini faciebant; et ipsa recollectione, spiritus eorum dilatari vehementer coeperat; et magno cum fervore castigando corpori et edomandis affectibus vacabant; et cum aliis spiritualibus exercitationibus satisfecerant, mechanicis quibusdam officiis operam dabant; hic libros, ille sartoris officium, et alii alia addiscebant, et magna alacritate animi obedientiae et aliis omnibus regulis observandis dabant operam; et causa profectus haec esse existimabatur, quod cum resignatione plena voluntatum ac judiciorum in observationem [2] Constitutionum ac Regularum omnes incumbebant. In quarum observatione postquam P. Bustamante Provincialis in Baeticam missus est [3], summum studium adhibebatur.

2865. Sacellum habebant, refectorium et culinam distinctam ab aliis, et cum ipsis Provincialis versabatur; qui se omnibus formam et exemplum, cum primus esset in oratione et

---

[1] Vide supra, t. v. pag. 533. n 1455; et pag. 542, n. 1481, annot. 3: praeterea, *ibid.*, pag. 529 et 530, n. 1446-1449, ubi cordubensis tirocinii origo describitur.—Ad hunc annum spectant *Litterae Quadrimestres*, t. IV. pag. 10, 140, 231, 388, 440 et 626, quibus Polancus est usus.

[2] Ms. *observatione*.

[3] Ut nempe succederet P. Michaëli de Torres in Portugalliam profecto. Vide supra, t. v. pag 529, n. 1445.

aliis regulis observandis, praebebat, et tam severe earum observationem exigebat, ut quemadmodum scribit P. Zarate, Collegii Rector [1], ipsimet et aliis aliquid molestiae adferebat, quia ne apicem quidem praeteriri ferebat.

2866. Venerant ad hanc probationis domum sub finem anni praeteriti ex Collegio Granatae missi, Dr. Madrid, qui aliquando collegialis fuerat Salmanticae Collegii S.ti Bartholomaei, et philosophiae cursum ibi praelegerat et eximio ingenio praeditus habebatur [2]; Granatae autem theologiam docebat, vir magnae sinceritatis et prudens, et in probationibus se optime gerebat.

2867. Venerat ex eodem Collegio Mag. Martinez [3], qui ex sorore nepos erat Archiepiscopi [4], et cum ipsius consilio Societatem fuerat ingressus, quamvis ad dignitates ecclesiasticas promoveri facile potuisset; Rector erat Collegii regii Granatae et cursum philosophiae legerat. Alii etiam Hispali et ex aliis locis venerant, et non pauci Cordubae fuerant admissi.

2868. Quod pauci essent coadjutores in rebus temporalibus, in domesticis officiis etiam ipsi scholarum praeceptores exercebantur; et aliquid difficultatis ea in parte Collegium experiebatur.

2869. Quod ad externos attinet, instabant plurimi ut ipsorum confessiones audirentur, et ut morituris adessent; et quamvis prius, tam Rector quam alii sacerdotes, piis hujusmodi [desideriis] satisfacere conarentur; quia tamen domi Instituti observatio perturbabatur interdum, videbatur P Bustamanti, Provinciali, domesticam disciplinam esse praeferendam; et ita ad alias religiones postulatores hujusmodi dirigere oportebat: quamvis illi interdum expectare diu mallent, quam ad alios se convertere. Ad populi autem aedificationem non parum esse dicebat Provincialis lectionum in scholis occupationes et scholasticorum confessiones; praedicationem praeterea et chri-

---

[1] P. Alphonsus Zarate, de quo plurima habentur in editis voluminibus. De eo agunt *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 10, 231, 236, 440, etc.

[2] Antonius Madrid, cujus in Societatem ingressus narratur supra, t. V, pag. 512 et 513, n. 1398, et de quo facta est mentio supra, in hoc ipso tomo, pag. 579, n. 2505. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 696 et 761.

[3] "Hic ille est Petrus Martinez, ortus in oppido Rivafrecha.„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 225, annot. 3.

[4] Petri Guerrero, granatensis Archiepiscopi sanctissimi, de quo saepe dictum est, et dicetur infra, praecipue n. 2962 et seq. et n. 3055 ..

stianae doctrinae instructionem; sed aliis etiam operibus pietatis, cum vacabat, nostri dabant operam.

2870. Dominicis ac festis diebus partim in Collegio, partim aliis in templis Pater ipse Provincialis cum frequenti auditorio et magna omnium satisfactione concionabatur. Post meridiem autem, cum frequens populus ad christianae doctrinae lectiones confluereet, aegre admodum ferebant mulieres quod ipsis accessus ad verbum Dei audiendum non pateret; sed ratio honestatis id non ferebat; cum in quadam area Collegii christiana hujusmodi doctrina doceretur, quae licet satis capax esset, viros tamen prae frequentia capere non poterat, unde eorum aliqui ad superiores partes domus, audiendi gratia, ascendebant.

2871. Quinque sacerdotes in Collegio erant, qui omnes dominicis ac festis diebus confessiones venientium audiebant; profestis autem diebus unus aut alter in eo ministerio occupabatur, et vix scholasticis audiendis sufficiebant.

2872. Cum autem gratiam jubilaei sub finem anni praeteriti Cordubae fuisset promulgata, plus quam ducenti in sacello Collegii communicarunt, et praeter hos alii multi nostris confessi, Eucharistiam acceperunt; et oportuit ut Pater ipse Provincialis et novitius Dr. Madrid [1] et lectores scholarum, omissis lectionibus, ad multam noctem confessionibus audiendis vacarent [2].

2873. Sub initium hujus anni, id est, in vigilia Natalis Domini, canonicis et clericis Cathedralis ecclesiae concionatus est P. Bustamante; et rogatus est ut etiam die Epiphaniae ad eosdem, inter se pacificandos et reconciliandos, concionaretur. Acciderat paulo ante, cum offendiculo non levi populi, ut cum quidam dignitas (Magistrum scholae vocant) capellam magnificam strueret, nocte quadam dirueretur, (quod Episcopi jussu factum erat, quamvis ipse negabat), et cum detrimento mille ducatorum; sed tamen Magister scholae se, ut christianum decebat, [id] ferre ostendens, cum multorum aedificatione die sequenti Missam publice celebravit.

2874. D. Joannes de Cordoba [3] confessionem generalem vel

---

[1] P. Antonius Madrid.

[2] Ms. *vacare debuerunt.*

[3] Decanus ecclesiae cordubensis et Societatis Collegii fundator. *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 233, et alibi saepissime.

multorum annorum P. Gonzalez fecerat, et in dies [singulos] aliquos de familia sua superfluos a se dimittebat, et in aliis etiam reformationem prae se ferebat.

2875. Cum abesset P. Provincialis Corduba, coepit P. Madrid initio hujus anni christianam doctrinam populo explicare, et tam copiosum spiritum dabat illi Dominus, ut in ore omnium esset quod ipsas columnas contremiscere cogeret; et multum aedificationis inde populus percipiebat, et Rectorem aliqui teneri dictitabant ad eum concionatorem populo exhibendum.

2876. Commovebat homines vehementer ad fletum; et cum semel conversas, quae penuriam patiebantur, commendasset, statim societatem viri quidam inierunt ad eas sustentandas, ita ut singuli singulis diebus necessaria illis praeberent; quorum numerus ad quadraginta ascendebat. Sed quia ipse, ob debilitatem, in praedicatione doctrinae christianae tunc progredi non potuit, P. Plaza, praefectus novitiorum, id praestitit.

2877. Relinquebant autem aliqui officia aut beneficia, quae, secura conscientia, retinere aut exercere non poterant.

2878. Commendatae fuerant P. Provinciali in Quadragesima hujus anni duae conciones singulis hebdomadis in Cathedrali ecclesia; sed cum ille Granata redire ad praescriptum tempus non posset, primi diei lunae concio cuidam sacerdoti [1], qui inter litterarum humaniorum praeceptores erat, ea concio demandata est. Ille autem tanto cum spiritu et fervore id praestitit, ut talem concionatorem se nunquam [2] audivisse testarentur. Habebat vocem ille sonoram ac plenam et quae audientes terreret: mulier quaedam, quae publice peccatrix erat, a peccato recessit in quo diu vixerat.

2879. Idem paulo ante in publica via cum concionaretur, quidam vir, qui decem annos peccatis immersus fuerat, nec a concubinatu abduci a quoquam potuerat, compunctus, miserum illum statum relinquere et ad Deum converti decrevit.

2880. Die autem mercurii sequente, P. Plaza in eodem templo Cathedrali cum audientium satisfactione est concionatus. Data etiam erat facultas a P. Provinciali ut alii duo Patres co-

---

[1] Michaëli Ramirez. Hic alius erat a celeberrimo P. Joanne Ramirez, discipulo quondam Bti. Joannis de Avila. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 232.

[2] Ms. *unquam*.

gnomine Jaen [1] et Acebedo [2] (posterior autem primae classis praeceptor erat) etiam et ipsi concionarentur; Pater autem Benedictus [3] christianam doctrinam eodem tempore dominicis ac festis diebus declarabat. Non itaque deerant Collegio Cordubensi, qui verbum Dei populo proponerent.

2881. Creverat autem ex novitiis operariorum numerus; et ita confessionibus, et juvandis morituris, et christianae doctrinae in variis parochiis docendae seriam operam dabant.

2882. Sed prae caeteris eminuit gratia Dei in praedicationibus praedicti Patris Ramirez, in quibus multi a peccatis mortalibus resipuerunt; et tam evidens fructus ex ejus praedicatione proveniebat, ut multi id adscriberent humilitati; quod qui tali talento praedicandi praeditus erat, docendae grammaticae daret operam, in qua exercitatione ab initio Collegii Cordubensis fuerat occupatus.

2883. Cum autem ille commendandos pauperes suis concionibus institisset [4], sic auditores ad beneficentiam commovit, ut publice circumferretur, ex quo ille concionabatur eleemosynas Cordubae fieri.

2884. Cum autem eidem commendata fuisset lectio doctrinae christianae, tam multi eum sequebantur dominicis diebus, ut licet area Collegii ampla esset, auditores minime capere posset; nec fere alia de re Cordubae sermo erat, quam de P. Ramirez concionibus inter ejus auditores; et quocumque ille se, praedicandi gratia, conferret, eum populus sequebatur, quorum magna vitae emendatio sequuta est; et onerabant aliqui conscientiam Rectoris, qui hujusmodi hominem non in scholis esse occupandum sed in praedicatione sentiebant [5]; et tamen ille theologiae nunquam operam dederat, philosophiae solum cursum absolverat; sed bono spiritu ac judicio praeditus, ne doctrinae defectus in eo deprehenderetur, faciebat.

2885. Episcopus Cordubensis, Dominus Leopoldus Austriae et Imperatoris Caroli patruus [6], hoc tempore non solum

---

1 P. Joannes Jaen. *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 700.
2 P. Petrus de Acebedo. *Ibidem*, pag. 231.
3 P. Benedictus..., catalaunus. *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 696, 699-702.
4 Ms. *substitisset*.
5 Ms. *sentientes*.
6 De hoc viro loquuntur *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 232, 388, 440 cum de rebus agunt Cordubensis Collegii.

cum civitate in gratiam rediit, sed etiam cum sua ecclesia, in quam jam dudum ingressus non erat, ut divinis officiis assisteret. Archidiaconus autem, nomine totius capituli, ad eum invisendum venerat, et genibus flexis, eum propter Dei amorem rogavit, ut ecclesiae suae consuleret, quae ipsi nihil nocuerat, et si ipsi peccaverant ut veniam donaret, et ita placatus ad Missam celebrandam in paschalibus festis ad ecclesiam accessit, et secundo die Paschae canonicos ad quoddam suum nemus in amoris signum invitavit; et cum nostri eum inviserent, et promptum animum ejus obsequio ostenderent, benigne eos excepit et suam operam obtulit.

2886. Qui soliti erant sacramenta frequentare perseverabant, et alii accedebant ad id invitati, et civitas illa mirum in modum ad vitam christianis dignam agendam excitata [est] nostrorum concionibus ac potissimum praedicti [Patris] Ramirez; nec facile fuit ulli alii religioni duas in Cathedrali ecclesia conciones ab Episcopo impetrare, licet id tentaverint; solum enim nostris id Episcopus concessit. Studium etiam audiendi verbum Dei in populo ex eo cerni potest, quod in quibuscumque ecclesiis Pater ille Ramirez concionaretur, licet essent amplae, necesse erat suggestum ad portam educere; ut ita tam ab his, qui erant in templo, quam ab aliis, qui plateas implebant, audiri posset; immo aliqui in tectis domorum eum audiebant.

2887. Illa autem nocte qua Princeps juratus fuit Carolus, in platea concionatus est [1]. Sed et alios concionatores libenter homines audiebant et magna de Societate nostra existimatio et studium erga eam Cordubae hoc tempore cernebatur; nec omittam quod, cum ante id tempus qui curam habebant domus conversarum, conquererentur paucas aut nullas ex hujusmodi mulieribus ad se venire, post conciones P. Ramirez tam multas ex his excipere debuerunt, ut jam domus eas capere non posset; certatim enim flentes ad eos veniebant, et ut admitterentur urgebant, et nullis laboribus adductae retrocedebant.

2888. Fiebant etiam restitutiones rerum male partarum; et sollicite etiam per loca vicina Cordubae hi quaerebantur, quibus restitutiones erant faciendae, et ut intelligeretur, an in contractibus aliquid illicitum fuisset admissum.

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 232. Quae enim hic narrat Polancus, ea magna ex parte desumpta sunt ex litteris cordubensibus, Romam hoc anno missis.

2889. Inter ea, quae multum aedificationis praestabant, cura erat qua nostri damnatos capitali sententia [juvare] ad bene moriendum nitebantur: fuerunt autem hoc anno multi hujusmodi homines Cordubae extremo affecti supplicio; cum enim magna esset annonae caritas, praedas agebant multi non procul a portis Cordubae. Accidit aliquando simul octo aut novem ex his capere, qui omnes erant saraceni, christianorum servi. Duo illorum ad fidem christianam conversi fuerunt; et quidem alter eorum cujusdam nostri scholastici opera, cum ad suspendium duceretur: evocabantur autem a judicibus confraternitatis, quam vulgo *hermandad* vocant, quae ad capiendos facinorosos a Rege Ferdinando fuit in Hispania constituta.

2890. Sub autumnum P. Alphonsus Lopez, qui Conchae nostris praefuerat, Cordubam ut Rector esset ejus Collegii missus est, cum magna consolatione Patris Zarate [1], qui eo fuit onere sublevatus.

2891. Coepit autem statim concionari praedictus P. Alphonsus postridie quam venerat, et ejus doctrina et spiritus non parum satisfecit; quamvis vox ejus propter debilitatem non ab omnibus excipiebatur.

2892. Eodem die, scilicet S.ti Matthaei, alio in templo satis amplo concionatus est P. Ramirez, nec auditores locus capiebat: fuit habita insignis et perutilis ea concio, et inter alios tam valide fuit virgo icta gladio verbi Dei, ut exanimata domum deduci debuerit, et cum ad se tandem, aqua infusa et aliis remediis, rediit, statim ornamenta sua a se abjecit, uberes effundens lacrymas, nec usque ad noctem cibum capere volens.

2893. Hoc mense Septembri Dr. Madrid Vallisoletum, ut superius diximus [2], [a P. Francisco Borgia vocatus fuit]; et ante recessum tres vel quatuor habuit conciones, quae multum terroris et admirationis hominibus attulerunt.

2894. Pater etiam Benedictus [3] Vallisoletum Corduba profectus est. Alii tamen eodem loco Collegium aut domum probationis augebant; quamvis haec domus, ut facilius sustentaretur ex eleemosynis, Granatam transferenda videbatur; quamvis

---

1 P. Alphonsi Zarate.

2 Supra, pag. 579, n. 2505, et pag. 651, n. 2798.

3 Ita perpetuo, tacito ejus cognomine, in MONUMENTIS nostris appellatur. Vide supra, n. 2880.

mirum in modum proficerent, qui in ea Cordubae versabantur; et videbatur quodammodo ratio profectus ad artem reducta, quod testabatur Mag. Martinez, quem diximus [1] consobrinum Archiepiscopi, qui affirmabat se non posse [meritas] Deo gratias agere unquam, quod ad eam domum ipsum adduxisset, et cum ille diu se in rebus spiritualibus exercuisset ante Societatis ingressum, velut a quadam caligine ad clarum diem sibi deductus videbatur; et humiliationis et abjectionis desiderium sic sentiebat, ut quodammodo minus quam homo haberi cuperet, et sic tractari; et ad id testandum, aliquando cum clitella, dorso alligata, in refectorium ingressus est.

2895. Dicebat autem se ad id usque tempus per speculationes et imaginationes Deum exquisivisse [2]; et quod tandem intellexerat nulla ratione melius inveniri posse, quam si quis ut jumentum fieret, ut ab ipsius sapientia infallibili regeretur; et cum eo animo ad domum probationis venisset, ut laetaretur dum cogitabat se brevi in ea mansurum; jam affirmabat, sine obedientia, quamdiu viveret ex ea non egressurum.

2896. Venit simul cum eo quidam ejus discipulus, in philosophia bacchalaureus, non solum ingenio sed simplicitate etiam eximius. Experiebatur autem plantari spiritum et usum mortificationis ex continua meditatione passionis Domini. Hac ipsa tamen aestate imminente, haec probationis domus Corduba Granatam translata est [3].

2897. Quoad scholas attinet, diebus veneris P. Provincialis de scholasticorum Regulis conciones apud eosdem habuit, donec eas omnes explicaret. Coeperant autem studia renovari in festo S.ti Lucae anni praeteriti, et D. Joannes de Cordoba eodem die solemnem Missam celebravit cum magnis musicorum concentibus; concionatus est autem Provincialis, multis nobilibus, canonicis et clericis audientibus, qui alioquin non admodum avidi verbi Dei audiendi videbantur.

2898. A prandio vero quidam ex scholasticis provectioribus latinam orationem cum magno omnium applausu habuit,

---

[1] Supra, n. 2867.

[2] Ms. *exquisierat.*

[3] Hujus translationis causas explicatas invenies infra, n. 3058, ubi agitur de P. Bustamante, Baeticae Provinciali: translationis vero tempus, *ibid.* n. 3061, statuitur "sub initium mensis Maji„.

et statim dialogus quidam fuit exhibitus, in quo tres sorores, grammatica, rhetorica et dialectica, de primatu contendebant; et cum judex esset Momus, supervenit victus et sorores coronavit hoc pacto, ut sibi servirent, et finem dialogus habuit precationibus, quibus singulae sorores praedictae, genibus flexis, gratiam a Deo postulabant, ut se totas ejus obsequio et communi bono impenderent, quae res ad magnam devotionem auditorium, quod frequens erat, commovit.

2899. Non est autem inchoatus philosophiae cursus eo tempore [1] ob honestas causas, quod aegre tulerunt aliqui, qui jam biennium litteris humanioribus in prima classe dederant: maluerunt tamen in annum sequentem haec studia spectare, quam ad alias Universitates se conferre.

2900. Florebant autem scholae humaniorum litterarum numero auditorum, qui ad trecentos ascenderat; et non mediocriter in virtutibus et litteris proficiebant, et conciones ad utrumque eos animabant et adjuvabant. Aliqui ex eis orationi dediti erant, et quidem non pauci, ad quam etiam voluntariam flagellationem, sive disciplinam, privatim addebant; et tam ex eis quam ex aliis popularibus, complures religionem ingrediebantur; praecipue postquam P. Ramirez coepit concionari, multi ex eis ad Societatem aspirabant; et ex eis aliquos in Portugalliam P. Zarate dimisit, quos ibidem in Societatem libenter admiserunt.

2901. Hoc anno [2] cursus philosophicus fuit inchoatus et positiones publicae dominicis diebus post meridiem ante doctrinae christianae expositionem defendebantur, in quibus ingenia cordubensium, quae in Hispania valde commendari solent, sese prodebant.

2902. Aderant religiosi quidam et parentes discipulorum, qui non parum consolationis percipiebant dum filios disputantes intuerentur; et Deo gratias agebant quod tantum boni Cordubam attulisset.

2903. Ex his scholasticis, qui in Societatem se admitti postulabant, donec absolverent artium curriculum expectare jubebantur. Alii autem laici, qui hoc ipsum petebant, cum ani-

---

[1] Scilicet, *in festo Sti. Lucae anni praeteriti*, quando *coeperant studia renovari* ut nuper dictum est, n. 2897.

[2] Nimirum, anno 1556.

madverterent se ideo non admitti quod illiterati essent, suis officiis relictis, quibus antea dabant operam, ad studia sectanda se convertebant. Quidam autem, ut diximus, ad alias religiones divertebant.

2904. Renovata autem fuerunt studia, hoc anno statim post Nativitatem B. Virginis, et plures quam quadraginta auditores praeceptor logices habebat. Praecesserat autem ipso die Nativitatis Beatae Virginis dialogus quidam in ipsius laudem, quod spectatoribus multum consolationis attulit.

2905. In vigilia Assumptionis B. Virginis impositus tandem finis fuit controversiae, quae inter canonicos et portionarios Cathedralis ecclesiae septemdecim annos utrosque exercuerat, qua in re multum curae D. Joannes de Cordoba adhibuit, et ferebatur orationes et corporis castigationes Collegii nostri hanc a Domino gratiam impetrasse.

2906. Prius etiam impetratum est ab Episcopo ut sanctissimum Eucharistiae sacramentum in sacello reponeretur; id quod prius, ut credendum est, ob rationes aliquas rationi consonas, denegaverat; sed cum res Domino in Collegio nostro diu commendaretur, placuit ipsius bonitati ut non solum Episcopus facultatem hanc concederet, sed ipsemet suam operam ad sanctissimum sacramentum in praedicto sacello reponendum obtulit, qua in re inter humana media non parum valuit D. Joannis de Cordoba apud Episcopum auctoritas.

2907. Cum ergo Provincialis Episcopum inviseret pridie octavae Corporis Christi, qui dies ad reponendum sacramentum erat designatus, fuit ab eo benigne exceptus; et cum in pontificali fuisset ipsi ostensa formula benedicendi ecclesias, laetus admodum Episcopus (quia id prius non crediderat) [1], die sequenti se repositurum sanctissimum sacramentum recepit.

2908. Curavit ergo Dominus Joannes totum Collegium pretiosis aulaeis ornari, et in quatuor angulis areae quatuor altaria optime parata erant; fontes etiam et arcus ad solemnitatem ornandam parati fuerant; et scholastici hispanicis versibus, qui fecunditatem ingeniorum et devotionem prae se ferebant, in S.mae Eucharistiae commendationem factis, pro virili parte solemnitatem auxerunt; quos ut excitaret D. Joannes de Cor-

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 388.

duba aliquot ulnas serici et vas argenteum in praemium proposuit [1].

2909. Cum ergo Episcopus mature admodum in octava Corporis Christi venisset ad Collegium, benedictionem ecclesiae per seipsum peregit, et ipsemet egressus est ad aream et scholas aqua benedicta aspergendas. Secuta est deinde Missa cum magna cantorum et instrumentorum praeparatione. Deinde ad prandium fuit invitatus Episcopus a Domino Joanne, qui prae animae laetitia exultabat; et videre sanctissimum sacramentum in suo Collegio repositum, pluris se facere dicebat beneficium ab Episcopo ea in re acceptum, quam si archiepiscopatum toletanum accepisset.

2910. Quarta hora post meridiem ex ecclesia S.ti Dominici, quae prope Collegium est, sanctissimum sacramentum in nostram ecclesiam cum magna solemnitate fuit delatum. Praecedebant omnes parochiarum cruces; et in singulis quatuor altaribus, quae praeparata diximus in area, stationes factae et carmina in laudem sanctissimi sacramenti decantata [sunt]; praecedebant et quaedam choreae valde ornatae scholasticorum, quibus aliqui nobiles se adjunxerunt, et multum aedificationis spectantibus dederunt. Et ita ad ecclesiam perventum est, ubi sanctissimum sacramentum fuit repositum; et cum aliqua repraesentata et cantata fuissent de eodem sacramento, rediit ad domum nostram Episcopus et cum aliis multis dialogum de sanctissimo sacramento, per scholasticos egregie actum, cum consolatione audivit; et sic demum Episcopus recessit.

2911. Cum autem multae mulieres convenissent, nec in Collegium aditus eis pateret, quod Institutum nostrum id non ferat, P. Provincialis ad easdem concionem in ecclesia de sanctissimo sacramento habuit, quod utilius et gratius ipsis accidit quam si dialogum, prout cupierant, audivissent. Sic ergo cum summa nostrorum laetitia S.mam Eucharistiam habere nostri in suo sacello coeperunt.

2912. Propter aestus, qui Cordubae in aestate sunt maximi, remitti aliquot mensibus studia ex parte debuerunt, quamvis mane et vespere in singulis classibus aliquid sit actum, ne scholastici otio distraherentur, et in gratiam eorum, qui philo-

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 389.

sophiam erant aggressuri in autumno, summae quaedam dialectices sub finem aestatis lectae sunt.

2913. Noctu ad sacellum Collegii seu ecclesiam multi scholastici et alii cives ex his, qui sacramenta frequentabant, convenire soliti erant, et orationi et disciplinae [operam] navabant; prius quidem in quamdam aulam conveniebant, sed usque adeo numerus crevit ut et aulam et capellam occuparent.

1914. Dominus Joannes de Cordoba hac Quadragesima in suum oppidum, Rute nominatum, se contulit, ut suos et inviseret et eisdem concionaretur. Ex quo nostri in novam domum migrarunt, satis multos, quibus spiritualia exercitia traderent, habuerunt.

2915. In festo S.tae Catharinae, cui nostra ecclesia sacra erat, pro suo more Episcopus Missam solemnem celebrare voluit, et concio cum magna auditorum satisfactione fuit habita. Invitavit autem Dominus Joannes in nostro Collegio aliquos etiam ex familiaribus Episcopi, et laetatus est valde cum nostros omnes, refectorium implentes, videret.

2916. Aedificium scholarum, quod absolutum non erat initio hujus anni, diligenter promoveri coepit, quamvis impedimenta in progressu propter exactiones Regis patiebatur; nam expensis civitatis fiebat.

2917. Conquerebantur autem cordubenses quod [D. Joannes] non impetraret a Principe Joanna bona quaedam, quae civitas optabat ad hoc opus absolvendum. Parietes sub finem aestatis ad fastigium perducti erant, et fabri lignarii ad eos tecto operiendos sedulam operam dabant. Et haec de Collegio Cordubensi.

DE COLLEGIO GRANATENSI

2918. Venerat sub finem aestatis anni praeteriti P. Provincialis Bustamante et P. Basilius, qui [Alphonsus] Avila prius dicebatur; et P. Basilius magno cum concursu concionari, et cum magna hominum commotione, coeperat, et fere tota nobilitas eum sequebatur, et magna messis confessionum et spiri-

tualium exercitiorum consequebatur [1]; inter quos non pauci ad Societatem animum applicabant [2].

2919. In monasteriis etiam spiritualia colloquia et in custodiis publicis conciones habebantur, et quod non exigui momenti censendum erat quia valde rarum, etiam neophyti ex saracenis, quorum Granatae multa erant millia, ad sacramentum confessionis accedebant.

2920. Ad religiones etiam virorum et feminarum aliqui movebantur, et eas ingrediebantur. Multo autem plures ad vitae mutationem in melius excitabantur.

2921. Sub finem Novembris mensis praeteriti anni concionatus est [Pater] Basilius in funere Reginae Isabellae, Ferdinandi [uxoris], cui interfuit Archiepiscopus cum senatu vel cancellaria (nam Granatae senatus hic habetur ad causas totius Baeticae decidendas) [3].

2922. Aderat et Praeses, Episcopus Abulensis [4], et fere nobilissimi quique insignis ejus urbis, religiosi, theologi ac juris periti, et tam avide hunc Patrem audiebant ut, si bis aut ter singulis diebus esset concionatus, vix explere posse audientium desiderium videretur; sed ex praedicta concione in exequiis praedictae Reginae et altera, quam de judicio habuit, fructum insignem retulit; et interdum, non templa solum sed viae vicinae auditoribus erant plenae, ut vel templa esse maxima [oporteret] in quibus concionaretur, vel in plateis esset ei concionandum.

2923. Studiosi autem ejus Universitatis plurimi inter ejus auditores erant; et vix ulla urbs in Hispania erat, quae tantum Societatis affectum ostenderet.

2924. Sub finem anni praeteriti pauci adhuc erant confessarii, et ita satisfacere confluenti multitudini non poterant; tribus tamen diebus paulo ante festa Natalitia, cum jubilaeum Granatae publicatum esset, ducentis poenitentiae et Euchari-

---

[1] Ms. *consequebantur*.

[2] De P. Basilio Avila deque rebus per socios actis Granatae multa habent *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 223, 526 et 621; quo postremo in loco dies obitus ipsius Patris, 17 Octobris hujus anni 1556 ex SANTIVAÑEZ, *Historia* ms. *de la Provincia de Andalucia*, lib. II, cap. VII, n. 10, statuitur. Vide infra, n. 2961.

[3] Haec tradunt *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 743 et seq., quas vide sis.

[4] Didacus de Alava et Esquivel, Praeses regii tribunalis granatensis, de quo alibi diximus.

stiae sacramenta domi suae nostri ministrarunt. Multi per hoc ministerium a statu damnationis ad viam salutis reducti sunt. Negotiationes illicitae non paucae relictae; restitutiones plurimae factae, inter quas aliqua ad quingentos ducatos accessit. Aliqui, qui inimicitias inter se exercebant et litigabant, conciliati mutuo et pacifici domos redierunt.

2925. Sed insignis fuit quaedam inter duos viros divites et honoratos [reconciliatio]; quorum alter, alapa ab altero percussus, ipsum reum peregerat; et quinque annorum exsilio et quingentis aureis damnaverat, ita ut ad triremes esset mittendus, si poenam injunctam non explevisset. Sed hic, qui injuria fuerat affectus, post confessionem apud nostros factam, adversarium accersivit, et coram aliis viris honestis, genua flectens ante illum, et veniam ab eo poposcit. Dum autem ille, qui propter offensam damnatus fuerat, hanc offensi humilitatem intueretur, flexit et ipse utrumque genu, et mutuis se fletibus complexi sunt; nec a lacrymis, qui aderant huic spectaculo, abstinere poterant. Amici itaque facti sunt; et qui offensus fuerat, poenam offensori condonavit.

2926. Ludi et juramenta, magna ex parte, cessabant. Ipso natalitio [Servatoris Jesu] die post meridiem P. Basilius invisit peccatrices publicas ut illis concionaretur; et ita compunctae verbo Dei fuerunt, ut post uberes lacrymas recedere omnes ab illa domo publica vellent; sed partim ob debita, (cum numerata pecunia tunc non adesset), partim a lenonibus, qui curam earum habebant, impeditae fuerunt; unica tantum eo die egredi potuit.

2927. Advocavit autem P. Basilius hominum multitudinem, qui partim peccandi gratia, partim ut audirent concionem convenerant, et in templum ut christianam doctrinam audirent adduxit; ubi fusis precibus ad Dominum, et peccatorum venia petita atque emendatione proposita, eos dimisit. Postridie alius ex nostris sacerdotibus easdem foeminas adiens et eis concionatus simul cum aliis hominibus, qui eo venerant, duas ex illis eduxit; et ad templum, sicuti die praecedenti factum fuerat, deduxit.

2928. Tertio festo Natalis duo alii ex nostris eodem se contulerunt, ut alter mulieribus, alter viris concionaretur, et una ex eis educta est, et homines ad templum [ut] superioribus die-

bus adducti. Die Innocentium quartus rediens, sex ex hujusmodi mulieribus eduxit; et viros inde etiam abduxit; et cum lenones, qui hujusmodi mulierum curam gerebant, id aegre ferrent, praetori curiae res significata est.

2929. Fuit autem permissum P. Basilio, ut eis, si vellet, in templo concionaretur; et jussit eo praedictas foeminas adduci, ut sine praedictorum hominum timore libere possent egredi quaecumque ad id a Domino moverentur.

2930. Quinta ergo die, tum praedictis tum vulgi multitudini, quam templum minime capiebat, cum coepisset concionari, tanta in auditoribus animorum commotio secuta est, ut in lacrimas et clamores prorumpentes, flexis genibus quotquot aderant, misericordiam a Deo implorarent [1] et gratiam illis mulierculis a statu peccati egrediendi. Quinque tunc ex eis conversae sunt, et quaedam inter fletus exanimata.

2931. Fuerat pio dolo cujusdam, eo [2] deducta puella quaedam honesta, sed cujus totum studium erat in corpore ornando, et ita elata cervice, vana incedebat; sed haec reversa domum, statim pulchras vestes exuens et alias valde honestas induens, quamdam sororem monialem adivit, ut apud illam maneret.

2932. Quidam etiam vir erat, qui aliquot annos in peccato perstiterat, qui etiam illudebat P. Basilio, cum ad praedictam concionem in templum ingressurus esset; sed ille etiam sic compunctus fuit, ut statum etiam peccati reliquerit.

2933. Inde ad domum hujusmodi mulierum pergens P. Basilius, quadringentos fere homines inde in Cathedralem ecclesiam abduxit, christianam doctrinam decantantes.

2934. Fuit autem commendanda pietas cujusdam servi Dei, qui ad mulieres, quae remanserant in loco illo publico, se conferens, singulis binos argenteos donavit ne saltem illa nocte ullum virum ad se admitterent, quod illas observasse intellectum est.

2935. Fuerunt autem his diebus eleemosynae collectae, quibus aes alienum, quod mulieres illae conversae ad Dominum, contraxerant, solutum est; et ut eisdem de honesta ratione vitae prospiceretur.

---

[1] Ms. *implorabant*.—De his vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 745.

[2] Scilicet, ad templum deducta.

2936. Fuit juvenis quidam qui ad id duodecim ducatos dedit; alius vas argenteum loco pecuniae, et ita alia obtulerant. Unus ex nostris sacerdotibus quatuordecim ex eis confitentes peccata audivit, quarum aliquae viris nupserunt, vel ad nuptias se praeparabant: aliae manere cupiebant apud eosdem, a quibus ex charitate receptae fuerant: tam multos enim moverat Dominus ad hujusmodi mulieres excipiendas et in honesto statu collocandas, ut longe eorum numerus mulierum numerum superaret.

2937. His diebus praedictis singuli sacerdotes nostri cum fratribus singulis ad campos hominibus plenos, qui chartis atque aliis modis ludebant, egressi, eos congregabant et inde ad aliquod templum vicinum, christianam doctrinam decantando, deducebant; quo cum perduxissent, de rebus ad ipsorum salutem pertinentibus instruentes, domos suas remittebant; et in hujusmodi exercitatione vespertinum tempus impensum est, cum totius civitatis aedificatione.

2938. Ipso die Circumcisionis hujus anni 1556 [aliqui e nostris iverunt] in quamdam plateam, ubi plusquam mille homines erant, qui neophytos, melicopoli operam dantes, spectabant; et dum sacerdos alter concionabatur his hominibus, alter simul cum socio christianam doctrinam decantabat, et praecipue servos aethiopes instruebat; et ita hujusmodi festa daemoni valde ingrata acciderunt, et populo multum aedificationis praestiterunt [1].

2939. In hujus anni decursu populi granatensis erga nostros devotio occasionem de ipso benemerendi nostris attulit; nam ea benevolentia, velut hamo quodam, homines peccatis immersos ad se alliciebat, ex quibus plurimi singulari cum fructu generales confessiones, quae ipsorum saluti erant necessariae, instituerunt; soliti enim erant non pauci sic ad hoc sacramentum accedere, ut praecipua animae vulnera in corde putrescentia ne aperirent quidem.

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 746 et 750 haec habent: "El día de año nueuo á la tarde fueron dos Padres con sus hermanos á una plaça, donde auia mill personas, que miraban á los moriscos que hazian melcochas, y les predicaron y dixeron la doctrina, special á los negros.„ Quae sic vertit latinus interpres, *ibid.* pag. 750: "Die. . Circumcisionis Domini duo Patres plateam quamdam, ubi plusquam mille hominum erant, inuiserunt; sed homines illi se eo contulerant vt contemplarentur neophytos, qui eo die coquendo melli coctili operam dabant: alter illis concionatus est, alter doctrinam cum socio decantabat, et praecipue servis aethiopibus...„

2940. Inter multos autem, qui statu peccati dimisso, ad salutis viam regressi sunt, insignis fuit cujusdam meretricis conversio, quae, cum multos peccatis irretivisset, cujusdam nostri sacerdotis consiliis excitata et ad confessionem adducta, sic a Domino compuncta fuit, ut monilia et inaures sibi statim detrahens et confringens, projiceret; et domum rediens, non solum viros repulit, sed maxima poenitentia adducta, cum plurimorum hominum admiratione ad suos parentes redire voluit.

2941. Quidam etiam colapho a debitore percussus, quod pecunias sibi debitas reposceret, eum occidere decreverat; sed cum incidisset in quemdam ex nostris, non solum ab iniquo proposito destitit, sed ipsemet adversarium adiens, veniam ab ipso postulavit.

2942. Vitia, quae altas radices in multis egerant, extirpata fuerunt. Infirmi cum maxima ipsorum et circumstantium aedificatione visitabantur; et tanta erat sacramenta frequentantium multitudo, ut de paucitate operariorum dolendum esse merito videretur. Multae injuriae condonatae fuerunt; inter quas [1] quoddam fuit homicidium non parvi momenti.

2943. Quamvis autem ex ministerio sacramentorum bona ex parte fructus praedicti capiebantur, praedicatio verbi Dei per P. Basilium hominum animos commovebat ac disponebat; ex quibus vix dici posse nostri putabant, quantum utilitatis proveniret.

2944. In Quadragesima ternas habuit singulis hebdomadis in Cathedrali ecclesia conciones cum solito spiritu ac fervore; sed et P. Provincialis Bustamante cum valetudo permittebat (nam asmate laborabat) ad populum etiam utiliter concionabatur, tam in Cathedrali quam in parochialibus ecclesiis; et gratissimus etiam ipse auditoribus erat [2].

2945. Hac aestate P. Basilius in civitatem quamdam sub episcopatu granatensi, nomine Loxam, se contulit, in gratiam id postulantis Archiepiscopi; ibidem usque ad medium Septembrem substitit, et toto eo tempore instabat praedicationi verbi Dei et colloquiis spiritualibus; audiendis etiam confessionibus et aliis operibus pietatis dabat operam. Ejus autem socius chri-

---

[1] Ms. *inter quae.*

[2] *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 224.

stianae doctrinae docendae vacabat; uberrimus ex hujusmodi laboribus fructus est consecutus [1].

2946. Custodia publica, cum eo venerunt, hominibus plena erat; sed cum in progressu temporis ad christianam doctrinam explicandam socius P. Basilii ad eam venisset, vacuam propemodum invenit; non solum autem et pueri, sed et adulti magna cum devotione expositioni christianae doctrinae intererant. Concionibus autem P. Basilii frequens admodum intererat auditorium.

2947. Fuit inter caetera constituta confraternitas ad juramenta vitanda, cum magno clericorum et rectorum ejus urbis applausu, qui in numero confratrum adscribi voluerunt: multi sacerdotes et aliqui aegrotantes eidem Patri confessi sunt, et ex bono semine ibidem relicto, uberior fructus consecuturus sperabatur.

2948. Ex quibusdam urbibus regni Granatae pia quadam aemulatione aliquos de nostra Societate operarios optabant ac postulabant; sed cum essent pauci, omnibus satisfacere non poterant, cum praesertim messis ipsius urbis Granatae multo plures operarios quam erant requireret: ubi continuatio christianae doctrinae et sacramentorum, praesertim quae aegrotantibus vel morientibus ministrabantur, perutilis esse ei civitati deprehendebatur.

2949. Auxit autem P. Provincialis numerum operariorum, et jam in autumno novem sacerdotes et viginti plus minus ex aliis fratribus versabantur; qui domi in spiritu proficiebant quotidianis P. Plazae exhortationibus adjuti, quas de Regularum explicatione habebat; et evidens ex hac exercitatione fructus exire cernebatur; simul enim cum domo probationis, cui praeerat Cordubae, Granatam ille hac aestate venerat.

2950. Inter paces, quae conciliatae sunt Granatae, una fuit non exigui momenti viri cujusdam, qui vulneratus fuerat, et ad veniam condonandam induci non poterat; qui, cum domum nostram esset adductus et sacellum Collegii ingressus, fusa ibidem oratione, egressus, adversarium amplexus est, et libere noxam ei condonavit.

2951. Cum in exequiis catholici Regis Ferdinandi P. Pro-

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 526 et 621.

vincialis concionaretur ipso die S.ti Alphonsi, mirum in modum primoribus ejus urbis, qui omnes ad eum audiendum venerant, satisfecit, et omnibus aedificationi fuit.

2952. Quia vero ecclesiam propriam nostri nondum habebant, in aliis verbum Dei et christianam etiam doctrinam proponebant; in quadam autem parochia prope Collegium nostrum P. Plaza, licet alioqui satis occupatus domi, conciones aliquas ad populum cum ejus aedificatione habebat.

2953. Inter eos qui post exercitia spiritualia nomen Societati dederunt, unus fuit Didacus de Brachamonte. Hispali autem venit P. Galiegos. Quidam canonicus juvenis, cognomine Figueroa, amicus Francisci de la Torre [1], per eadem exercitia Societatem ingredi decrevit; sed ille ad suam ecclesiam remitti debere honestas ob causas visus est.

2954. Quidam ejus nepos per eadem exercitia Societatem ingredi decrevit, et is retentus est, juvenis octodecim annos natus, qui philosophiae operam dare coeperat.

2955. Fuit etiam inter hos, qui se exercuerunt, quidam in jure canonico licentiatus, qui cum viginti tres annos natus esset, publicus lector publice legebat, et inter ingeniosissimos sui temporis habebatur, et multum aedificationis ei civitati praestabat: is etiam in Societatem est admissus.

2956. Quatuor alii, quorum unus philosophus, reliqui juris canonici periti erant, se etiam admitti postulabant. Quinque demum postremis mensibus anni praeteriti et non amplius admissi fuerunt.

2957. Hoc autem anno admissus [est] ille Mag. Martinez, quem consobrinum [2] Archiepiscopi diximus [3], et regii Collegii Rectorem. Is magna cum satisfactione auditorum philosophiae cursum praelegerat; et suos auditores in bacchalaureatus gradu constitutos relinquens, cum quodam discipulo, approbante Archiepiscopo, Societatem est ingressus; quamvis ob ejus virtutem et eruditionem ad magnam dignitatem eum promovere

---

[1] Confer *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 571 De hoc viro aliisque, qui per illud tempus Societati nomen dedere fuse agit SANTIVAÑEZ, *Historia* ms. *de la Provincia de Andalucia*, lib. 1, cap. 28 et 29

[2] Supra vocem *consobrinum* alia manus scripsit *sororis filium*.

[3] De Petro Martinez et ejus avunculo Petro Guerrero, Archiepiscopo granatensi, dictum est supra, n. 2867 et 2894.

decreverat [1]. Alius deinde juris canonici peritus et sacerdos, hos imitatus est.

2958. Adventus P. Provincialis praeter consolationem, quam nostris attulit, ad Regularum etiam observationem nostros diligenter est exhortatus; et quia exiguus nostrorum numerus (nam initio anni decem aut duodecim numero erant) et domus etiam exigua, non permittebat Regularum exactam observantiam, utrumque per ipsius adventum emendatum est; nam et numerus fere ad triginta auctus est, et de alia domo nostris prospectum.

2959. Interim praedicti et alii quidam, qui in Societatem admittebantur, primis mensibus hujus anni Cordubam mittebantur, donec ea domus Granatam est translata.

2960. Rediit autem in aestate ipse P. Provincialis, qui alio diverterat, quod cum aër temperatus esset, P. Franciscus Borgia ut eo se conferret injunxit; pectori enim, ex quo laborabat, salubrius id fore censebat. In febres nihilominus tertianas incidit, ex quibus tamen brevi convaluit.

2961. Aliter accidit P. Basilio, Loxa redeunti, quem gravissima febris excepit, et die septima extremam ei unctionem dederunt, et ejus animam Deo commendarunt, cum in agone vehementi versaretur; sed die sequenti liber a febri videbatur; tam debilis autem, ut ad noxios humores expellendos vigorem non haberet; et ita paulatim debilior reddebatur; et tanta cum quiete et animi pace mortuus est, cum omnium sensuum et locutionis usu ac sine ullo dolore, ut videretur anima quamdam coelestem consolationem participare; et ut in vita, ita etiam in morte multum aedificationis et spiritualis consolationis nostris reliquit; rarum enim doctrinae et praedicationis talentum suis orationibus apud Deum compensaturus sperabatur [2].

2962. Archiepiscopi studium erga Societatem nostram in dies magis elucebat: quibusdam ex nostris dixit ut se Domino in [eorum] orationibus commendaret, quod et ipse de Societate nostra erat, et, si posset, etiam nostris cohabitaturus esset. Aliquando domi nostros invisebat, et quotiescumque nostros videbat, consolatione affici videbatur.

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 225 et 229; SANTIVAÑEZ, *l. c.*, lib. I, cap. 29.

[2] Vide SANTIVAÑEZ, *l. c.*, lib. II, cap. 6: "*Milagrosa muerte de el Padre Basilio en Granada: de los Jueces que emplazó: de sus excelentes virtudes;*„ et cap. 7: "*Heroicas virtudes de el Padre Basilio ó Alonso de Avila, y su dichoso tránsito.*„

2963. Cum prima dominica Quadragesimae concionem ad populum haberet, ut spiritualia nostra exercitia ei commendaret, dixit: Ad quid existimatis Christum in desertum exiisse nisi ad facienda exercitia? Non quidem illis Christus indigebat, sed nobis ad se imitandum exemplum reliquit; exercitia enim haec novum inventum non sunt. Et quam necessaria essent, pluribus verbis ostendit: quam [vero] utiliter id sit dictum, effectus ostendit: complures enim exercitia statim postularunt et in Societatem nostram alii admitti petierunt [1].

2964. Cum idem hoc ipso vere sic aegrotaret, ut de ipsius morte timeretur, Patri Provinciali Bustamante generaliter confessus est; et praeter eleemosynas, quas pro suo more frequenter elargiebatur, tunc multum pecuniarum pauperibus aliisque plurimis jussit distribui, ut sine divitiis moreretur.

2965. Ecclesiastici autem in benevolentiae affectu eum imitabantur, nec mirum, cum suum Archiepiscopum doctrina, sanctitate et prudentia insignem sic affectum erga Societatem viderent, ut res nostras tamquam suas proprias duceret. Recuperavit autem valetudinem cum magno populi fructu, de quo optime insignis ille praelatus merebatur.

2966. Agebant nostri de domo quadam, quae Collegio vicina erat, emenda, quae quatuor millibus ducatorum judicabatur, ut hi, qui ad spiritualia exercitia veniebant et ut nostrorum opera aliis in rebus uterentur, excipi possent. Praeter nostros, qui in minimo Collegio quatuordecim aut quindecim esse debere a P. Ignatio in Hispaniam scriptum erat, Archiepiscopus, qui operariorum numerum augeri merito optabat, ad domum emendam et eos alendos auxilium se allaturum promiserat; et initio quidem mille ducatos promiserat, sed praeter illos majorem summam postea dedit. Sed domum de qua agebatur non emerunt, quod libera non esset et lites timerent: aliam multo majorem et duplo majoris pretii idoneam fore censebant; sed interim dum illa emi poterat, P. Provincialis aliam conduxit, nec Granata recessit donec in illam nostri migrarunt.

2967. Fuit autem hoc Archiepiscopi consilium ut illa con-

---

[1] Periodus quae incipit: "*Et quam necessaria*„ cum iis quae sequuntur usque ad finem hujusce numeri, addita sunt ab ipsomet Polanco ad oram pagellae. — Caeterum vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 226. Narratio enim, quae hic exhibetur, ferme tota confecta est ex litteris, quas in cit. vol. invenies, pag. 223, 526, 621.

duceretur, quia juxta eam quaedam area in optimo situ posita erat, in qua Collegium et ecclesia commode construi poterat; et ad id Archiepiscopus tria millia ducatorum donaverat.

2968. Migraverunt autem in conductitiam hanc domum infra octavam Paschae, et quoddam ibi sacellum confectum est, ubi Missae celebrari possent, servata Collegii clausura, et tunc demum Provincialis Marchenam profectus est, quod oppidum sub Duce Arcus est, qui sororem Patris Antonii de Cordoba uxorem habebat [1]; et quamvis ipse Societati esset valde addictus (quod ex litteris ad P. Ignatium constat, quibus de insigni Societatis fructu in Baetica egregie scribit), ejus tamen uxor factis suam devotionem testata est, cum ex bonis suae dotis Marchenae Collegium erigere atque dotare, approbante tamen marito, voluit.

2969. Eo igitur, ut hac de re ageret, P. Bustamante profectus, inde Cordubam iturus erat, ut domum probationis Granatam transferret, quod cum factum esset, ex eleemosynis simul cum reliquo Collegio commode Granatae sustentari potuit. Et quamvis numerus, ut diximus, ad triginta accederet, eleemosynam petere non necesse erat; cum omnia necessaria ad eos ultro deferrentur; aliqui enim amici, perinde atque si administrationem nostri Collegii suscepissent, ita de omnibus necessariis quaerendis erant solliciti.

Et haec de Collegio Granatensi.

DE COLLEGIO HISPALENSI

2970. Praefuit hoc anno nostris hispalensibus P. Gonzalez [2]. Illud tamen Collegium potius professae domus quam collegiorum munera hoc tempore exercebat; frequenter nostri et cum magno fructu concionabantur [circa id] quod experientia

---

[1] Vide supra, t. IV, pag. 470, n. 1002, annot. 1, 2 et 3, ubi sermo est de D. Ludovico Christophoro Ponce de Leon, Duce II de Arcos ejusque uxore, D. Maria de Toledo et Figueroa; et *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 419, annot. 5. De his infra redibit sermo.

[2] P. Gundisalvus Gonzalez, de quo vide supra, t. V, pag. 485, n. 1316 et seq., ubi de Collegio Hispalensi sermo est. Ad hunc annum spectant *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 81, 262, 418, quibus Polancus est usus.

docebat in crebris confessionibus aliisque charitatis operibus, quae saepe nostris sese exercenda offerebant.

2971. Doctrina etiam christiana profestis diebus non uno tantum loco, sed perutiliter in custodia publica (ubi eam maxime necessariam esse constabat) docebatur. Servi etiam aethiopes, quorum Hispali magnus est numerus, in quodam urbis templo in eadem doctrina instruebantur. Alii etiam extra muros urbis, ejusdem generis viri, qui in operibus quibusdam detinebantur, nec ad templum venire permittebantur, a nostris doctrinam salutis aeternae audiebant; quamvis et alii eo convenirent, tintinnabuli pulsu ex littore fluminis et aliis locis collecti. Alia etiam loca invisere solebant nostri, ad quae multitudo hominum perditorum et qui vitiis erant obnoxii, in magna illa civitate solebant confluere; et conciones prope cauponas et portas civitatis extra muros a nostris habebantur; ubi hujusmodi hominum peccata reprehendebantur; et in his et similibus pietatis functionibus a prandio nostri occupabantur.

2972. Domi etiam dominicis diebus, post vespertinum officium, christianae doctrinae sermo habebatur, quam cum magna animi consolatione audiebant, hi praesertim qui sacramenta frequentare solebant, quorum non exiguus erat numerus.

2973. Diebus operariis, relictis in Collegio quibusdam ad ea, quae occurrere poterant, praestanda, foras mittebantur: reliqui bis in hebdomada, hi ad hospitale sibi praescriptum, illi ad custodiam publicam, ubi aegrotantes vel afflictos consolabantur, christianam doctrinam edocebant, et in modo, quo Deo inservire deberent, instituebant, ibidemque aliquos designabant, qui alios de manifestis culpis modeste et cum charitate commonefacerent, et potissimum in abusu vane jurandi nomen Domini; et in dies emendatiores apparebant. Secum etiam filum et acus ad reficiendas vestes eorum ferebant, et forcipes ad praescindendos ungues. Emundabant cubicula, purgabant vestes et lectos, et alia id genus charitatis et pietatis opera exercebant.

2974. Interdum etiam ad privatas aegrotantium domos evocabantur; et eorum confessiones audire, et eos, qui ex hac vita decedebant, eo in transitu juvare, cum circumstantium et auxilio et consolatione, solebant.

2975. Ad oppida etiam Hispali vicina aliqui ex nostris utiliter bini mittebantur. Ad comitatum Nieblae duo missi mensem unum in praecipuis ejus provinciae oppidis, quae magna penuria rerum temporalium eo anno premebantur, discurrerunt; et quocumque se convertebant, concionabantur, et multa colloquia spiritualia habebant, et a variis peccatis homines avertere nitebantur [1].

2976. Confraternitates autem in juramentorum remedium fieri curabant. Ad id etiam aliquando praetorum edicta, quae jurandi abusum prohiberent, accedebant.

2977. Duo alii — — — — — [2] quae non mediocris est inter Baeticae urbes, adiere, et ubique bonum odorem in itinere sui relinquebant, quod ad vitam et doctrinam attinet, et de suis defectibus homines admonebant, et remedio ad hujusmodi morbos curandos suggerebant. In ipsa autem civitate Siga magna cum laetitia excepti sunt, ut quos diu ad se mitti concupierant. Concionati sunt in omnibus parochiis apud forum, carcerem et alibi, et semper aderat frequens clericorum, nobilium et etiam religiosorum auditorium. Populus autem, sive festis aut profestis diebus concionarentur, eos sequebatur, et eorum doctrina universa civitas est commota.

2978. Multorum confessiones auditae fuerunt, conciliatae concordiae, infirmi consolati et alia hujusmodi pietatis opera effecta fuerunt; ludos etiam litterarios invisentes, tam magistris quam discipulis salutaria documenta, ut in moribus litterisque proficerent, tradebant. Ut autem fructus non mediocris ex eorum praesentia sequebatur, ita nostrorum recessum aegre admodum cives ferebant, et domum nostrorum penes se habere cupiebant; et quidam ex nobilibus id curandi provinciam suscepit.

2979. Rector ipse Collegii aliquoties Marchenam, rogatu

[1] Comitatus Nieblae, de quo hic agit Polancus, "pertenece á la casa del duque de Medina Sidonia..: se compone de 16 pueblos, entre los que hay 3 villas con jurisdicción propia é independiente de otro lugar; á saber: Niebla, cabeza... del condado, Trigueros y Valverde del Camino...„ MADOZ, *Diccionario geográfico-estadístico-histórico de España*, t. XII, pag. 159. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 419 annot. 6, ubi sermo est de Joanne Alphonso de Guzman el Bueno, Comite de Niebla et Duce VI de Medina Sidonia.

[2] In ms. deest verbum, quo urbis nomen indicatur; infra vero statim perspicue *Siga* civitas nominatur. ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, lib. XVI, n. 53, haec tradit: "Marcenam, Nieblam, Sigam, novemque alia in oppida excursum ab Sociis Hispalensibus est, id inter caetera curantibus, ut scholas catechismi excitarent.„

Ducum [de] Arcos, ad eorum confessiones audiendas et verbum Dei praedicandum se contulit; et mirum erat studium, quo illi clari duces ad profectum suum et suorum afficiebantur [1].

2980. Quamvis autem hujusmodi functiones professorum exercerentur, lectio nihilominus theologica mane et vesperi domi nostrae legebatur, quam sex ex nostris audiebant.

2981. Accidit autem ut Hispali in hujus anni Quadragesima quidam religiosus, Ludovicus de la Cruz nomine [2], ordinis Praedicatorum, nobilis, et ex eadem civitate ortus, ingenio, et doctrina et eloquentia non vulgari, Societatem nostram exercendam susciperet. Benevolum se aliquando ille ostenderat, quod et institutum nostrum probaret et quemdam consanguineum in Societate haberet; sed cum alter, qui ex sorore ei nepos erat, Societatem fuisset sine ejus consensu ingressus, nec statim relinqueret consanguineis paternam haereditatem, coepit infestus esse Societati, et pro concione coepit miseriam ejus civitatis deplorare, quae sic excipiendis haeresibus esset exposita.

2982. Deinde coepit invehi in quosdam, qui, cum exterius spirituales apparerent, intus ambitione et avaritia flagrarent. Mentalem orationem reprehendebat, ut a nullo sanctorum inventam; sed ad dementandos homines et devorandas domos viduarum excogitatam, in detrimentum psalmodiae in Ecclesia consuetae. Conciones in plateis et publicis locis habitas, ambitionis damnabat. Studium in promovendis poenitentium animis avaritiae tribuebat. Animi aequitatem ad adversa et prospera et hujusmodi [tamquam] dogmata illuminatorum ac derelictorum (haeretici hi aliquando in Hispania fuerant, [damnabat] [3]): communicationem meritorum haeresis convincere nitebatur, ut quae videretur gratiae certitudinem supponere. Demum Antichristi praecursores jam se cernere asseverabat, et se ad Inquisitores haereticae pravitatis [4] [hanc pestem] delaturum minabatur.

2983. Quamvis autem taceret Societatis nomen, vix ullus erat auditorum, qui non intelligeret eum de Societate nostra

---

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 419, annot. 5, et supra, n. 2968. De praestantissimis his Ducibus infra redibit sermo, n. 3047 et seq.

[2] Vide infra, n. 3064, ubi vera hujus animi a Societate alienati aperitur causa.

[3] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag 262 et 263.

[4] Ms. repetit iterum *se*.

loqui; nam et ipse in privatis colloquiis suum animum explicabat. Curarunt quidem nostri eum certiorem facere de multis, quae falso nostris adscribebantur; et orabant pro eo saepe et reprehensionis justae occasionem cavebant. Nihil tamen publice dictis ejus respondebant; nec interim consueta ministeria ulla ex parte omittebant, perinde atque si nihil novi accidisset. Concitavit interim divina bonitas in illum concionatorem omnium magistrorum et praedicatorum ejusdem ordinis animos, qui satis Hispali versabantur, qui publice et privatim nec parum ferventer in faciem illi resistebant, tantumque ei negotii exhibuerunt, ut fere omnes quadragesimales conciones in apologiis consumere debuerit.

2984. Timuerant aliqui ne iste Aquilo novas plantas, quae a nostris in spiritu juvari coeperant, convelleret; sed pauculos ramos confregit, ac nobilium praesertim quorumdam, qui si ad nostros accessissent, aliquid fortassis notae timuissent. Alii tamen firmiores videbantur radices egisse, et tam multi praeterea accesserunt, ut vix in confessionum et communionum ministerio eis posset satisfieri; et qua ratione Satan auctoritatem imminuere conabatur, eadem Dominus apud probos et doctos viros, tam religiosos quam saeculares, auxit.

2985. Excitati ergo nostri hujusmodi stimulis, et concionibus et confessionibus ferventius operam dare coeperunt, et christianam doctrinam in tribus parochiis docendam susceperunt, in quarum una frequentissimus populus fuit.

2986. Cum autem ea provincia magna annonae caritate laboraret, usque adeo ut nonnulli extra Hispalim hordeaceo furfure pro pane, et coctis malvis sine oleo pro obsonio uterentur; cum hoc a quodam ex nostris fuisset Hispali significatum, sic ad commiserationem homines fuerunt excitati, ut ab iis multum panis, ab illis multum pecuniae in pauperum subsidium mitteretur; et mulieres annulos ex digitis, inaures ab auribus, armillas a brachiis: alii autem ornamenta capitis et vestes in subventionem pauperum conferrent; nec solum hispalensibus sed his etiam pauperibus, qui in pagis vicinis versabantur, subventum est [1].

2987. Ad prostitutas mulieres habita concione a quodam

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 264.

ex nostris, quinque ex eis ad honestam vitam ex suburbio hispalensi traductae sunt: tres aliae tantumdem fecerunt in oppido Hispali vicino, cum aliam cujusdam ex nostris concionem audirent; ex quibus duae religioni, aliae nuptui traditae fuerunt.

2988. Praeter illam autem curam, quam in custodiis publicis et xenodochiis impendere nostri soliti erant, hujus anni vere tres vel quatuor sacerdotes nostri ad eos se contulerunt, et confessiones multorum annorum, quae vel a pauperibus vel a vinctis necessario erant faciendae, cum magno ipsorum profectu et vitae reformatione, audierunt; et secuta est inde injuriarum remissio et pacis compositio inter aliquos.

2989. Circa hoc tempus egressi nostri ex civitate hispalensi, novem oppida, civitati vicina, perlustrarunt, in quibus mane conciones habebant; vesperi ad tintinnabuli sonum, pueris congregatis, christianam doctrinam per oppidum canebant, usque dum ad ecclesiam venirent, ibique congregatis oppidanis, eamdem doctrinam concionibus declarabant; et virum aliquem studiosum diligebant, cui libellum christianae doctrinae tradentes, ad id quod viderant inchoatum prosequendum hortabantur; et tam commoti pietate fuerant multorum animi, ut nostros, qui ad alia oppida recedebant, ad secundum et tertium insequerentur, ut concionibus frui possent; et aliqui praecedebant ut campanae pulsu homines congregarent [1].

2990. Ex confessionibus etiam, quarum aliquae generales fuerunt, fructum non poenitendum, licet solum propter eos fuissent egressi, retulerunt. Cum tamen plures utriusque sexus ad confessiones confluerent, quam qui possent brevi tempore expediri, mulieres omnino missas facere, viros Hispalim mittere decreverunt.

2991. Cum autem conciones quasdam de non assumendo in vanum Dei nomen habuissent, alicubi mala ea consuetudo sublata fuit; alibi omnes oppidani in confraternitatem adscribi voluerunt, quo mutuis admonitionibus ac poenis se ab hoc abusu liberarent.

2992. Adnotarunt autem nostri etiam in scripto, quae tam in spiritualibus ac temporalibus necessaria videbantur, ut Hispali his, quorum intererat providere, referrent.

[1] Vide supra, n. 2977, annot. 1.

2993. In hac autem peregrinatione nostri in hospitalibus diverterunt, et aliqui eleemosynam ad victum emendicare, alii, quod abundanter offerretur, etiam oblatas recusare debuerunt.

2994. In ipsa urbe tota fere hac aestate in concionibus perseverandum fuit in exhortandis ditioribus ad pauperum subventionem; et satis magna cum charitate parochiae variae sui districtus pauperes juvandos susceperunt.

2995. Cum etiam in hospitalibus hoc subsidio pauperes indigerent, aliquae ibidem conciones habitae sunt; et accidit aliquando, ut de cera, oleo et aliis eleemosynis, quantum satis esset, statim hospitalibus prospiceretur. Aliqui, pallia quibus induebantur, alii etiam pugiones ad hoc ipsum dederunt.

2996. Cum servi aethiopes choreas quasdam inhonestas (*zambras* vocant) ducerent, et ut multa horum millia sunt Hispali, multae offensae Deo fiebant, curarunt nostri ut hoc male collocatum tempus in addiscenda christiana doctrina, quam ignorabant, transferrent; et ita choreae relictae sunt; et quidem etiam convenerunt ut confraternitatem, doctrinam christianam audientium, conficerent, et monitores atque executores designarentur, qui negligentiores ad eam audiendam adducerent.

2997. Quia post famem morbi sequi solent, hac aestate non pauciores quam in Quadragesima conciones nostrorum audiebant, et plurimorum annorum confessiones, metu mortis, sunt, ut par erat, integre factae.

2998. Morientibus etiam multis adfuerunt eadem aestate, et inter alios septem vel octo nobilibus, quod genus hominum sanitatis tempore nostrorum opera parum uti solebat; et in hoc pietatis ministerio non tantum qui moriebantur, sed etiam hi, qui circumstabant, multum auxilii et consolationis perceperunt.

2999. Cum ex praescripto P. Francisci Borgiae Rector hujus Collegii ad Duces Methymnae Sidoniae et Arcus se contulisset, et eorum ac quorumdam domesticorum confessiones audisset, in eorumdem etiam populis est concionatus; et nova ratio concionandi, ut illis videbatur, novum etiam fructum referebat [1].

3000. Cum carcerem inviseret Marchenae, ibidem inclusorum negotia, quae haerebant, expedienda curavit. Alii Chaza-

[1] Vide supra, n. 2968 et 2979; etiam *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 419.

gliam et Guadalchaquiam (quae oppida terna millia familiarum habent) iverunt, et ad poenitentiam homines hortati sunt [1], et in ipsis oppidis eorum conciones avide fuerunt auditae, tam in primariis templis quam in monasteriis monachorum et monialium.

3001. In quodam etiam populo clericis seorsum quidam ex nostris est concionatus; et praeter admirationem hominum, aliqui, qui inter se inimicitias gerebant, amici egressi sunt. Aliquot etiam confraternitates ad pias functionis institutae fuerunt. Edicto etiam publico juramentorum abusus fuit prohibitus.

3002. Cum etiam admoniti quidam fuissent, qui domos suas lusoribus expositas habebant, ii chartas lusorias ad nostros deferebant: ille rogabat ne suum hoc vitium publicari permitterent, et in posterum abstinere se perpetraturum quid simile protestabatur.

3003. A prostitutis mulieribus in praedictis locis impetratum est, ut illo peccati statu relicto, honestum aliquem ad Dei servitium acciperent; quod propositum judices confirmarunt, poenam exilii et alias corporales, si tali in statu manerent, decernendo.

3004. Ex scholis autem puerorum libri profani ablati sunt, et discerpti. Qui in custodiis publicis detinebantur, a nostris etiam consolationem et auxilium acceperunt; et cum pauperibus in hospitali nostri servirent, sic alii viri id spectantes commoti fuerunt, ut et ipsi eisdem inservirent et emundarent, et suis etiam palliis, cum opus esset, tegerent.

3005. Experiebantur autem nostri in hac peregrinatione peculiarem Dei providentiam; nam etiam in exiguis pagis necessaria ipsis minime deerant.

3006. Qui vices gerebat Archiepiscopi, Dr. Cervantes [2], postquam aliqua spiritualia exercitia a nostris suscepit, cum Caesaraugustam ad Inquisitionis officium iturus esset, Corduba transire et in domo probationis aliquot dies manere inter novi-

[1] "Peragrarunt alii Patres ex nostris eamdem civitatem Marchenam et oppida quaedam montana, Guadalcanal et Caçalla nuncupata, ternaque millia oppidanorum continentia.„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 422; quae verba in latinum sermonem ex hispanico exemplari, quod ibidem habetur, translata sunt.

[2] Dr. Gaspar Cervantes de Salazar, quem saepissime et merito laudant nostra MONUMENTA.

tios constituit; nam de ingressu suo in Societatem, an expediret, dubius animi erat.

3007. Inter novitios autem in ministeriis humilibus commorari cupiebat; et potissimum, cum mechanicis quibusdam officiis darent operam, eis adesse optabat.

3008. Cum id ergo a Provinciali impetrasset, cum Patre Gonzalez, Rectore, in itinere dum Caesaraugustam iret, Cordubae in praedicta domo aliquot dies commoratus, animi sui aedificationem his verbis, recedens, explicavit: Si quies, inquit, illa animi, quam mihi Caesaraugustae habendam proposui, non obtigerit, satis aperte Dominus hoc spectaculo me docuit, quid me facere oporteat.

3009. Postea Cardinalis et Archiepiscopus Tarraconensis effectus, memor hujus probationis domus, aliam in sua civitate anno 1574 instituit ac dotavit.

3010. Ejus autem loco Hispali successit Dominus licentiatus Ovando [1], qui cum Salmanticae nostrorum opera in confessionibus et spiritualibus colloquiis usus fuisset, statim ut Hispalim pervenit, benevolum suum animum erga Societatem declaravit; et nostros speculatores esse spirituales civitatis et coadjutores suos in ejus spirituali bono curando esse velle significabat; et ita in dies magis eam amare coepit, quamvis Archiepiscopus Hispalensis [2] usque ad id tempus non magnopere nostris rebus faveret, quem D. Cervantes sui officii admonere voluit in hoc ipso itinere, quod diximus versus Caesaraugustam institutum.

3011. Haec autem ejus Vicarii benevolentia occupationem nostris assiduam, et velut messem auxilii animarum, praebebat; et ita, licet in concionibus aliqui Societatem nostram suggillare viderentur, alia ratione Dominus, quod hi detrahere molirentur, compensabat.

3012. Sacerdotes, qui id temporis Hispali versabantur, praeter P. Gonzalez erant Patres Baptista Sanchez, Joannes Suarez et Didacus Lopez. Ibidem fuerat et P. Paulus [3], inde

---

[1] Joannes Ovando. *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 265.

[2] "Fernando de Valdes, Obispo de Elna, Orense y Oviedo: no residió por ser Inquisidor general.„ La Fuente, *Hist. ecl. de España*, t. V, pag. 557. Vide supra, t. V, pag. 442, n. 1188, annot. 3; et pag. 459, n. 1246.

[3] Joannes Paulus, olim Alvarez. De hoc, caeterisque hic memoratis, vide *Litterae Quadrimestres*, hujusce anni.

Montemregium destinatus, et Marcellus Murciam. Admissus est tandem Hispali P. Hippolytus; itaque quinque sacerdotes, et sex aut septem fratres ibi erant. Hospites aliquando accedebant alii vel ad suscipiendos ordines vel aliis ex causis. Alius praeterea sacerdos, egregiis animi dotibus praeditus, Societati se dedere hac aestate constituit, et Augusto mense Mag. Gaspar Lopez, qui in civitate Jerez duos philosophiae cursus peregerat, et theologiam etiam praelegebat [1], Societatem Hispali ingressus est; cum enim in illa civitate Jerez Collegium, prout ipse optabat, non institueretur, noluit ipse amplius suum ingressum differre.

3013. Auctus est etiam numerus, illis, qui apud S.tum Lucam de Barrameda residebant, Hispalim venientibus; sed P. Joannes Suarez sub autumnum cum fratre nostro Teglio, a P. Francisco evocatus, Hispali recessit. Non deerat tamen messis, licet multis operariis, cum et ipsa civitas esset amplissima et crebro ad circumjacentia loca excurrerent; quatenus enim observari poterant Regulae Societatis id diligenter fiebat, cum Provincialis sollicitus earum esset exactor; et id insignis utilitatis causam esse P. Gonzalez sua etiam experientia dicebat.

Et haec de Hispalensi Collegio.

DE COLLEGIOLO S.ti LUCAE DE BARRAMEDA

HOC ANNO DISSOLUTO

3014. P. Joannes Paulus cum alio sacerdote et duobus vel tribus fratribus in collegiolo S.ti Lucae versabatur, et in gratiam Ducum Methymnae Sidoniae, licet collegium ibi stabilitum non esset [2]. Hi operarii in illo oppido ac portu, celebri navigaturis in Indiam, residebant; nec otiosi in ea Domini vinea versabantur, nam et concionibus, et christianae doctrinae ex-

---

[1] Vide *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 509, 511, 513, 545, 575.

[2] Videantur ad hunc annum spectantes *Litterae Quadrimestres, ex comm.* P. Joannis Pauli, olim Alvarez, t. IV, pag. 96 et 348, quibus Polancus usus est. — De Ducibus Methymnae Sidoniae ac de eorum filio, Comite de Niebla, dictum est supra, t. V, pag. 504 et 505, n. 1576.

plicandae et ministerio sacramentorum perutilem operam oppidanis, Ducibus ac familiis eorum, et his etiam, qui in classibus in novam Hispaniam vel Peru proficiscebantur, navabant.

3015. Concionabatur autem praedictus Pater interdum in summo templo, aliquando etiam in foro, propter classiarios, quorum magnus erat numerus; sed in littore etiam aliquando verbum Dei proponebatur, ac etiam nonnumquam in palatio cum illorum illustrium hominum non mediocri fructu, qui cum P. Joanne Paulo intima sua negotia, ad conscientiam pertinentia, conferebant; sed domi etiam nostrae dominicis ac festis diebus conciones habebantur, et tam populus quam ipsius domini optime erga nostros erant affecti, ac nostros magnopere reverebantur.

3016. Aliquando etiam compuncti nonnulli ex concionibus vel familiaribus colloquiis ad confessionem et communionem, etiam viri nobiles, accedebant; et effusio lacrymarum, quae etiam in nauticis hominibus, verbum Dei audientibus, cernebatur, quam intime eorum praecordia tangeret gladius verbi Dei ostendebat.

3017. Instituebantur pueri festivis diebus post meridiem cum aliorum simplicium hominum concursu, et quidem utriusque sexus, in nostra ecclesia. Sequebatur deinde concio, catechismum declarans, nec parum homines ad Deum laudandum movebat, quod turmae puerorum cum incensis candelis in processionibus oppidum circumirent, sacram Christi doctrinam decantantes; et uni aut duobus eorum praeeuntibus, caeteri omnes respondebant; quidam autem pii viri, et inter eos parochus erat, eos comitabantur ac simul cum eis canebant.

3018. Gaudebat autem populus et pro cantilenis profanis etiam ipse christianam doctrinam canere assuescebat. Cum autem quidam nostri fratres in vicinum pagum mitterentur, ut inter Missarum solemnia christianam doctrinam docerent, sic accensus est, et consolatione affectus ille populus, ut post meridiem per vias publicas eamdem doctrinam simul cum pueris decantaret; pretiosam crucem, quam ecclesiastici ferebant, sequentes.

3019. In jubilaeo, paulo ante initium hujus anni apud S.^{tum} Lucam promulgato, magnam messem confitentium nostri habuerunt, quamvis morbi nostrorum, quibus fere omnes labo-

rarunt, et ipse etiam Rector inter alios, fructum ex parte impedierint, tam confessionis quam praedicationis; sed fere usque ad mediam noctem in audiendis confessionibus interdum detinebantur.

3020. Aliis aegrotantibus nostri adstiterunt et auxilium attulerunt; sed potissimum Comiti Nieblae, qui primogenitus et successor futurus erat Ducis Methymnae Sidoniae, cujus morti P. Joannes Paulus cum alio nostro fratre interfuit; nec solum ipsi, sed Comitissae etiam perutilem operam praestitit, quae consolatione quam maxima indigebat, ut omittam interim Comitis parentes [1].

3021. Curavit autem ut per sacramentum confessionis Comitissa ad illud recipiendum se disponeret; et concionatus est ipse in Comitis funere in monasterio S.ti Dominici, quae concio et admirationis et consolationis plurimum auditoribus praestitit.

3022. In Quadragesima debuit in summo templo P. Joannes Paulus, Rector, concionari: ut erat affectu plenus, et exemplo suarum lacrymarum auditores vehementer ad lacrymas commovebat; et cum idem in palatio concionabatur, etiam populus ad suas conciones coram populo admittebatur.

3023. Ut autem a prandio diebus dominicis in propria ecclesia ita diebus jovis in littore de christiana doctrina concionabatur; sed ejus etiam rudimenta familiariter servos, qui ibidem plurimi sunt, et pueros edocebat: qua exercitatione finita, procedebat cum pueris ad quamdam ecclesiam B. Virginis, ubi Domino commendari aliquas necessitates populi vel Ecclesiae curabat; quod ad magnam hominum aedificationem cedebat.

3024. Accidebat aliquando fere mille pueros et servos ad hujusmodi processiones venire, quos campana evocabat, et libenter animum ad devotionem et orationem applicabant; et rosarium praecipue B. Virginis sic fuit in consuetudinem inductum aliquot exhortationibus ejusdem Patris, ut etiam in palatio fere omnes in manibus rosaria gestarent, et cupientes

---

[1] Ex his, quae in hoc et sequenti numero dicuntur, confirmantur quae supra scripsimus, t. v, pag. 505, n. 1876, annot. 1.—Comitissa vero de Niebla erat Eleonora de Sotomayor et Zuñiga. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 98.

multi de populo rationem orandi discere, ad id domum nostram veniebant.

3025. Dederunt autem nostri quibusdam pueris initio rosaria, quibus alii ad ea expetenda invitabantur. Ideo mota fuit Ducissa, re cum P. Rectore communicata, ad confraternitatem rosarii in eo oppido instituendam.

3026. Evocabantur interdum nostri tam anxie ad aegrotantes, ut aliquando videretur eorum salus ex nostrorum adventu pendere. Inter alios media nocte venit quidam ad P. Rectorem accersendum ad domum cujusdam sacerdotis ejus populi, cujus animam in gravi periculo futuram esse dicebat, si praedictus Pater eo non accederet; et cum eadem nocte idem Pater male valeret et catapotium, purgationis causa, accepisset, post-habita sui corporis sanitate, ut animae proximi subveniret, eo se contulit, cujus praesentia Dominus afflictum illum sacerdotem consolatus est.

3027. Marchio Ayamontensis [1] aliquando Patrem hunc Rectorem domi invisebat, magnam humilitatem ac probitatem prae se ferens.

3028. Cum duo viri propter injuriam, quam alter gravem acceperat, diu dissiderent, cum P. Joannes Paulus offensum rogaret, non tantum injuriam condonavit, sed eidem confessus est. Sed cum alius adversarium suum in carcerem conjecisset, et res eo tenderet, ut torquendus esset, cum idem Pater eum fuisset allocutus, cujus interierat, reo veniam impetravit.

3029. Satis suum affectum erga hunc Patrem populus ostendebat cum aegrotaret; (nam saepe hoc ei propter labores nimios accidebat), aliqui enim ad se ipsos ejus morbum transferri optabant, ut ipse liberaretur, vitam suam ab ipsius vita pendere affirmantes.

3030. Mense Julio Ducissa Methymnae Sidoniae [2], qua potissimum ea erat in cujus gratiam nostri apud S.^{m} Lucam residebant, ad Dominum migravit; cujus expensis nostri maxima ex parte alebantur; fuit satis repentina ejus mors, sed cum bonis operibus plena esset, nimis praepropera mors esse non potuit.

---

[1] Franciscus de Sotomayor et Portugal, Comes V de Belalcazar et, ex matrimonio cum D. Theresia de Zuñiga, Ducissa III de Bejar, etc., Marchio etiam de Ayamonte. BURGOS, *Blason de España*, t. VI, parte II, lit. B, pag. 25.

[2] Anna de Aragon et Gurrea, de qua frequentissima mentio in his MONUMENTIS est.

3031. Magno affectu nostram Societatem diligebat; et sollicite non solum quae ad victum, sed quae ad medicinas aegrotantium et res alias necessarias spectabant, ex palatio nostris prospiciebantur: quae etiam ad aedificium domus nostrae pertinebant, ejus domus expensis fiebant.

3032. Cum quidam concionator verbis eorum devotionem minuisset, qui singulis mensibus sanctum aliquem assumebant (cujus devotionis P. Franciscus Borgia auctor fuerat), unus ex hac illustrissima domo, concionatoris verba referens, resistebat; sed cum eum alloqueretur P. Joannes Paulus, non prius ab eo recessit quam unum ex sanctis patronum eo mense suscepisset, in cujus honorem duodecim pauperibus se prandium daturum promisit et Missam celebrandam se curaturum.

3033. Cum magna devotione domum nostram aliqui veniebant, petendo ut super infirmos aliqua evangelia dicerentur, et Deo ipsorum fide annuente, melius habebant; et aliqui ex eis omnino a febribus liberati fuerunt.

3034. Cum etiam mulier quaedam a daemonio vexaretur, ad domum nostram est delata, cujus confessionem cum P. Rector audisset, et quatuor evangelia super eam recitasset, consolationem accepit et bene in posterum habuit.

3035. Quaedam alia non infimae notae, immo primaria femina, in puteum se desperabunda projecit, sed divina ope inde extracta, cum confiteri nollet, evocatus est P. Joannes Paulus, et eam ad confessionem adduxit et in Domino consolatus est.

3036. Quamvis fructus, ut diximus, non exiguus apud S.^{m} Lucam reciperetur, quia tamen nostri perpauci erant, disciplinam nostram et ordinem collegiorum servare minime poterant: et ideo P. Bustamante facultatem a P. Francisco, Commissario, postulavit, ut si Duces illi Methymnae Sidoniae diu differre vellent collegii fundationem, inde nostros cum bona ipsorum gratia educere posset, donec collegium esset erectum in quo justus numerus teneri posset. Videbatur etiam Patri Gonzalez, qui eos interdum invisebat, in locis non admodum populosis nostros, praesertim numero paucos, cum magna difficultate et incommodo versari, cum omnia omnibus nota et quodammodo numerata essent.

3037. Cum ergo et Comes Nieblae et Comitissa praedicta

mortem obiissent, hac occasione, mense Augusto hujus anni, quamvis cum gravi sensu populi et dominorum ejus, nostri ex hoc oppido Hispalim translati sunt, cum propter magnum aes alienum erectio et dotatio collegii necessario Ducibus differenda videretur. Et ita nostri apud S.m Lucam residere prorsus desierunt.

DE P. BARTHOLOMAEO BUSTAMANTE

PROVINCIALI BAETICAE

3038. Testatur P. Franciscus Borgia [Patrem Bustamante] unum esse ex his, qui melius suum officium inter nostros hispanienses faceret, et novum quemdam spiritum nostros, qui in Baetica versabantur, post ejus adventum concepisse; et quia de cura, quam adhibebat in Regularum et Constitutionum observatione dictum est; et de ejus concionibus et aliis piis operibus cum de Cordubensi et Granatensi Collegio ageretur; tantum quaedam hic persequar, de quibus, cum ageretur de collegiis singulis, aut nihil aut parum dictum est.

3039. Cum Provincialis officium eo tempore confectum, vel certe in Hispaniam missum non esset, et tamen in officio Rectoris, jam misso, de illo fiebat mentio, illud a P. Ignatio postulavit; interim superintendentiam collegiorum ac domorum suae Provinciae et curam ut Constitutiones et Regulae observarentur, et quaedam quae ex Constitutionibus circa Provinciales colligi poterant, officii loco suscepit.

3040. Postulavit etiam ab eodem Patre Ignatio, ut aliquas indulgentias a Summo Pontifice obtineret cuidam confraternitati instituendae, ut detractionibus, quae charitatem erga proximum valde laedere solent, obviam iret, quemadmodum confraternitati, ad abusum jurandi institutae, concessae fuerunt [1].

3041. Monet admirandum esse in brevissimo tempore eorum profectum, qui in domibus probationum versabantur, quod observationi exactae Regularum et Constitutionum acceptum fere-

---

[1] De hujusmodi sodalitatibus mentio supra facta est. Vide, inter alia loca, n. 2996 ac praecipue n. 2947 et 2976.

bat; et si novitii habituum radices agerent in ea studiosorum actuum perfectione, quae in ipsis elucebat, praecipue in sui abnegatione et amore contemptus et injuriarum, singulos eorum velut miraculum mundi haberi posse; et collationes, quae recreationis tempore ea in domo habebantur, similes illis, de quibus egit Cassianus, esse referebat; quibus cum intererant aliqui, ex his qui aliunde tentationibus pulsati mittebantur; cumque occupationes et studia novitiorum viderent, paucissimis diebus curabantur.

3042. Inter alias tamen regulas duas experientia esse utilissimas ostendebat; altera, quae prohibebat cum aliis loqui quam cum descriptis in catalogo cuique dato; altera, quae suadet poenitentias a Superiore postulare; sic enim fiebat ut, cum ab ipso injungerentur, non libenter admittere erubescerent: nullam autem novam observantiam induci extra Constitutiones et Regulas permittendam censebat, cum in illis abunde sit prospectum in his, quae ad perfectionem juvare possunt; et quia, si quae inducerentur, quae a capite non descenderent, modum procedendi differentem efficerent: si quid novi ad observationem Regularum fieret et Instituti nostri, id scripto custodiri non debere, nec alio modo nec traditione, sed duntaxat eo utendum, donec ad habitum custodiendi nostra instituta perveniretur.

3043. Si quae autem relaxatio in disciplina nostri Instituti cerneretur in collegiis Hispaniae, ex eo provenire quod parum sollicite Constitutionibus ac Regulis servandis opera daretur; et quia in collegiis parvis observari prorsus haec non possunt, nulla collegia a nostris habitanda censebat, donec aedificium et dotatio absoluta esset; cum enim pauculi collegium inchoant, interim dum ad perfectionem fundatio adducitur, dum non possunt Instituti perfectionem observare, fundatorum devotionem debilitant, qui cum eis familiariter versari solent; quamvis nihil mali exempli a nostris egressum erat ullo in loco; sed quia magna de nostris concipiunt fundatores, non ita eorum satisfactioni potest satisfieri, quandiu exacta nostri Instituti observatio haberi non potest.

3044. Addebat etiam nullam esse difficilem Constitutionem aut Regulam observatu, prout experientia eum docuerat, si serio ad id opera daretur.

3045. Hispali et Granatae, ubi magno in pretio nostra Societas habebatur, ad earum insignium civitatum spirituale auxilium exigebant a nostris praelati (Granatae quidem Archiepiscopus [1], Hispali Vicarius [2]) ut in plateis et aliis urbis publicis locis nostri concionarentur; et cum Rectores Patrem Provincialem hac de re consuluissent, et is satisfaciendum esse praelatis scriberet, magna cum alacritate et admiratione nova haec praedicandi ratio in praedictis urbibus est admissa; nam de vulgo plurimi, qui toto anno nec concionem audiunt nec Missam celebrari vident, verbo Dei instruebantur; multi etiam nobiles juvenes et alii cives a concionibus audiendis alieni, qui deambulandi gratia, ad hujusmodi plateas se conferebant, ibidem oblatam praedicationem fugere non poterant.

3046. Postulaverat Archiepiscopus ut Dr. Madridius [3], qui Cordubae in domo probationis erat, ad Granatae Collegium mitteretur; sed cum respondisset P. Bustamante juxta Institutum nostrum diutius eum in domo probationis versari oportere, proinde videret ipse, hoc intellecto, quid fieri juberet; nihil omittendum, respondit Archiepiscopus, in ipsius gratiam de his, quae ad Instituti nostri rationem essent observanda, ac proinde ut cum benedictione Domini maneret [4].

3047. Cum Corduba Granatam profecturus esset P. Bustamante, litteras accepit a Ducissa Arcus [5] et Marchionissa Pliegi ejus matre, quibus Marchenam evocabatur, quo cum initio Januarii profectus esset, quatuor dies apud eos [Duces] substitit; et cum dies Epiphaniae accessisset, rogatus fuit, ut populo concionaretur, quamvis alii concionatori is sermo commendatus esset, cum ejusdem tamen beneplacito P. Bustamante satisfecit postulantium desiderio.

3048. Aliqua etiam colloquia in palatio Ducum vel exhor-

---

[1] Notissimus Petrus Guerrero, de quo vide supra, n. 2962 et seq.

[2] Dr. Gaspar Cervantes de Salazar, cui in eodem munere Joannes Ovando successit, ut dictum est supra, n. 3006, 3010.

[3] P. Antonius Madrid, cujus mentionem fecimus supra, n. 2866 et alias saepenumero.

[4] *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 761.

[5] Maria de Toledo et Figueroa, de qua vide supra, t. IV, pag. 470, n. 1002; et in hoc ipso vol., n. 2968 et 2979; ejus mater, Catharina Fernandez de Córdoba, cujus nomen celebre in his MONUMENTIS est. Vide RIVADENEIRA, *Histor.* ms. *de las Provincias de España*, lib. III, cap. 14, qui inter alia haec habet: "Doña Maria de Toledo, Duquesa de Arcos..., hija tan parecida á la Marquesa, su madre, en todo género de virtud, que no se puede decir más.„

tationes coram ipsis habuit, nec enim alibi eum divertere permiserunt, quod hospitalis domum occupatam esse dixerunt. Omnibus etiam domesticis, qui multi erant utriusque sexus, coram Ducibus concionatus est, et quaedam documenta ad spirituale ipsorum auxilium pertinentia reliquit; quae tam Ducibus quam eorum familiae, consolationi magnae et aedificationi fuerunt.

3049. Egit autem Dux cum P. Bustamante de Collegio in illo suo oppido Marchenae (in quo tria millia familiarum erant) instituendo, qua in re et propriae devotioni uxoris, quae magna erat, satisfacere voluit, et ad alia oppida vicina et magna fructum uberem ex eo redundaturum sperabatur.

3050. Recepit P. Bustamante se rem cum P. Francisco, Commissario, collaturum, ea tamen addita conditione, ut prius quam nostri convenirent, et erigeretur Collegium et dotaretur. Et quamvis Duces statim operarios ad se mitti cupiebant, sed cum ab ipso audissent quod pauci numero et in aliena domo non poterant Instituti nostri perfectionem observare, ejus consilium Duces probarunt.

3051. Dux ergo manu propria chartam subscripsit, qua promittebat, ad duodecim aut quatuordecim de nostra Societate sustentandos, se trecentos aureos annui reditus, et trecenta modia tritici *(hanegas* vocant) se daturum; quod perinde erat atque quatuorcentos aureos, et triticum nostris necessarium dare: aliae etiam eleemosynae in hujusmodi populis sperari poterant, et successores Ducis dotationem aucturi videbantur; et placuit P. Provinciali haec transactio, ut aliis fundatoribus exemplo esset, ne ante aedificatum et dotatum collegium operarios habere vellent, et ita inchoata collegia confirmari poterant et operariis augeri; et ita rebus tunc confectis, Granatam perrexit.

3052. Post Pascha vero resurrectionis, habita jam approbatione P. Francisci Borgiae, Marchenam rediit, ubi sex dies commoratus est, in quibus et situm collegio opportunum, varia loca lustrando, elegerunt, et formulam aedificii, accersito ad eam designandam architecto Cathedralis ecclesiae hispalensis, confecerunt.

3053. Quamvis autem dotatio ad quatuordecim sustentandos facta esset, domum nihilominus ad triginta vel quadraginta

ex nostris capacem aedificare voluerunt; ut, si vellent ipsi vel successores dotationem augere, habitatio eis non deesset.

3054. De ratione autem augendi dotationem jam sollicitus esse incipiebat, et satis diligenter ejus uxor ejus memoriam renovabat, quae in affectu devotionis erga Societatem nulli in Hispania cedebat. Et quod hi Duces magnam in hispalensi civitate auctoritatem habebant, eorum benevolentia Collegio Hispalensi multum profutura videbatur. Curabat autem Ducissa diligenter materiam aedificio necessariam comportari, quod unico anno absolvere volebat, ut intra biennium posset a nostris habitari.

3055. Cum Granatam initio hujus anni P. Bustamante Provincialis venisset, et universalem cleri et populi devotionem erga Societatem videret, facile intellexit ex propensione Archiepiscopi populum suam auxisse, vel certe ejus benevolentiam inde magna ex parte promoveri. Cupiebat Archiepiscopus suam dioecesim hominibus Societatis plenam esse, et multis eleemosynis, et defendendo Societatem ac sese opponendo detractionibus, animi sui affectum satis testabatur; et ita quidquid aliis in locis negotium nostris facessere solebat, id Granatae Archiepiscopi auctoritas et charitas dissipabat.

3056. Cum intellexisset ille a quibusdam domum anno superiori emptam parum esse nostris ministeriis accommodatam et parum salubrem, statim ad aliam comparandam auxilium dare voluit; et ut diximus [1], mille aureos obtulit. Civitas ipsa totidem offerebat, et aliqui amici sua auxilia. Et cum Archiepiscopus tam serio de hujusmodi domo comparanda ageret, non est ausus P. Bustamante Granata recedere, donec ad effectum res haec deduceretur.

3057. Sed cum animadverterent quamcumque domum emissent, multa esse diruenda et aedificanda, ut ad usus nostrae Societatis accommoda redderetur; ursit Archiepiscopus, ut interim domus alia conduceretur capacior, salubrior et nostris ministeriis congruentior, et ipsemet pro sua charitate nobilem quemdam virum adivit domi suae, ut nostris domum ipsius impetraret.

3058. Cum igitur situm opportunum Granatae emendum

[1] Supra, n. 2966.

potius judicassent, quam domum jam factam; quemdam, qui in tota civitate commodior erat, elegerunt, qui mille et quingentis aureis emi poterat; et ita ex bona parte emptus statim est, et ad domum atque ecclesiam aedificandam praeter mille aureos praedictos, duo millia Archiepiscopus adjecit; vendi etiam poterat domus, quam nostri habitabant, mille et quingentis. Itaque prope situm hunc domus conducta est, eodem pretio quo locari poterat ea, quam nostri relinquebant; quamvis enim erat exigua, quod in frequentia urbis esset, in usum mercatorum et artificum percommoda erat; et quia Archiepiscopus augeri nostrorum numerum Granatae postulabat, haec ratio ineunda visa est P. Bustamanti, ut domus probationis Corduba Granatam transferretur, in qua licet novitii, operarii tamen aliqui erant, qui in concionibus et audiendis domi confessionibus utilem operam multis navare poterant.

3059. Consensu ergo Patris Francisci habito, ante Pascha Cordubam ad id Provincialis rediturus erat; sed morbus Archiepiscopi, de quo superius facta est mentio [1], ac vitae periculum, eum detinuit, cui non solum confiteri generaliter voluit, sed testamentarium eumdem reliquit; et cum id non licere nostris diceret P. Bustamante, ut dispensationem a P. Generali peteret Archiepiscopus voluit, quam si non obtinuisset, tunc demum alios testamentarios successuros esse.

3060. Romam etiam scripserat P. Bustamante de mutatione domus probationis. Itaque Cordubam veniens, rem cum D. Joanne de Cordoba transegit, et non solum, P. Francisco et P. Natali translationem approbante, etiam D. Joannes contentus fuit, [sed] et totum illud frumentum, quod domui probationis dare solitus erat, ad augendum numerum collegialium cordubensium obtulit.

3061. Sub initium ergo mensis Maji translatio praedictae domus probationis facta est, ad quam, praeter Archiepiscopi satisfactionem in numero augendo, movit salubritas coeli granatensis et abundantia eleemosynarum ejus urbis, quae ad quadraginta et etiam quinquaginta sustentandos sufficiebant, et dotatio etiam Collegii secutura videbatur. Erat etiam magna vilitas annonae ea in urbe, et in omnibus his Cordubae praeferenda

[1] Supra, n. 2964.

videbatur, et conducta domus ad omnium habitationem simul cum his, qui jam Granatae versabantur, sufficiebat.

3062. Erat inter novitios, qui hoc anno ingressi fuerant, Dr. Didacus de Avellaneda, qui in Universitate Osunae Rector erat et theologiae lector, cum ad Societatem a Domino motus est, viginti octo annos natus; qui hoc primo vere admissus, sic proficiebat, ut ejus humilitas et abnegatio omnibus admiratio esset [1], sicuti et Magistri Martinez, quem Rectorem Collegii regii granatensis, et Archiepiscopi consobrinum diximus [2], qui dicebat quemadmodum Aristoteles philosophiam ad certas regulas reduxerat, ita modum serviendi Deo in domo probationis, ad artem quamdam reductam videri.

3063. Ex eadem Universitate Osunae in Baetica, eodem tempore, quo P. Avellaneda Cordubam venit, de suo in Societatem ingressu Dr. Ferel, ejusdem collegii Osunae collegialis, [agebat], qui celebris medicus ac philosophus et jam etiam theologus erat. Biennio ante id tempus cum Marchenam, ut medicus, evocatus esset ut Ducissam curaret, dixerat Patri Bustamante se theologiam audire et quidem eo animi proposito, ut Societatem ingrederetur. Hoc ergo vere ad exercitia suscipienda se contulit, ubi Societati se addicere decrevit: diu tamen id distulit, varias ob causas, et eum ejus frater praevenit; quamvis ad ipsam Universitatem Osunae Societati applicandam utilem postea operam praestitit, et Romae potius quam alibi Societatem ingredi optabat.

3064. Mirum esse et propemodum universale studium erga Societatem, et in dies augeri P. Bustamante affirmabat, quemadmodum et Dux Arcus P. Ignatio scripsit; addit et causam [cur] Fr. Ludovicus de Cruce [3] contra Societatem Hispali sit invectus, cum aliquando tam propensus ad ipsam fuisset, ut non raro diceret se spem non abjecisse, quod in Societatem aliquando esset admittendus, quod si non sperasset, intolerabile fore sibi dicebat; sed radix animi tantopere mutati, ut videbatur haec fuit; quod cum ille confessarius vel concionator esse vellet Principis ac Gubernatricis Joannae, ut ex litteris ejus ad

---

[1] Agunt de hoc viro *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 141.

[2] *Consobrinum:* supra verbum hoc alia manus scripsit *sororis filium*. Vide supra, n. 2957.

[3] Vide supra, n. 2981.

P. Franciscum datis constare poterat, cumque in manu ejusdem Patris situm esse existimaret ut Princeps eum ad hoc officium evocaret; postquam vidit alium eo in officio constitui, indigne ut videtur, ferens, ex amicissimo adversarius factus est.

3065. Compatiebatur P. Bustamante tam intime penuriae Collegii Romani, quod universale Collegium vocabat, ut cum litteras Romam mitteret ad quingentos aureos in subsidium accipiendos, fatebatur in omnibus christianorum provinciis nullum pium opus esse, cui subsidium magis deberetur; et si potuisset duo illa millia ducatorum, quae Archiepiscopus Granatensis ad initium aedificii dederat, licite Romam mittere, haud dubie id fecisset; et optabat bonus senex, ut suis litteris testatur, venditus ad tempus inter saracenos, ex suae servitutis pretio, debitis ac necessitati dicti Collegii subvenire.

3066. Cum P. Franciscus de Collegio Baëzae admittendo, quod P. Avila offerebat, ageret, rem P. Bustamanti, Provinciali Baeticae, commisit, qui Baëzam iturus, prius Giennensem Episcopum, sub cujus dioecessi Baëzae civitas est, adire debuit. Erat is Episcopus D. Didacus Tabera, nepos Cardinalis D. Joannis de Tabera, cui aliquando P. Bustamante inservierat.

3067. Pervenit ergo 29 Aprilis Giennam, et amanter ab Episcopo exceptus, non alibi quam domi suae divertere permisit; et cum signa magna benevolentiae, qua P. Bustamante diligebat, [significavit] dubitare se an patroni [1] Collegii Baëzae potuissent institutionem fundatoris in opere illo immutare; fundator enim ad puerorum doctrinam et orphanas puellas in matrimonio collocandas bona illa reliquerat, ex quibus lectores et collegiales illius Collegii sustentabantur.

3068. Evocavit ergo Episcopus Baëza illos, qui praedicti Collegii curam susceperant; cupiebat enim Episcopus, sic Societati Collegium illud applicari, ut ejus successores, quod ipse faceret, infectum non redderent.

3069. Cum ergo illi venissent, id constitutum est quod in contractu et expeditione Romam missa apparuit, ubi propter adjuncta onera et reditus non admodum magnos ad numerum collegialium sustentandum, praeter illam primam intentionem

[1] Ms. *patronum*.

fundatoris, Collegium non esse admittendum visum fuit; quamvis postea in eadem civitate, temporis successu, aliud Collegium Societatis fuit institutum, cum hoc inter discipulos P. Avilae maneret.

3070. In oppido Montigliae Domina Marchionissa de Pliego ad institutionem Collegii in illo suo oppido ducentos fere aureos annui reditus optimi, et ejus soror [1] ducenta modia vel *hanegas* frumenti singulis annis ad initium Collegii assignaverant, quod dum aedificabatur quatuor de Societate nostra ac duo sacerdotes residere debebant.

3071. Sub finem hujus aestatis a P. Francisco Borgia evocatus P. Provincialis Bustamante in Castellam ob negotia Collegii Romani et alia quaedam, cum ibi nuntium obitus P. Ignatii accepisset, et in dies profectio ad Congregationem generalem futuram expectaretur, in Provinciam suam non rediit; nam recedente Patre Natali, ejus opera P. Franciscus in sui officii administratione utebatur [2].

Et haec de Provinciali ac Provincia Baeticae.

---

[1] Soror Dominae Catharinae Fernandez de Cordoba, Marchionissae de Priego, vocabatur Theresia Enriquez, virgo Deo sacra in coenobio Stae. Clarae montillensi. Vide supra, t. v, pag. 533, n. 1454 et pag. 542, n. 1481.

[2] Confer quae dicta sunt supra, n. 2822.

DE PROVINCIA PORTUGALLIAE

AC PRIMO

DE COLLEGIO CONIMBRICENSI

3072. Conimbricensis Collegii Rector hoc anno fuit P. Leo Henriquez [1], et nostri in duas domos erant divisi, superius, videlicet antiquum, et inferius Collegium, quod et Regium dicebatur [2]; et quamvis P. Miron cum Regina et Cardinale Infante, ageret de hoc inferiori Collegio Societati applicando, nullo modo superius esse retinendum eis videbatur, immo ne mentionem quidem ea de re faciendam esse, quod in civitate non magna congruum non videbatur ut haberet Societas [duo collegia]: ad unum tamen vel alterum annum, donec aedificium Regii Collegii augeretur, superius retinuerunt; quod tamen cum suis hortis, Regis chirographo, quibusdam religiosis Ordinis Christi datum erat, qui nostris instabant ut liberum ipsis praedictum Collegium superius relinquerent.

3073. Roma quidem scriptum fuerat illud retinendum videri [3], sed nostri id tantum excusationis obtendebant quod infe-

---

[1] Qui etiam superiori anno socius conimbricensibus praefuerat. Vide supra, t. v, pag. 582, n. 1603. Ad hunc annum spectant *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 107, 207, 396, 529, quas ad suam contexendam historiam Polancus adhibuit.

[2] De his Collegiis, ac praecipue de illo, quod *Regium* appellabant, haud semel in superioribus voluminibus est facta mentio. Vide praesertim supra, t. v, pag. 587, n. 1620 et seq.; necnon *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 562-581.

[3] "Duo... Conimbricae id temporis habebamus Collegia, alterum in montis vertice, ad ripam Mondae aliud: et quia Provinciae moderatori visum fuit haud modica esse incommoda in utroque conservando, destitit in manu Regis a possessione superioris Collegii, surgentisque illius fabricae: Serenissimus spatium illud, murosque surgentes religiosis Ordinis Christi pro extruendo coenobio concesserat. Cum pervenit Conimbricam P. Ludovicus Gonsales Camera, Visitator..., re lentius examinata, judicavit deserendum potius inferius quam superius Collegium, ideoque statim Ulyssiponem advolavit, ut a Serenissimo Rege obtineret, quod inconsiderate abdicaveramus. Res erat difficultatibus plena propter regium verbum jam oppignoratum; sed, adnitente Serenis-

rius Collegium nostros non caperet, et fere quadraginta ex nostris in superiori adhuc Collegio versabantur. Omnes autem computati ad centum sexaginta sub finem aestatis ascendebant.

3074. Quod attinet ad scholas initio autumni anni praecedentis inchoatas, sic illae procedebant, et ea facilitate et tranquillitate, ut si diu multumque nostri in eo munere fuissent versati. Praeceptores diligenter suis fungebantur officiis, tam in humanioribus litteris quam in tribus philosophiae cursibus, in quos philosophiae studiosi erant distributi; et vim obedientiae nostri in hoc munere satis sunt experti; nam longe ipsorum expectationem tum satisfactio de praeceptoribus et existimatio, tum profectus scholasticorum superavit.

3075. Obliviscebantur jam veteres praeceptores, immo audebant discipuli externi novos illis praeferre, et cum timerent nostri libertatem nimiam scholasticorum, tam faciles ac subditos eos experiebantur, ut etiam nobiliores cum punitionem merebantur, quietissime eam susciperent; et confessiones menstruae et conciones, quas audiebant, sic emolliebant et immutabant eorum animos, ut nova facies in scholis prorsus cerneretur, nec parum singuli praeceptores diebus veneris suis discipulis christianam doctrinam [cum] explicarent, eorum pietatem promovebant, adeo ut menses integri sine punitione cujusquam elaberentur.

3076. Juramenta et contentiones mutuae cessabant, et ea modestia per publicas vias incedebant et in ecclesia versabantur, ut facile, qui ad nostras scholas veniebant, a studiosis nostrae Universitatis discernerentur [1]; et quamvis ex praescripto regulae suae singulis tantum mensibus confiteri tenerentur, multi quintodecimo quoque die, alii autem octavo quoque die confitebantur et communicabant; et hi non in virtute solum, sed in eruditione etiam, caeteris anteibant.

---

sima Regina, piissimus Rex religiosos Ordinis Christi receptui canere jussit, aliisque beneficiis compensavit factam donationem; nostris Collegium nostrum denuo restituit.„ Franco, *Synopsis annal. Soc. Jes.*, ann. 1556, n. 1.—Vide supra, t. v, pag. 596, n. 1641. De hoc negotio agitur infra, n. 3233 et 3245: rem vero fusiori calamo, pro suo more, prosequitur Tellez, *Chronica da Companhia*... p. II, liv. VI, cap. 44 et 45.

[1] Rectius id ipsum narrant *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 214: "Modestia etiam et in templo et in uiis tantum cernitur, ut facile nostri scholastici ab aliis, qui litteris in altera Academia student, distinguantur.„

3077. Omnium numerus hoc vere ad nongentos accedebat, praeter nostros, qui vel humanioribus litteris vel philosophiae vel etiam theologiae vacabant; nec exiguus hoc anno hic numerus censebatur propter annonae caritatem, quae non exigua hoc anno in Portugallia nec pauperibus parum molesta fuit.

3078. Addita est lectio graeca extraordinaria hoc anno; quamvis enim quatuor aliae praelegerentur, tantum studiosis primarum classium usui erant, ut quintam istam etiam complures philosophiae studiosi, immo religiosi et theologi, audiebant; nam partim de grammatica, partim de interpretatione Homeri lector agebat.

3079. Exercebantur autem rhetorici declamationibus soluta oratione vel carmine habendis, quibus de sanctorum laudibus aut de aliis piis argumentis agebant, et tam feliciter id praestabant, ut multi non ab ipsis, sed a praeceptoribus composita fuisse, quae pronuntiabant, existimarent.

3080. Triginta religiosi variorum ordinum ad scholas nostrorum accedebant, quibus praeceptores peculiarem charitatem exhibebant; et tam illi, quam reliqui discipuli, praeceptores impensius diligebant.

3081. Cum quidam, religionem ingressurus, suo praeceptori multis valediceret cum lacrymis, ei se debere post Deum hoc singulare beneficium, vocationis scilicet religiosae, agnoscebat, rogabatque ut quemadmodum exemplo et verbis ad vitam christiano dignam ipsum juverat, ita et ad perfectionis statum adjuvaret.

3082. Sed hujusmodi multa accidebant, et ex omnibus classibus aliqui religiosi efficiebantur. Ex his, qui legere et scribere discebant, numerus ad trecentos ascenderat, qui magnam spem suae virtutis concitabant, cum lacte timoris Dei et christianae doctrinae instituerentur, quam memoriter addiscebant et domi suos domesticos eamdem edocebant, et juramenta domi et alibi reprehendebant, et aliquando eorum parentes pia laetitia flentes ad nostros veniebant, filios suos tam sancte institui pro magno Dei beneficio ducentes.

3083. Quando aliquis hujusmodi puerorum castigandus erat, aliquando, id deprecantes, obtendebant quod jurantes reprehendissent, et singulis diebus sabbati testimonium reddere eos oportebat coram Rectore quod regulas suas observassent; et si

aliquis cum alio pugnasse vel quid aliud male egisse accusaretur, ad praeceptorem ducebatur, qui non solum curabat punitionem, sed etiam ut a Deo veniam peterent et confiterentur suis confessariis.

3084. Cum ad nostras scholas videndas Visitator, a Rege missus, accessisset, cum suis tantum domesticis venit, ut ostenderet se jurisdictionem nullam in scholas nostras habere: exceptus est in prima et secunda classe orationibus solutis, carminibus graecis et latinis, et cum interesset lectionibus philosophicis triplicis cursus, disputationes inter ipsos discipulos habitae fuerunt. Biduo veniens, omnes praeceptores audivit, et tam illi quam discipuli abunde ei satisfecerunt, et ita dixit se Regi scripturum, illud Scripturae usurpans: quia quae vidimus non possumus non loqui; et sicut audivimus sic vidimus [1].

3085. Optare se autem dicebat ut condiscipuli, [qui] ex nostris scholis ad alias facultates audiendas accederent, detrimentum ex aliorum convictu non acciperent. Magnum hic Visitator affectum benevolentiae erga Societatem gerebat, quam Romae, cum Regis Portugalliae negotia ageret, familiariter noverat, Balthasar de Faria nomine [2].

3086. Singulis mensibus in area Collegii, ad quam omnes scholastici congregabantur, orationes publicae superiorum classium habebantur, praeter alias, quas in classibus ex ipsa cathedra praeceptores pronuntiabant, et de eodem themate alter soluta oratione, alter carmine disserebat, et tanta cum gratia ea pronuntiabant per unius horae spatium, ut non parum admirationis concitarent.

3087. Nostri in refectorio aliqui latine, lectionis loco concionabantur, tempore a Superiore praescripto ad concionem praemeditandam.

3088. Constituerat Rex Joannes ut singulis annis in Regio Collegio oratio latina in laudem cujusdam S.tae Reginae Portugalliae [3], cujus corpus Conimbricae servatur, haberetur. Tenentur Rector Universitatis, et alii ex eadem studiosi, eidem ex mandato regio interesse; sed praeter hos convenerunt omnium

[1] Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui. ACT. APOST. IV, 20.– Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 210.

[2] Vide supra, t. I, pag. 446 et 447, ubi de hoc viro mentio est, de quo agitur passim in *Cartas de San Ignacio*, t. I; et *Epistolae Mixtae*, t. I, pag. 170...

[3] Nempe, Stae. Elisabeth, viduae, Portugalliae Reginae. Vide infra, n. 3569.

ordinum religiosi et alii multi nobiles et docti viri frequentissimi, et templum, ubi habenda erat oratio, amplum valde et ornatum erat.

3089. Habuit hanc orationem P. Petrus Perpignanus, et eo officio cum summa approbatione et applausu auditorum functus est; nec solam orationem sed ipsum oratorem et ejus actionem vehementer sunt admirati; et cum alios vix media hora dicentes ferre soleant, per duas horas magno cum silentio et quiete audierunt; et dies aliquot alia de re Conimbricae quodammodo non agebatur, nisi de hac oratione et de oratore [1].

3090. Aderat inter alios Doctor quidam, qui viginti annis Parisiis fuerat, ordinis S.ti Dominici ac theologiae professor, et quidem in humanioribus litteris valde eruditus, qui dixit permultos audisse Parisiis, et in aliis praeclaris Universitatibus oratores, sed parem huic se vidisse neminem; et omnino quamvis nostri annis praeteritis valde bonas orationes audissent, non potuerunt non agnoscere hanc caeteris fuisse praestantiorem, sive rerum, quae valde docte ac pie [tractatae fuerunt], sive orationis ratio haberetur; et cum debilis esset P. Perpignanus nulla tamen in eo orationis debilitas est deprehensa.

---

[1] Quae hoc et sequenti numero a Polanco narrantur, ea quidem ad annum 1558 referenda esse videntur. Deceptus Polancus fuit errore librarii, qui epistolam Conimbrica ad Urbem missam descripsit ex autographo; quique cum primum scripsisset 1558, emendavit deinde annum, et, effecit ut legeretur *1556*. Ita apparet in apographo, quo quidem, ut probabilius videtur, usus est Polancus. Inde factum est ut in dorso scriberetur sine litura 1556.

Jam, momenta quibus censemus epistolam datam fuisse anno 1558, non autem 31 Augusti 1556, ac proinde quae hic referuntur, ea ad 1558 pertinere, sunt, praeter librarii emendationem et lituram, quam diximus, haec sequentia: 1) Inscriptio est ad P. Jacobum Laynez, Vicarium Societatis Jesu.—Sed 31 Augusti 1556 sciri Conimbricae electionem P. Laynez in Societatis Vicarium, illis quidem temporibus non poterat ob locorum distantiam et tabellariorum difficultatem. Et quidem *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 529 et 517, Conimbrica et Ebora Romam a nostris missae, mense Septembri 1556, ad P. Mag. Ignatium, Praepositum Societatis, inscribuntur.

2) Res in his litteris contentae et a Polanco in Chronicon inclusae produnt tempus anno 1556 posterius. Etenim cum de oratione latina in laudem Elisabethae Reginae habita mentionem faciunt, phrasim sive locutionem illam adhibent "*que el rey D. Juan dejó*„, quem modum dicendi non adhibuisset, ut videtur, scriptor, vivo adhuc Rege, illius rei auctore. Anno vero 1556 vivebat Joannes III, qui sequenti anno, 11 Junii, diem clausit supremum.

3) P. Franco, qui res Societatis in Portugallia scripsit, et in annos digessit, tametsi plures orationes de eodem argumento a Perpiniano habitas commemorat, ad annum 1558 refert ea, quae Polancus anno 1556 gesta recenset, nimirum et orationem illam longiorem a Perpiniano pronuntiatam fuisse, et summa cum auditorum approbatione et applausu exceptam. Vide locum, *Synopsis annalium*, ann. 1558, n. 15.

3091. Consecuta sunt hanc orationem varia epigrammata in laudem ejusdem S.tae Reginae a nostris confecta, quae columnis ac parietibus Collegii affixa, legentibus et laetitiae et laudis materiam praebuerunt.

3092. Aliquanto post, id est, ipso die S.ti Barnabae, positiones logicae et philosophiae a tribus scholasticis, qui ex tribus cursibus erant, publice et solemniter fuerunt in sacello nostri Collegii defensae, quas fuisse optimas inter eas, quae Conimbricae habitae fuissent, ferebatur. Adfuit Rector Universitatis cum compluribus lectoribus ac religiosis; et mane per plures quam tres horas, et totidem aut amplius post meridiem, acriter disputatum est [1].

3093. Aderat D. Balthasar de Faria, Visitator, et alii lectores Universitatis. Eminuit inter alios Ludovicus Molina, quamvis omnes strenue admodum in respondendo se gesserunt. Disputarunt autem qui majoris erant auctoritatis, cum omnibus locus nec tempus dari non posset, qui se bene armatos accessisse fatebantur; sed partim tres praedicti discipuli, partim qui eis assistebant, tanta cum facilitate et claritate argumenta dissolvebant, ut multum omnino auctoritatis apud Universitatem nostris scholis conciliaverit.

3094. Affirmabant enim aliqui per urbem nihil se unquam hujusmodi vidisse; et Societatem quidem pietati deditam prius credebant, sed in doctrina non perinde solidam; sed longe aliter sentire coeperunt; et Rector praedictus Regi hujusmodi disputationem scripturum dixit.

3095. Antequam inchoaretur disputatio, mane a quodam ex nostris [oratio] praecessit carmine comprehensa, altera vesperi soluta in laudem philosophiae subsecuta est [2].

3096. Studiosi etiam humaniorum litterarum latinis et graecis versibus, pro foribus affixis, disputationes ornarunt.

3097. Recedentes autem cum magna aedificatione, quidam ex doctoribus dixerunt tunc serio philosophiae studia tractari

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 396, ubi animadverte nec in his, nec in aliis hujusce anni conimbricensium epistolis, mentionem fieri de illa Perpiniani egregia oratione in laudem B. Elisabethae, quam habitam ab ipso fuisse, Polancus, n. 3089, scripsit.

[2] "Vn hermano por la mañana al prinçipio de las disputas recitó vna oración en uerso..., vuo á la tarde otra en prosa, que hizo un estudiante de fuera...„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 397.

incipere, quodque theologiae lectores cogebantur diligenter suas lectiones praeparare, cum sic instructos in philosophia discipulos habituri essent, qui facile percepturi essent, an exacte illi praelegerent.

3098. Aliqui autem ex nostris examinati fuerunt ad promotionem in philosophia, et quamvis viri doctrina clari erant, qui examinandi officio fungebantur, illis abunde est a nostris satisfactum, et suis condiscipulis nostros etiam in doctrina anteire censebant.

3099. Haec examina fieri solita erant in scholis majoris Universitatis, sed Rex ut auctoritatem sui Collegii augeret, quod Societati nostrae tradiderat, in eo fieri voluit; et alia privilegia eidem Collegio concessit, quibus facile suum affectum erga Societatem nostram significabat.

3100. Multi ex scholasticis ad Societatem nostram aspirabant, et sic studiis afficiebantur, ut nec in aestate quidem ad patriam pro more suo recederent, et ita in doctrina et pietate strenue proficiebant.

3101. In ecclesia Collegii diebus dominicis a prandio lectio Ecclesiastes praelegebatur ad populi utilitatem, sed P. Franciscus Rodriguez, qui cum magna satisfactione auditorum eo munere fungebatur, in Indiam hoc anno recessit, et successorem habuit P. Antonium Choream.

3102. Tempore autem Quadragesimae quatuor conciones singulis hebdomadis non ab uno tantum ex nostris concionatoribus habebantur, nec exiguus fructus captus ex hoc ministerio fuit; et quamvis alibi Conimbricae concionarentur, satis frequens auditorium nostri habuerunt.

3103. Duo autem ex nostris theologis talentum concionandi non vulgare ostenderunt, cum hoc officio fungi inciperent; alter Franciscus Adornus, genuensis, alter Dominicus Cardosus, lusitanus; sed cum ex regno Castellae, Junio mense, P. S.ta Cruz [1] venisset (quem superius ex Portugallia revocatum diximus [2]) et propter pedum debilitatem Conimbricae substitisset, quamvis Lisbonam tenderet; conciones multas, et quidem omnibus valde gratas, habere coepit, et auditorium, quod valde frequens erat,

---

[1] Jacobus de Santacruz.— Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 398, annot. 1.
[2] Vide supra, t. V, pag. 585, n. 1611.

quam maxime commovebat, et opportune admodum, cum sibi destitui viderentur concionatore, praedictus S.ta Cruz accessit.

3104. Confessionibus audiendis et aliis pietatis operibus etiam nostris pro more suo vacabant. Inter alia autem duos primarios Universitatis lectores, qui ratione sedis praeeminentioris ad mutuas injurias pervenerant, quod eo majoris offendiculi causa erat, quo ipsi in dignitate majori erant constituti; cumque duri admodum essent et obstinati, adeo ut alter ex regno vellet recedere, si alterum ex sua cathedra non ejecisset; P. Leo, Rector, nunc istum, nunc illum conveniens, ad eam concordiam reduxit, ut utrumque in ecclesiam nostram ad peccata confitenda adduceret: quod cum maxima aedificatione urbis, et praecipue scholasticorum, effectum est.

3105. Ejusdem industria ac diligentia haereticus quidam, qui ad zizaniam seminandam Conimbricam venerat, fuit comprehensus. Venerat ille domum nostram, et praedictum Rectorem fuerat allocutus, qui, cum nescio quid offecisset, emisit in habitu peregrinorum quosdam ex nostris, quos secum in Portugalliam P. Ludovicus reduxerat, qui hominem illum dissimulanter alloquerentur; et in primo illo congressu coepit ille suum venenum depromere, et ita Episcopus a P. Leone admonitus, in carcerem illum conjecit [1].

3106. Demum quantum occupationes studiorum permittebant, audiendis confessionibus, pacificandis dissidentibus et juvandis infirmis ac perituris nostri vacabant; et cum civitas optime de Societate esset affecta, libenter admodum in his, quae ad salutem animarum suarum pertinebant, nostrorum opera magno cum fructu utebantur, nec tantum in Collegii ecclesia, sed per totam urbem confessiones audiebantur, nec cessabant aliqui diu noctuque ad nostros accersendos venire, ad periculose aegrotantium consolationem et auxilium; sed eorum etiam, qui in custodiis detinebantur, quemadmodum annis praeteritis, ita et hoc habita cura fuit eorum; et ut aliquoties singulis annis confiterentur et communicarent, eos adducebant, et longe jam facilius quam prius ad consulendum suae saluti spirituali adducebantur, et cum plures essent quam quadraginta, omnes hac aestate confessi sunt; et admirabatur praefectus

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 211 et 217.

carceris tantam in eorum moribus emendationem, et ad sacramenta ac verbum Dei audiendum propensionem: Missam etiam coram eis P. Leo dici curabat, et ipsemet eis concionabatur.

3107. Familia autem praefecti carceris, perlibenter vel in ipso carcere vel in ecclesia nostra ad sacramenta accedebat; et insignem esse hunc carceris fructum nostri experiebantur, quod cum illi regnum Dei quaererent, caetera eis adjiciebantur; et Dominus eos [1] liberandi a carceribus curam habebat, dum aliquos pios viros movebat, ut suis eleemosynis eorum debita solvendo, a carcere eos educerent; et idem Rector sollicite haec subsidia curabat et apud magistratus brevem eorum expeditionem urgebat; nec parum alios aedificabat, cum nostros eleemosynam quaerere ad horum hominum liberationem homines viderent; nec defuerunt qui hac occasione, praeter eleemosynam collatam, spiritualia etiam exercitia sibi dari peterent.

3108. Extra urbem etiam, propter bonum odorem de Societate perceptum, saepe ad nostros aliqui veniebant, ut concionatorem aliquem impetrarent in solemnioribus praesertim eorum festis, quibus satisfieri, cum nostri poterant, curabant; et cum his, qui ad concionandum mittebantur, parochi sua dubia conferebant, et inter discordes conciliationem et ut mutuo veniam peterent curabant, quod aliquando multis cum lacrymis effectum est.

3109. Mense Aprili, Majo et initio Junii pluviae tam multae in Portugallia extiterunt, ut cum messes colligi non possent, fames grassari inciperet; nam pene maturae segetes sine remedio peribant. Tunc populus in terris remedium non inveniebat: illud a coelo quaerebat, et multis cum lacrymis diu noctuque et processionibus id a Deo petebat. Et singulae fere religiones nudis pedibus in hujusmodi processionibus incedebant, quod populum valde animabat; sed cum pluvia non cessaret, exoptabat ut Collegium etiam Societatis tantumdem faceret, et si in processionem egrederentur, statim bona tempora secutura dicebant, et aliqui non sine aliqua importunitate id efflagitabant. Sed cum hujusmodi processiones juxta Institutum nostrum non essent, nostris videbatur non esse petentibus acquiescendum; sed domi ea populorum necessitas Domino commendabatur.

---

[1] Scilicet, carcere detentos.

3110. Aliquae ex his processionibus, nostris non praemonitis, ad ecclesiam nostram venerunt, sed cum post coenam prima accessisset, ex tempore quidam ex nostris ei concionatus, et homines non parum consolatus est.

3111. Post illam, et altera venit, et eodem modo per concionem ei est satisfactum; quod cum etiam in aliis postea factum esset et populus intelligeret domi nostrae orationem fieri, quodque in singulis classibus litaniae quotidie dicebantur, et collegiales convictores suas processiones et disciplinas etiam in Collegio facerent, quodque aliqui ex praeceptoribus cum suis discipulis in processionem per civitatem egressi fuissent; contenti fuerunt, et aedificati et boni consuluerunt quod nostri publicam processionem, ad aliorum ordinum similitudinem, non fecissent.

3112. Multi primis mensibus hujus anni in Societatem Conimbricae admissi fuerunt; partim Ulyssipone et Ebora missi, partim Conimbricae inter id postulantes electi [1]. Unus eorum philosophiae cursum confecerat et inter praestantiores ejusdem habitus, ad gradum promotus fuerat, et hic erat ex convictoribus; et ex eisdem alter etiam philosophus admissus est; unus ex admissis, a patruo, ordinis S.ti Dominici religioso et theologiae professore, in studiis alebatur et rhetoricae studebat; sed patruus libenter facultatem concessit, immo et exhortatus est, ut Societatem ingrederetur, ad quam propensus erat, quamvis ejusdem ordinis religiosi libenter eum in suum monasterium excepissent, immo et id optarent. Ex vicina etiam civitate, quae Portus dicitur, vir quidam, non vulgari [2] virtute praeditus, filium suum unicum ad Societatem Conimbricam adduxit, nec expectare voluit, ut quatuordecim annos compleret, cum domo egressus est. Alii multi et quidem pernobiles cum id ipsum peterent, quod facultatem a suis parentibus non obtinuissent, admissi non sunt. In progressu autem anni aliqui etiam alii fuerunt admissi; qui autem cum P. Ludovico Gonzalez Romam missi fuerant, sua obedientia et mansuetudine non parum aedificationis nostris, qui Conimbricae versabantur, praebuerant.

---

[1] "His quatuor mensibus ingressi sunt permulti in Societatem, quorum aliqui Ebora et Olyssippone a Provinciali missi sunt. Ex hoc nostro Collegio [Conimbricensi] duo recepti sunt...„ *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag 217, et 212.

[2] Ms. *non rara*. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 217, 218.

3113. Et Rector hujus Collegii, P. Leo, in omnibus fere disciplinam et observationem Instituti ac obedientiae studium et alacritatem valde commendabat; et juxta normam Romanae Domus ac Collegii, quam P. Ludovicus Gonzalez verbo eis declaraverat, exigere omnia et conformia reddere nitebatur.

3114. Studiosi theologiae in superiori Collegio, ubi domus probationis erat, habitabant, et cum eis P. Georgius Serranus, qui eis praeerat ac praelegebat; multi autem ex domo probationis et etiam ex scholasticis peregrinatum mense Julio et Augusto missi sunt, partim Compostellam Galliciae, partim ad Rupem, quam vocant Franciae, partim ad alia loca.

3115. Observavit autem P. Leo quod cum novitii in prima probatione fere quindecim aut viginti dies versarentur, et inde egredientes exercitia spiritualia per unum fere mensem iidem exciperent; cum ex cubiculo pene nunquam egrederentur, in capitis aegritudinem propemodum omnes incidebant, et in anno proximo 1555, octodecim aut viginti ex his capitis aegritudine sic laborarunt, ut male admodum affecti et parum utiles ad Societatis labores remanere viderentur. Remitti ergo vel differri hujusmodi exercitia debere, nostris videbatur.

3116. Cum juvenes illi magno cum impetu hujusmodi spiritualibus rebus se dederent, et ideo illi etiam, qui in secunda probatione versabantur, nec meditari aut laborare poterant, aliquid recreationis in hebdomada concedendum videbatur; quia vel melancholia implebantur, cum nihil agerent, vel otium quibusdam eorum tentationum causa erat; et si quid condonandum hujusmodi novitiis P. Ignatio visum esset, ut quantitatem et qualitatem hujusmodi recreationum praescriberet in particulari, quoad ejus fieri posset, petebat; quod in ea Provincia scrupulosi essent hac in parte; sed hoc anno, succedente P. D.ris Torres gubernatione in ea Provincia [1], et adventu P. Ludovici Gonzalez, ac declarata consuetudine Romanae Societatis, haec remedium acceperunt et nostrorum sanitati consultum est [2].

3117. Admonet idem P. Leo virtutem et obedientiam N. [3]

[1] Vide supra, t. v, pag. 529. n. 1145 et pag. 552, n. 1515.

[2] Lege dicenda infra, n. 3225.

[3] Sermo videtur esse de P. Jacobo Miron, cui P. Michaël de Torres in officio regendae Provinciae successerat. Vide supra, t. v, pag. 574, n. 1582; et quae inferius dicentur, n. 3232–3234.

multum aedificationis ea in Provincia praebuisse, sed prudentiam ad res agendas minorem videri, quam ejus officii ratio requireret; quodque se in omnibus rebus valde particularibus immiscebat; et ideo observabant nostri, immo etiam externi, quod ideo minus satisfacere poterat propriis sui officii functionibus. Visus est etiam in observatione Constitutionum et Regularum Societatis minus sollicitus et ad dispensandum facilior, quam par erat; et ita praeceptores in illis Collegiis et potissimum Conimbricae nullam propemodum Regulam observabant, nec examen conscientiae nec meditationem, nec ad mensam lectionem; nec syndici nec praefectus studiorum fuerant; sed, adveniente successore, omnia haec in meliorem statum reducta fuerunt; et fere ab omnibus Regulae et Constitutiones sollicite exigebantur, et in rebus agendis magna utebatur prudentia.

3118. Quod attinet ad dotationem Collegii, quamvis perpetua ea futura esse ad centum quinquaginta [1], et Regina atque Infans Ludovicus, Regis frater, id cupiebant magnopere; ob mortem Infantis praedicti, quae initio hujus anni cum magno detrimento regni successit [2], et ob morbum atque senectutem Regis, qui non per se ipsum sed per alium quemdam negotia jam tractabat, peracta non fuit hoc anno.

3119. Collegiales convictores, qui prope nostros et sub spirituali eorum cura instituebantur, hoc anno numero creverunt, et ad quinquaginta vel plures etiam pervenerunt; et bona ex parte illustrium ac nobilium virorum regni filii erant. Multi autem, ex hujusmodi primariis viris curiae, suos liberos eo mittere, ut bona illa institutione fruerentur, cupiebant.

3120. Illi autem valde obedientes studiorum Praefecto, qui etiam illis praeerat, et valde reverentes se praebebant; et complures Societatem essent ingressi, si Societas eos admisisset.

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 597, n. 1643.

[2] "Magnum vulnus Lusitaniae, magnum nostris rebus inflictum, 27 Novembris [21 legitur in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 553], cum mors regno et mundo eripuisset Serenissimum Principem Ludovicum... Ex quo nos primum conspexit in Lusitania, sic nos ac nostra dilexit, ut videretur nulla re magis, quam incrementis... Societatis recreari. Ille causa fuit, ut firma nobis sedes daretur in Lusitania. Ille nobis fratrem Henricum benevolentissimum effecit. Se ipsum Societati... tradere meditatus est...„ FRANCO, *l. c.*, ann. 1555, n. 11 et 12, qui egregii Principis virtutes ac merita, ut par est, grato animo memorat. Latina oratione funebres Ludovici laudes dixit Perpinianus. Vide ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. I, lib. XIII, n. 48; *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 356, et in hoc ipso *Chronico*, infra, n. 3235.

3121. Et haec de Collegio Conimbricensi, ex quo sub autumnum P. Leo Enriquez Eboram translatus est, et P. Georgius Rigius conimbricensibus praefectus.

DE COLLEGIO EBORENSI

3122. Initio hujus anni praeerat nostris, Eborae agentibus, P. Cornelius [1]: numerus autem nostrorum auctus est hoc anno, cum probationis domus in eis habitationibus fuerit collocata, quam Infans Cardinalis in sacerdotum usum paraverat; et mense Januario hujus anni, eodem consensum praebente, nostri tirones in eam domum commigrarunt, et ita numerus omnium ad triginta accessit, et satis magna cum alacritate in observatione nostri Instituti collegiales procedebant.

3123. Duo adolescentes, qui anno superiori in Societatem per permissionem fuerunt admissi, ineunte hoc anno recepti et Conimbricam missi sunt. Alius quidam ex prima classe, cum Societatem ingredi vehementer cuperet, non solum a patre suo fuit prohibitus, sed etiam a studiis abductus, ne ejus animus Societati nostrae afficeretur, cum qua ne consuetudinem haberet, est admonitus; at adolescenti pergratum id accidit: cum enim, invito patre, admitti non posset quamdiu scholas nostras frequentaret, sperabat se faciliorem aditum, etiam sine patris consensu, esse habiturum.

3124. Ejusdem scholae quidam valde idoneus admissus et Eborae retentus est; alius etiam ad id facultatem a suo parente est consecutus; unus etiam ex sacerdotibus, qui conscientiae casibus studebant, summopere ad Societatem propensus, ingressum, ad quaedam negotia prius transigenda, aliquandiu distulit. Ex aliis id petentibus scholasticis, et quidem ex primis classibus, quidam admissi sunt; alii expectare jussi; et ita domus probationis vacua non fuit. Alii ad alias religiones ex eisdem nostris scholis se contulerunt.

3125. Conciones, quae in templo nostro eborensi de chri-

[1] P. Cornelius Gomes. Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 153 et 271; spectant etiam ad hunc annum quae habentur *Litterae Quadrimestres*, pag. 447 et 517.

stiana doctrina fieri post meridiem solebant, cum magna utilitate multorum continuatae fuerunt, partim a P. Melchiore Cotta, partim a P. Marco Georgio, qui casus conscientiae explicabat, cum Melchior in aliis urbis templis concionabatur; et magna pars auditorum, qui satis frequentes erant, et aliorum non pauci singulis mensibus confitebantur; immo aliqui octavo quoque [die] id factitabant, et S.ma Eucharistia reficiebantur; et quamvis confessarii satis a scholasticis occupabantur, aegrotantium tamen confessiones et aliorum etiam generales audiebant: longe tamen pluribus satisfactum esset, si plures fuissent operarii. Eis autem, qui ab hac vita discedebant, magis quam aliis suam operam non deesse permittebant.

3126. In templo autem nostro, praeter pomeridianam, etiam matutina habebatur concio; et quamvis vespertinae scholastici peculiariter interesse deberent, quod ea de christiana doctrina haberetur; tam multi utriusque sexus accedebant, ut cum ecclesiae angustiis non contineri possent (nam magna ea non erat), in vestibulo ac porticu vicino subselliis omnia implebantur; et tamen permulti, quia ne ibi locum habebant, domum redibant.

3127. Eisdem diebus major etiam erat accedentium ad sacramenta multitudo, sed etiam profestis diebus plurimi confitebantur, et fructus non poenitendus ex eo ministerio capiebatur. Valde autem messem nostris auxit pene incredibilis aegrotantium hoc anno multitudo: est enim Ebora parum salubris civitas, in hyeme valde frigida et in aestate plus satis calida; sed aegrotandi periculum in aestate gravius est, et hoc anno multi periculose aegrotarunt, immo et mortui sunt; in quibus invisendis, consolandis et per sacramenta juvandis, dies noctesque aliqui ex nostris consumebant. Ea etenim erat de nostris existimatio, et is omnium affectus erga eos, ut cum in ea civitate et religiosi et doctores multi essent, nostris omnino vellent confiteri; et haec eorum opinio inde ortum habuisse ex parte videtur, quod aliqui, et quidem non pauci, diaboli suggestionibus et fallaciis pene ad desperationem adducti, qui alibi remedium invenire non potuerant, quamvis multi religiosi suam eis operam praestitissent, nostris ad eos accedentibus, per eorum ministerium a Domino liberati essent.

3128. Inter fructus autem concionum hic posset non infimo loco numerari, quod, maxima ex parte, earum auditores vel sin-

gulis mensibus, vel saltem hebdomadis, ad sacramenta confessionis et Eucharistiae accedebant; familiaribus etiam colloquiis multos nostri, divina gratia adjuti, a vitae pravitate ad pietatem christianam revocarunt: multi autem inter hujusmodi nobiles et magnae auctoritatis viri erant; et ex illis, qui semel nostris confiteri coeperant, non solum ad frequentanda sacramenta, sed ad honestissimam etiam vitae rationem se teneri existimabant. Reverebantur autem nostros, et ea devotione prosequebantur, ut quandocumque eis confiterentur, se jubilaeum obtinere putarent.

3129. Vere autem jubilaeum 17 Maji promulgatum est, in quo minus utique multitudini confitentium quam aliis annis satisfieri poterat; multis tamen est satisfactum. Fuit etiam in carcere praedicatum ab eo, qui domi nostrae eo munere fungebatur; et concione peracta, cum socio aquam ex fonte vinctis adferens, et alia ministeria exhibens, multum eis aedificationis praestabant. Omnes autem quotquot in ea custodia erant, peccata confiteri voluerunt, et quodam ex nostris Missam celebrante, communicarunt.

3130. Studium autem convenientium ad confessiones in jubilaeo, ex eo cerni potuit quod in ecclesia pernoctare aliqui statuebant, ut nostri, qui multa nocte se domum recipiebant, eos primo loco mane audirent.

3131. Quibusdam sanctimonialibus spiritualia exercitia cum magna ipsarum spirituali utilitate tradita fuerunt. Aliis multis, id petentibus, satisfieri non potuit.

3132. Aliquando, dum unum pium opus curabatur, oblata occasione, alia fiebant, ut accidit cum [aliquis ex nostris ad] aegrotantem quamdam mulierem, confessionis gratia accersitus, adiret. Intellexit ejus maritum cum alio inimicitias gerere, nec ante recessit ex ea domo, quam ad eas deponendas hominem adduceret.

3133. Cum alium etiam quemdam virum nobilem ad inimicitias relinquendas hortaretur, si ea in re Deus offenderetur, se paratum esse ad eas statim deponendas propter Deum obtulit; et ita alia plurima non magno labore nostri, Deo adjuvante, ab hominibus impetrabant, ut quae ad eorumdem vel aliorum spiritualem salutem vel profectum conveniebant.

3134. Aliquot menses antequam in Indiam Episcopus An-

dreas de Oviedo cum Patriarcha, cui coadjutor et successor erat institutus [1], proficisceretur, in gratiam Infantis Cardinalis ad archiepiscopatum eborensem lustrandum et sacramentum confirmationis populis ministrandum venit. Eborae etiam in Collegio nostro primis ordinibus aliquos initiavit; et cum in autumno praecedente, ipso die S.ti Matthaei centum septuaginta ad sacros ordines ab eo promovendi convenissent, septuaginta ex eis electi initiati sunt; qua in re usque ad secundam horam pomeridianam Episcopus commoratus fuit; et pro ordinum varietate varias toto eo tempore ad eos, qui promovebantur, conciones habuit; et cum cereolos de more dari solitos non admitteret, non parum illi homines insolitam ejus liberalitatem admirabantur [2].

3135. Postquam autem in Collegio aras et vestes sacras a Cardinale Infante donatas sacrasset, fratre quodam nostro itineris comite, sub initium Octobris per dioecesim eborensem profectus est. Cum autem aliqui ex ministris Cardinalis valde contenderent ne pateretur ut ille mulis clitellariis archiepiscopatum lustraret, non id obtinuerunt, cum Cardinalis Episcopi consilium ac humilitatem in hac parte probaret.

3136. Rogavit autem in itinere Episcopus socium sibi adjunctum [3], ut diligenter adnotaret et se admoneret, si quid minus recte a se factum videret, seque de his moneret.

3137. Obsecravit etiam quemdam sacerdotem, quem Cardinalis cum ipso miserat, ne se honorifice ut Episcopum, sed tantum ut sacerdotem religiosum, inter loquendum, appellaret. Nullo modo sibi obviam prodire homines ex oppidis, honoris gratia, permittebat, nec comitatum deducentium ad templum aut reducentium ferebat, sed cum fratre comite ibat in templum et redibat. In oppidis, in quibus erant hospitalia, non alibi quam in eis divertere volebat; et cum quidam reclamarent, et eam esse consuetudinem negarent; postea, inquit Episcopus, consuetudo

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 609-611, n. 1676 et seq., necnon *Cartas de San Ignacio*, t. v, passim.

[2] *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 765 et seq., ex quibus transtulit Polancus totam hanc de P. Oviedo narrationem.

[3] Ms. habet: *Rogavit... Episcopum socius sibi adjunctus...* Rectius *Litterae Quadrimestres*, t. III, pag. 766: "Pater Episcopus fratrem, quem comitem habebat, rogavit vt omnia quaecumque a se minus recte agi viderentur... notaret, seque de his admoneret.„

erit, quae hactenus non fuit; et se praeferre hospitium xenodochii sibi praeparatae domui ostendens, inde non recessit.

3138. Alio in hospitali, cum dicerent nullum esse lectum quo exciperetur, potius ibi se dormiturum humi, quam alibi in lecto et praeparata habitatione affirmavit; et ita, illata sibi culcitra, sarcinula pro cervicali adhibita, cum socio dormivit.

3139. Aliqua hujusmodi, quae non parum aedificationis illis populis praestabant, quod singularem paupertatis amorem et humilitatem ostenderent, ab Episcopo fiebant; quo fiebat ut incredibilem de ejus sanctimonia opinionem conciperent.

3140. Mulionis, cujus jumentis utebatur, et aliorum plurimorum confessiones audivit; et cum alicubi ancillam, quatuordecim vel quindecim annos natam, de peccatis nunquam fuisse confessam intellexisset, cum magno labore, eo quod aethiopissa esset et vix intelligi poterat, confessionem audivit, et sacramentum confirmationis eidem impendit, et ejus dominos negligentiae acriter reprehendit, quod animae illius rationem non habuissent.

3141. Omnibus in locis, in quibus sacramentum confirmationis conferebat, vel concionabatur vel de rebus divinis familiariter verba faciebat; nec antequam omnia absolveret, quae facienda erant, cibum capiebat. Invitabat ipsemet incolas pagorum per eorum casas discurrendo, ut in templum ad chrisma suscipiendum ab Episcopo convenirent, quem ejus rei gratia jam adesse dicebat [1].

3142. Nec sine causa hac diligentia utebatur; aliqui enim senes utriusque sexus nunquam confirmationis sacramentum acceperant; et aliqua loca adierunt, quae memoria non tenebant quod ullus ad ea Episcopus umquam accessisset, cum in more positum esset, ut a parvis hujusmodi [locis] ad magna viciniora [ad] hoc sacramentum percipiendum homines accederent.

3143. Et quia in omnibus pene locis permultos negligentes admodum esse circa animarum salutem videbat, ad generales confessiones faciendas hortabatur, et ut ad id Eboram ad nostros venirent. Accidebat ut jam aliquando recessurus, jumentum conscendisset, et cum aliquem non accepisse sacramentum

---

[1] Quae ab hoc loco usque ad *homines accederent* leguntur, ea ab ipsomet Polanco orae paginae addita sunt.

confirmationis intellexisset, licet puer unus esset, in templum ad id conferendum redibat.

3144. Nullum sibi ministerium exhiberi permittebat, cum ipse per seipsum praestare posset, nisi forte confessiones, quibus vacabat, vel aliorum ministeriorum [usum] impedisset; et pedibus suis saepe ab uno in aliud oppidum iter faciebat. Demum ejus humilitas et charitas in illo archiepiscopatu ad devotionem et amorem ejus homines excitabant; cum [autem ea, quae Cardinalis ipsi injunxerat] praestitisset, Ulyssiponem rediit, ubi se ad indicam navigationem praeparabat.

3145. Quidam viri nobiles Eborae mutuis se vulneribus laedentes inimicitias gravissimas gerebant; ad hos cum quidam ex nostris fratribus, Lionelus de Lima nomine, missus fuisset, non solum id obtinuit ut in gratiam redirent, sed etiam in perpetuae amicitiae signum, ut in templo coram S.^{mo} corpore Domini mutuo amplecterentur; qua de re omnes, qui aderant, magnas Deo gratias agebant [1].

3146. Cum duo viri ad extremum supplicium ducerentur, alter eorum tam acerbo animo sententiam hanc tulerat, ut sibi ipsi mortem consciscere, ut ferebatur, constituisset; sed nostrorum exhortationibus ab hac detestanda daemonis persuasione liberatus, genibus flexis veniam ab omnibus postulabat.

3147. Alter etiam non patienti solum, sed et libenti animo ac vultu mortem excepit; utrumque nostri ad supplicium cum aedificatione comitati sunt, et cum hoc pietatis officio fungebantur, ad frequentissimam populi turbam, quae ad spectaculum convenire solita erat, concionabantur.

3148. Quidam sacerdos, qui concubinam diu tenuerat, cum [eum] quidam ex nostris reprehendisset et sui peccati gravitatem ostendisset, non solum concubinam reliquit, sed voto castitatis perpetuae se Domino consecravit.

3149. Inopes et egentes divitum eleemosynis [nostri] sustentari curabant, et quaedam monasteria monialium juvare pergebant: spiritualia etiam exercitia quibusdam proponebant; sed in quodam monasterio hujusmodi monialium, Cardinali subdito, fructum uberiorem quam alibi coeperunt; ubi cum caeteris praefecta fuisset, priori Abbatissa remota, religiosa

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 448.

quaedam a P. Carnero in rebus spiritualibus instructa, accedentibus concionibus cujusdam ex nostris et praedictis spiritualibus exercitiis, ad vitae reformationem moniales adductae fuerunt; et earum una, quae velut caput factionis erat, publice ab aliis veniam postulavit.

3150. Etiam ipsi artifices, qui aedificio Collegii dabant operam, per confessionem et pia colloquia proficiebant; et cum intelligerent aliqui pii viri eos, qui in custodia publica detinebantur, spiritualem cibum nostrorum opera accepisse, ad corporalem ipsis praebendum se teneri arbitrabantur, et ita id praestiterunt.

3151. Accidit autem, cum ad fontem egregium, in medio peristyli Collegii confectum, aqua per quosdam conductos alibi adferenda esset, ut, ad radicem cujusdam montis, ex mobili terra confecti, aliqui ex his artificibus fossam quamdam ad hujusmodi aquae ductum effodientes, terram ex illo monte supra se decidentem viderent; quemdam autem ex his sic terra illa decidens cooperuit, ut octo palmis ejus caput superaret; alios etiam duos operuit, sed non omnino. Statim multi homines obrutis terra subvenire tentarunt; sed ante una hora consumpta fuit, quam is, qui obrutus fuerat, detegi posset, et cum tandem fuisset detectus, tantum terrae rursus decidit semel atque iterum, ut quinque palmis adhuc ejus caput superaret; simul atque nostri rem intellexerunt, statim ad S.^{um} sacramentum pro his hominibus oraturi se contulerunt. Placuit autem divinae bonitati, ut nullus illorum hominum interiret, et is, qui terra opertus jam tertio fuerat, nullo modo laesus fuit; et ipsemet ad terram a se removendam alios juvabat; quod omnes miraculo tribuebant, nam de ejus vita desperantes, confratres, quos *de Misericordia* [1] vocant, ut ad sepulturam hominem deducerent, evocaverant: orationibus autem nostrorum aliqui tribuebant quae, pro sua bonitate, divina pietas fecerat.

3152. Quod ad studia litterarum attinet, Calendis Octobris anni 1555, principium studiorum in peristylo Collegii celebratum est; ubi ex more Parisiis Portugalliam deducto, multae orationes et carmina, variis coloribus et litteris ornata, parietibus erant affixa, quae B. Virginis et aliorum sanctorum, vel virtutum, vel Cardinalis etiam laudes continebant.

[1] Vide supra, t. v, pag. 575, n. 1586 et pag. 577, n. 1589.

3153. Mane autem, sacro audito, scholastici ad hunc locum convenientes, et aliquandiu inter se disputantes, deinde dialogum quemdam, [plurimis] astantibus, (inter quos magnae auctoritatis viri interfuerunt), perjucundum audiere.

3154. Post vespertinum officium multo frequentior hominum multitudo convenit, inter quos consiliarii Cardinalis et ejus Secretarius et alii multi nobiles ac docti viri adfuerunt; nam Cardinali, adversa valetudine impedito, adesse non licuit.

3155. Ibi a fratre nostro Francisco de Morales oratio est habita, cujus eruditio et actio audientibus vehementer placuit. Secuta est egloga quaedam, hexametris versibus conscripta, quae praeclaris sententiis et puerorum actione mirum in modum auditoribus satisfecit, adeo ut Cardinalis, apud quem magnopere commendabatur, eam audire voluerit; et ita paucis post diebus coram ipso audita est.

3156. Secundo die Octobris, magna cum alacritate omnium, lectiones coeptae sunt, cum prius, brevi concione praemissa, omnes simul officii sui et canonum observandorum fuerant admoniti.

3157. Illi autem hoc anno non mediocres in litteris et bonis moribus progressum fecerunt; et ex his plerique sacramenta frequentabant, et pietatis opera, data occasione, exercebant; et non solum ad nostras, sed ad alias etiam religiones, aliqui ex eis animum applicuerunt.

3158. Acti fuerunt in hujus anni decursu nonnulli dialogi et orationes non paucae pronuntiatae. Primis autem mensibus hujus anni impetravit Cardinalis a Rege, fratre suo, ut philosophiae studia in Collegio Eborensi praelegi possent, in renovatione studiorum hujus anni inchoanda, et non pauci ut cursum inchoandum audirent ex dioecesi Eboram convenerunt. Pater etiam Leo, qui hujus Collegii gubernationem sub initium Septembris susceperat, lectionem casuum conscientiae aggressus est, quam P. Marcus Georgius, Conimbricam [1] evocatus, Eborae legere solitus erat.

3159. Frequens autem P. Leonis auditorium, praelegentis

[1] Ms. habet *Conimbrica;* sed lectionem emendavimus ex his, quae leguntur in litteris Romam Ebora missis, quibus usus Polancus est: "El padre Don Leon, que estaua en Coimbra, es aora aquí Rector y lee los casos de conscientia por el P. Marcos Jorge, que es ydo á Coimbra á leer un curso.„ *Litterae Quadrimestres,* t. IV, pag. 451. Vide infra, n. 3249.

eruditionem magnopere commendans, de dubiis, quae incidebant, eum percontari pergebant, et doctas et enucleatas responsiones perlibenter excipiebant.

3160. Calendis autem Octobris hujus anni Mag. Joannes Conspeanus, quem inter alios in Portugalliam Roma adduxerat P. Ludovicus Gonzalez, orationem coram Vicario [1] Cardinalis, canonicis, et magna nobilium et doctorum ac etiam religiosorum multitudine habuit, qua attentissime et jucundissime audita, dialogus etiam ut anno superiori actus [est], qui varie hominum affectus, et ad laetitiam et ad fletum, commovit. Postridie ejus diei studia litterarum humaniorum inchoata quidem fuerunt, sed philosophiae cursus eodem die coeptus non est; nam ejus principio interesse Cardinalis cupiebat; et cum esset Olyssipone, ad suum adventum reservari jusserat; sed cum gravissimis regni occupationibus districtus, se non posset ex curia avellere, scripsit suo Vicario ut cum aliis viris doctis et gravibus principio cursus adesset; et ita paucis post diebus coram Episcopo Targensi et magna doctorum corona fuit inchoatus; et professor summopere doctis viris placuit; quorum existimationem postea discipulorum testimonium confirmavit; et praeter quotidianas discipulorum disputationes inter se, diebus sabbati, diligentius ac magis publice habebantur, et ita exercitati discipuli in dialectica proficiebant.

3161. Numerus scholasticorum ad trecentos accedebat; sed complures expectabantur, si annonae caritas sese remisisset. Non omittam hoc profectus spiritualis in scholasticis exemplum, quod cum quidam juvenis scholastico minatus esset se quatuor illi colaphos inflicturum, et quamvis sine causa minaretur, respondit ei scholasticus mansuete et humiliter, si quatuor mihi colaphos infligis, poteris etiam et sex infligere; quod et minanti confusionis et astantibus plurimum aedificationis attulit.

3162. Hoc etiam mutuae charitatis indicium in ipsis erat, quod cum aliqui puniendi essent, aliqui, eorum loco, se puniendos offerebant; nec defuerunt qui totius suae classis verbera, omnium loco, suscipere parati essent; et accidit, ut cum duo

---

[1] "Sermo hic procul dubio est de Episcopo, Cardinalis Henrici... Suffraganeo ve Coadjutore... Erat Emmanuel Sanchez, vel potius Santos..., Episcopus Targensis...." *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 154. annot. 2: vide *ibid.*, pag. 275.

simul essent puniendi et alter prius esset punitus, postularet a correctore ut alterius punitionem in ipsum converteret, quod ille simpliciter fecit, quamvis Rector ne unus pro alio puniretur prohibuit.

3163. Ad diligentiam scholasticorum exacuendam [1] efficax illa ratio inventa est, ut ad inferiores classes eos descendere Rector juberet. Stupebant autem parentes filiorum erga se obedientiam et morum mutationem.

3164. Invisebat crebro Cardinalis suum Collegium cum Eborae versabatur; et totam aliquando domum oculis lustrabat; et si quid minus commode aedificatum videbat, ut januas et alia hujusmodi, statim demoliendum et iterum aedificandum curabat.

3165. Cum autem Ulyssipone recessurus esset, prius ad sanctissimum sacramentum in templo nostro salutandum venit, deinde in domum atque hortum ingressus, nostros ibi amanter compellavit, et semper magnam humanitatem et charitatem suo Collegio, quod tenere diligebat, impendit.

3166. Absens etiam litteris suam curam significabat, suis injungendo, ut diligenter nostrorum rebus providerent, nec quidquam illis deesse sinerent.

3167. Cupiebat Cardinalis florentem videre statum scholarum, et ob eam rem multos ad litterarum studia sua munificentia invitabat, et ita triginta sacerdotibus, ex his qui conscientiae casus audiebant, et viginti, qui dialecticae dabant operam, singulis triginta aureos quotannis in subsidium praebebat; et eisdem atque aliis, si se viros praeberent, multo majora praemia promittebat.

3168. Cum in hebdomada sancta Eborae versaretur, suo cuidam ministro praecepit, ut ecclesiam nostram ornaret ad S.^{mi} Christi sacramentum die jovis sancti reponendum; et se in posterum daturum pannos nigros ut ecclesiam totam eo tempore possent ornare.

3169. Varia deinde et magni pretii ornamenta ad Dei cultum dedit; septem scilicet vestimenta sacerdotalia seu casulas, et totidem altaria frontalia, ex veste undulata albi coloris, totidem atri, tam sacerdotum quam altarium ornamenta, toti-

[1] Ms. *exequendam.*

dem ex bombycina coccinea, totidem ex holoserico viridi et damasceno, tria vero ex aurea tela cum totidem operimentis altarium ex holoserico purpureo; quae omnia limbis et fimbris valde pretiosis erant ornata. Ad suggestum tegendum atque ornandum tres vestes ex variis sericis cum aliis aureis ornamentis dedit. Itaque ad decentissimum cultum et varium, pro temporum varietate, ecclesiae suae Collegii abunde prospexit [1].

3170. Aedificium etiam Collegii in dies magis promovebat; fontem de quo superius mentionem feci [2], magno sumptu in medium peristylum eduxit et antliam in medio horti, qua abunde aqua extrahebatur, aedificare jussit. Et in hujusmodi aedificiis non rationem habebat paupertatis, quam Societas profitetur, sed se Principem esse, qui ea conficiebat, memor erat.

3171. Horologium etiam optimum cum duabus campanis, quarum altera horas integras, altera quadrantes sonaret, confici voluit; praeter probationis domum, quae initio hujus anni absoluta fuit, et ad novitiorum institutionem valde opportuna inventa est; quamvis ad sacerdotes, ut diximus, excipiendos fuisset inchoata. Quamvis autem et magnifica domus esset, et hortus amoenus, multi ex nostris hoc anno in varios morbos inciderunt; magnum tamen refrigerium contra aestum fontes praedicti, et laetissima structura domus afferebat. Tres praeterea scholae hoc anno aedificatae fuerunt, et quidem una earum, in qua philosophia exponebatur, fuit absoluta. Duabus reliquis aliquid deerat.

3172. Contulit etiam spirituali profectui habitationis commoditas, ac praesertim domus probationis (sic enim effectum est, ut juxta Instituti nostri rationem nostri tyrones institui possent): sed etiam veterani, documentis P. Ludovici Gonzalez, juxta ea quae Romae observaverat, traditis, non mediocriter et ipsi profecerunt.

3173. Ex oppido, quod Rotundum vocant, magistratus ac nobiles Rectori hujus Collegii scripserunt, concionatorem ad se mitti rogando, quod eborensium nostrorum fama late admo-

---

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 274, 275; a quibus Polancus hanc ornamentorum enumerationem mutuatus est.

[2] Supra, n. 3151.

dum pateret; sed cum tantum unicum haberent concionatorem, illo carere sine incommodo non poterant.

Et haec de Eborensi Collegio.

DE COLLEGIO S.TI ANTONII OLYSSIPONENSI

3174. P. Emmanuel Godinus huic Collegio primis mensibus hujus anni praefuit [1]; sed cum nuntium obitus P. Ignatii in Portugalliam venisset, et praedictus Pater Emmanuel, ut Procurator ejus Provinciae venturus ad Congregationem, electus fuisset; eidem Collegio praefectus est P. Alphonsus Baretus. Viginti duo, plus minus, ex nostris ibi versabantur, et satis diligenter, praesertim post adventum P. Ludovici praedicti [2], Societatis Regulae et Institutum, juxta formulam romanae Societatis, observabantur.

3175. Aliqui etiam in Societatem ibi admissi fuerunt; inter quos duo ex primariis cum parentum consensu recepti sunt. Alii multi tantumdem fecissent, si potestas data fuisset. Inciderunt etiam hi in varios morbos hoc anno, quamvis Olyssiponense coelum salubre admodum sit, adeo ut plures essent aegroti quam sani, qui eis subvenirent; inter quos quatuor ex praeceptoribus fuerunt.

3176. Nihilominus lectiones et exercitationes scholasticae solitum cursum hoc anno tenuerunt, et sex classes litterarum humaniorum frequenti admodum auditorum numero erant instructae, et multo plures fuissent, nisi aditus ad nostrum gymnasium multis fuisset praeclusus, eo quod scholae angustiores essent quam ut eis capiendis sufficerent.

3177. Multi ex scholasticis ingenio florebant, et miros in litteris ac virtutibus progressus faciebant. Primo sabbato mensis Maji convenerunt in unum locum omnes scholastici, ubi quidam ex prima classe positiones rhetoricas defendit; contra quem condiscipuli, praemissis orationibus latinis et

[1] Vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 267 et 452, quibus est usus Polancus.

[2] P. Ludovici Gonzalez de Camara. Vide ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. I, lib. XVI, n. 58; *Epist. P. Nadal*, t. I.

graecis, disputantes, pergratum adstantibus spectaculum praebuerunt.

3178. Alii etiam scholastici, multos ac pios versus recitantes, non mediocri voluptate auditores affecerunt. Modestia hujusmodi juvenum et probitas, et domesticis et externis aedificationi et consolationi erat, et eorum praesertim, qui sacramenta frequentabant, quorum profectum ut portentum aliis parentes narrabant.

3179. Solebant hi pueri servos, fratres et alios domesticos sic in officio continere suis in domibus, ut, ne illis quidem absentibus, verbum ullum ab eis audiretur, quod quemquam offenderet; quia caeteri ad puerum se delaturos minabantur [1]. Habebant et quidam ex pueris loca domi designata, ubi convenientes domesticos christianam doctrinam docebant, quam ipsi non tantum diebus veneris in suis classibus docebantur a praeceptoribus, sed dominicis etiam diebus, eis, quae populo proponebantur, intererant, et tam pie demum in omnibus se gerebant, ut magnam divinae laudis materiam eos cognoscentibus praeberent.

3180. Post Pentecostem comoedia quaedam, quae Acolastus dicitur [2], magno cum apparatu in area Collegii, proscenio instructo, fuit exhibita, et parietes non tantum aulaeis, sed tabulis etiam ac signis egregie depictis ornabantur; et cum res per urbem fuisset evulgata, tanta multitudo hominum ad Collegium confluxit, ut non solum area, sed peristylum et superiores etiam partes domus, implerentur; et impetu in janitorem facto, nostris invitis, multi ingressi sunt.

3181. Quidam etiam egregius musicus vocatus accessit, qui suam multorumque aliorum musicorum operam gratis praestitit, et variis instrumentis, non solum cantu, aures astantium detinebant atque animos valde recreabant. Actores etiam praeter pretiosum ornatum magna cum venustate suo officio functi sunt; et incredibile esse nostri dicebant, quantopere hoc spectaculo, non scholastici solum, sed et populus universus fuerit delectatus.

---

[1] "Caeteri, qui audiunt, deferunt crimen ad puerum, ut de reo supplicium sumat...." *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag 269.

[2] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 455, unde haec desumpta sunt. De hac autem dramatica fabula confer quae annotavimus supra, t. V, pag. 522, n. 1426.

3182. De profectu autem aliquorum ex studiosis etiam in rebus difficilibus, cujusmodi est injurias pati, non patienter solum, sed et cum gaudio, dici possent similia eis, quae superius dicta sunt.

3183. Propter morbos autem nostrorum in ultimis aestatis mensibus aliquid de studiis remissum est; nam etiam bona pars externorum scholasticorum morbo eodem tempore laborabat. Mense itaque Augusto duas tantum horas praeceptores in gymnasiis ante meridiem consumebant. Pomeridianae lectiones in aliis, praeter ultimam classem, omissae sunt.

3184. Aderat tunc in eodem Collegio P. Ignatius de Azevedo, qui anno superiore Rector fuerat, et in gravem morbum et ipse incidens, venae incisione iterata et aliis remediis, brevi convaluit; sed cum paulo post gravius in morbum recidisset, in magnum vitae discrimen adductus est; sed Dei gratia etiam tunc sanitati fuit restitutus.

3185. Quidam ex fratribus, nomine Chalasa [1], qui quintae classi praeerat, ex hac vita migravit mense Octobri; renovata nihilominus fuere studia hoc autumno, cum magna omnium satisfactione, et primae classis praelector, Mag. Vanegas, habita oratione, animos ad studia capessenda inflammavit; ac ipsis etiam variis aenigmatibus et versibus, partim nostrorum partim externorum, animi sunt excitati.

3186. Antequam P. Gonzalvus de Sylveira in Indiam proficisceretur, in templo Collegii dominicis diebus post meridiem concionabatur, cui P. Ignatius de Azevedo in hoc munere successit, quamvis minister domus professae S.ti Rochi paulo ante factus esset; et passionem Domini post celebrata officia hebdomadae sanctae, et constructum a probis viris in ecclesia monumentum, cum magno animi ardore concionatus est; et ita in reliquo anni tempore consueto verbi Dei pabulo auditores recreati fuerunt.

3187. Quamvis apud S.tum Antonium pauci admodum confessarii, et illi ipsi scholasticorum confessionibus audiendis satis occupati essent, non tamen deerat apud S.tum Antonium poenitentium concursus; immo quotidie aliqui ad confessionis

---

[1] *Chalaza* et *Cholazus*, tacito nomine, appellatur etiam supra, t. v, pag. 613 et 614, n. 1683.

sacramentum accedebant; inter alios Episcopus Algarbiensis [1] cum erat Olyssipone, ibidem et confiteri et sacrum facere solitus erat.

3188. Cum autem jubilaeum hac aestate fuisset promulgatum, licet pauci, ut dixi, essent sacerdotes, quadringenti tamen et triginta ad dominicam mensam post confessionem ad divi Antonii accesserunt.

3189. Alia pietatis opera Societati consueta, ut aegrotantes invisere et morituris adesse, cum se poterant ab aliis occupationibus expedire, libenter suam operam praestabant, et cum non poterant, ut nostri, qui apud S.^{m} Rochum versantur, hujusmodi necessitatibus subvenirent, curabant.

3190. Secundo die Pentecostes, qui ab Inquisitoribus in vincula fuerant conjecti, quorumque causae jam fuerant expeditae, in conspectum populi erant producendi, in locum ad id juxta mare praeparatum.

3191. Postulavit autem Cardinalis Infans et summus in Portugallia Inquisitor, ut aliqui ex nostris ad carceres mitterentur, ut eis potissimum consolationem et auxilium adferrent, qui extremo supplicio erant afficiendi, et ut eorum confessiones audirent.

3192. Tres ex Collegio S.^{ti} Antonii eo missi sunt, qui per aliquot dies in carcere cum magno hominum illorum fructu versati sunt; ita enim accensi cohortationibus et consiliis nostrorum cum Dei gratia fuerunt, ut non solum patienter, sed et libenter ad supplicium festinarent, Christum clara voce cum admiratione et consolatione omnium confitentes. Inter hos fuit turca quidam, superioribus annis baptismi lavacro expiatus, qui, ubi intellexit se ad extremum supplicium, et quidem per ignem, esse damnatum, ut indignationem aut potius rabiem clamoribus significaret, nec cujusquam exhortationem ut peccata confiteretur, admittebat, immo eos, qui aliquid boni suadebant, a se expellebat; sed hujus animus nostrorum opera, non solum mitigatus fuit, verum poenitentiae non vulgaria signa dedit, cujus conversio insperata summa omnes laetitia perfudit [2].

3193. Puteus insignis altitudinis in hortis Collegii effossus

---

[1] Joannes de Mello. *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 268: infra, n. 3247, redibit de egregio hoc viro sermo.

[2] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 455.

abundantem aquarum copiam praebuit, et tantae commoditatis fuit, ut, cum quingentis aureis constitisset, gratis fuisse donatus nostris videretur.

Et haec de Collegio S.ti Antonii.

DE DOMO PROFESSORUM ULYSSIPONENSI

3194. Postquam P. Gonzalvus de Sylveira, qui Praepositus fuit hujus domus [1], in Indiam fuit destinatus, P. Gonzalus Vaz eidem praefectus est; et P. Ignatius de Azevedo, qui Rector fuerat Collegii S.ti Antonii, ministri in eadem domo officio fungebatur: et quamvis absentiam ejusdem Patris, in Indiam missi, incommodaturam esse valde ei domui timebatur, quod magno animarum zelo praeditus, et assiduus in concionibus et confessionibus admodum erat, providit Dei bonitas, ut nullum detrimentum ex ejus profectione sequeretur; et tam in verbo Dei proponendo quam in sacramentorum ministerio eadem continuatio et frequentia, immo et major fuit; quia in ecclesia S.ti Rochi crebrius et concionatum et praelectum est post ejus discessum.

3195. Et quod summis votis nostri optabant, scilicet ut eamdem procedendi rationem in omnibus tenerent, quae Romae in Societate nostra tenebatur, id per adventum P. Ludovici Gonzalez sunt consecuti; et qui cum ipso Romam venerant, suo exemplo ad hoc ipsum cum aedificatione aliorum non parum conferebant [2]. Concupierat magnopere P. Ignatius de Azevedo indicam illam missionem, ut labores graviores et mortem ipsam subire propter Dei amorem ibi posset; sed ejus desideria tunc quidem effectum consecuta non sunt, cum Patres Gonzalvus de Sylvera et Franciscus Rodriguez potius mittendi visi fuerint [3]; sed hoc animi sui desiderium P. Ignatio litteris exponendum duxit, quod postea in Brasilia [4] et in ipso mari, ubi catholicae

[1] Vide supra, t. v, pag. 567, n. 1560.
[2] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 352
[3] *Ibid.*, pag. 355.
[4] Ms. *Braxilia*.

religionis gratia occisus est cum multis sociis, a Domino fuit expletum.

3196. Admittebantur ad domum probationis, quae conjuncta erat cum hac domo professorum S.ti Rochi, complures, qui ad Societatis institutum a Domino movebantur; et postquam probati in virtutibus ibidem fuerant, et exercitati diligenter, ad Collegium S.ti Antonii studii gratia mittebantur, et tunc ipsorum loco alii admittebantur.

3197. Cum pro pace jubilaeum Summus Pontifex concessisset, sub initium aestatis is promulgatus est, et hominum cujusvis conditionis, et praecipue nobilium, concursus major quam unquam alias in ecclesia S.ti Rochi fuit; et quamvis ex his, qui confitebantur nostris, alii alibi communicarent, septingenti hac occasione ibidem communicarunt.

3198. P. Franciscus Enriquez in officio Procuratoris Provinciae Patri Emmanueli Godino successit, cum ille Collegio S.ti Antonii Rector praefectus est: omnes tamen sacerdotes, etiam ipsum P. Provincialem [1], P. Torres, confessariorum munere fungi necesse erat; tam multi enim in amplissima illa civitate ad nostros confessionis gratia conveniebant, ut raro admodum sedes confessariorum vacuae invenirentur. Audiebat etiam P. Provincialis Torres Reginae confessionem, cui valde gratus erat, quod vitae ejus exemplum et prudentia in dies magis eidem et aliis innotescebat.

3199. Cum de obitu P. Ignatii Rex certior factus esset, graviter sane id tulit, ut suis litteris ad P. Laynez, Vicarium, testatur, et ad electionem novi Praepositi, quem Ignatio similem cupiebat, D.rem Torrensem, Provincialem, ad Congregationem venire cum sociis, non solum consensit, sed quingentos etiam aureos in viaticum dedit; et suo Legato apud Pontificem litteris injunxit, ut quaecumque officia suo nomine exhiberet, quae a nostris fuissent postulata [2]. Cum tamen paulo post dilatam fuisse Congregationem intellexissent ad sequentem annum, omnes electi in sua Provincia substiterunt.

3200. Praepositus tamen P. Gonzalus Vaz illud parum commode accidere, Vicario scribit, quod Provincialis propter

---

[1] Ms. *etiam ipse P. Provincialis.*

[2] Joannis III ad Lainium litteras habes in *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 544, hispanice vero redditas, *ibid.*, pag. 418.

occupationes cum Regina subeundas, toto anno Provinciam non lustraverat, quamvis per alium id fuisset utcumque executus. Notat etiam Patrem Ludovicum Gonzalez [1] facultatem ab eodem Provinciali accepisse ad ea, quae ad gubernationem pertinent. Eamdem etiam P. Ignatio de Azevedo, quem Viceprovincialem instituit, quamdiu Congregationis generalis gratia ipse cum sociis abesset, communicavit. Et quamvis postea omnes substiterunt in Provincia, permissum est eidem P. Ignatio, immo injunctum, ut suo officio fungeretur, ut, si aliqui in eo defectus observarentur, emendari possent; sed interim notat P. Gonzalvus Vaz tres esse praedicto modo in Lusitania Provinciales; et in causa erant, non solum confessio Reginae, sed etiam, quae ex ea sequebantur, occupationes, propter quas, non solum a Provinciae visitatione P. Torres impediebatur; sed ne in particulari quidem cum fratribus, qui Ulyssiponae versabantur, versari poterat [2].

3201. Bene tamen illi in utroque homine procedebant, et hi potissimum, qui in domo probationis exercebantur, quorum exemplum veteranis utile erat; et praxis injungendarum poenitentiarum, a P. Ludovico Gonzalez inducta juxta modum romanae Societatis, utrosque in humilitate et fervore divini obsequii juvabat.

3202. Frequentia auditorum in concionibus augebat desiderium novae ecclesiae aedificandae; praedicabant hoc autumno vicissim Patres Gonzalus Vaz et S.ta Cruz, et christianam doctrinam etiam alternatim post meridiem explicabant, et quidem cum satisfactione et fructu animarum non mediocri, quem confessarii metebant; et praeter eos, qui in frequentia sacramentorum perseverabant, alii subinde accedebant, et qui diebus dominicis propter multitudinem confluentium expediri non poterant, profestis diebus redibant ut peccata confiterentur.

3203. Morituris etiam ex hac domo assistebant, et exhortationes interdum in carcere habebantur, et quidam ex nostris ibi detentorum confessiones audiebat.

3204. Ad monasterium quoddam monialium nobilium, nomine *Olibelas,* Ulyssipone duabus leucis distans, P. Gonzalus Vaz interdum ibat, ubi confessionem [audiebat] Dominae He-

[1] de Camara, qui ut dictum est, Portugalliae Visitator missus fuerat ex Urbe.
[2] Vide dicenda infra, n. 3232 et 3233.

lenae [1], quae uxor fuit D. Petri Mascaregnas, Pro-regis Indiae, et fere eisdem monialibus singulis hebdomadis concionabatur; nec omittebat interim sermonem doctrinae christianae, quem apud nobiles palatii feminas diebus veneris habere praecedenti anno inchoaverat.

3205. Ecclesia nova jam inchoata apud S.m Rochum paulatim crescebat; aliqui viri nobiles congregati fuerant, ut per urbem cum aliquo ex nostris ad hoc aedificium eleemosynas peterent, et ita aliquas obtinuerunt. Rex ipse potius ad domus nostrae aedificium animum adjecerat, et ecclesiam civitati aedificandam relinquebat; et ad initium aliquod illos quingentos aureos, quos in viaticum datos diximus [2], postquam substiterunt hoc anno, qui ad Congregationem venturi erant, ut diximus, voluit in aedificio praedictae domus expendi. Ex aerario tamen Regis utrumque aedificium consurgere oportebat, cum etiam illi, qui ad ecclesiam aedificandam eleemosynas conferebant, ex stipendiis regiis bona ex parte eas conferrent.

Et haec de Domo professorum S.ti Rochi.

DE REBUS P. LUDOVICI GONZALEZ

AC P. TORRES, PROVINCIALIS,

ET ALIIS AD PROVINCIALEM PORTUGALLIAE PERTINENTIBUS

3206. Sub autumnum anni praecedentis P. Ignatii litterae in Portugalliam pervenerant, quibus P. Michaëli de Torres, theologiae doctori, cura Provinciae Portugalliae demandabatur; et ut Patris Mironis, qui ante eum praefuerat, electio a Domino fuisse visa fuerat, ita et Patris Torrensis; et inter nostros haec mutatio nullum doloris sensum intulit, et a tota Provincia amanter exceptus fuit.

3207. Duodecima Februarii P. Ludovicus Gonzalez cum

---

[1] Digna scitu sunt quae de Dna. Helena Mascaregnas, praeclarissima femina, tradunt TELLEZ, *Chronica da Companhia de Jesu*, p. II, liv. IV, cap. XXI, n. 4; et *Cartas de San Ignacio*, t. IV, pag. 17, annot. 2. Vide etiam *Litterae Quadrimestres*, t. II, pag. 445; t. III, pag. 231, et supra, *Chronicon*, t. V, pag. 609, n. 1675, ubi minus recte eamdem vocavimus *Eleonoram*.

[2] Nuper, n. 3199.

omnibus sociis Olyssiponem pervenit, excepto Joanne Pionea, quem non procul Ebora, in morbum incidentem, apud amicum quemdam nobilem reliquit, et, recuperata valetudine, ad Collegium Eborae venit [1].

3208. Ex aliis sociis Magistrum Joannem Conspeanum in Collegio S.ti Antonii reliquit, ut secundae scholae praeesset, quamvis autumno sequenti Eborae, ut diximus [2], primae classis lector factus est. Rogerium et Hieronynum, mutinenses, in Domo professorum constituit; Bernardum, japonensem, cum aliis Conimbricam misit [3].

3209. Multum consolationis [P. Ludovicus Gonzalez] adventu suo P. Provinciali Torrensi attulit, cum se bene instructum in modo procedendi Domus et Collegii Romani ostendit; cui suam Provinciam Dr. Torres valde conformari cupiebat.

3210. Valde occupatum eumdem cum Regina, ut diximus [4], invenit; sed hujus occupationis fructus haud certe contemnendus [5]; nam res admiratione digna visa est quantum Regina in spiritu ac veris ac solidis virtutibus proficeret; et cum ab ea tota regnorum illorum gubernatio penderet propter mortem Infantis Ludovici et Regis morbum, cum tanta animi pace et alacritate gubernationis negotiis Regina vacabat, nihil aliud quam Dei voluntatem in omnibus rebus intuendo, ut satis evidens in ea Dei gratia cerneretur.

3211. In his autem, quae ad Societatis augmentum et auctoritatem pertinebant, vix quidquam ab ea desiderari poterat vel adjungi.

3212. Confitebatur crebro et communicabat saltem singulis mensibus, quod toti curiae aedificationis multum praestabat; et mirum ipsa ex sacramentis fructum capiebat, et in negotiis tantum ei gratiae Dominus apud omnes dabat, ut in universum

---

[1] *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 352.

[2] Supra, n. 3160.

[3] Nomina et cognomina duodecim sociorum, quos Roma in Portugalliam Ludovicus Gonzalez, Visitator, secum deduxerat, tacent Orlandini, Tellez, Franco, ipsemet Polancus. Quorumdam quidem proferunt nomina *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 352; sed eadem haec sunt, quae hic quoque notantur, quibus duo alia adde, infra, n. 3225, exhibenda. Sanctus vero Ignatius, agens de eorum profectione, his contentus est: "Se envía á Portugal [P. Gonzalez de Cámara] con doce otros escolares nuestros, sin Bernardo Giapon, por satisfacer á la devocion del Rey...„ *Cartas de San Ignacio*, t. VI, pag. 38. Vide etiam *ibid.*, pag. 36.

[4] Nuper, n. 3200.

[5] Ms. *sed hujus occupationis valde operae pretium.*

omnibus amabilis esset. Ob senectutem autem Regis et adversam valetudinem usque adeo statum curiae immutatum invenit P. Ludovicus Gonzalez, ut ad quidvis cum Rege conficiendum longe alia via tenenda jam esset quam prius, cum ex Portugallia recederet, solita erat; et multa cuidam ministro committebantur, cum quo non perinde atque olim cum Rege negotia transigi poterant; et id in causa fuisse putabat, quod Collegii Conimbricensis reditus constituti nondum essent; immo ne id quidem, quod ad Collegium pertinebat.

3213. Curabat autem ipse ut negotia ad pristinum statum reducerentur; ipse autem P. Ludovicus absentiam a romana Societate, licet in patria esset, graviter ferebat.

3214. Dabat interdum operam concionibus, et in hebdomada sancta non paucas habuit, et tres horas de Passione Domini praedicavit. Visum est autem P. Provinciali ut Eboram et Conimbricam proficisceretur, ad quod etiam romanis litteris animatus fuerat, ut modum ac rationem Societatis romanae in ea collegia induceret; aliquos tamen Roma mitti, qui Rectores essent collegiorum Portugalliae cupiebat, eo quod nullus esset in ea Provincia, qui consuetudinem romanae Societatis teneret.

3215. Allocutus est Ducem Bergantiae de Domino Teutonio, ejus fratre, et Infantem etiam Dominam Isabellam, ipsius sororem, et uterque boni consuluit quod a Societate, prout ipse optabat, liber dimissus est; et neuter eorum Societati ullam culpam adscribebat, nec ipse Rex de illo quidquam P. Ludovico locutus est, quamvis postea significavit sibi probari quod in Societate non retineretur [1].

3216. Intellectum est quod doctores Universitatis Conimbricensis Societatem timebant, ne scilicet ei Rex totius Universitatis curam committeret, et sic unus eorum dixit, implendum [2] esse decretum parisiense, quod scilicet Societas Universitates esset eversura; quod cum Reginae retulisset P. Ludovicus, subridens illa, dixit "fieri posse ut illi proplectarent [3], et ut Societas nostra tam egregie se gereret, ut Rex ipsi totam Universitatis curam committeret.„

---

[1] Vide *Cartas de San Ignacio*, t. III, pag. 163, annot. 2, ubi series actorum in ejus causa ac dimissione narratur, et in ipso opere, t. VI, pag. 36, annot. 2. De eodem viro recurret sermo, infra, n. 3244.

[2] Ms. *inimplendum*.

[3] Sic; *apoplexi corriperentur?*

3217. Cardinalis Infans in civitate sua eborensi Universitatem constituere nostro in Collegio cogitabat: philosophiae quidem cursus jam ipsi concessus fuerat, sed duas theologiae lectiones addere cogitabat cum mille annuorum ducatorum reditu; et si Societas earum suscepisset curam, etiam reditus fuissent Collegio assignati; sed haec postea et quidem plenius transacta sunt.

3218. Ex collegiorum hujusmodi susceptione hoc incommodi ad Societatem redibat, quod multi in humanioribus litteris tradendis occupabantur, qui philosophica studia, et aliqui eorum, ex bona parte, theologica confecerant; et initio hujus aestatis octodecim erant; et quamvis aliqui satis moleste hanc occupationem ferrent, et non sine tentationum molestiis; et ipsa Societas defraudaretur operariorum numero, [cum] non possent studia sua complere, qui fere maturi jam erant, ut in vineam Domini extruderentur; (quamvis etiam P. Ignatius admonuerat, ut quod ad ejus fieri posset, pauci hujusmodi occuparentur in hujusmodi functionibus, et ut novitiorum opera ad quaedam ex his muniis uterentur); non poterat tamen, ut experientia docebat, satisfieri provinciae susceptae sine multorum hujusmodi magistrorum occupatione; et ita id consequebatur, ut pauci in Portugallia essent, qui studia omnino absolvissent.

3219. Invenit autem P. Ludovicus rigide observari ne quis, in Societatem admissus, intra biennium probationis studeret, quamvis P. Franciscus, Commissarius, eum [rigorem] aliquo modo moderatus est; et externis, praecipue conimbricensibus scholasticis, hic rigor, qui alioqui ex Constitutionibus ortum habere videbatur (quamvis expresse in eis nihil tale habeatur), gravis censebatur.

3220. Laetitia magna Rex Joannes affectus est ut intellexit a P. Ignatio fuisse constitutum, ut tres Missae Romae et totidem Laureti pro ipso quotidie dicerentur, et multum se fiduciae in illis habere significavit; sed Regina quam gratum hoc Regi esset, expressius dicebat, addens nihil P. Ignatium posse a Rege postulare quod non impetraret.

3221. Cum autem Rex intellexisset evasisse P. Laynez cardinalitiam dignitatem, dixit P. Ludovico meliorem electionem facturum esse Pontificem, ipsum eligendo in Cardinalem, quam quemdam alium consanguineum, quem ad eam dignita-

tem promoverat. Diligentia tamen P. Ignatii, qua curaverat ne ea dignitas ipsi conferretur, Regi aedificationem attulit.

3222. Pergratum autem fuit Regi quod aliquos de Societate P. Ludovicus Roma adduxisset, et ita plures idem Pater postulabat, sed potissimum ad gubernationem collegiorum, in quibus duo incommoda insigniora notabat: alterum, quod cum multos collegiales haberent, non multa per eos ad commune bonum efficiebant; alterum, quod cum reditus non exiguos haberent, sic eos expenderent, ut paucos et non sine labore sustentarent.

3223. Cum Eboram venisset, duodecim aut tredecim ibi dies exegit; et cum nostros valde praeparatos invenisset, ut modum ac rationem Societatis romanae omnino imitarentur, diligenter eos P. Ludovicus instruxit; et multis eorum interrogationibus scripto respondit; et in rebus duraturis nihil tanquam certum haberi voluit, licet ipsemet [nihil] dixisset nisi quod scripto comprehensum esset. Et tam quae Eborae quam quae Conimbricae tradidit, Romam scripta transmisit; et magna cum alacritate omnia a nostris excipiebantur; et Provincialis litteris hoc saepe commendabat P. Ludovico, ut modum procedendi in tota ea Provincia conformem romanae induceret.

3224. Fuit autem subminister praedictus Rogerius [1] et apud S.m Rochum Ulyssiponae, et Eborae, quandiu ibi fuit P. Ludovicus, et deinde Conimbricae in superiore Collegio, et cum aedificatione non mediocri suo munere functus est.

3225. Quae ad sanitatem corporalem pertinebant, satis utiliter P. Ludovicus curavit; et ita aliquam corporis exercitationem ad campos exeundo, et aliquam in quibusdam excessibus moderationem induxit [2]. Quod Conimbricae etiam valde necessarium erat, non solum lusitanis, sed etiam Caesari Pontano et Mario Beringueio, qui cum P. Ludovico in Portugalliam venerant et Conimbricam missi fuerant; sed et Andreas Avantianus et Christophorus Strobelius male habebant, praecipue Andreas, qui tota Quadragesima aqua usus fuerat, qui potus non perinde germanis, belgis atque lusitanis convenit.

3226. Erexit etiam animos eorum qui praeerant; cum enim centum et triginta de nostris essent Conimbricae, post Pascha duos menses aut amplius nemo concionatus fuerat; quamvis

[1] Supra, n. 3208: vide *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 352 et 361.
[2] Vide supra, pag. 720, n. 3116.

aedificationis multum nostri semper ei [civitati] praebuerant, et utilem eis [civibus] operam navabant.

3227. Eodem tempore, id est, Majo mense, quo ibi fuit P. Ludovicus, jubilaeum fuit his diebus promulgatum, et magna vis hominum nostris, tam in Collegio superiori quam inferiori, confessa est.

3228. Aliquas regulas ex his, quibus Romae utebantur in domesticis officiis, et eas, quas in vinea manentibus P. Ignatius praescripserat, et procuratori sanitatis, P. Ludovicus [ut] necessarias ad se mitti postulabat; et jam tunc Romam redire non solum cupiebat, sed perutile etiam fore existimabat, ut notaret et scriberet multa in particulari ex his quae Romae videret; quae quantum profuturae essent Portugalliae, ex his, quae attulerat, colligebat, quae multum prorsus lucis intulisse illi Provinciae videbantur. Et quod ad Regem attinet, nec se illum accessum habere quem prius, nec cum ipso negotia tractari posse, quae propter adversam valetudinem a se ablegabat.

3229. Cum videret autem studia philosophiae in hominum aestimatione jacere, auctor fuit idem Pater ut illae conclusiones solemnes, de quibus superius facta est mentio [1], haberentur, et ut ad illas se nostri diligenter praepararent; quae non solum erexerunt jacentem existimationem, sed illis etiam, qui impedire fundationem Collegii perpetuam nitebantur, hanc occasionem ademit philosophica studia contemnendi; nam usque ad stuporem magnifacere scholas nostras philosophicas coeperunt; et res haec pergrata Principibus accidit.

3230. Situm Collegii inferioris parum salubrem deprehendit, cum montem habeat valde vicinum, ipso Collegio eminentiorem, et aliqua remedia adhiberi huic malo curabat, et sperabat in aedificatione ejus partis Collegii, quae supererat, posse hanc incommoditatem aliquo modo compensari. In quadam parte ejus Collegii domum probationis in eorum usum, qui nondum in scholasticos approbatos erant admissi, invenit; et aliam probationis domum in superiori Collegio; sed neutrum Collegium firmos habebat reditus sufficientes; et cum rediit Ulyssiponam, 18.ª Junii, simul cum Provinciali de stabiliendis reditibus agere coepit, et totam Universitatem adversariam hac in parte

[1] Vide supra, n. 3092-3097.

habebant, eo quod reditus Collegii applicandi, de reditibus Universitatis detrahendi erant; nec sine multorum odiis hoc negotium confici posse videbatur; sed aliquos bene informandos curabant de utilitate, quae ad regnum Portugalliae redundabat ex Societatis nostrae hominibus, quorum seminarium reditibus necessariis dotandum erat. Inter hos erat Infans Cardinalis, ad hanc fundationem a Rege deputatus; duo alii adjungendi erant, Dr. Antonius Pinellus [1] et Balthasar de Faria, et Regina apud Cardinalem non inutilem operam praestitit, quamvis alioqui satis benevolum.

3231. De vicariis perpetuis erigendis, et [de] cura animarum Societati incumbente ratione beneficiorum unitorum, juxta praescriptum P. Ignatii agere P. Ludovicus coepit; et Dr. Pinerus, quo plurimum Rex utebatur in hujusmodi negotiis, id valde probabat; sed quod multa difficilia P. Provinciali et aliis ea in re occurrerent, res tunc ad effectum deducta non est.

3232. P. Torres, 10.ª Septembris anni praeteriti, Ulyssiponam pervenerat, et statim a P. Francisco Borgia id nitebatur obtinere, ut curam Provinciae non ipsi committeret, qui multum occupationis apud Reginam, in cujus gratiam erat missus, erat habiturus; et flectebatur P. Franciscus, et de alio Provinciali cogitabat; sed cum Roma scriptum esset non repugnare officium Provincialis curae susceptae confessionis Reginae, P. Franciscus hoc onus eidem injunxerat; quamvis Regina, quae liberum habere confessarium optabat, scripturam se P. Ignatio ea de re dixit. Sed cum intellexit per alium visitari posse collegia Societatis, quamvis ipse Provincialis a curia non recederet, conquievit.

3233. Et ideo adventum P. Ludovici ex urbe Dr. Torres postulabat, ut ejus opera in visitatione collegiorum et gubernatione Provinciae uteretur; et statim ex suscepto Provincialis officio, quam grave onus esset Regis Collegium Conimbricense coepit experiri, et per tres vel quatuor annos vix quemquam in Indiam aut Brasiliam mitti posse censebat, quod ex theologis ac philosophis quindecim lectores et eorum substituti, praeter

---

[1] De Dre. Antonio Pinheiro, Mirandensi Episcopo, multa supra, t. v, dicta sunt, cum sermo esset de Collegio Regali, sive Artium, Societati applicando. Vide *ibid.*, pag. 561, n. 1542 et seqq.; pag. 589, n. 1623-1640. -De Balthasare de Faria in hoc ipso vol. mentio facta est supra, n. 3085.

officiales alios ac ministros, eo in Collegio occupabantur. Et nisi aliqui de Societate tantopere negotium illud ursissent, post unum vel alterum annum rogata fuisset Societas, ut ipse scribit, ut illud admitteret; et notat praeter Institutum fuisse, quod nostri quidem tam sollicite illud Collegium Societati committi curavissent [1], nec [permittendum fuisse ut] superius Collegium a se abdicasset Societas, in quo quatuor vel quinque millia ducatorum expensa fuerant, et theologis, simul cum domo probationis, superiorem illam domum valde opportunam esse, sicut Collegium inferius philosophiae et litterarum humaniorum lectoribus, affirmat.

3234. Fuit etiam susceptum onus convictorum; et emolumentum, scilicet ad triginta sustentandos, (nam hoc Rex tantum addiderat ad priorem fundationem), praedicta incommoda minime compensare videbatur; et tamen adhuc dotatio facta non erat, et in contractu graves aliquas conditiones timebat, ut de examinatione et approbatione Magistrorum: itaque P. Torres ejus, cui successit, festinationem in hoc negotio parum probabat.

3235. Sub initium Decembris anni praeteriti obiit Infans Ludovicus [2], et ideo de negotio fundationis agi toto anno non potuit; sed tantum quae ad triginta fratres sustentandos erant assignanda, praeter centum priores, obtenta sunt.

3236. Convictores autem erant in quadam parte ipsiusmet Collegii Regii, et cum illis quatuor ex nostris habitabant; nec enim obtineri potuerat quaedam domus religiosorum cisterciensium, ad quam ex nostro Collegio erant transferendi. Erat quidem separata ea pars Collegii, sed porta communis erat, et civis quidam conimbricensis necessaria ad victum illis praeparabat, cui singuli quadraginta aureos singulis annis solvebant, aliqui paulo minus.

---

[1] Ms. *curavisset*.

[2] Vide supra, pag. 721, n. 3118.— Corrigit se nunc Polancus, qui loco citato scripserat mortem Infantis Ludovici "initio hujus anni [1556] cum magno detrimento regni„ accidisse. Verum, ut ex Franco, *Synopsis*, ann. 1555, ibi retulimus, non mense Decembri, sed 27 Novembris anni praeteriti Ludovicus Infans mortuus est. Id auctores alii testantur. "Poucos dias depois do Infante ter manifestado sua ultima vontade, faleceo na Quinta de Marvilla junto de Lisboa, á 27 de Novembro, havendo com religiosa piedade frequentado os actos de hum verdadeiro Christiaõ, contando de idade quarenta e nove annos, oito mezes, e vinte e quatro dias„ Caetano de Sousa, *Historia genealogica da Casa Real Portugueza*, t. III, pag. 368.

3237. Antequam Societas horum curam susciperet, [hi convictores in] infamiam quamdam ob nimiam libertatem inciderant: noctu enim aliquando per fenestras desiliebant, et juveniliter sese admodum gerebant.

3238. Cum ergo Collegium hoc Societas suscepit, Rex magnopere hos convictores nostris commendavit, et ita cum quatuor scilicet ex nostris, classium praeceptores, apud eos diverterent [1], magna in ipsis reformatio secuta est; quae toti regno multum aedificationis attulit.

3239. Sed cum timerent nostri, ne, si aliquid minus decenter scholastici fecissent, ad nostros, qui cum ipsis habitabant, culpa ex parte devolveretur; nostri ex eorum cohabitatione remoti fuerunt; sed cum Roma scriptum fuisset posse hujusmodi convictores eo modo teneri, quo in Collegio Germanico studiosi germani tenebantur, id est, ut aliqui ex nostris ad eorum gubernationem in rebus spiritualibus cum eis habitarent; cumque docuisset experientia quod pejus se gesserant cum nostri eis non cohabitarent, licet alioqui eos crebro inviserent; visum fuit P. Ludovico et aliis Patribus conimbricensibus, ut denuo aliqui ex nostris simul cum hujusmodi convictoribus habitarent; quamvis id curandum esse apud Regem videbatur, ut pueri a quarto decimo usque ad decimum sextum annum, et non aetate provectiores, admitterentur, qui disciplinae capaces esse possent.

3240. Pater quidem Provincialis non ita eos deseruerat, quin aliquis ex nostris, interim dum illi cibum capiebant, et saepe aliis temporibus, ipsis adesset, qui in officio et modestia eos contineret. Aliquem etiam ex ipsismet convictoribus, cui magis nostri fidebant, velut syndicum secretum constituerant, ut, si quid reprehensione dignum observasset, ad nostros deferret; sed tamen id non sufficiebat, et cupiebat Provincialis praedictus hoc onus, si per Regem licuisset, deponere, ubi minus fructus, quam initio sperabatur, nostri experiebantur; sed cum rediisset Ulyssiponam P. Ludovicus, ejus auditis rationibus, constituit ut duo ex nostris apud eos habitarent, et tolerabilius hoc onus fore censebant, si aetate, ut diximus, magis tenera, admitterentur.

[1] Ms. *et ita cum ipsis quatuor scilicet ex nostris, classium praeceptores, cum apud eos diverterent.*

3241. Fatebatur ipse P. Ludovicus sibi multum negotii ab eis fuisse exhibitum, sed ne quid deterius accideret, aliquot ex nostris apud ipsos esse debere omnino censuit. Distulerunt autem hac de re cum Rege quidquam tractare, donec de Collegii nostri fundatione actum fuisset.

3242. Cum P. Miron ex Portugallia recessit [1], animandum [ipse] censuit novum Provincialem, qui tam multis oneribus ferendis, quae Societas in Portugallia susceperat, pares non habere vires arbitrabatur. Fatebatur nihilominus ipse P. Miron operariis valde destitutam esse illam Provinciam, partim propter eos, qui in perturbationibus annorum praeteritorum Societatem egressi vel dimissi fuerant; partim ob multas missiones ad regiones infidelium, partim ob Collegii Regii curam susceptam, ubi qui reliqui fuerant operarii occupabantur; et tamen aliquos in Brasiliam mittendos esse censebat, et inter caeteros, ad Constitutiones ipsis declarandas aliquem idoneum; et quia ad aliquot annos neminem fere videbat ex Portugallia mitti posse, ex aliis Provinciis esse mittendos suggerebat. Et ex Hispania quinquaginta scholasticos mitti posse, qui sua studia in Portugallia prosequerentur, [indicabat], et facile Regem posse adduci credebat, ut, quod attinet ad nostrorum translationem ex ea Provincia in aliam et ex aliis in ipsam, eam libertatem relinqueret Societati, quam in aliis Provinciis habebat: nec enim ad id usque tempus ea libertas nostris constabat; quamvis paulo post Provincialis admonuit sic Principes illos esse affectos erga Societatem, ut nisi sponte sua ipsis offerretur [2], nullam essent rationem exacturi; et ita se habere, posse P. Ignatium Provinciam illam, sicuti et alias, administrare.

3243. In Collegio S.ti Antonii Ulyssiponensis aliquot Missae erant ex obligatione vetere ipsius consuetudinis decantandae. Erant in eadem ecclesia duae confraternitates, altera sub invocatione S.ti Antonii, altera Annuntiationis B. Virginis; et utraque sua divina officia et Missas certis diebus solemniter decantabat; et hujusmodi onera paulatim deponenda esse P. Provinciali videbantur; et cum dotatio ejus Collegii non fieret, et tamen multi ex nostris in scnolis occuparentur; non displicuis-

[1] In Hispaniam missus P. Miron, Collegio Valentino praefuit, ut dictum est supra, pag. 506, n. 2193. Vide etiam, pag. 514, n. 2226.

[2] Ms. *nisi sponte sua cum ipsis offerrentur.*

set tunc P. Ludovico Gonzalez, si Societas illius Collegii curam non suscepisset. Sed patientia difficultates tandem superatae, et Collegium postea fundatum est.

3244. Cum D. Teutonius in Societate nostra erat, donationem quorumdam redituum, scilicet ducentorum quinquaginta ducatorum, fecerat; post ejus egressum Dux Bergantiae eam restitui postulavit, ut inde in studiis Parisiis praedictus Teutonius aleretur; et ita ipsi restituta fuit.

3245. Quod attinet ad statuta Regii Collegii, ut nostrae Societati consona essent, et libertas Societati constaret in lectoribus examinandis, et hujusmodi, et ut Collegium superius Conimbricense retinere curarent, P. Ignatius Roma scripserat, et ita Provincialis se curaturum recepit, sicut etiam in valetudine nostrorum tuenda Eborae et aliis in locis, prout idem Pater commendaverat, suam operam pollicetur, et procuratores sanitatis in collegiis se velle constituere, more Societatis romanae, scripsit.

3246. Episcopus Portalegrensis [1] Collegium in sua ecclesia instituere, in suo episcopatu summopere cupiebat; sed octo tantum ad se mitti initio postulabat, et statim ducentos quinquaginta ducatos [reditus] annui perpetui assignabat, dotationem suo tempore absoluturus; sed penuria operariorum, ne illi satisfieri posset, efficiebat; et quia P. Ignatius scripserat ne collegium ullum admitteretur, in quo praeter domum et ecclesiam quatuordecim ex nostris sustentari non possent, apud Episcopum excusationem habuerunt, quamvis ille Reginae esset carissimus.

3247. Magis dolebat quod Episcopo Algarbiensi [2] satisfieri non posset, qui jam pridem litteris etiam ad P. Ignatium scriptis illud postulabat, eo fructu commotus, quem provenire suo gregi ex missionibus nostrorum observaverat; sed paucitas operariorum, non solum collegium, sed vel unum concionatorem ad ipsius dioecesim mitti prohibebat, quamvis singularis ejus erga Societatem affectus gratificationem merebatur.

3248. Cum prope domum nostram S.ti Rochi aliquae saecularium hominum domus erigerentur, quae aspectum saltem in

[1] Julianus Alva, de quo vide supra, t. v, pag. 601, n. 1654. *In suo episcopatu*, id est, tempore episcopatus sui.

[2] Joanni de Mello, cujus mentio saepe facta est. De his egit Polancus supra, t. v, pag. 601, n. 1654 et 1655.

hortum nostrum liberum habebant; petendum esse privilegium a Summo Pontifice Provincialis petebat, ne in quodam spatio prope nostras domus aliae possent erigi, quae prospectum in illas haberent.

3249. Quia P. Marcus Georgius in Universitate Conimbricensi magno in pretio, quod ad philosophiam attinet, haberetur; ideo bona cum venia Cardinalis, Ebora Conimbricam translatus est, ut hoc anno cursum artium inchoaret, sicut P. Ignatius Martinez, qui jam quatuor annos theologiae studuerat, Eboram ad philosophicum etiam cursum, qui hoc anno inchoabatur, praelegendum missus est simul cum P. Leone, qui casus conscientiae, ut diximus [1], praelecturus [2] erat. Et Rectorem Conimbricensis Collegii idoneum fore P. Ignatium de Azebedo censebant; sed morbo primo impeditus, deinde cura Vice-provincialis [3], officium illud non suscepit, sed P. Michaël de Sosa; sicut et Domus professorum S.ti Rochi [Praepositus?] P. Emmanuel Rodriguez est relictus. Ad has autem mutationes exequendas P. Ludovicus Gonzalez Conimbricam missus est.

3250. Auxit hoc anno reditus sui Collegii Infans Cardinalis trecentis fere aureis, ut plures ex nostris possent Eborae sustentari; sed affectus intimus, quo is Princeps Societatem amplectebatur, multo majoris aestimari quam externa beneficia merito debebat; nam omnino ut propria, Societatis negotia suscipiebat, ac penitus ejus Institutum ac finem penetrabat, perinde atque si Societatis Provincialis ipse esset. Et ad ipsius consolationem aliquem lectorem Roma mitti P. Torres cupiebat, ut videret Cardinalis [quantam] sollicitudinem de ipsius Collegio promovendo habebat, quod egregie dotare atque augere Princeps hic cogitabat.

3251. Ecclesia nova Sti. Rochi defectu eleemosynarum haerebat, postquam aedificari coepta fuerat; et ideo, licet quid insolitum esset Societati, permisit Provincialis, ut octo viri nobiles ac devoti ad promovendum aedificium eleemosynas peterent; quod et Rex ipse, consultus, approbavit, et aliquem ex nostris simul cum ipsis hujusmodi eleemosynas petere voluit.

3252. Sub autumnum hujus anni Joannes Antonius, bono-

[1] Vide supra, n. 3158.
[2] Ms. *qui casus conscientiae, ut diximus, ut praelegeret.*
[3] Vide supra, n. 3200.

niensis, Roma in peregrinationem missus in Compostellam et deinde in Portugalliam, ad Provincialem incolumis pervenit, nec in tam largo itinere necessaria ei unquam defuerunt; sed abundanter omnia Dominus ei providit; et postquam ipsemet Provinciali confessus est, syndicus in Domo professorum ab eodem constitutus, cum aedificatione hoc officio functus est.

3253. Cum post nuntium obitus P. Ignatii, provinciale capitulum in Portugallia fuisset congregatum ad eorum electionem, qui ad Congregationem generalem venturi erant, omnes constituerunt ut ipsemet Provincialis, intermissa Reginae confessione, Romam veniret. Cum ipso P. Ludovicus Gonzalez et P. Gonzalus Vaz, ut electores, et P. Emmanuel Godinus ut Procurator Portugalliae atque Indiae.

3254. Et cum praedictus P. Ludovicus Reginam esset allocutus, sine cujus beneplacito P. Provincialis regnum illud egredi non poterat, et rationes adduxisset, quibus ejus profectionem ad majorem Dei gloriam futuram ostendit, illa suum consensum praestitit; et statim cum approbatione Regis profecti sunt, Vice-provinciale relicto P. Ignatio de Azevedo [1], et in ejus absentia Patre Francisco Enriquez; et ita 23.ª Octobris Ulyssipone Eboram versus profecti sunt; sed paulo post Vice-provincialis eos est consecutus, et litteras P. Francisci [2] Provinciali dedit, quibus significabat, ut toto mense Januario parati essent ad iter inchoandum, nam eo tempore jam responsum se habiturum sperabat a P. Vicario, ubi, scilicet, et quando deberet Congregatio generalis fieri.

3255. Re igitur inter ipsos tractata, Principes consulendos esse censuerunt, et ad id Vice-provincialis destinatus est, cujus responsum Eborae expectaturi erant; sed paucissimis post diebus, Regis consilio Ulyssiponam revocati fuerunt, ut ibi majorem lucem, quod ad hanc attinet profectionem, expectarent.

3256. Nec tamen, ut diximus [3], Vice-provincialis auctoritas est revocata. Cum autem sententiam ipsorum P. Vicarius rogasset de quibusdam ad professionem admittendis, qui designati fuerant a P. Ignatio, ratione exempli nullum esse admittendum censuerunt.

---

1 Cf. quae dicta sunt supra n. 3200 et nuper, n. 3249.
2 P. Francisci Borgiae.
3 Loco nuper laudato, scil. n. 3200.

3257. Jam inde ab initio hujus anni de missione Patriarchae Aethiopiae et aliorum in Indiam agi coeptum est [1]. Et aliquid negotii aliis exhibebat Episcopus Andreas de Oviedo quibusdam scrupulis, quibus se Patriarchae obedire non teneri, in his quae ad personam pertinent, licet ejus esset Coadjutor, [sentiebat]; sed cum subscriptioni cuidam P. Ignatii superscripsissent nostri, quae ad hanc rem facere videbantur, ut scilicet, consilium Episcopo salubrius darent, acquievit ille; et magno animo omnes, qui navigaturi erant, 28 Martii ad naves se contulerunt, quamvis propter maris turbationem non ex portu usque ad 30 diem solverunt [2].

3258. Praeter Patriarcham et Episcopum aliqui alii in Indiam sunt profecti; quorum praecipui fuerunt Pater Gonzalvus de Silvera, Indiae Provincialis a P. Francisco Borgia electus, quamvis Patrem Leonem Enriquez prius nominasset; nam quod colicis doloribus esset ille obnoxius, valetudinem ejus in mari periclitari medicus affirmabat.

3259. Fuit etiam cum eo simul missus P. Franciscus Rodriguez, qui et eruditione et prudentia multum valere videbatur, et ad hanc missionem erat valde propensus; et quamvis opera utriusque illorum in Portugallia valde necessaria crederetur, omnia posthabenda majori Dei servitio, quod in India sperabatur, visa sunt; nam prorsus Provincialis ibi erat necessarius, et qui casus conscientiae perdifficiles resolveret.

3260. Additus fuit et quidam sacerdos, nomine Laurentius Valdesius, a P. Francisco Borgia ad hoc ipsum missus, et quidam alius frater, Gonzalus Cardosus nomine, sed et alius sacerdos, cognomine Mesquita, et alius cognomine Galdamez [3], additi fuerunt; et ita in tres naves sunt omnes divisi.

3261. In una ipse Patriarcha cum ipso Patre Rodriguez et alio quodam fratre nostro, et in eadem legatus Regis Portugalliae ad Regem Aethiopiae missus, mittebatur. In secunda P. Episcopus Andreas cum tribus aliis, quorum duo sacerdotes erant. In tertia P. Gonzalvus de Sylvera, Indiae Provincialis, cum duobus aliis, quorum alter sacerdos erat; et omnes decem numero [4].

[1] Vide dicta superiori anno supra, t. v, pag. 605-611, n. 1669-1679.
[2] Confer quae infra, n. 3329, rursus hac super re dicuntur.
[3] PP. Joannes de Mezquita et Andreas Galdamez sive Gualdames.
[4] Confer *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 355-361, et infra, n. 3329.

3262. Ille autem legatus [1], quem a Rege mitti diximus, nobilis erat, cui Rex dari jussit in India duo millia et quingentos aureos, et quamdiu in legatione mansisset, singulis annis mille aureos, et ejus uxori quosdam reditus in Portugallia assignaverat, quamdiu maritus abesset, cui etiam praefecturam cujusdam arcis Rex in India dedit.

3263. Dedit etiam Rex litteras ad Pro-regem [2], quibus magnopere omnia, quae ad Societatem pertinebant, ei commendabat; et Regina tantumdem effecit.

3264. Fuit autem inter nostros dubitatum an, qui ex nostris in Aethiopiam mittendi erant, immediate sub obedientia Patriarchae mittendi essent, an suum Superiorem unum de Societate habere eos expediret; et quidem videbatur nostris, quorum major erat in Portugallia auctoritas, si tantum Patriarchae subditi essent, brevi tempore proprium Societatis nostrae spiritum in eis extinguendum esse; nam Patriarcha spiritu patriarchali duci debebat; et ita paucis diebus nullam mentionem Regularum et Instituti Societatis futuram; nec dilatari posse Societas per eos videbatur; et ita, eis extinctis, qui tunc mittebantur, alios subinde mittendos fore.

3265. Multitudo etiam negotiorum, quae Patriarcha erat habiturus, tantum occupationis datura nostris videbatur, ut religiosae disciplinae memores vix esse possent; et ita videbatur seorsum Patriarcham cum externis ministris in Aethiopiam ingredi debere, ac seorsum religionem Societatis, ut [et ipsa] in Aethiopia conservaretur ac dilataretur, et Patriarcham adjuvaret. Et ne aliqua occasio dissensionis inter Patriarcham et Societatem daretur, censebat P. Franciscus Rodriguez eum, qui Societati praeesset, Patriarchae subesse debere, ac P. Leo nec hoc quidem concedendum censebat; nam hac ratione per Superiorem et alios sibi subjecisset; et quia actioni satis deditus erat Patriarcha, in rebus agendis nostros valde occupaturus videbatur. Sed hanc quaestionem P. Ignatius diremit, qui omnes nostros, qui in Aethiopiam transissent, voluit Patriarchae subesse.

3266. Fuit tamen constitutus Provincialis nostrorum in

---

[1] Ferdinandus Sousa, cujus meminere *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 356, annot. 7, et pag. 357, annot. 1, quique ipso in itinere obivit.

[2] Notissimus hic erat Petrus Mascarenhas; sed vide quae infra dicuntur, n. 3268.

Aethiopia P. Antonius de Quadros, ut nostrorum curam peculiarem ageret [1].

3267. Patri Gonzalo de Sylveira collateralis additus fuit P. Franciscus Rodriguez et consultor, ita ut, cum pro sui officii ratione P. Gonzalus per Indiam discurreret, vel in praedicatione occuparetur, P. Franciscus Rodriguez ejus locum et auctoritatem teneret; et ad id Goae stabiliter resideret. Immo cum Goae Provincialis versaretur, Superintendentis officium P. Franciscus Rodriguez erat habiturus, in his, quae ad valetudinem ejusdem Gonzalvi et praedicationem pertinerent.

3268. Itaque magna ex parte officium Provincialis collaterali collatum est, ut P. Gonzalvus liberius praedicationi et visitandis nostris vacaret, et etiam Pro-regi (quem id temporis putabant esse D. Petrum Mascaregnas, et tamen is mense Junio anni praeteriti obierat) satisfaceret.

3269. Fuit autem utrique serio commendatum, ut labores nostrorum nimios in India temperarent, et ad id tam multas conciones nostrorum Goae minuerent.

3270. Scripsit et Rex Portugalliae Indiae Pro-regi, ut publica testimonia examinari in omnibus Indiae partibus curaret, ubi homines fidedigni invenirentur, per notarios de omnibus supernaturalibus rebus, quae per P. Franciscum Xaverium Dominus fuerat operatus, et triplici exemplo ad se transmitti, sigillo Pro-regis et officialium ejus addito, jussit [2].

3271. Quod attinet ad Provincialem eligendum, ad novam Aethiopiae Provinciam, et Rectorem Collegii ibidem instituendi, cum difficile esset in Portugallia vel Hispania quid certi constituere, ipsimet Patriarchae data est facultas nominandi utrumque illorum.

3272. Et haec de Provincia Portugalliae dicta sint. Hoc tantum addam [3] quod P. Franciscus Rodriguez et P. Mezquita ante profectionem ad professionem trium votorum sunt admissi, ne sine hoc vinculo ad tam remotas regiones navigarent: P. Galdamez non est ad eam admissus, quia tyro adhuc in Societate erat; sed in India eam facturus erat, antequam in Aethiopiam navigaret.

[1] Vide quae statim dicuntur, n. 3271.

[2] Hac super re infra redibit sermo.

[3] Quae hoc in numero continuantur usque *in Aethiopiam navigaret*, addita quidem sunt, manu Polanci exarata.

DE PROVINCIA BRASILIAE

3273. Nullus hoc anno ex Portugallia in Provinciam Brasiliae missus est, quamvis Pater Emmanuel de Nobrega [1] Constitutiones ad se mitti magno studio postulasset, et ad eas declarandas aliquis necessarius videretur; sed nemo sine gravi detrimento [Provinciae] Portugalliae eo mitti potuit.

3274. Sub initium hujus anni ex civitate Salvatoris [2] P. Ludovicus de Grana ad ducatum S.ti Vincentii profectus fuerat, ut ibidem praedictum Provincialem Nobregam videret [3], quod post adventum suum in Brasiliam nondum facere, propter navigationis difficultatem, potuerat; post quinque tandem menses ex quo iter susceperat, plus minus, ad S.m Vincentium pervenit; et cum nullus Episcopus expectaretur, in cujus manibus professionem emittere juxta facultatem a P. Ignatio acceptam, aut Pater Emmanuel aut ipsemet Ludovicus possent, hoc modo rem transigere decreverunt; ut in primis ipse P. Ludovicus in manibus P. Nobregae, tanquam Provincialis et ex consequenti sui praelati, professionem emitteret; et statim ipsemet P. Nobrega in manibus ejusdem P. Ludovici, tanquam professi, professionem erat emissurus; et ita die 26.a Aprilis hujus anni 1556, quae dominica tertia erat post Pascha, in ecclesia nostra apud S.m Vincentium, coram domesticis et toto populo, ordine praedicto, suas professiones quatuor votorum emiserunt; hac tamen sub conditione, ut si haec ratio minus placuisset P. Ignatio, ut Generali totius Societatis Praeposito, denuo illam essent emis-

---

[1] P. Emmanuel de Nobrega, Brasiliae Provincialis, de quo vide supra, t. v, pag. 617, n. 1692, ubi haec legimus, quae ad rem, seq. numero contentam, faciunt: "Creatus erat... Provincialis Brasiliae P. Emmanuel de Nobrega, cui facultas etiam professionem emittendi a Patre Ignatio missa fuerat; quod nuntium, licet ipsi gratissimum fuisset, exequi tamen quod injungebatur non potuit, quod professus ea in Provincia non esset, in cujus manibus professionem emitteret.„

[2] Describitur haec civitas supra, t. IV, pag. 632, n. 1354..., et t. v, pag. 627, n. 1716 et seq.

[3] Vide supra, t. v, pag. 618, n. 1695 et pag. 631, n. 1726.

suri, prout ipse constitueret; sed antequam hujus rei litterae Romam pervenirent, jam P. Ignatius ex hac vita migraverat: nullus tamen successorum rationem, quam tenuerant, improbandam censuit.

3275. Post Pentecostem, quamvis valetudinarius esset Provincialis, ad civitatem Salvatoris, oblata commoditate navigandi, profectus est, quam duos fere annos expectaverat nec obtinere potuerat.

3276. Hoc tempore residebant nostri paucis in locis Brasiliae, scilicet in civitate Salvatoris, quam Bayam vocant, ubi Pater Ambrosius [1] et P. Antonius Perez cum tribus fratribus residebant, et consuetis Societati nostrae occupationibus in animarum auxilium distinebantur.

3277. In oppido Spiritus Sancti P. Blasius Laurentius cum socio in functionibus similibus versabatur. In ducatu autem S.ti Vincentii, tribus in locis nostri versabantur. Sacerdotes erant P. Ludovicus de Grana, quem tribus his locis praefecit Provincialis, cum Patribus Emmanuele de Payva, Vincentio Rodriguez et Alphonso Blasio, et novem aliis fratribus. Ipse autem P. Provincialis Nobrega secum P. Franciscum Perez, et quatuor alios fratres inde abduxit [2]; praeter hos et P. Navarrum sive Azpilcuetam [3], qui in variis missionibus se exercebat, nullus erat, nisi quos praediximus, in tota hac Provincia, excepto quodam novitio sacerdote.

3278. Nec videbatur ea regio opportuna, ut in ea Societas posset augeri, aut novos operarios ex eadem tam cito expectare; qui enim ex lusitanis viris, et mulieribus brasiliensibus nascebantur (quos *mamaluchos* vulgo vocabant), talentum ad Societatis Institutum non habere deprehendebantur; et id experientia in eis docebat, qui prae caeteris idonei futuri videbantur; et non solum conceptae de ipsis expectationi [non] responderunt, sed etiam necesse fuit ab aliorum familiaritate eos sepa-

---

[1] Ambrosius Perez vel Pires, cujus fit mentio supra, t. v, pag. 631, n. 1725 et 1727.

[2] "Chegou a Bahia o P. Nobrega... Trouxe comsigo quatro companheiros estremados lingoas dos Indios: o P. Francisco Pires, e os Irmãos Antonio Rodrigues, Antonio de Sousa e Fabiano de Lucena.„ VASCONCELLOS, *Chronica*, liv. II, n. 4.

[3] De P. Joanne *Navarro* Azpilcueta vide dicta supra, t. v, pag. 639, n. 1751, annot. 1. Eumdem vero, superiori anno 1555, mortem obiisse tradunt ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. I, lib. XV, n. 115; VASCONCELLOS, *l. c.*, liv. I, n. 195; NIEREMBERG, *Varones ilustres*, t. III (edit. Bilbao), pag. 531; qui omnes meritis laudibus Azpilcueta efferunt. Vide etiam TELLEZ, *Chronica da Companhia de Iesu*, liv. III, cap. IX, n. 8.

rare, ne a bono nomine et ipsi exciderent; et ideo necessarium esse P. Ludovicus de Grana existimabat, ut aliquos P. Ignatius ex Europa in latissimam illam Domini vineam mitteret; et eo magis operariorum multitudo erat necessaria, quo magis erant sparsi illi homines, qui ad viam salutis capessendam erant juvandi.

3279. Antequam recederet ab oppido S.ti Vincentii Provincialis, Constitutiones, ex Portugallia missas, cum magna animi laetitia acceperat; sed quia jam erat in procinctu ad recedendum, non potuit [1] P. Ludovicus de Grana de illis cum praedicto Provinciali quidquam tractare; sed quoad ejus fieri posset et illa regio ferret, se et suos Constitutionibus conformare studuit.

3280. Cum primum missus fuit P. Leonardus Nugnez (quem missum anno praecedenti in Europam diximus [2], ut P. Ignatium de statu Brasiliae certiorem redderet, et pro certo habebatur quod naufragium fecisset), initium dedit cuidam Collegio apud S.tum Vincentium, ubi multos pueros *mamaluchos* et alios brasiliensium filios excepit; et plus quam octoginta magno cum labore sustentavit; et quia ratio sustentationis non placuit Provinciali cum ad S.m Vincentium venisset, translati fuerant pueri Piratiningam, in domum quam in optimo situ conficiendam curavit [3]. Sed haec puerorum congregatio diu non duravit; aliqui enim ex eis magis adulti recesserunt, aliqui ad domos suorum parentum, qui in eadem domo habitabant, se contulerunt, et inde discendi gratia ad nostros accedebant.

3281. Frater noster Petrus Correa, quem diximus [4] annis superioribus pro fidei et charitatis functionibus telis infidelium confossum fuisse, cum se ipsum divino obsequio in Societate mancipavit, bona sua praedictae congregationi puerorum, qui tunc apud S.m Vincentium alebantur, donaverat: erant autem ea bona quidam agri, in quibus, quae ad cibum brasiliensium accommoda erant, proveniebant; et quaedam armenta boum ac vacarum, quae paulatim aucta, suo lacte nostros, qui Pirati-

---

[1] Ms. habet hic *cum eo*, quod redundare videtur; dicit enim statim *cum praedicto Provinciali;* ideo illud sustulimus.

[2] Supra, t. v, pag. 618, n. 1693.

[3] De Piratininga civitate *(Piratiny)* saepe mentionem fecimus. Vide praecipue supra, t. IV, pag. 611, n. 1297, annot. 2, et pag. 626, n. 1338-1340, annot. 1, et quae a n. 3298 infra dicentur.

[4] Supra, t. IV, pag. 619 et seq., n. 1315 et seq.

ningae versabantur, alebant [1]; quamvis illi etiam illis radicibus, quas pro tritico nostro in pane conficiendo adhiberi diximus [2], victitabant; ad quarum cultum quidam amicus saecularis servos quosdam nostri Collegii adhibebat.

3282. Quidam etiam ex fratribus ibidem admissus, qui fabri ferrarii officium tenebat et exercebat, ex his ferreis instrumentis, quae conficiebat et cum alimentis permutabantur, ex parte nostrorum expensas juvabat; nam Regis nomine non amplius quam decem ducati singulis mensibus, et quae ad victum et vestitum nostrorum satis erant, tribuebantur; et quia in libris ministrorum Regis tamquam stipendium nostrorum id scribebatur, hoc erat consilium nostrorum brasiliensium, ut non amplius admitteretur, nisi Collegio per modum dotationis Rex ea applicaret, quae ad hoc usque tempus ut stipendium sonabat, propter quod nonnulli suscipiendam esse a nostris animarum curam censebant.

3283. Dubitabant etiam an ex permutatione rerum, quae ab illo fratre nostro ferrario conficiebantur (Noguera illi cognomen erat), nostri alimenta accipere possent. Dubitabant etiam an ex lacte vaccarum, quae pueris erant donatae, nostri sustentari possent, cum pueri nulli essent domi nostrae, nec juxta Constitutiones teneri in domibus nostris possent. Et tamen alii reditus nulli erant; quamvis si nostris fuisset permissum more saecularium per servos necessaria ad victum praeparare, ex eorum industria facile sustentari potuissent.

3284. Sed id non sine magna distractione nostrorum fieri poterat; et ita P. Nobrega, Provincialis Brasiliae, scripsit Dri. Torrensi, Portugalliae Provinciali, ut quasdam decimas a Rege obtinere niteretur, quibus Collegium nostrorum Piratiningae sustentaretur; nec enim pueros domi nostrae instituendos censebant, nisi aliqua iniretur ratio eis necessaria per aliquem externum curandi; ita ut nostri tantum institutionis eorum curam gererent, quod in populis lusitanorum ditioribus fieri poterat; nam quamvis apud S.m Vincentium, propter hominum paupertatem, pauci admodum ex eleemosynis sustentari poterant; in

[1] Ms. *alebat*.

[2] Ms. habet *quas pro tritico nostro in pane conficiendos esse diximus*. Supra vero t. IV, pag. 683, n. 1355, cum de his radicibus sermo esset, scribebat Polancus: "Erat et radix quaedam, *aipin* nomine, quae cruda etiam comedebatur, ut et aliae nonnullae radices, ex quibus panis conficiebatur.„

loco autem, quod Taraybativa dicebatur, aliqui ex nostris ex hamis et cultris, a fratre praedicto confectis, sustentabantur.

3285. Piratiningae autem, ut a Constitutionibus non recederent, quae negotiationem prohibent, agriculturam, quam prius per servos exercuerant, reliquerunt; et cuidam viro externo aliquid dederunt, ut panem Collegio subministraret; ad carnes autem vel pisces parandos rationem aliquam inire oportebat; nec enim inter indos emendicandi consuetudo induci poterat, quod pauperrimi essent et sine industria, et ita necesse erat inter lusitanos rerum earum eleemosynam petere, in quarum permutatione necessaria ab indigenis haberent: pecunia in usu non erat in illo ducatu, sed pecuniae loco saccharum vel instrumenta ferrea praedicta erant.

3286. Quamvis autem haec ratio victus non sine molestia esset, major erat difficultas in assiduis brasiliensium ab uno in alium locum migrationibus; cum enim domus, quas ex palma conficiunt vel ex terra, non nisi ad tres vel quatuor annos durent, ad alium locum, ut denuo eas conficiant, emigrant. Ad quod etiam eos movet quod, postquam ex aliquo agro, quae ad victum in eo proveniebant, collegerunt, in alio loco ad similia alimenta colligenda se converterent; et ita aliquam partem sylvarum caedebant, ut suas radices ad panem conficiendum ibi plantarent; et quod pejus erat, non simul in unum locum migrabant, sed alii alio recedebant. Itaque cum paucis tempus erat consumendum; et illi ipsi postquam [per] duos vel tres annos [1] fuissent instructi, dum recedebant, fructum institutionis amittebant; nec enim hujusmodi homines erant, ut sine directione doctrinam ac bonam institutionem servare possent: pueri etiam suos patres sparsos sequebantur; et ideo dubitabant nostri an baptizare hujusmodi pueros deberent, eo quod in hujusmodi mutationibus, dum patres sequuntur, mores etiam imitabantur, vel certe timeri poterat probabiliter ne id facerent.

3287. Idololatria quidem nulla apud brasilienses erat, sed quaedam superstitiones, quas ipsi sanctitates [vocant], quibus nec fidem praestant omnino, et tamen ex parte eis credere videntur.

3288. Cum maximus honor inter brasilienses censeatur ac

---

[1] Ms. *postquam duo vel tres anni...*

magna opulentia multos habere filios, ita et multas uxores; quamvis potius concubinae censendae sint, cum eas pro suo arbitrio possint relinquere: quae tamen magis legitima habetur uxor, est sororis filia, non autem fratris; quia neptis ex fratre pro filia habetur; nam sibi brasilienses persuadent liberos ex matre carnem non accipere, sed ex patre; et ita ventrem matris velut saccum esse.

3289. Ex his ergo matrimoniis sequitur tanta consanguinitas inter liberos omnes, ut cum aliquis christianus efficitur, vix in duobus et tribus pagis vicinis feminam inveniat, quam ducere in uxorem sine dispensatione possit; et tamen, quod admodum hi homines ad peccatum carnis sunt proclives, non audebant nostri prius adultos baptizare quam uxorem quaesiissent, quam post baptismum statim in matrimonio sibi jungere possent; et ideo liberalem esse oportere Summum Pontificem ad dispensationem, etiam in gradibus prohibitis, matrimonium contrahendi, [censebant]; et quamvis nostri auctoritate Apostolica possent dispensare cum infidelibus, qui in lege naturae matrimonia in gradibus prohibitis contraxissent, in Brasilia haec facultas usui non erat, cum nulla inter ipsos essent matrimonia.

3290. Hac tamen industria nostri utebantur, ut cum aliquos idoneos ad baptismum suscipiendum vidissent, post catechismum sufficientem, docerent eos [ducere] uxores secundum legem naturae, ut cum postea baptismus sequeretur, jam matrimonio conjunctos secundum naturae legem invenirent; et ita perseverare in eo poterant, quod lege naturae prohibitum non esset; postea tamen Sedes Apostolica ampliorem ad hujusmodi dispensationes [facultatem] contulit.

3291. Tertia erat difficultas, quod cum nostri pauci, et pagi brasiliensium multi essent, si soli mittebantur, non sine magno periculo id fiebat, cum omnia mulieribus plena essent, ad peccata carnis propensis; et ideo, si ullibi gentium, eis in locis castitatis excellens donum est necessarium cum magno Dei timore; si enim tantum uno in loco nostri versarentur, cum paucis tempus esset exigendum, quod multorum auxilio impensum oportuit.

3292. Episcopus Brasiliensis quartam etiam difficultatem sentiebat, quod nudi incederent, et in eo contra legem naturae

peccare putabat, ut nec nudos baptizari nec ecclesiam ingredi ei placebat. Nostri tamen hac in parte dissimulanter dissentiebant, cum nec ipsi haberent quod induerent, nec nostri dare ipsis possent; nam quod ad illos attinet, libenter induti incederent.

3293. Majoris momenti impedimentum esse in tota illa natione censebant, quod ipsis propemodum connaturale videbatur, ut nihil magnopere in animo moverentur, nec [dolerent] de rerum spiritualium, ut [de] temporalium detrimento; et ita eorum contritiones de peccatis et bene agendi desideria tam remissa videbantur, ut vix quidquam certi de eis sibi promittere quis posset.

3294. Mulieres acutiorem hac in parte sensum habere videntur, et multo magis quam viri animum ad bona applicant. Viri etiam usque ad decimum octavum aut vigesimum annum bonum sui specimen praebere solent; sed cum in aetate procedunt et potationi indulgent, tam obtuso ingenio et malis moribus efficiuntur, ut vix credi posset. Et hoc potationis peccatum illud esse videtur, in quo minor emendatio sperari possit; nam exiguum est illud tempus, quo ebrii non sunt; et in his vinis, quae ipsi ex omnibus rebus conficiunt, et potum et fere cibum habent; nam saepe nihil aliud comedunt; et dum pleni sunt hoc vino, de omnibus aliis malis inter eos agitur.

3295. Ad hoc usque tempus curarunt nostri pueros eorum in collegiis instituere; sed experientia eos docuit, quod ad certum vitae genus eos adducere non possent, ut in eo stabiles manerent; nec enim erat copia artificum mechanicorum, ut eorum artes addiscerent, nec alioqui hujusmodi artes inter ipsos usui essent; sed nec addiscere eas facile possunt, cum [nec] punitionem, immo nec durius aut elata voce sibi quidquam dici tolerent; et intolerabilius apud ipsos est, si quis alta voce quemquam alloquatur, quam si eum caederet.

3296. Magna etiam erat difficultas in uxoribus, quas tandem ducturi essent; difficile enim erat congregationes puellarum conficere, nisi aliquae mulieres ex Europa honestae et aetatis provectae earum curam susciperent, et Regis Portugalliae expensis alerentur; et ita pueri apud nostros instituti, si brasilienses puellas non bene institutas in uxores ducerent, difficile juxta Christi religionem vivendi rationem habere possent; nam

more illius gentis socer subditum habet generum, immo et cognati, pro suo arbitratu, sorores suas ipsis adimerent.

Haec igitur in universum ita sese apud brasilienses habebant.

DE COLLEGIIS

DUCATUS SANCTI VINCENTII

3297. Piratiningae major pars nostrorum versabantur, inter eos qui in ducatu S.ti Vincentii residebant; quamvis etiam in loco Taraybativae et oppido ipso S.ti Vincentii aliqui residerent.

3298. Observabant autem nostri Piratiningae in indorum doctrina [et institutione] eumdem ordinem, quem soliti erant [1]; et signo tintinnabuli bis quotidie ad ecclesiam brasilienses vocabantur, ad quam feminae mane conveniebant, et orationes (sic uno verbo, quae ad catechismum pertinent, vocabant) proprio idiomate addiscebant; et crebris exhortationibus et instructionibus in eis, quae ad fidem et vitam christianis dignam spectant, excolebantur; et quaedam ex eis sic ad pietatem erant affectae, ut nullum pene diem praetermitterent, quin ad ecclesiam bis accederent; nec frigoris magnitudine, quod acutissimum est mense Augusti, deterrebantur; et aliquae earum bis aut ter quotannis post confessionem dominici corporis sacramentum suscipiebant.

3299. Viri autem aliqui dominicis diebus Missae celebrationi intererant, ubi post offertorium aliquid de fide et mandatorum Dei observatione ipsis annuntiabatur; sed quia rudibus et obtusis eorum ingeniis id parum erat, nullum diem nostri praetermittebant, quo eos in propriis domibus non convenirent, et nunc hos, nunc illos ad fidem suscipiendam exhortarentur. Et quia privata colloquia eos magnopere movebant, aliqui ex nostris, ex obedientia P. Ludovici de Grana, ipsorum colloquiis se immiscebant, et familiarissime cum eis agebant.

---

[1] His similia narrantur supra, t. IV et V, ubi de rebus brasiliensium sermo est. Vide ad hunc annum VASCONCELLOS, *l. c.*, liv. II, n. 6 et seq ; ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.* p. I, lib. XVI, n. 62.

3300. Cum autem illi observarent sollicitudinem nostrorum sine ulla prorsus spe quaestus, cum et animorum et corporum morbos diligenter nostri curarent, non poterant, licet barbari, non admirari, et nostrorum erga se dilectionem non agnoscere.

3301. Adhibere autem morbis corporis diligentiam eo maxime consilio nostri solebant, ut animos eorum, qui eo tempore molliores et mitiores erant, ad baptismi susceptionem, si periculum mortis urgeret, praepararent; quapropter et parturientibus feminis aderant, ut et mater et foetus, si res postularet, baptizaretur; et ita et corporis et animae saluti saepe consulebatur.

3302. Pueri bis quotidie ad scholas conveniebant, ante meridiem quidem fere omnes, post meridiem minus multi, quia eo tempore venatione aut piscatione victum sibi quaeritabant; quia illud Pauli gens illa observat: Qui non laborat nec manducet [1].

3303. Quamvis autem praecipua nostrorum cura erat fidei rudimenta eis declarare et inculcare, litteras etiam eos docebant; sic enim ad litterarum cognitionem afficiebantur, ut ea occasione ad doctrinam salutis addiscendam adducerentur: eorum quae ad fidem pertinent, juxta quasdam interrogationum formulas instructi, rationem reddebant; nonnulli vero etiam sine illis.

3304. Multi ex eis hoc anno confessi sunt; nec parum voluptatis nostri capiebant, cum eorum aliqui ita pure et discrete confiterentur, ne minimis quidem praetermissis, ut ea in parte facile christianorum liberos superarent; et cum magister eorum, Joseph [2], quosdam admoneret, ut se ad hoc sacramentum praepararent; unus eorum respondens: "Tanta est, inquit, confessionis virtus, ut, ea peracta, ad coelum magna velocitate volare velle videamur„.

3305. Si quis forte eorum corporis habitu, aut sermone, aut quavis alia ratione ad aliquid, quod gentiles mores saperet, vel minimum declinasset; continuo ab aliis irridebatur et accusabatur.

---

[1] Quoniam si quis non vult operari, nec manducet. II *Ad Thessalon.* III, 10.

[2] Josephus de Anchieta. Vide supra, t. III, pag. 397, n. 868, nnot. 1, et t. V, pag. 620 et 621, n. 1699-1701.

3306. Cum quemdam ex eis, die dominica cophinum texentem, Mag. Joseph reprehendisset, sequenti die praedictum cophinum ad scholam secum ille detulit, et coram omnibus, eo quod die dominico texi coepisset, concremavit.

3307. Sic ergo ad salutem spectantia illi edocti erant, ut ignorantiam ante tribunal Christi obtendere minime possent. Nec tamen nostri sine timore erant, quod cum in viros evasissent, vel parentum voluntati consentientes, vel tumultu belli concitato, praesertim contra christianos, ad pristinos mores redirent.

3308. Cum cuidam, contagioso quodam morbo, leprae simili, laboranti, remedia, quibus carebant, nostri non adhiberent, mirabatur quaedam femina quod per nostros, qui opera misericordiae sectanda esse docebant, ipsius saluti non provideretur; sed his cogitationibus ipsamet respondebat, nostros excusans et in pravitatem [suorum] culpam rejiciens, qui saepe in morsibus colubrorum et aliis languoribus gravissimis se vitam suam juxta Dei mandata composituros promittebant, et tamen, sanitati restituti, ad pravos mores redibant; et ita existimans in nostrorum potestate sitam esse sanitatis restitutionem, eo quod Deum novissent credentes, cur non curarent hujusmodi homines, ea ratione excusabat.

3309. Cum autem quaedam mulier, adversa valetudine laborans, a quodam ex nostris inviseretur, et manus ejus capiti imponerentur; post paucos dies in pristinam sanitatem rediit. Cum ergo ab ipsius matre quaereretur quomodo se illa haberet: "Bene valet, inquit; et quid mirum, cum tu ei manus imposueris?„

3310. Aliquos nostri quodammodo invitos ad ecclesiam trahebant: baptizabantur autem infantes per parentes oblati, ex quibus nonnulli ad Dominum migrabant; et hic fructus, tanquam rosa de spinis, certissimus et forte maximus ex brasiliensi vinea capiebatur; cum viri et feminae adultae non eum, qui par esset, vitae christianae fructum redderent. Et ipsi pueri, quos lacte christianae doctrinae nostri enutrierant, cum plene jam instructi habitationem parentum sequebantur, moribus etiam eorum paulatim assuescebant, quod experientia docuit circa hoc tempus, cum aliqui, Piratininga recedentes, alibi suas domos construerent, et bonam puerorum partem secum abdu-

cerent [1]. Sed et ex illis, qui reliqui erant Piratiningae, bona pars alias sibi domos construebant, ubi libere pristino more vivere poterant, quos filii imitaturi videbantur; et ita divisi nec doceri poterant, nec ipsi hoc magnopere expetebant; et ita pauci fuissent qui docerentur sub hujus anni finem; et nisi quidam lusitanorum servi, qui illi viciniae commigraverant, doctrinae gratia ad ecclesiam convenissent; saepe frustra signum datum fuisset, nullusque ex brasiliensibus, qui doceretur, adfuisset; et male admodum nostros habebat quod pueros a se institutos huc et illuc vagari videbant; et non solum novi nihil addiscebant, sed dediscere, quae aliquando docti fuerant, eos oportebat.

3311. Ex illis tamen qui recesserant, mutata habitatione, diebus festis aliqui Missae celebrationi intererant. Aliqui etiam ex hac vita, confessione prius facta, et nomen Jesu semper invocando, bene dispositi discedebant. Puer quidam duodecim annos natus, qui in schola Piratiningae instructus fuerat, gravi oppressus morbo, nostros confessionis gratia evocari curavit; et post triduum, maxima suae fidei argumenta relinquens, mortem obiit, et usque ad ultimum spiritum, immo tunc maxime, nomen Domini Jesu semper invocavit.

3312. Et nostri etiam extra domum ejus clamores ad Dominum audiebant, et cum ad eum essent ingressi, instanter petebat, ut ei orationes, id est, catechismum dicerent, quod et ipse proprio idiomate orabat. Addebat et: "Domine Jesu Christe, tu solus vitae et rerum omnium es Dominus, adjuva me„; et ita usque ad auroram perveniens, spiritum Domino reddidit. Alius etiam fere ejusdem aetatis, cum ad extrema devenisset: "Jam, inquit, optimas et pulcherrimas habeo vestes„; et paulo post migravit. Nonnullae praeterea anus, baptismo suscepto, vitae cursum confecerunt.

3313. Ante diem Natalis Domini curarunt nostri ut utriusque sexus homines confiterentur, et a multis feminis et nonnullis viris id obtinuerunt; et diligenter eos examinabant in his, quae ad fidei articulos ac potissimum mysterium S.mae Trinitatis et Incarnationis ac vitae Domini nostri pertinent; et potis-

[1] "No Collegio de Piratininga cresceo este anno o trabalho dos obreiros dos Indios: porque estes, levados de sua natural inconstancia, e tambem da necessidade de terras pera suas lavouras, dividirão-se do lugar em que o Padre Nobrega os deixára junto ao Collegio, em sette distintas povoações, e todas distantes.„ VASCONCELLOS, *l. c.*, n. 11.

simum id agebant, ut illi homines rationem reddere possent illorum mysteriorum, quae ab Ecclesia in anni decursu celebrantur; et hanc cognitionem pluris faciebant, quam ut orationes memoriter tenerent; quamvis ne id quidem negligebatur; et multi, plures autem feminae quam viri, eam rationem reddebant, ut coram ipsis christiani veteres possent erubescere.

3314. Multi autem ad Eucharistiae sumptionem satis idonei censebantur; et hi prae caeteris, quos *charigos* vocari superius diximus [1], qua ex gente multi, ut nostrorum institutione frui possent, in Brasiliam convenerant.

3315. Elucebat autem in eis fervor quidam et promptitudo ad res divinas, et multo paratiores ad omnia bona inveniebantur quam brasilienses illi, quibuscum nostri vivebant, quibus non deerat cognitio (acumen enim ingenii satis in ipsis elucebat), sed malitia et obstinatio in suis moribus, ne fidei obedirent, efficiebat.

3316. Aliqui autem senes inter hos, qui orationes memoriae commendare minime poterant, cum tamen fidei articulos bene tenerent et ad alia parati essent, ad baptismum suscipiebantur.

3317. Unus ex his, diu catechumenus, non solum ipse baptismum instanter postulabat, et in necessariis perdiscendis elaboraverat, sed suam etiam uxorem vetulam, quae a nostris videbatur nihil posse percipere, licet saepe doceretur, privatim ipse instruxit, et docuit. Hic quadam die dominica ante baptismi susceptionem, coram omnibus in ecclesia interrogatus, tam recte tamque ferventer omnibus interrogationibus bonus senex respondit, ut non mediocri gaudio nostros affecerit. Deinde, simul cum uxore baptizatus, cum eadem jure matrimonii legitime conjunctus est.

3318. Eodem etiam die Natalis Domini multae feminae, patre lusitano natae, magna cum devotione confessae sunt, et sacramento Domini communicarunt, quod et aliis temporibus saepe facere solebant.

3319. Calendis Novembris hujus anni in ecclesiam novam, fratrum nostrorum laboribus, et praecipue P. Alphonsi Blasii, constructam, cum processione nostri ingressi sunt, et sequenti

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 618, n. 1694, et pag. 62 *, n. 1704; t. IV, pag. 615, n. 1805; t. III, pag. 457, n. 992, et pag. 459, n. 994.

defunctorum die sua munera, more christianorum, feminae obtulerunt.

3320. Elaborabant autem diligenter nostri in abducendis brasiliensibus a suis pristinis moribus, et quibusdam, Deo propitio, id persuadebant; sed plures illi erant, qui mordicus in eis perseverabant, quamvis se in Deum credere constanter affirmarent; immo nullum invenisses ex ipsis, qui non praedicaret se nostram fidem tenere; sed factis id negabant, doctrinae fidei vitam minime conformem habentes.

3321. Quidam adolescens, aliunde Piratiningam veniens, tanto fidei christianae desiderio exarsit, ut, relictis consanguineis, se nostris adjungeret, puerisque ad discenda prima elementa se immisceret, et se totum ad Dei cultum vellet convertere. Incumbebat is orationibus discendis; et in quadam porticu ante collegiolum nostrum, ad frigus, relicta habitatione propinquorum, dormiebat, et baptismum sibi concedi instanter petebat; sed inter catechumenos admissus et ad perseverantiam excitatus est, ad baptismum postmodum promovendus.

3322. In loco Taraybativae, duabus leucis Piratininga distante, similem rationem jam dictae in christiana doctrina docenda nostri tenebant; bis enim quotidie ad ecclesiam confluebant viri et feminae, nec deerant inter illos qui, numerum dierum bene computantes, si forte in agrorum cultura occupabantur, adveniente sabbato, opus mature relinquebant, ut, Taraybativam venientes, die sequenti Missae solemniis interessent; immo et aliis diebus, quibus carnium esus interdicitur, a pago absentes, ab eis abstinebant; et Quadragesimae tempore, licet a fratribus nostris longe constituti essent, cum alii carnibus vescerentur, illi, christianorum morem obtendentes, quorum vivendi rationem sectabantur, a vetitorum ciborum usu se subtrahebant.

3323. Cum autem illi fratres nostri, qui horum christianorum institutionem susceperant, ad paschalem solemnitatem celebrandam Piratiningam venissent; anus quaedam, absentiam nostrorum aegre ferens, bis ad ecclesiam populum convocavit, ubi unus praeceptoris, reliqui discipulorum munus obibant; et sic totam christianam doctrinam suo ordine recitarunt.

3324. Cum autem praedicti fratres eo post Pascha rediissent, conquesti sunt hi homines quod in magna festivitate de-

serti ab ipsis et soli relicti fuissent. Accidit autem, ut, cum deesset qui dies festos observandos notos faceret, culices denuntiantis locum suppleverint; cum enim quidam die festo ex ignorantia in sylva labori se dedisset, compunctus fuit tam multorum culicum aculeis, ut domum redire coactus fuerit.

3325. Versabatur autem P. Ludovicus de Grana interdum Taraybativae, doctrinae ac institutioni eorum hominum insudans; et in alio pago, qui secundo milliario inde distabat, fidei etiam jaciebat fundamenta, illum frequenter visitans, sed Taraybativae manens, ubi nonnulli, in fide satis instructi, legitimo matrimonii vinculo colligati fuerunt. Multi ibidem innocentes etiam baptizabantur, ex quibus aliqui ad Dominum migrabant; pueris autem docendis peculiaris cura adhibebatur.

3326. Valebant nostri omnes, et juxta Constitutiones ex Europa missas, duce P. Ludovico de Grana, bene in via Domini procedebant. Laboraverat quidem praedictus Pater sub anni finem non mediocri morbo, cum pectora intumuissent, et in vitae discrimen venerat; nec ullum medicorum praesidium eum sublevabat; sed morbus non obstitit, quominus hos et illos in christiana doctrina instrueret, immo in mare ad lusitanos, trigesimo milliario a Piratininga distantes, per asperrima nemora iter aggresus est, ubi aliquantisper praedicationi operam cum dedisset, Piratiningam reversus est.

3327. Tantum vero abest ut ex hoc labore tumores pectoris, ut aliqui verebantur, incrementum sumerent, ut potius, hac velut medicina usus, Dominus ad pristinam voluerit restituere sanitatem.

3328. Frater etiam noster Gregorius Serranus acutis correptus febribus decubuit; sed cum corporalis medicina deesset, coelestis abundabat; qua periculosi etiam morbi curabantur; brevique cum convaluisset, Gregorius ad suas oves Taraybativae cum alio fratre nostro, qui brasiliensium linguam calebat, se contulit; ad quos, Missam celebraturus die dominico, singulis diebus sabbati aliquis sacerdos noster Piratiningam mittebatur; sed et alia oppida et pagos lusitanorum et brasiliensium ejus ducatus S.ti Vincentii nostri crebro invisebant, et ubique verbum Dei disseminabant, ac deinde Piratiningam ad domum nostram, quae D. Pauli dicebatur, redibant.

Et haec de Provincia Brasiliae.

DE PROVINCIA INDIAE

AC PRIMUM DE NAVIGATIONE PATRIARCHAE ET ALIORUM ET REBUS QUIBUSDAM AD AETHIOPIAM PERTINENTIBUS

3329. Post dominicam Palmarum, die lunae ineunte, 30.ª Martii [1], P. Patriarcha cum Provinciali Indiae et sociis ex portu Ulyssiponae solverunt; et 6.ª die Septembris Goam omnes incolumes pervenerunt, cum tamen fere novemdecim dies in oppido Mozambique classis conquievisset; et ferebatur viginti annis tam felicem navigationem non extitisse; cum enim hoc iter sex mensibus absolvitur, mediocris habetur navigatio: quanto amplius moratur ultra sex menses, tanto pejus: quanto brevius praedictis sex mensibus, tanto felicior habetur. Quinque igitur mensibus et fere septem diebus, quatuor millia leucarum (tot enim a Portugallia Goam usque computantur) confe-

[1] Ms. *habet 23.ª Martii;* at calami lapsus est. Supra enim, n. 3257, Polancus ipse dictaverat: "Magno animo omnes, qui navigaturi erant, 28.ª Martii ad naves se contulerunt; quamvis propter maris turbationem non ex portu usque ad 30 diem solverunt.„ Praeterea, anno 1556 Pascha inciderat in diem 5.am Aprilis (vide ESCOFFIER, *Calendrier perpétuel*, pag. 172); quocirca feria 2.ª post dominicam Palmarum, qui dies a Polanco notatur navigationis initium, erat 30.ª Martii. Jam, *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 360 et 361, descriptis navigationis apparatu aliisque, quae illis quidem diebus a Lusitaniae Principibus ac sociis navigaturis gesta sunt, cum sermo est de die quo navim conscenderunt, haec tradunt: "A los 27 de Março fueron los Padres y hermanos destinados, juntos á tomar licencia de Su Alteza y de los grandes que residen en esta corte... A los 28 de Março, hauiéndose despedido de todos, se fueron á embarcar poco antes de mediodía á Belen, donde las naos esperauan ya en orden... Hiziéronse á los XXX á la vela, y con muy buen tiempo.„ En sociorum decem navigantium nomina. SACERDOTES: P. Joannes Nuñez, Patriarcha; P. Andreas de Oviedo, Episcopus; P. Gonsalus Sylveira, Provincialis; P. Franciscus Rodriguez; P. Andreas Gualdames; P. Joannes Mezquita; et P. Laurentius de Valdes. FRATRES: Gonzalus Cardoso, Bartholomacus Carrillo, et Joannes... - Hos decem nominant *Litterae Quadrimestres:* a Franco autem, qui quatuordecim missos in Indiam dicit, hi Fratres recensentur: Franciscus Lopez; Bartholomaeus Santos; Bartholomaeus Carrillo; Joannes Gonsalves; Gonzalus Cardozo; Joannes Rodriguez; Joannes Bustamante. FRANCO, *l. c.* Catalogus. . 1556; *Litterae Quadrimestres*, t. IV, pag. 355 et 356.

cerunt. Ex multis quae in hac navigatione acciderunt, pauca quaedam perstringam.

3330. Quamvis omnes fere primis diebus nauseabundi, ut accidit, et debiles bona ex parte decumberent, cum esset ea hebdomada sancta, Episcopus Andreas [1], licet valde afflictus, die veneris de Passione Domini in sua navi concionatus est; quamvis tantopere afflictus esset, ut cum in sequenti die Resurrectionis vehementer concionari cuperet, propter aegritudinem id praestare non potuerit.

3331. Ad Gomeram, quae una est ex Fortunatis insulis, quas Canarias vocant, ejus navis, cujus malum resarcire oportebat, cum divertisset tertio festo Paschae, tam in ea insula quam in navi, multorum confessiones a nostris auditae fuerunt, et etiam ab ipso Episcopo, licet adversa valetudine afflicto, ex quibus multi anno praeterito confessi non fuerant: ministerium etiam confirmationis quibusdam religiosis in ea insula impendit, et alia quaedam episcopalia, rogatus, exercuit. Quia vero Pater Mezchita [2] gravius videbatur Episcopo quam ipsemet aegrotare, locum, ipsi Episcopo deputatum, ei reliquit, quia commodior erat; onus autem confessionum Patri Galdamez [3], ut robustiori, relictum est.

3332. Cum autem vires utcumque recuperassent, praedicationi dominicis et festis diebus, multis etiam confessionibus audiendis, et christianae doctrinae cum fructu docendae operam toto eo itinere dederunt; et aliquae paces magni momenti et plurimae sunt confectae, et magna in juramentis reformatio et in aliis vitiis est secuta, et restitutiones voluntariae eorum, quae per lusum obtenta fuerant, a quibusdam factae fuerunt.

3333. In alia navi, in qua Patriarcha et P. Franciscus Rodriguez veniebant, ipso die Paschae coeperunt praedicationes, quas P. Franciscus Rodriguez dominicis et festis diebus est prosecutus; profestis autem diebus singulis noctu de christiana doctrina agebat, nisi pluviae aut venti id impedirent; aegrotantibus autem multum subsidii nostrorum charitas praebuit; et prorsus haec pietatis exercitatio in hujusmodi navigationibus pernecessaria aegrotantibus est, et adhuc non parum incom-

[1] Andreas de Oviedo.
[2] P. Joannes de Mezquita, cujus mentio facta est supra, n. 3260 et nuper, n. 3329.
[3] P. Andreae Galdamez; *ibid.*, n. 3260 et 3329.

modi aegrotantes, praesertim pauperiores, patiuntur; omnes autem, vel fere omnes, qui in ea navi veniebant, de peccatis confessi sunt: aliqui ter vel quater in toto itinere. Aliqui, licet pauci, octavo quoque die; et P. Patriarcha simul cum P. Francisco Rodriguez assidue huic ministerio vacarunt; fructus autem et praedicationum et confessionum similis ei fuit, de quo in alia navi mentio facta est.

3334. Cum prope Fortunatas insulas haec navis Patriarchae transiret, mons altissimus nostris ostensus est, quem prae caeteris orbis locis altum ferebant; supra nubes enim caput ejus montis eminebat, in quo eremitorium quoddam B. Virginis positum erat. Sub finem autem Aprilis eo pervenerant, ut tantum septem gradus a linea aequinoctiali distarent; ibi autem, cum ventus cessaret, decem aut duodecim diebus nihil fere itineris conficientes, aestus gravissimos in maritima ora Guineae [pertulerunt]; sed deinde, spirante vento, 8.ª die Maji haec navis, quae *flos maris* dicebatur, praetervecta est; illa vero, in qua Episcopus veniebat, 14.ª ejusdem mensis ultra eamdem lineam progressa est; et cum caput S.ti Augustini (Brasiliae provincia pars ea est; et saepe naves inde in Portugalliam redire solent, cum in Indiam progredi nequeant), reliquissent; ex regione Brasiliae praeternavigantes, navim deinde versus orientem flexerunt; et antequam caput Bonae Spei attingerent, gravi tempestate jactati a die veneris post Ascensionem usque ad diem lunae sequentis fuerunt; et fere nullus erat, qui non sibi mortem imminere valde propinquam putaret. Benedixit Patriarcha aquam, et in mare eam projecit; et placuit divinae bonitati tranquillitatem restituere, et tunc navis Episcopi hanc assecuta est, quam tribus mensibus non viderant; et se mutuo invisere et consolari potuerunt.

3335. Ipso autem die S.ti Joannis Baptistae cum vento prospero caput Bonae Spei mane praetervecti sunt, quod donec fiat semper timetur ne redeant naves in Portugalliam, cum in Indiam transire nequeunt. Biduo post, tam foeda tempestas tota nocte sic naves concussit cum tremendis tonitruis et obscuritate summa, ut similem non fuisse a se visam tempestatem omnes faterentur; nec remedium ullum humanum cernebatur, cum ventus et aquarum decursus versus terram navem ferret, quamvis vela nautae restrinxerant; et multi mortem jam defle-

bant; nam in singulas horas expectabant vel ut submergeretur navis vel allideretur rupibus aut syrtibus. Sed placuit divinae bonitati navem conservare, et illucescente die, et vento sese remittente, periculum evadere potuerunt; ex quo egressi navem primariam, in qua veniebat Episcopus, quae in eodem fuerat periculo, cum magna consolatione viderunt; et simul in vigilia S.ti Jacobi ad portum Mozambiche pervenerunt. Eodem autem die primaria navis, quam in toto itinere nusquam viderant, eo pervenit.

3336. Ipso autem die S.ti Jacobi sequente, quarta etiam navis Regis, in qua P. Gonzalvus de Sylvera veniebat, ad eumdem portum pervenit, quod magna sane consolatione nostros affecit, et insigne donum Dei fuit, quatuor naves intra unius diei spatium ad illum portum appulisse.

3337. In primo autem egressu eorum, qui in duobus primis navibus veniebant, gratias Deo acturi in quoddam eremitorium B. Virginis, quam vocant *del baluarte* venientes, inde in processione ad templum summum ejus oppidi, quod *Misericordiae* dicitur, venerunt; et duces navium ac nobiles et multi alii de classe ipso die S.ti Jacobi communicarunt, et P. Franciscus Rodriguez concionatus est; postridie autem P. Gonzalvus de Sylvera eodem officio est functus; et ipse etiam, cum processione ab eremitorio B. Virginis ad Misericordiae templum arculam cum reliquiis sanctorum in manibus deferens, et statim suggestum ascendens, omnes sua praedicatione in Domino consolatus est; et in illis novemdecim diebus, quos exegerunt in eo portu, eodem concionandi munere crebro functi sunt. Et quia ad naves redire quotidie, non sine dispendio temporis et labore, poterant, domum in oppido Mozambique, ex charitate oblatam, inhabitarunt Patres Gonzalvus, Franciscus Rodriguez et Meschita; et ita multis sacramenta confessionis et communionis ministrare potuerunt.

3338. Insula illa et oppidum Mozambiche aërem admodum insalubrem habet.

3339. Omnes Missae absolutae esse solent [primo mane], et ideo multo ante lucem nostris surgendum erat; et post meridiem etiam confessionibus audiendis vacabant; et nostrorum opera quasdam discordias Dominus ibi extinxit, et aliqui abusus sublati fuerunt, qui inter homines non infimae notae locum habe-

bant; praesertim conciliandum Vicarium cum confratribus Misericordiae curarunt, quorum dissensio multa bona impediebat.

3340. Hoc in loco synagogam seu *mezquitam,* ut ipsi vocant, saracenorum invisit P. Franciscus Rodriguez, et eos parum admodum instructos etiam in sua lege deprehendit; cum enim ad disputandum provocasset quosdam ex primariis, et unus ex illis [1] praemittere se velle studium dixisset; postridie autem hoc se studuisse dixit, duas in coelo Deum habere domos, alteram quam boni, alteram quam mali inhabitarent; et cum in disputatione P. Franciscus ad contradictionem claram eum deduxisset, et aliud ejus mendacium confutasset, quod scilicet, Mahometus fuisset primus homo, factus ante Adamum et ex corpore et substantia Dei; cum major inter ipsorum sacerdotes, quos *Chasis* vocant, non haberet quid responderet, surrexit, et non esse tempus amplius disputandi dixit, ne accideret quod antea, cum disputarent cum quodam sacerdote nostro, et ad injurias ventum esset: tunc enim dux arcis sacerdotem ipsorum in carcerem conjici jusserat; et ita convicti quidem, sed nihilo meliores facti, recesserunt.

3341. Ipso autem die S.ti Laurentii simul quatuor naves ex hoc portu recedentes, Goam praedicto die pervenerunt; et quia sanitatem Dominus eis conservaverat, quae ad subsidium infirmorum in Portugallia acceperant, in usum saecularium aegrotantium converterunt [2].

3342. De navi P. Gonzalvi, Provincialis Indiae, quia similia praedictis intelligi possunt, hoc tantum in genere dicam, quod de navigatione illa in Indiam existimat qualis sit, vix intelligi posse, nisi quis experiatur, et eam morti comparat, de qua, licet multa audiantur, qui eam experitur, quid novum et nunquam auditum sibi videtur experiri; et quot passus in illo mari, tot laqueos mortis esse affirmat; falli persaepe naucleros, dum unum locum sibi videntur agnoscere et in alium longe diversum tendunt; et in summa, peritiores naucleri ac prudentiores sine humano remedio pericula illius itineris esse credunt; et naves, quae a Portugallia in Indiam et ab India in Portugalliam navi-

[1] Ms. habet *cum provocasset quosdam ex primariis, et ille praemittere se velle studium dixisset.*

[2] Ms. *converterant.*

gant, a Deo prorsus et duci et reduci; quamvis humana industria ac diligentia suum etiam locum habeant.

3343. Cum Patriarcha et ejus socii Goam pervenissent, ibidem Mag. Gonzalum [1], qui ex Aethiopia redierat, ut anno praecedenti diximus [2], invenerunt, a quo intellectum est longe alium statum esse rerum illius regionis, et alium animum Regis Aethiopiae, quam in Europa a Rege Portugalliae et ab aliis creditum fuerat. Cum enim Rex Aethiopiae litteras Regis in aethiopicam linguam versas legisset, quod sequenti anno missurus erat ad ipsum aliquem ex suis domesticis cum aliquo numero virorum religiosorum, ut ejus populos sua doctrina possent instruere, perturbatus Rex Aethiopiae interrogaverat virum illum, quem in Portugalliam miserat, an suo nomine sacerdotes ad alium effectum a Rege Portugalliae postulasset, quam [ut] ad sacramenta lusitanis, Aethiopicam linguam ignorantibus, ministrarent.

3344. Respondit vir ille se non ad aliud eos postulasse; et tantopere Rex his litteris fuit commotus, ut cum Mag. Gonzalus ab ipso postulasset, ut juberet lusitanos per varia loca Aethiopiae sparsos in eumdem locum convenire, ut possent doctrina et sacramentis in spiritu adjuvari, nihil ei responderit. Et cum dux illorum lusitanorum urgeret Aethiopiae Regem ut responderet, num admittere vellet [Pontificem Romanum] ut caput universalis Ecclesiae, et Patriarcham et Patres a Rege missos, negavit se velle admittere; et juravit se in suo regno sacerdotes habere, non solum idoneos ad Patriarchatum Aethiopiae, sed etiam ad Pontificatum urbis Romae; nec se Patriarcham ex Alexandria accipere aliam ob causam, quam ut Concilium Nicenum sequeretur.

3345. Haec ergo cum intellexisset Mag. Gonzalus et Regem et ipsius populos haeresi Eutychis et Dioscori adhaerere videret, et Calcedonense Concilium ab ipsis reprobari; et sanctum Leonem I haereticum ab ipsis reputari et juste a Dioscoro excommunicatum, contra quem et Eutychem scripserant; venit

---

[1] Gonzalum (Consalvum, Gundisalvum) Rodriguez. Vide supra, t. v, pag. 685: De Patris Gonzali Missione in Aethiopiam; Tellez-Almeyda, *Historia geral de Ethiopia a alta*, liv. II, cap. 23, necnon auctores, quos supra laudavimus, t. III, pag. 497, n. 1052, annot. 1: Orlandini scilicet, Guzmán, Jarric, et prae caeteris, Bartoli.

[2] Supra, t. v, pag. 707, n. 1971.

in Indiam Mag. Gonzalus ut rationem hujusmodi rerum redderet.

3346. Quamvis autem Patriarcha et nostri rem aliter se habere, quam existimatum fuerat, intellexissent, constituebat nihilominus Patriarcha sub initium sequentis anni in Aethiopiam proficisci, et ita a Gubernatore [1] Indiae postulavit. Ne tamen in re tam gravi erraretur, rem contulit cum sacerdotibus nostrae Societatis et doctis quibusdam viris externis, inter quos fuit Episcopus quidam italus, cum Patriarcha Armeniae a Summo Pontifice missus, et ex Armenia in Indiam fugerat, quod de se occidendo in ea provincia actum esse diceret. Omnes autem fere censuerunt Patriarcham proficisci in Aethiopiam anno sequenti minime debere, quod et Gubernator cum suo consilio sentiebat; sed praemittendum esse Episcopum Andream de Oviedo cum duobus sacerdotibus et totidem aliis fratribus, ut curaret apud Regem Aethiopiae ut Summum Pontificem caput agnosceret, et Ecclesiam Romanam et Patriarcham admitteret; dissimulando interim quod attinet ad errores, quos illi in fide tenebant; et cum aliqua spes affulgeret hujus admissionis, ut statim Patriarcham certiorem faceret, ut primo quoque tempore in Aethiopiam navigaret.

3347. Hanc ergo rationem tanquam mediam tenendam esse censuerunt; et praeter id commodum, quod in Rege Aethiopiae disponendo capiebatur, et in adventu Patriarchae praeparando, Episcopus cum sociis utilem operam praebere eis lusitanis ac ipsorum familiis poterat, qui in Aethiopia versabantur.

3348. Mense igitur Februario anni sequentis P. Episcopus erat profecturus; nam hoc tempus huic navigationi opportunum erat.

3349. Intellexit etiam Patriarcha quod, ut certum, multi affirmabant: ducem quemdam Solimani, Regis Turcarum, misisse quadraginta massas auri et multos boves ex Aethiopia tantae magnitudinis, ut in cornu unius quatuordecim magnae mensurae vini possent contineri, et significavit eidem Solimano, provinciam, quae fructus illos ferret, si facultatem ipse

---

[1] Erat hic Franciscus Barreto, qui, demortuo Petro Mascarenhas, etiam Pro-regis Indiae vices agebat. Vide supra, t. v, pag. 722, n. 2026, annot. 7; ORLANDINI, *l. c.*, lib. XIV, n. 152.

concederet, armis subacturum esse [1]; et Rege id concedente, anno proximo 1555 cum quatuor hominum millibus eo se contulit, sed propter militum discordias ex itinere rediit; sed denuo in Aethiopiam venturus dicebatur.

3350. Inventus est Goae senex quidam, nomine Joannes Bermudez, qui ex Aethiopia venerat, et se in Patriarcham fuisse Romae consecratum tempore Pauli PP. III, affirmabat; et Litteras Apostolicas ejusdem Pontificis fuisse confectas dicebat; et aderant Goae nonnulli, qui testabantur se hunc hominem in curia Regis Portugalliae vidisse, et ut Patriarcham ibi fuisse admissum, et praecessisse Archiepiscopum Dominum Martinum in sacello regio cum aliis praelatis [2]. Goae itidem cum magno apparatu fuerat exceptus et in Aethiopiam missus cum D. Christophoro et multis militibus fere quadringentis, sed Litteras Apostolicas non ostendebat, quibus a turcis se spoliatum dicebat, cum ab ipsis lusitani profligati fuissent. Et erat qui hujusmodi Litteras se vidisse testaretur. Hic autem D. Joannes Bermudez in Lusitaniam proficiscebatur; qua de re Patriarcha nostros admonuit, in cujus litteris nulla mentio hujus Patriarchae facta fuit; et ita nihil nisi jure fieri volebat, et supplendum esse hunc defectum in Litteris Apostolicis, vel se exonerandum sentiebat. Et hoc secundum multum ipsi gratius fuisset; non tamen ignorabat quod satis esset viva voce Summum Pontificem declarare quem vellet Patriarchae officio fungi.

3351. Id tamen per Christi vulnera obsecrabat P. Ignatium, ut si hoc onere patriarchatus ipsum Sedes Apostolica liberaret, nullo modo permitteret ad Regis preces alium ipsi episcopatum a Summo Pontifice conferri; nullo enim modo se idoneum ad hoc onus ferendum sentiebat; et quamvis in virtute obedientiae ipsi injungeretur ut alium episcopatum susciperet, se venturum ad pedes Pontificis dicebat, ut ei supplicaret ut suam animam in periculum damnationis [ne] conjiceret. Postulavit etiam ab eodem P. Ignatio ut nominationem P. Antonii de Quadros a Summo Pontifice in Patriarcham et successorem ipsius obtineret, si aliquis ex coadjutoribus vel successoribus deputatis ex

---

[1] Ms. *subacturus esset.*

[2] Si sermo est de Antistite ulyssiponensi, ultimus, cui nomen esset Martinus, jam pridem decesserat; nimirum, 28 Novembris 1521, vocabaturque Martinus da Costa. Gams, *Series Episcoporum.*

hac vita decederet. Unum etiam aut alterum theologum ad se mitti petebat, quod anno praecedenti P. Gonzalez [1] cum duobus aliis fratribus, altero eorum theologo, in quadam insula, ut diximus [2] periissent, qui valde utilem operam in Aethiopia Patriarchae navaturi credebantur.

3352. Didicit ex praedicto Joanne Bermudez, qui se Patriarcham dicebat, quod in Aethiopia non utebantur ea forma in ordinibus conferendis, qua Ecclesia romana utitur; quamvis de hujusmodi formis eis constat ex quodam tractatu ab Eugenio Papa IV, post Concilium Florentinum acceptum, ut hujus Regis Aethiopiae pater per quemdam Franciscum Alvarez Summo Pontifici Clementi VII scripserat.

Hac autem forma ibi utebantur: "Ego te ordino, prout ipse ordinatus sum, secundum cathedram S.ti Marci„; cum dicere oporteret: "Accipe potestatem celebrandi„ etc. Haec autem satis constare poterant praedicto Bermudez, qui quinque annis fuerat Patriarcha auctoritate Alexandrini Patriarchae; et suspicari poterat, quod ideo Litteras Apostolicas non ostenderet, quod sub conditione aliqua Patriarcha constitueretur [3]. Ex hac tamen forma ordinationum nec ipsum Patriarcham nec eos, qui ab ipso ad ordines sacros promovebantur, vere promotos esse, aut Missam celebrare posse admonebat; et italus ille Episcopus [4] dixit Romae fuisse constitutum, ut quidam sacerdos denuo ordinaretur sub hac conditione: "Si ordinatus non esset„.

---

[1] P. Andreas Gonzalez sive Gonçalvez.

[2] Supra, t. v, pag. 646 et 647, n. 1773-1775. Vide infra, n. 3580, 3581.

[3] Disputat TELLEZ-ALMEYDA, *Historia geral de Ethiopia a alta*, liv. II, cap. 20, an laudatus Joannes Bermudez re vera Patriarcha fuerit. Dubitandi causas has quidem ipse affert:... "Mas logo poderám alguns com muyta causa duvidar, como tratava El Rey [Joannes III] de mandar Patriarcha a Ethiopia, se ainda naquelle mesmo tempo lá estava Dom Joam Bermudes com o tal cargo... E acrecenta se a rezám de duvidar.., porque nas Bullas do Padre Patriarcha D. Joam Nunez Barreto... nenhũa mensám se faz... do Patriarcha D. Joam Bermudes, sendo que ainda era vivo ...„

His vero difficultatibus ipse respondet:... "O que eu tenho alcançado he que o dito Dom Joam Bermudes, ainda que os Authores lhe chamam Patriarcha de Ethiopia, com tudo elle foy sagrado pelo Papa em Patriarcha de Alexandria, porque como de Alexandria se davam os Patriarchas, ou Abunás pera Ethiopia, pareceo a o Papa que melhor era dar lhe aquelle titulo, porque assim ficava acudindo a Alexandria, et a Ethiopia. Tirey esta minha soluçam assim do livro do dito Patriarcha, como do titulo da sepultura, que está na Igreja de Sam Sebastiam da Pedreyra em Lisboa, que diz assim: *Aqui jaz D. Joam Bermudes Patriarcha de Alexandria:* como nos communicou o doutissimo P. Jorge Cardozo, et estampou no seu... *Agiologio*, p. II, 30 Mart. fol. 357 et 362, aonde mostra como o dito Patriarcha foy homem de muyta virtude.„ TELLEZ-ALMEYDA, *l. c.*, pag. 147, 148.

[4] Vide nuper, n. 3346.

Et haec de navigatione nostrorum et rebus Aethiopiae. Et [1] inferius, cum de Collegio Coccini quaedam dicentur, reliqua huc pertinentia dici poterunt [2].

DE COLLEGIO GOAE

3353. Ex quo P. Antonius de Quadros initio hujus anni gubernationem hujus Provinciae Indiae suscepit [3], statim id curavit, ut in Collegio Goënsi Constitutiones et Regulae Societatis, quas ipsemet ex Europa attulerat, observarentur, ex quo fructus uberrimus eo in Collegio est consecutus.

Uti autem voluit P. Melchioris Carneri [opera] in ministerio praedicationis, cum ipse, quas susceperat logicae lectiones, relinquere nollet, licet satis multis officii sui laboribus premeretur. In praedicationibus ergo domesticis ac festis diebus interdum P. Melchior eum sublevabat nostro in Collegio, Pater autem Balthasar Diaz in parochia quadam urbis Goae; et omnes magna cum frequentia auditorum verbum Dei proponebant, quamvis post Quadragesimam praedictus P. Balthasar Malacham a Provinciali missus est, quod ea in civitate ipsius operam pernecessariam esse intelligeret, quamvis populus Goënsis ejus absentiam aegre ferret; sed cum sub id tempus Mag. Gonzalves [4] ex Aethiopia in Indiam [transiisset], ut superius diximus [5], et praedicationis et etiam confessionum laborem subiens, P. Balthasaris locum supplevit.

3354. Interdum etiam P. Antonius de Heredia, quem Ormucii et Coccini fuisse superioribus annis dictum est [6], cum multis auditorum lacrymis diebus veneris de Passione Domini concionabatur; et quidem in Quadragesima, si quadruplo majus fuisset templum Collegii nostri, hominum multitudinem ad con-

[1] Haec clausula manu Polanci scripta est.

[2] Quae ad missionem aethiopicam spectantia, Polancus addidit, ea inveniuntur infra, n. 3406 et seq.

[3] Vide quae de hujus Provincialis electione scribuntur supra, t. v, pag. 665 et seq., n. 1831-1838.

[4] Andreas Gonzalez.

[5] Nuper, n. 3351.

[6] Dictum de eo est supra, t. v, pag. 668 et 669, n. 1841-1845.

ciones audiendas confluentem capere non potuisset; sed ubi tam ecclesia quam vicinum claustrum et chorus impleta fuissent, caeteri ad sua redire cogebantur. Absoluta vero concione diebus veneris praedictis, pueri cum processione inde ad templum usque Misericordiae se conferebant, quos populus, et inter eos poenitentes, sequebatur; et tanta erat hominum utriusque sexus spectantium et sequentium multitudo, ut in ingressu templi, dum locum habere desiderabant, alii supra alios interdum caderent.

3355. Ipso autem die jovis sancti tanta cum solemnitate officium divinum fuit peractum hoc anno, ut tantum venerationis et devotionis, quam uberes lacrymae testabantur, in India eatenus visum non fuerit; et eo praecipue tempore, quo S.^{m} sacramentum includebatur, et cum recludebatur, et in ipso officio, quod tenebrarum vocant, quod pueri Collegii magna cum solemnitate peregerunt.

3356. Confessiones, quamvis toto anno audirentur, tempore tamen Quadragesimae potissimum confessarios occupabant, inter quos erat P. Balthasar praedictus et P. Didacus de Soveral, qui postea ad caput Chomurini fuit missus cum socio. Fructus etiam confessionum semper magnus cernebatur, et duobus ad sacerdotium promotis, scilicet Marco Nugnez, qui primae classi, et Josepho Rivero, qui tertiae praeerant, plures huic ministerio vacare potuerunt.

3357. Cum autem initio Septembris Patriarcha et P. Gonzalus de Sylvera, novus Indiae Provincialis, et alii superius dicti [1] Goam pervenissent, crescente bonorum operariorum numero, et fructus etiam et aedificatio crescere potuit.

3358. Expectabatur avide Episcopus Goënsis ab ecclesiasticis praesertim, qui pastoris solatio erant destituti. Sed cum Patriarcham et Episcopum Andream venisse viderent, consolationem acceperunt. Indigebant enim episcopali opera ad olei sancti consecrationem, quo jam destituebantur ad ministrandum sacramentum extremae unctionis. Multi etiam religiosi ordinis S.^{ti} Dominici ac S.^{ti} Francisci ad ordines sacros erant promovendi, et ita Patriarcha, cum conquievisset aliquandiu, triginta vel quadraginta ex eis ad ordines promovit. Et ex

[1] Supra n. 3329 et seq., et n. 3341.

nostris Hieronymum Bravum, ac praedictos Marcum et Josephum [1], qui minister Collegii fuit constitutus.

3359. Veniebat autem Gubernator Indiae aliquoties ad Collegium, ut de missione Patriarchae et aliorum in Aethiopiam, de qua superius diximus [2], ageretur; et postquam constitutum est ut solus Episcopus [iret] cum quatuor aliis de Societate et viginti lusitanis, quos Gubernator promisit; profectus est ipse Episcopus cum P. Gonzalo, Provinciali, (nam eo adveniente desiit P. Quadros, Provincialis, hoc officio fungi) Bazanium cum Gubernatore; nam, quaedam ad bellum ille praeparaturus, in ea loca se conferebat.

3360. Antequam spargi inciperent, sacerdotes omnes, qui hoc autumno Goae versabantur, ad viginti ascendebant, alii autem fratres nostri triginta quinque fuerunt; inter quos septem erant novitii, a P. Francisco Rodriguez, socio Provincialis Gonzali, admissi; et quamvis domus probationis eo tempore nondum constituta erat, quaedam tamen classis nova in usum novitiorum fuit designata ex Provincialis praescripto, ut eo modo, quo possent, novitiorum instituta servarentur, donec aedificium aliud commodius ad eorum usum fieret. Praefecit etiam novitiis magistrum, qui curam ipsorum haberet, et ita in humilitatis exercitiis cum magna aedificatione occupabantur. Ex his autem novitiis aliqui in scholis nostrorum versabantur, alii etiam non pauci tam ex scholasticis quam ex externis admitti se in Societatem postulabant.

3361. Hoc eodem autumno missus est P. Melchior Carnero Coccinum, ut ibidem cum P. Francisco Perez resideret. Pater etiam Franciscus Viera cum classe, quae hac hyeme a Pro-rege mittebatur, missus est; in hujusmodi enim expeditionibus alicujus ex nostris opera magni momenti ad Dei servitium et proximorum auxilium inveniebatur.

3362. Antequam Patriarcha cum aliis venisset, Vicarius generalis cum capitulo Cathedralis ecclesiae ad P. Antonium de Quadros, qui tunc Provincialis officio fungebatur, venerunt; et postulaverunt aliquem ex nostris ut in sua Cathedrali eccle-

---

[1] Marcum Nuñez et Josephum Rivero.

[2] Supra, n. 3346 et seq.– Porro Indiae Gubernator, qui tunc etiam Pro-regis officio fungebatur, erat, ut ibi diximus, Franciscus Barreto.—De his sermo redibit infra, n. 3550 et seq.

sia concionaretur. Cum autem religiosi ordinis S.ti Dominici post obitum P. Gasparis [1] soli suggestum Cathedralis ecclesiae tenuissent, timebat P. Quadros ne illi offenderentur; et ita restitit capitulo aliquandiu, a quo tamen ejus rationes non admittebantur, immo scrupulum ingerere nostris, nisi curam eam suscepissent, nitebantur, quod ad id teneri quodam modo nostros existimarent. Demum cum Gubernatore canonici rem contulerunt; et ille a P. Antonio de Quadros obtinuit, ut concionatorem Cathedralis ecclesiae daret, sed hac cum conditione P. Antonius id concessit, ut permitterentur religiosi S.ti Dominici alternatim cum nostris concionari; et capitulum acquievit, et ibidem concionari P. Melchior Carnero coepit, et valde omnibus acceptus erat.

3363. Sed postquam ille Cocchini est missus, P. Franciscus Rodriguez ei in Cathedralis ecclesiae concionibus successit; et nihilominus idem in ecclesia Collegii nostri alternatim cum P. Antonio de Quadros dominicis et festis diebus mane et post meridiem de doctrina christiana concionabatur: Magister autem Gonzalus Rodriguez in quadam parochia idem faciebat, et aliquoties id ipsum P. Antonius de Heredia. In alia autem parochia P. Mezquita id ipsum praestabat.

3364. Itaque non deerant praecones verbi Dei. Ipse etiam novus Provincialis, P. Gonzalus de Silvera, cum noctu Goam appulisset, et postridie, quo Infantis Ludovici funus in Cathedrali templo celebre fiebat, coepit concionari, et cum magna populi commotione et lacrymis hoc munus exequi coepit.

3365. Attulerant nostri quoddam jubilaeum a Sede Apostolica concessum; quod cum promulgassent, cum magna devotione populus ad sacramentum confessionis confluebat; et pauci hoc Dei beneficio privari voluerunt, et duobus dominicis diebus fere mille homines post confessionem in templo nostro communicarunt; multi etiam in aliis monasteriis et ecclesiis civitatis idem fecerunt; sed domi nostrae tanta erat poenitentium frequentia, ut non solum in ecclesia et claustris, sed etiam in horto confessarii nostri et confitentes omnia quodammodo implerent, et vix respirandi tempus sacerdotes habebant.

3366. Quod ad scholas attinet, ex quibus vel praecipuus

[1] Barzaei. Ejus obitum refert Polancus ad annum 1553. Vide supra, t. III, pag. 485 et 486, n. 1031, annot. 1 et 2.

fructus sperabatur, tres erant litterarum humaniorum classes, in quibus centum quinquaginta scholastici instituebantur; praeter has quarta erat schola, ubi quadringenti quinquaginta pueri fere legere et scribere, et quae ad praxim arithmetices pertinent, docebantur, et haec schola ad superiores in dies alios atque alios praeparabat.

3367. Quidam autem ex fratribus quatuor vel quinque annos institutionis horum puerorum magno cum fructu curam gesserat; et non solum eos christianam doctrinam docebat, sed in quibusdam ecclesiis et praedivitum hominum domibus, qui magnos servorum greges habebant, idem praestabat; quod et alibi in eadem urbe alii Collegii nostri fratres praestabant. Sed ad scholas redeundo, omnium numerus, qui ad eas confluebat, ad sexcentos circiter perveniebat, praeter centum fere alios pueros, qui in ipso Collegio alebantur et in litteris ac bonis moribus et pietatis doctrina instituebantur; inter quos erant aliqui lusitanorum ex matribus indis filii, qui usque adeo deserti erant, ut, si non fuissent admissi, perituros fuisse timeri poterat, quod parentibus essent orbati. Praeter hos eadem opera permultae familiae juvabantur; nam plerique adolescentes bene instituti domi suae parentes ac familiares ad Dei servitium adducere nitebantur.

3368. Praeter humaniorum litterarum studia, philosophica etiam in Collegio tractabantur; et jam hoc autumno, cum P. Antonius de Quadros logicam fuisset interpretatus, physicos Aristotelis libros interpretabatur; sed quia gravis erat labor mane et vespere legere, homini praesertim tam multis in rebus occupato, (nam licet Provincialis curam paulo ante [per] sex menses gessisset, praedicationi et audiendis confessionibus et aliis piis negotiis dabat operam), P. Mesquita alteram ex duabus lectionibus suscepit; P. Carnero, quamdiu Goae fuit, casuum etiam conscientiae lectionem praelegit.

3369. In renovatione autem studiorum postridie S.ti Lucae P. Josephus Riverus in Cathedrali templo publicam orationem habuit, qua juventutem ad studia litterarum excitabat, cui Gubernator Indiae cum frequenti auditorio adstitit; et quia eodem die post meridiem positiones logicae et philosophiae, quae typis excusae fuerant, publice fuerunt defendendae, noluit Gubernator ex Collegio recedere, donec hoc litterarium certamen

spectasset; positiones autem, domi nostrae impressae, portis ecclesiarum affixae fuerant; et ad religiosos S.ti Dominici et S.ti Francisci transmissae, et ad alios, quibus eas mitti conveniebat.

3370. Logicas [positiones] Franciscus Cabral [1]; Philosophiae naturalis Emmanuel Texera defendit; uterque discipulus erat P. Antonii de Quadros, qui huic disputationi praesidebat.

3371. Convenerunt autem multi religiosi, medici et alii viri docti, et nobiles, vel disputandi vel spectandi gratia; et usque ad noctem protractus est conflictus, et multi ex externis disputandi tempus non habuerunt. Strenue autem nostri suas positiones defenderunt; sed praeses Antonius de Quadros, quantum a Domino lucis atque doctrinae accepisset, praeclarum specimen dedit.

3372. Aliquae etiam oratiunculae habitae fuerunt, et a quodam milite lusitano inter caeteros oratio graeca fuit habita; et ita spectatores cum magna satisfactione, rebus prospere peractis, recesserunt.

3373. Habebat et Collegium Goënse annexum ad domum nostrorum vicinum quoddam hospitale, ubi christiani aegrotantes curabantur, quod opus P. Paulus, italus [2], magno cum labore et charitate sustentabat. Excipiebantur in eo triginta et aliquando etiam quadraginta et eo amplius aegroti; quibus omnia et corporibus et animis subministrabantur.

3374. Ibidem etiam aliqui catechumeni, mulieres praesertim ac puellae, instituebantur; nec enim alius erat tunc locus ad hanc institutionem idoneus.

3375. Hoc anno 1556 multi ad Christi religionem accesserunt, et aliquando triginta et eo amplius catechumeni simul rudimenta fidei docebantur; inter quos quidam fuit, qui ex continenti ad hoc ipsum venerat, qui cum varias provincias lustrasset, ut exploraret qua in religione melius vivere et salutem consequi posset, nullibi, nisi in christianorum fide seu lege, ejus potuit animus conquiescere. Vir erat non mediocris inter gen-

---

[1] Nobilis lusitanus, cujus ingressus in Societatem supra narratur, t. v, pag. 651, n. 1785. De eo multa scriptores nostri tradunt, GUZMÁN *Historia de las misiones*, lib. VII et VIII; BARTOLI, *Il Giappone*, lib. I, etc.

[2] P. Paulus Camers, seu ex Camerino. De hoc nosocomio dictum est supra, t. v, pag. 652, n. 1791, et pag. 657, n. 1807.

tiles auctoritatis, et cum octo famulis Goam venit; ex quibus reliqui a daemone superati [alio discesserunt]: cum duobus solis ad Collegium pervenit.

3376. Ex his autem, qui apud nostros baptismum accipiebant, postquam instructi videbantur, aliqui statim ad suas domos redibant, quod stabiles fore in fide suscepta viderentur. Aliqui, ut magis in fide confirmarentur, domi aliquandiu retinebantur. Aliis heri quaerebantur, quibus inservirent; aliis artifices, a quibus in aliqua arte instruerentur. Demum, quacumque in re nostri poterant, favore hos homines prosequebantur, quod propter fragilitatem ejus gentis pernecessarium censebatur; quod enim multos a suscipienda Christi fide retardabat, tum Goae tum aliis in locis, hoc erat, quod male a lusitanis tractarentur; et ideo, postquam Patres Antonius de Quadros et Melchior Carnero in Indiam venerunt, suis in concionibus hoc valde reprehenderunt; et ita emendatio aliqua ea in re cernebatur, et majorem in dies nostri futuram sperabant.

3377. Carceris nostri non obliviscebantur, ubi quidam ex nostris christianam doctrinam docebant.

3378. Prope Goam est exigua quaedam insula, nomine Choram; non tamen ex illa exiguus fructus capiebatur. Ex Collegio autem nostro Goënsi necessaria neophytis sustentandis et augendis mittebantur [1].

3379. Hoc anno fuit ibi absolutum aedificium devotae cujusdam ecclesiae, quae B. Virginis de Gratia dicta fuit. Ad trecentos ascendebat christianorum numerus, et hoc ipso anno quinquaginta Christi fidem ibidem susceperant. Singulis dominicis ac festis diebus ex Collegio Goae sacerdos aliquis eo mittebatur, qui Missae sacrificium coram eis celebraret, quo peracto, christianam doctrinam eis proponebat et spirituales exhortationes addebat.

3380. Multi ex eis uxores legitime ducebant: multi peccata confitebantur; et prout dispositi videbantur, ad sanctissimae Eucharistiae sumptionem admittebantur; cujus minister erat sacerdos quidam ejus nationis, cui multum nostri confidebant, qui in vernacula lingua confessiones etiam eorum audiebat, et

---

[1] Vide quae de hac insula, et navata ibi a nostris opera, diximus supra, t. v, pag. 660, n. 1815, 1816, et t. iv, pag. 651, n. 1393.

colloquia de rebus ad salutem necessariis apud eos habebat; et sperabant nostri brevi tempore cum Dei gratia totam eam insulam ad Christi fidem esse reducendam.

3381. Cum D. Alphonsus de Norogna, Gubernator seu Pro-rex, in eam insulam venisset [1], et aptitudinem ad insulanos ad Christum adducendos didicisset, concessit situm amplum ecclesiae, in quo domos suas prope illam christiani possent confi-cere; nam procul habitabant; et ita jam hoc anno coeperant domos ecclesiae vicinas construere, ut Missis et christiana doctrina commodius frui possent. Nam accidebat aliquando [ut longum ad ecclesiam iter essent facturi] cum valetudinarii ex Collegio in hanc insulam mittebantur, vel alia ex causa quotidie Missa ibi celebraretur. Ad eorumdem autem neophytorum sustentationem res aliquas emit P. Franciscus Rodriguez, quae inter eos dividerentur, quibus ea communicare expediret; et hoc ex eleemosynis piorum hominum praedictus P. Franciscus praestare potuit, quod ad invitandos infideles ad christianae fidei susceptionem non parum momenti habebat.

3382. Non omittam peculiarem rerum quarumdam narrationem, quae Goae nostrorum ope actae sunt. Vir quidam erat, qui suam uxorem occidere ob perpetratum adulterium constituerat; et cum ad id exequendum rationem serio iniret, venit illa ad ecclesiam Collegii, et imploravit cujusdam sacerdotis auxilium, cum nullum aliud vitandae mortis remedium inveniret. Adiit sacerdos ille maritum, cui narravit ille rem omnem, qua ab ipso et ab aliis de eadem familia intellecta, genua flectens coram illo viro, per Christi vulnera veniam uxori postulabat, aliis verbis ad misericordiam maritum flectere studens; at maritus ut surgeret eum excitabat, et colaphis potius se caedi velle dicebat, quam ut hoc a se peteretur.

3383. Perseveravit ille sacerdos, genibus provolutus, per mediam horam in memoriam ei adducens praemium quod a Deo consecuturus esset, si hanc condonasset injuriam, et alia quae hominem commovere posse putabat; et perseverantia demum cordis illius duritiam expugnavit, et statim veniam uxori donans, eam admisit et pacifice cum ea vitam egit.

---

[1] Alphonsus de Noronha Pro-rex fuerat ante Mascarenhas, nuper vita defunctum. De illo frequens est mentio supra, t. IV, pag. 645, n. 1380; pag. 648 et seq., n. 1386 et seq. Vide ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. I, lib. XVI, n. 73.

3384. Quidam alius sacerdos, cum intelligeret Goae non paucos viros esse, quorum uxores in Portugallia ex diuturna ipsorum absentia gravia detrimenta patiebantur, decrevit quotquot posset ex illis hominibus eo adducere, ut in Portugalliam redirent, et a septem vel octo ex eis id impetravit, qui, tanquam de manu Dei admonitionem admittentes, in Portugalliam primo quoque tempore navigare constituerunt.

3385. Aliis multis militibus, qui in peccato mortali cum concubinis versabantur, persuasit, ut eas in uxores ducerent, et ita id fecerunt; alii autem concubinas dimiserunt, et peccati occasionem praeciderunt.

Et haec de Goënsi Collegio.

DE COLLEGIO BAZAINI ET TANAA

3386. Tanaa fuit aliquando populosa et insignis gentilium civitas, quod aedificiorum ruinae testabantur [1]; et, praeter alios artifices, quinque millia textorum serici ibidem fuisse ferebantur. A saracenis ea civitas subversa fuit, et arcem tantum satis munitam reaedificarunt; sed a lusitanis inde ejecti sunt, qui in suam potestatem eam civitatem cum arce redegerunt, et idola ac fana plurima everterunt; et etiam nunc satis magna civitas est, cum multi eo confluerent gentiles, idolorum cultores ac ignis praecipue, et saraceni, qui inter se contrarias sectas [2] fovebant, aliqui etiam qui videbantur hebraei.

3387. Huic ergo et aliis vicinis populis, qui non mediocrem provinciam constituunt, lusitani dominabantur. Ex saracenis autem vicinis, et etiam incolis ejusdem civitatis Tanaa, aliqui subinde ad Christi fidem accedebant.

3388. Nostri ergo, qui domum et ecclesiam ibi habebant, semper aliquos catechumenos in domo, nostrae vicina, ad hunc ipsum effectum constructa, habebant. Aliam autem remotiorem

---

[1] Confer quae diximus supra, t. IV, pag. 666, n. 1534, annot. 1.

[2] Ms, *qui inter se contrarias esse sectas fovebant.*

ad feminarum instructionem deputaverant. Utrisque quotidie in templo nostro christiana doctrina explicabatur, cui etiam alii christianorum filii aderant.

3389. Quidam autem ex nostris, non ignarus ipsorum linguae, aliquoties in hebdomada eis verbum Dei praedicabat; diebus autem dominicis et festis id ipsum apud plenius auditorium omnium christianorum praestabat.

3390. In rebus etiam temporalibus nostri catechumenis necessaria prospiciebant, quandiu catechismus durabat; vestes etiam eis, qui baptizabantur, et medicamenta pauperibus aegrotantibus; et demum omnia necessaria eis curabant.

3391. P. Franciscus Enriquez huic domui praeerat [1] cum alio sacerdote socio, quibus et tertius de Societate laicus adjunctus erat; et multi ad Christi religionem, eorum opera, convertebantur et in eadem conservabantur.

3392. Cum eo venisset P. Gonzalus [2], Provincialis, ex his, qui instructi erant, quadraginta quinque solemniter baptizavit. Mense Novembri eo pervenit, et noctu atque interdiu cum facibus ad eum mari et terra excipiendum occurrerunt; sed ipse inexpectatus ipso die S.tae Catharinae ad eos venit, et christianis concionatus est, qui suo more [3] buccinis atque aliis instrumentis musicis eum honorarunt. A prandio vero, cum magnus numerus utriusque sexus et catechumenorum venisset et ordine suo sedisset, frater ille noster, qui linguam ipsis vernaculam tenebat, in eadem doctrinam christianam explicabat, idque tanto cum fervore et actione tam concinna, ut etiam ipsum P. Gonzalum, non intelligentem, ad magnam devotionem commoverit.

3393. In festo autem, quod Expectatio Nativitatis Domini dicitur, mense Decembri (quae erat ecclesiae hujus invocatio), huc Bazaino rediit P. Gonzalus (quatuor enim leucis Tanaa inde distabat); Gubernatorem ipsum invitavit, qui, cum numerosa nobilitate eo veniens, vespertinum officium solemniter, musica ipsius Gubernatoris adhibita, quae optima erat, celebratum fuit [4]. Postridie autem, post Missam episcopalem, concionem

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 669, n. 1848.
[2] P. Consalvus de Sylveira.
[3] Ms. *qui suo ore.*
[4] Ms. *celebratae fuerunt.*

ipse Provincialis habuit cum peculiari et ipsius et aliorum commotione. Inviserunt deinde S.um sacramentum in sacrario; post solemnem admodum processionem et post prandium, solemnis baptismus est consecutus, ubi, quemadmodum superius diximus, quadraginta quinque utriusque sexus et variae aetatis fuerunt baptizati; et post baptismum alia processio fuit instituta, quam omnes christiani ejus urbis comitabantur; et magnae ac solidae consolationis erat simplicitatem ac firmitatem [1] fidei ac religionis in novis illis Ecclesiae plantis intueri; et attingit obiter P. Provincialis, festa ac solemnitates celebrius in India quam in Portugallia transigi, praesertim cum musica Gubernatoris seu Pro-regis, suavibus admodum instrumentis confecta, accedit.

3394. Ipsae etiam viae publicae, plantatis arboribus, velut nemora videntur; et si copia ministrorum ibi esset, in quovis devotionis genere superiores [2] esse futuros illos populos affirmabat; et accidit eidem Provinciali indicae cujusdam ancillae confessionem audire, quae [3] velut religiosa in arcto monasterio [vitam agebat, et] sua perfectione in admirationem eum converterit.

3395. Viri etiam ejus urbis, cum Pro-regem ad se venientem honorifice vellent excipere, in occursum ei in multis scaphis et variis vestibus egressi sunt ad medium flumen, et multis tormentis bellicis ex terra et ex flumine displosis, militiae specimen ediderunt; nec parum id Gubernatorem conciliavit, ut novae christianorum ecclesiae faveret; nec enim solum ad Dei honorem, sed etiam ad stabiliendum temporale illud dominium neophyti perutiles futuri esse videbantur; de quibus ferebatur quod, lusitanis conjuncti, non minus strenue, quam ipsi in bello pugnant.

3396. Sed ad tanaënses redeundo, qui ibi versabantur, scilicet P. Franciscus Enriquez et Emmanuel Fernandez, qui cum quodam alio fratre in ea domo residebant, post praedictorum baptismum, paucis diebus interjectis, ad viginti alios catechumenos et eo amplius jam exceperant; et omnium nomina in

---

[1] Ms. *serenitatem fidei.*
[2] Ms. *superius.*
[3] Ms. *ut velut.*

quemdam librum referebant, et inventa sunt hoc ipso anno ducenta et octoginta: totidem enim in eo baptismum acceperant.

3397. Bazaini P. Hieronymus de Cuenca concionatoris officio fungebatur, ubi et alii ex nostris versabantur [1]. Magnus in ea civitate christianorum, immo et lusitanorum numerus habitat, et Collegii puerorum indigenarum curam gerunt; et ex propinqua domo, quam diximus Tanaa, aliqui pueri in hoc Collegium transmittuntur.

3398. Ibi mensem unum, id est, hujus anni ultimum, exegit P. Gonzalus, Provincialis, et cum animadvertisset mille aureos annui reditus, a Rege ad puerorum sustentationem assignatos, jam non sufficere propter novorum christianorum auctum numerum, a Gubernatore obtinuit ut alios quingentos annui reditus mille praedictis adderet [2], praeter ea quae nostris Bazaini residentibus erant necessaria.

3399. Multa etiam alia in populi christiani favorem P. Provincialis a Gubernatore obtinuit, et quamvis toto anno soliti erant nostri praedicationis et confessionis ministeria ibidem exercere, hoc mense Decembri ipsemet Provincialis cum P. Emmanuele Fernandez, qui ex vicina civitate Tanaa eo venerat, crebro verbum Dei praedicarunt, et catechismum explicuerunt. Sed potissimum dies Conceptionis B. Virginis solemnis in nostro Collegio fuit; nam sacratissima Eucharistia in sacrario fuit collocata cum solemni processione et magna devotione; nam hactenus ibi non ferebatur.

3400. Primo autem Januarii sequentis anni, quod festum Societatis nostrae ob Jesu nomen ubique celebre esse solet, cum magna solemnitate Bazaini actum est. Episcopus quidam Missae sacrificium obtulit, et Gubernator cum tota nobilitate interfuit, et eo die insignem concionem Provincialis habuit; et cum Cochinum recessurus esset, adjunxit se illi nobilis quidam miles, Paius Correa nomine, qui in civitate portuensi pa-

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 669, n. 1846.

[2] "Bazaini, auctore Consalvo, Provinciali, contubernii vectigal, ubi adolescens educabatur aetas numeroque crescebat, quingentis Praetor [Franciscus] Barrettus annuis amplificavit aureis.„ ORLANDINI, *l. c.*, lib. XVI, n. 75.

trem habebat virum primarium et Societati addictissimum. Hic juvenis, cum curiose admodum ornatus incederet, relictis vestibus cum ense et pugione deauratis, et nostrae Societatis induens tunicam, nostris se adjunxit. Quidam ejus frater, vir valde honoratus, qui ibidem versabatur, cum Provinciale coepit de fratre suo contendere; sed facile Christo vocanti cessit, et ita Cochinum veniens, nec mediocriter abnegationem inter milites exercens, cum sub vestem Societatis ocreas adhuc militares, quas permutare non potuerat, haberet; ubi Cochinum pervenisset et spiritualibus exercitiis fuisset excultus, magnam animi pacem consecutus est [1].

3401. Dux erat triremis primariae, in qua solent Pro-reges sive Gubernatores Indiae navigare cum aliis nobilibus, et praeter honorem non mediocrem, stipendium quadringentorum aureorum singulis annis habebat; et ita multum aedificationis ejus ingressus tam nobilibus quam aliis militibus praebuit, cum eum etiam eleemosynam cum sacco [2] per urbem petentem, et alia humilitatis officia exercentem viderent, ad quae ille se ipsum ab initio, quamdiu viveret, damnaverat, quamvis ejus indoles et aptitudo ad studia litterarum aliud postularet.

Et haec de Tanaa et Bazaini Collegiis.

DE COLLEGIIS COCCINI ET CAULANI

3402. P. Franciscus Perez Coccini Superioris et concionatoris curam gerebat, quem tres ex nostris fratribus comitabantur et juvabant; ubi hoc anno consuetis et jam alias scriptis occupationibus vacabat [3]. Hoc tamen autumno in subsidium ei missus est P. Melchior Carnero, qui interim, dum in Aethiopiam via aperiebatur, perutilem operam Indiae non solum uno in loco navabat.

3403. Hoc anno ille P. Ignatii litteras cum singulari consolatione animi simul cum Litteris Apostolicis [accepit], quibus ut titulum episcopatus nicensis acciperet, et coadjutor ac succes-

[1] Vide ORLANDINI, *l. c.*, lib. XVI, n. 75.
[2] Ms. *sacho*.
[3] Confer quae dicta sunt supra, t. V, pag. 670, n. 1849 et seq.

sor Patriarchae Aethiopiae esset, in virtute obedientiae injungebat; et hortabatur eum P. Ignatius, ne se ab hoc onere excusaret; et ita omnino P. Melchior acquievit [1]. Quia praecedente anno in Indiam missus fuerat, non fuit simul cum Patriarcha et Episcopo Andrea consecratus, et totum hunc annum, quamvis designatus erat, consecratus tamen non fuit, quod tres Episcopos esse oporteret, qui consecrationi interessent; et ita Patriarcha cum Episcopo Andrea non sufficiebant; quia etiam in Apostolicis Litteris continebatur, ut in manibus Episcoporum Portalegrensis et Algarbiensis juramentum fidelitatis consuetum faceret.

3404. Postulabat ut in aliorum manibus id jurare posset, vel ut Summus Pontifex coadjutoris et successoris onere (cui onus juramenti hujus erat adjunctum) liberaret, alioqui cogi se conscientia dicebat, ut longissima et valde periculosissima navigatione Portugalliam repeteret, ut obedientiae Pontificis satisfaceret; sed jam Romae commutatio impetrata fuerat, ut in aliorum manibus hoc juramentum praestaret [2], quamvis constare ipsis nondum potuerat.

3405. Quidam Episcopus, quem superius diximus [3] in Armeniam missum cum Patriarcha, scilicet qui ad nestorianos mittebatur, cum inde profugiens (cum sibi mortem imminere videret) Cochinum venit, et litteras ostendit quibus constabat ipsum esse Episcopum, et ostendebat litteras legati Portugalliae in curia romana, quibus constabat aliquos ex nostris a P. Ignatio fuisse postulatos ad illam Armeniae missionem; et ab hoc cum aliis duobus, scilicet Patriarcha et Episcopo Andrea, videbatur consecrari posse; sed quia chrisma confectum non erat, dilata est consecratio usque ad adventum Episcoporum Indiae, quos in subsequentem annum expectabant.

3406. Addit eis, quae superius dicta [4] sunt circa aethiopicam missionem, quod P. Gonsalus Rodriguez, in Aethiopiam anno superiori missus et inde in Indiam rediens, asperius, quam oportebat, et minus circumspecte cum Aethiopiae Rege

[1] Sti. Ignatii ad P. Melchiorem Carneiro litteras habes inter *Cartas de San Ignacio*, t. v, pag. 105.

[2] Ms. *praestarent*.

[3] Vide supra, n. 3346.

[4] De missione aethiopica multa Polancus retulit supra, n. 3343-3352.

se gessisset, eum ad romanae Ecclesiae obedientiam et haereses suae regionis relinquendas, parum tempestive urgendo.

3407. Ipse etiam Rex Aethiopiae, ad Indiae Pro-regem scribens, conqueritur, quod P. Gonzalus nihil ab eo accipere voluerit, et quod, ipso insalutato, ex ejus regno discesserit; et non esse ipsi fidem adhibendam, si quid male de ipso referret. Hoc tamen utilitatis ex ejus profectione coepi potuit, quod vulnus Regis illius detexit, quod mansuetudine Patriarchae curari posse sperabatur, quamvis Pro-regi ille significavit, non esse quod Patriarcham ad se mitterent vel alios sacerdotes; et ita, cum ageretur in consilio Pro-regis an esset mittendus Patriarcha, non sine quingentis militibus esse mittendum decernebant, qui si missi fuissent, perfacile esse arbitrabatur ut Rex Aethiopiae obedientiam Ecclesiae romanae sine ullo bello, sed tantum timore lusitanorum [1], praestaret; nam in magna existimatione erant eo in regno lusitani, per quos Dominus res praeclaras ibi gesserat. Quod si sine militibus Patriarcha mitteretur, potius Regi turcarum quam Romano Pontifici obedientiam praestaturum esse Regem Aethiopiae sentiebant.

3408. Itaque Pro-rex [2] juxta hujusmodi hominum [sententiam], qui de rebus Aethiopiae experientiam habebant, nostris retulit, decrevisse se Patriarcham cum quingentis militibus in Aethiopiam venire; sed deinde, alio consilio ducum et nobilium convocato, et litteris Regis Portugalliae lectis (quibus praecipiebat ut Patriarcham in Aethiopiam cum sociis deducendum curaret, modum autem ejus judicio relinquebat, prout negotio convenire videretur), deinde Patris Melchioris Carnero sententiam rogarunt; qui in hoc consilio censuit, nobis quidem convenire magis sine ulla pompa in Aethiopiam mitti, sed ipsi negotio et ad ejus finem consequendum, sententiam illorum esse probandam, qui res Aethiopiae experimento didicerant; hi autem censebant quod superius dictum est; sed tandem hoc fuit in eo consilio constitutum, ut Patriarcha non mitteretur, sed Episcopus [3] cum quatuor sociis et legato ac litteris Pro-regis, ut superius dictum est [4].

---

[1] Ms *sed tantum sine timore lusitanorum.*
[2] Franciscus Barreto.
[3] Andreas de Oviedo.
[4] Supra, n. 3346.

3409. Nec sine causa cunctandum esse in Patriarchae missione [censebatur].

PRIMO, quia expedire videbatur, cum esset longe alia rerum dispositio in Aethiopia quam Summus Pontifex et Rex Portugalliae intellexerant; praesentem statum intelligerent, ut quid facto opus esset, decernerent.

DEINDE, quia si cum militibus eo missus fuisset, periculum belli timeri poterat: sine militibus autem non esse admittendum constabat.

TERTIO, quia apud Regem Aethiopiae irreverentiae adscribi solet, immo et puniri, si quis ad curiam ejus, non praemonito Rege, accedat; multo magis ergo indigne laturus videbatur, si eo se Patriarcha conferret, cum Rex dixisset non opus esse, ut vel ille vel alii sacerdotes ad se mitterentur, et Deum apud illos et coelum esse.

QUARTO, quia si Patriarcha rejiciebatur, major injuria ex tali repulsa Ecclesiae romanae fiebat, et ad ejus ultionem Rex Portugalliae magis tenebatur.

QUINTO, majori cum auctoritate accessurus Patriarcha videbatur, si tamen accedendum esset, praecedente Episcopo, ut ejus legato, qui vitae suae sanctimonia et eruditione animos illorum hominum disponeret ad ipsum excipiendum. Accedebat etiam quod interim, dum haec agebantur, utiliter Patriarcha et socii suam operam in amplissima Indiae vinea collocabant.

3410. Cum autem Provincialis a Pro-rege discessit ut Cochinum veniret, jam Pro-rex expedierat quae ad missionem aethiopicam erant necessaria; et ducem quemdam designaverat, qui eam ad portum deduceret initio sequentis anni cum quatuor vel quinque navigiis (*fustas* vocant). Ex portu autem per mediterranea usque ad curiam Regis Aethiopiae legatus Pro-regis seu Gubernatoris cum quatuor vel quinque aliis saecularibus Episcopum comitaturus [erat]. Omnia autem necessaria liberaliter Pro-rex, non solum ad iter prospexerat, sed etiam ut duos annos in curia Regis Aethiopiae, nihil ab eo petendo, manere posset.

3411. Curavit etiam ut quidam saraceni, qui familiariter in portu Aethiopiae versari solebant, litterarum ultra mittendarum provinciam susciperent, et per eosdem saracenos pecuniam

vel necessaria ad vitam traducendam subministrari jussit, si ea, quae secum deferebat Episcopus, non sufficerent.

3412. His, quae pertinent ad aethiopicam missionem, sic transactis, P. Melchior Carnero Cochinum missus est, quod reliquum fuit hujus anni, sed invisit etiam christianos, quos vocant S.ti Thomae [1], qui a tribus leucis Cochino usque ad viginti, sese in variis populis extendebant; et initio sequentis anni eodem redire constituerat, et magnam temporis partem ibidem exigere; quidam enim Episcopus Armenius haereticus in gregem illum, pastore vero destitutum, se contulerat, qui confessionem necessariam esse negabat et alios errores docebat. Cum autem P. Melchior Carnero amanter cum eo agere tentasset, ut suorum errorum eum commonefaceret, recusavit Episcopus ejus colloquium, et inter quosdam Reges gentiles habitabat, ubi a lusitanis securus erat; gratus enim erat illis Principibus, quos a suis tenebris et pravis moribus abducere non curabat, quin potius in illis eos confirmabat; ideo ad regnum aliud, ubi multi erant hujusmodi christiani, ire constituerat; ad quos Episcopus ille litteras miserat, quibus a confessione et imaginum veneratione eos dehortabatur.

3413. Ad eorum autem Regem, quem lusitani Piperis vocant (quod ex ejus regno magna vix piperis extrahatur), mitti litteras curaverat P. Melchior, et responsum acceperat, ut intraret securus in ejus regnum; et in eo regno magnam temporis partem expendere constituerat, cum Cochini essent alii, qui et praedicatione et sacramentorum ministerio civitatem illam juvare possent.

3414. Non erat Cochini formatum Collegium, et videbatur Provinciali ea civitas opportuna, ut domus professorum ibi constitueretur; multi enim jam in India professi erant, et tamen in India nulla in eorum usum domus fuerat instituta; et quamvis capax esset Cochinum Collegii, quod magna et opulenta esset civitas, opportuna tamen ibidem futura domus videbatur, et ad illud usque tempus consueverat suis eleemosynis nostros sustentare, erga quos magnae devotionis affectum gerebat. Rex idem Portugalliae Cochini, ut etiam aliis in locis, aliquid nostris eleemosynae assignare jusserat; sed ad executionem nondum

[1] De his christianis uberius infra agitur.

res pervenerat, et ita de hac domo instituenda Provincialis Gonzalus P. Ignatium consulebat, sed eo tempore, quo ipse jam ex vivis excesserat.

3415. Chaulani etiam hoc anno P. Nicolaus Lancillotus Collegio nostro praefuit [1], qui, ethica febre laborans, quotidie moriturus videbatur; et interim, ut ipse conqueritur, alii multi sani ac fortes, et quidem valde studiosi operarii, eo superstite, ex hac vita decedebant. Cum anno praeterito imminere ipsi mortem medici dicerent, Goam inter fratres suos moriturus navigaverat; sed inde medicorum etiam et nostrorum consilio Chaulanum rediit; minus enim omnis industria medicorum Goae poterat, (ubi etiam ratio victus longe delicatior esse poterat), quam aër ipse Chaulani eum juvabat; nec parum conferre ad hoc ipsum ejus exercitatio in proximorum auxilium videbatur.

3416. Cum ergo Chaulanum rediisset, melius habere coepit, et cum prius vix singulis mensibus Missam celebrare et nostrorum confessiones audire potuisset; jam fere quotidie Missam celebrabat et dominicis ac festis diebus concionabatur. Eo autem in loco velut pater populi totius christiani et judex erat, et ita Patrem sanctum eum vocabant.

3417. Collegium autem ipsius hoc anno satis fuit imminutum; cum enim aliquando quinquaginta pueros indos domi haberet, viginti quinque tantum jam habebat, quia interprete etiam, quem habere solitus erat, destituebatur; sed praeter domesticos externi etiam pueri instituendi ad Collegium accedebant, omnes fere numero septuaginta, quos alius frater noster, Ludovicus de Govea, etiam valetudinarius, legere ac scribere, et praxim arithmeticae docebat.

3418. Curabat autem sub finem hujus anni P. Nicolaus alium fratrem Societatis obtinere, qui tam lusitanis quam neophytis concionari et catechismum explicare posset, quod ipse propter debilitatem aegre admodum praestare poterat.

3419. Curaverat ex lapidibus Collegium conficiendum praeter ecclesiam, et jam tecto ligneo, tegulis coctis super impositis, more Europae, ecclesiam texerat, quamvis domus nostra

---

[1] Vide supra, t. v, pag. 672, n. 1856.

foliis palmarum, juxta gentis illius consuetudinem, tecta esset. Dubitabat tamen aliquando, ne opus hoc, quod conficiendum curaverat, ideo everteretur, quod ad aliquod arcis praejudicium illo in situ facere videretur. Et ita aliqui jam significaverant domum diruendam sibi videri; aliis, satis esse non altius aedificium attollendum; et ita opus hoc tectum palmis, ut diximus, non absolvebatur; sed nostrorum usibus ita deserviebat [1].

3420. Constituerat autem Rex trecentos sexaginta aureos singulis annis huic collegiolo dari; sed ministri Regis rem nondum stabilierant; et ita sese res Cochini et Chaulani habebant.

DE NOSTRIS IN CAPITE CHOMURINI

ET APUD S.TUM THOMAM RESIDENTIBUS

3421. In maritima ora Chomurini, quam Peschariam, a gemularum piscatione, vocant, P. Henricus Enriquez cum alio sacerdote, Patre scilicet Didaco de Soveral, et duobus fratribus versabatur; et quamvis in oppido Punicali crebrius quam alibi resideret, nullibi tamen sedem certam habere poterat, cum in illo tractu maritimo, ad sexaginta fere leucas se extendente, quadraginta erant loca christianorum, quaedam majora, quaedam autem minora, quibus omnibus solus ipse cum paucissimis sociis et interdum cum unico satisfacere debebat.

3422. Postulabat ille quidem saepius augeri operarios, sed addebat ne quem mitterent, cui multum non confiderent: solos enim eos incedere oportebat; et ut uberem a Deo gratiam legitime certantes accipiebant, ita, qui se ipsos sollicite conservare nesciebant, in magnis animae periculis versabantur [2].

3423. Hoc anno duos praedictos obtinuit; nam praecedenti unicum socium habuerat; et ipsemet P. Henricus infirma erat corporis habitudine; sed cum ei aegrotare minime vacaret, ex

[1] Dixerat jam haec Polancus, supra, t. v, pag. 674, n. 1862.

[2] Pericula, quibus obnoxii erant nostri sodales, enumeravit ipse Enriquez supra, t. v, pag. 679 et seq., n. 1879 et seq.

debilitate, juxta proverbium vernaculum [1], vires eum elicere necesse erat. Paucitatem autem operariorum hac ratione supplere nitebatur: aliquos in christianorum locis homines designando, qui christianam doctrinam, rudi saltem modo, docerent, et morte imminente, pueros baptizarent; sed hi non erant tam multi numero, ut necessitati populorum sufficerent; nec enim ad tale officium quivis admittebatur, sed qui quibusdam dotibus convenientibus praediti essent, et bonam sui rationem aliquando in rebus commissis reddidissent. Et quamvis sollicite nostri curabant, ne infans ullus sine baptismo moreretur, hujusmodi hominibus eam curam valde commendando; propter populorum multitudinem accidebat interdum infantulos [sine eo] ex hac vita decedere; nam quibusdam in locis nulli sunt hujusmodi homines, et pueri, per quos christiana doctrina recitatur, idonei ad baptismum conferendum esse non solebant; et ideo sollicite id agebat P. Henricus, ut unum saltem ex praedictis hominibus ad baptizandum idoneum singula loca haberent.

3424. Quod ad doctrinam christianam attinet, omnes eam tam majores natu quam minores addiscebant; et major pars eorum rationem Incarnationis ac Passionis [Domini] egregie et cum nostrorum consolatione reddere noverant.

3425. Hoc tamen male habebat P. Henricum, quod poenitentiae sacramentum, fidelibus tantopere necessarium, a paucis et summopere occupatis sacerdotibus non poterat multis impendi; et ideo aliquos sacerdotes, ad idioma indicum addiscendum idoneos, merito ad eam regionem mitti optabat, ut confessiones multorum audire possent; et quamvis satis esset difficile illud idioma, ars illa, quam P. Henricus, ut superioribus annis diximus [2], confecerat, ostium non mediocre ad illud facilius assequendum aperiebat.

3426. Fratres illi duo, quos penes se habebat, loqui, legere et scribere diligenter addiscebant; reviderat enim ipse, et in compendium redegerat, et aliis in locis locupletaverat praedictam artem grammatices, et si Provincialis duos interpretes et scriptores idoneos ei misisset; non solum Malabaris linguam,

---

[1] Vernaculum proverbium illud est: *Sacar fuerzas de flaqueza.*

[2] Annis scilicet, 1548-1550. Vide supra, t. I, pag. 351, n. 316, et pag. 479, n. 520; t. II, pag. 142, n. 336; pag. 407, n. 491, et pag. 759 et 760, n. 727 et 728; ORLANDINI, *l. c.*, p. I, lib. VIII, n. 134.

quae vernacula erat illis in locis, sed aliarum etiam nationum [1] ad canones quosdam et methodum paucis mensibus se eas reducturum [sperabat] sive japonensis sive chinensis, sive Aethiopiae, vel quaevis alia ea esset; quas tamen linguas ipse non tenebat, sed iniisse rationem videbatur conjugationes ac declinationes et constructionem ac syntaxim earum aliquatenus ad artem reducendi, quibusdam auxiliis, praeter Dei gratiam, innixus. Et si occupationes nimiae id permisissent, alia multa in lingua malabari, quam familiariter tenebat, ad christianorum doctrinam et errorum gentilicorum confutationem scribere cupiebat et ex parte jam id fecerat: quod postquam praestitit, melius neophyti fidei dogmata percipere coeperunt; et hac eadem ratione penuriam praedicatorum aliqua ex parte supplere poterat; dum in singulis populis dominicis ac festis diebus declarationes hujusmodi dogmatum fidei scriptae legebantur; quod si cura Superioris fuisset sublevatus, multo etiam facilius se talibus scriptis operam daturum non parum dicebat.

3427. Baptizaverat anno praecedenti quinquaginta homines ejusdem cognationis, simul cum eo qui caput aliorum erat. Hoc anno totidem baptizavit ejusdem generis, quod multum refert ut in suscepta religione homines perseverent; cum enim ex differentibus cognationibus aliqui ad religionem Christi adducebantur, non ita conservari poterant, ut illi qui caput quodammodo inter se habebant.

3428. Grave detrimentum passi sunt populi christianorum in hoc tractu Peschariae propter quosdam duces seu praefectos, qui, dum lucris suis vacabant, justitiae administrationem negligebant; et eis, qui munera offerebant, suum favorem praestabant. Et cum quidam prae caeteris tyrannidem exerceret, scripsit P. Henricus nostris, qui Goae versabantur, quomodo se res haberet. Illi autem a Pro-rege mitti quemdam ad eam provinciam impetrarunt, qui de hujusmodi injustitia et malis inquireret; et remotus est praeses ille, et alius vir bonus, nomine Emmanuel Rodriguez Quotignus [missus est], qui tamen non diu manere in ea provincia volebat; et [causam quidem significavit] cum inde recederet ad civitatem S.ti Thomae; nam in ea regione Comurini a quibusdam turcarum navigiis, quos adju-

[1] Ms. *linguarum*

vabant Principes ejus regionis, captus fuerat cum multis lusitanis et eorum uxoribus, inter quos et ipse P. Henricus fuit, et postea, ut alias scriptum fuit, liberati fuerunt [1].

3429. Suggerebat ergo P. Henricus ut Regi Portugalliae serio diceretur, ne ducatum vel praefecturam ejus regionis Peschariae seu Comurini cuiquam dari juberet in mercedem aut remunerationem rerum alibi bene gestarum; sed potius eos, qui bene se gessissent in hac provincia, ubi tam multi christiani facti fuerant, aliis beneficiis honoraret; et tanti momenti esse affirmabat bonum [mitti] praefectum ad infidelium conversionem et conservationem, ut vel unicus operarius Societatis sub tali praefecto uberiorem fructum animarum referre posset, quam viginti operarii sub praefecto, qui, avaritiae serviens, justitiae rationem non haberet.

3430. Ex praefectis hujusmodi, qui parum Deum timebant, ortum habuerunt quaedam factiones christianorum inter se, et aliquorum caedes subsecutae fuerunt; et hoc anno nondum haec pestis erat extincta, quod attinet ad odia, licet certamina cessassent; et multorum affectus erga P. Henricum ex utraque factione intepuerat, dum utrique ipsum adversae parti favere suspicabantur; et non parum afflictionis inde bonus Pater sentiebat, quod videret spiritualem fructum et Dei honorem hac ratione imminui; nec eum progressum christiana religio et pietas in illa provincia faciebat, quem aliquando fecerat, et quem ipse speraverat. Nihilominus haec ipsa mala in aliquod magnum bonum cessura sperabat. Debiles esse animos adhuc illorum christianorum dicebat, et bona ex parte eorum aedificationem ex Gubernatoribus pendere censebat; et ideo maximi momenti fore affirmabat, si viri boni atque integri eo mitterentur.

3431. Necessariam etiam esse facultatem dispensandi [ad matrimonia contrahenda] in gradibus prohibitis, saltem in tertio et quarto gradu, in ea provincia censebat; et ut baptismus sine caeremoniis consuetis, parvulis saltem, posset conferri, et etiam adultis, cum temporis angustiae id exigerent, quod P. Franciscus Xaverius nostris aliquando commendaverat.

---

[1] Rem adeo tristem Roderico Cotinio ac nostro Enriquez narrat ORLANDINI, *l. c.*, lib. XIII, n. 80 et 81, eamque refert ad annum 1553.—De Emmanuele Roderico Cotinio facta est mentio supra, t. II, pag. 143, n. 338.

3432. Quidam ex gentilium sacerdotibus aut ministris, quos Jogos [1] vocant, ad illum tractum Peschariae veniens, se aliquoties mortuum esse et resuscitatum a Deo, et missum ad homines docendos affirmabat; et haec in quibusdam christianorum populis, apud quos etiam gentiles habitabant, sic mentiebatur, ut tamen non pauci ejus verbis fidem haberent, quod quaedam indicia in ipso apparerent, quibus mortuus fuisse quibusdam videri poterat.

3433. Cum haec intellexisset P. Henricus, Punicali ad oppidum Bembar, ubi hic Jogus erat, octo leucis Punicali distans, profectus est; et bis cum illo locutus coram primariis tam christianorum quam gentilium ejus populi, id effecit, Deo juvante, ut omnes illum falsum esse prophetam intelligerent, qui non hominum emendationem, sed pecuniam ab eis extorquere niteretur.

3434. Alias disputationes cum aliis gentilibus et saracenis habuit, per quas id consecutus est, ut et illi confunderentur, et christiani alacriores in suscepta religione [et] constantiores redderentur; et hujusmodi disputationes esse valde necessarias ad confirmationem christianorum, ut scribit, experiebatur; et ideo, sicut praediximus, contra sectas hujusmodi scribere, et rationibus eorum mendacia confutare, tam malabari quam lusitana lingua operae pretium esse censebat, et ita id facere coeperat.

3435. Omitti non debet testimonium constantiae in fide, quod aliqui hujus provinciae christiani, qui in insula Ceylani versabantur, praebuerunt. Quidam ex Regibus ejus insulae, contra Praefectum Regis Portugalliae bellum gerens, ecclesias quorumdam Goorum, quas poterat, comburebat; et christianos ad idololatriam redire compellebat; et ferebatur quod plurimi eo tempore metu Regis hujus a fide Christi defecissent. Erant inter illos aliqui ex christianis, ex cognatione, quam paravas vocant, in Pescharia seu tractu Comurini, quos Rex ille cogere ad fidem abnegandam, et in ejus signum barbam radendam nitebatur. Sed illi constanter responderunt: "Se posse ab ipso capite mulctari, sed Christi fidem se non esse abnegaturos.„ Rex itaque

[1] Ms. *Jogue*. Vide supra, t. II, pag. 142, n. 337, ubi de hujusmodi sacerdotibus sive eremitis fit sermo; ORLANDINI, *l. c.*, lib. XVI, n. 78.

desiit abjurationem religionis christianae ab eis exigere, et mulctavit eos trecentis aureis.

3436. Secundo hoc ipsum eis accidit alio in bello, ubi multo majori pecuniae summa mulctati fuerunt, cum constanter barbas radere et cinere, more gentilico, aspergi recusarent.

3437. Quidam alius christianus in tractu Travancor, cujus etiam nostri curam habebant, (ubi multos P. Franciscus Xaverius baptizaverat), cum in morte Regis reliqui omnes infideles barbas raderent (hac enim luctus significatione in Principum morte subditi utebantur), ille, qui lusitanos barbatos intuebatur et infideles fere rasos incedere, suspicatus est in radenda barba aliquid infidelibus proprium subesse, et ne signum aliquod defectus a fide praeberet, constituit barbam non radere.

3438. Cum autem id observarent duo aut tres ex gentilibus, qui Regis vectigalia recuperabant, in carcerem christianum illum conjiciunt, et caput ejus abscindendum esse minabantur, quod tam audax ille fuisset, ut solus barbam non abscinderet. At christianus ille, constanter mori statuens, antequam desertae fidei, (ut ipse putabat), signum daret, respondit illos facturos esse quod vellent de vita sua, sed barbam minime se rasurum.

3439. Minabantur deinde se bonis eum spoliaturum ob inobedientiam; sed qui vitam pro fide exponere paratus erat, bonorum amissionem non timebat. Placuit Deo, ut nullo detrimento aut vitae aut bonorum affectus, relinqueretur.

3440. Nec defuit aliquis ex ipsis gentilibus, qui insignem ejus constantiam laudaret. Cum hoc autem P. Henricus intellexisset, ejus quidem in fide constantiam, ut par erat, probavit, sed in radenda aut alenda barba sitam non esse fidem christianam ei significavit; nec signum defectus in fide in casu praedicto, si quando accideret, barbae abscisionem censendam esse.

3441. In provincia Trichinamalae, quae est in insula Ceylani, aliqui erant christiani, qui ad Comurini tractum, baptismi petendi gratia, venerant, et id obtinuerant; sed nullum nostri operarium, qui ipsis adesset, ex tractu praedicto Comurini mittere poterant, quamvis trichinamalenses id peterent, ut saltem eos inviseret.

3442. Puer quidam, qui velut Princeps erat ejus regionis,

in Collegio nostro Goënsi instituebatur; et a Provinciali aliquem mitti P. Henricus optabat, qui curam illorum gereret.

3443. In civitate S.ti Thomae P. Cyprianus [1] septimo jam anno residebat: lusitani a prima usque domo praedictam urbem aedificaverant eo loco, ubi Apostolus Thomas diutius quam alibi resederat, concionatus, et martyrio affectus et sepultus est; et inde ejus corpus fuit abductum, quod colligi dicit ex libro anonymi *Philareti Eusebiani,* in vitas passionesque Apostolorum, quem rapsodias vocant; et ipse locus rem indicare satis videbatur [2].

3444. Domus quidem illius urbis satis magnificae erant, praesertim cum in regno cujusdam Principis, inter gentiles praepotentis, ea civitas esset; nec humanum praesidium, sed divinum tantum contra illum habere posset. Sed parum videbantur P. Cypriano haec [3] considerari a lusitanis, de quorum affectibus ad terrena valde propensis conquerebatur; et ipsi etiam gentiles exprobrare quodammodo illis videbantur; qui dicere soliti erant: Quid sibi vult quod hi externi (sic enim vocabant lusitanos) radices agunt in terra non sua, et si verum est quod ipsi jactant, coelum ipsis paratum esse post mortem, cur terrena tantopere curant?

3445. Ea autem erat vitae libertas in hisce hominibus, ut P. Cyprianus scribit, et ea propriae salutis oblivio, ut etiam fideles ex saracenis et gentilibus conversi dilabebantur interdum et ad vicinos infideles degenerabant, quod exempla christianorum veterum magis ad eos depravandos, quam praedicatio concionatoris ad eos reformandos et in officio continendos valerent; et gubernatio tam ecclesiastica quam saecularis, dum Gubernatores quaerunt quae sua sunt, potius quam quae Christi, parum ad conversionem infidelium conferebat; et quia vicina admodum erant loca infidelium, vix adhiberi remedium ille censebat humanitus, nisi Rex ipse illius regionis ad fidem esset conversus, vel multi populi christianorum, etiam in mediterraneis, constituerentur.

3446. Non accedebant autem eo in loco jam amplius ulli infideles ad fidem; quae enim in lusitanis videbant, potius ad reli-

---

[1] P. Alphonsus Cyprianus, sive *Cebrian,* cujus saepe mentionem fecimus.
[2] Vide quae de hac re dicuntur supra, t. II, pag. 766, n. 738, et t. V, pag. 683, n. 1893.
[3] Ms. *et.*

gionis odium eos incitabant, et ab ea suscipienda deterrebant; et tam male audiebant inter ethnicos lusitani, ut magnam aliquam et universalem punitionem P. Cyprianus timeret; qui tamen non desinebat instare praedicationi, et per sacramentorum etiam ministerium de ea civitate benemereri [1].

Et haec de tractu Comurini et S.ti Thomae.

DE COLLEGIO MALACHAE

3447. Antequam P. Melchior Nugnez [2] versus Japonem Malacha proficisceretur, scripserat Indiae Rectori [3] ut sacerdotem aliquem, et quidem in confessionibus audiendis exercitatum, et ad difficiles casus conscientiae decidendos idoneum, mitterent; quod illud emporium celebre contractus varios ac difficilia commercia exerceret. Interim autem dum is mittebatur, ibidem reliquit Aloysium Frois [4], nondum sacerdotem, sed ea indole, ut, postquam aetate et doctrina crevisset, posset promoveri.

3448. Missus ergo fuit a P. Antonio de Quadros, tunc Provinciali, P. Balthasar Diaz, qui, recedente Patre Melchiore ex India, Collegii Goënsis Rector et Vice-provincialis relictus fuerat; et procuratoris etiam officio functus, bona ejusdem Collegii, quae in continenti sita erant, utiliora reddere eidem Collegio curaverat.

3449. Perfunctus ergo concionibus Quadragesimae in urbe Goa, post Pascha, prima scilicet dominica in Albis [5], cum fratre nostro Petro de Alcazeva, in Japonem transituro, profectus est; et in ipsa navi utilem operam in praedicatione verbi Dei, et christiana doctrina et confessionibus impendens

---

[1] Confer dicta supra, t. v, pag. 683, 684, n. 1894, 1895; ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. I, lib. XVI, n. 78; SACCHINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. II, lib. III, n. 114-119; P. PETRI JARRICI-MARTINEZ, *Thesaurus rerum indicarum*, t. I, pag. 601; BARTOLI, *Dell' istoria della Compagnia di Gesù: l'Asia*, p. I, lib. VII, n. 37: *Virtù e morte del P. Alfonso Cipriani.*

[2] Vide supra, t. v, pag. 710, n. 1982 et seq.

[3] Rectori scilicet Collegii Goani, vel potius Indiae Praeposito. Vide numerum sequentem.

[4] Vide supra, t. v, pag. 723, n. 2028.

[5] Ms. *profectus*, quod verbum statim iteratur.

vectoribus, prospera navigatione, sub festum Pentecostes Malacham pervenit; ubi praedictum Aloysium [1] cum alio quodam [invenit], qui recuperandae valetudinis gratia ex quodam portu Sinarum eo venerat. Inde autem misit Petrum de Alcazeva, qui subsidium aliquod nostris japonensibus ad ipsorum sustentationem deferebat; tantum scilicet panni serici a Gubernatore Indiae nomine Regis donatum, ex quo plusquam mille aureos habere nostri poterant; et ita versus Sinas navigavit, inde in Japonem transiturus, quae navigatio quam sit prolixa et periculosa, experimento P. Melchior Nugnez didicerat.

3450. Situs, in quo lusitani Malacae habitabant, exiguus erat, et eo modo melius ab hostibus defendi poterat. Frumentum et carnes ex India, quingentis leucis inde distante, oryza ex insula Giava deferebatur. Fructus ipsamet provincia Malachae ferebat, inter quos *duriones* ex suavissimis orbis fructibus censebantur. Aqua procul erat ab urbe, et ad eam deferendam armatos ire homines oportebat, tum propter latronum tum propter ferarum (quae in illa sylva, Goae vicina, plurimae erant) pericula: nam elephanti, tygres, ursi, leones et aliae bestiae, quas *raymones* vocant, multos homines, quos incautos adoriebantur, occidebant.

3451. Emporium hujus urbis celebrius ac mercium plurium, quam Venetiae, censetur, cum magna vis auri, argenti, gemmarum, ambrae, muschi et sericorum, piperis etiam et eboris, et servorum et reliquarum mercium maxima abundantia ex variis orbis partibus eo confluebat, et Reges illarum provinciarum suos legatos eo mittebant, cum Rege Portugalliae amicitiam inire cupientes. In negotio autem propriae salutis homines supra modum pauperes, et tota illa Domini vinea valde sterilis erat. Et id movit P. Franciscum Xavier, ut vehementius et diutius quam alibi Malachae haereret, ut ab idololatria et vitiis magnis homines revocaret; nec mediocri cum fructu ibi est versatus, nec inter minores ille fuit, quod christianam doctrinam ibi prorsus ignoratam edocuit. Eo vero inde recedente, P. Franciscus Perez et ultimo P. Melchior Nugnez eam vineam excoluerant; sed post ejus recessum, cum fere sesquiannum nullus Societatis sacerdos ibi fuisset, multi a bene institutae

[1] Aloisium Frees, de quo multa habentur apud GUZMÁN, *l. c.*, lib. VII, ad annos sequentes spectantia.

vitae ratione destiterant, cum eo pervenit P. Balthasar Diaz; qui tamen inter christianos, saracenos, et gentiles memoriam P. Francisci Xavier in magna reverentia et dilectione habitam invenit; nam ejus benignitas et charitas ab omnibus perspecta sic erat, ut non aliter [quam] *patrem suum sanctum* vocarent.

3452. Pueri autem, ab eo edocti, sic ipsum diligebant, ut in publicis viis eum circumdarent, Dei laudes coram ipso cantando, et manus ejus osculari et benedictionem ab eo obtinere cupiendo; et ita mos ille animis eorum fuerat impressus, ut cum Patre Balthasare idem facerent.

3453. Simul atque Malacham pervenit [1], constituit dominicis ac festis diebus populo concionari, et Dominus illi favebat plurimum; et cum magna satisfactione et vitae mutatione, quem fructum caperent auditores, ostendebant.

3454. Docebat [2] autem ipsum experientia in dies, cujusmodi essent multi contractus qui Malacae fiebant; et ita in singulis concionibus aliqua, [quae] circa hujusmodi conscientiae casus pertinebant, declarabat.

3455. Cum autem quantum esset periculi in navigationibus, quamque vicinam mortem haberent, quibusdam concionibus esset prosecutus, et ad confessionem praemittendam navigaturos esset hortatus; tanta hominum multitudo, cum in regnum Sinarum et Sion erat navigandum, ad sacramentum poenitentiae confluebat, ut perdifficile tam multis poenitentibus posset satisfieri.

3456. Emendatio itaque multis in rebus cernebatur; sed in eo fuit insignis, quod mulieres, in matrimonio conjunctae, ad ecclesiam ne in Quadragesima quidem veniebant, nisi ad hoc tantum ut peccata confiterentur, ne in excommunicationem ob eam neglectam inciderent, et ob alias ecclesiasticas censuras; et ipsi earum mariti ne venirent in causa erant, et ut exemplo uxoribus praeirent, dominicis etiam [et] festis diebus ne veniebant quidem ipsi ad ecclesiam, sed recreationis gratia ad varia loca se conferebant. Sed brevi effectum est, ut pene omnes, etiam mulieres, ad ecclesiam accederent, ita ut, quae prius vacua erat, sic impleretur, ut ad capiendam multitudinem parva videretur;

---

[1] P. Balthasar Diaz. Praeclarissimas ab eo res Malacae gestas tradunt etiam, inter alios, ORLANDINI, *l. c.*, lib. XVI, n. 81; BARTOLI, *l. c.*, lib. VII, n. 44.

[2] Ms. *docebant*.

et visendum fuit studium cujusdam senis, qui, cum ipse venire non posset suis pedibus, deferri se tamen a suis famulis singulis dominicis et festis diebus ad templum jubebat.

3457. In sacerdotibus etiam ejus urbis fuit commutatio consecuta; qui, cum prius in contractibus parum licitis, pro more saecularium, [versati fuissent, deinde ab illis] non solum destiterunt, sed ipsimet declararunt nihil se, nisi quod valde juste possent, emolumenti velle aliunde capere.

3458. Quidam alius concionator erat Malachae, cum P. Balthasar eo pervenit; sed quamvis rogaretur ut alternatim cum ipso in summo templo [1] concionaretur, hoc anno id praestare recusavit, et ita solus P. Balthasar ecclesiastes munere fungi debuit.

3459. Post prandium vero dominicis diebus ac festis cum tintinnabulo per vias incedebat, et pueros ac puellas simul cum multis adultis christianam doctrinam eos edocebat; quam tamen ut explicaret, ubi jam multos congregaverat, in aliquam ecclesiam eos deducebat. Quod autem temporis supererat, praeter studium privatum ad proximorum utilitatem, variis in rebus [se] exercebat: aegrotantes in xenodochiis et privatis domibus invisebat, amicitias inter discordes conciliabat, et ad custodias publicas, ad vinctorum aut ibi detentorum auxilium, se conferebat.

3460. Aliqui sacramenta octavo quoque die frequentabant: alii concubinas, quas domi habebant, ab se ablegabant; inter quos quidam fuit, qui, cum quatuor hujusmodi feminas domi haberet, secreto veniebat aliquando ad P. Balthasarem ut obscura quaedam loca B. Pauli et aliarum Scripturarum sibi declararet; et cum die quodam ei dixisset P. Balthasar oportere illos, qui sacras Scripturas vellent intelligere, humiles esse, et qui conscientiam a peccatis mortalibus mundam haberent; sic fuit vir ille compunctus a Domino, ut intra mensem unam uxorem duxerit, et omnem scandali occasionem eis adimeret, qui pravam ejus vitam anteriorem cognoscebant.

3461. Erant multi christianorum pueri, sed parentibus orbati, Malachae; qui, quod ex indis matribus nati erant, et cum parentibus, militarem vitam agentibus, saepe navigassent, gen-

[1] Ms. addit hic *cum eo*, quod redundat.

tilicos mores cum magno animarum detrimento imbibebant. Egit hac de re in quadam concione P. Balthasar, et hortatus est, ut omnes hujusmodi pueros congregarent, et recepit per quemdam fratrem nostrum se curaturum, ut legere, scribere et virtutes reliquas christiana institutione dignas edocerentur.

3462. Dederunt ergo singuli eorum nomina, quae in album retulerunt, ut absentium ratio posset haberi; veniebant autem quotidie ad domum nostram, christianam doctrinam per viam dicentes, et mane P. Balthasaris Missam devote [audiebant], et orationi vacantes (nam vel coronas vel preces horarias in manibus habebant), lectiones suas excipiebant, et sic demum ad domos suas redibant.

3463. Quae autem eis observanda P. Balthasar dabat, haec erant: ut singulis mensibus confiterentur, et si quem jurare audissent, ut eum rogarent ne irreverenter nomen Dei assumeret [1]; et si quem viderent in ecclesia, alterum tantum genu plicantem, rogarent ut etiam alterum ob honorem Dei flecteret [2]; et ut noctu suis in domibus christianam doctrinam, quam a nostris [3] didicerant, suos domesticos docerent. Et haec omnia pueri cum magna animi laetitia exequebantur, et eorum numerus ad centum viginti et eo amplius ascendebat.

3464. Alius etiam abusus ad magnam Dei offensam ea in regione inoleverat; quod, scilicet, saraceni in ipsis lusitanorum navibus mercaturae praetextu ad varia loca gentilium navigabant, et inter eos commorantes, ad Mahometi sectam multos trahebant; et prorsus in India complura regna hac ratione perverterant; et ab urbe usque Mecha et Cairo et Constantinopoli cum magna sollicitudine et industria [veniebant] ut pestilentem suam sectam propagarent [et] ad remotissimas usque Indiae partes penetrarent.

3465. In ipsa etiam navi, qua ex India navigabat P. Balthasar, saracenus quidam veniebat, multis aliis ministris comitatus, qui se de sanguine Mahometi esse dicebat, et ita magnae venerationi saracenis omnibus erat. Trajiciebat autem in regnum Boruci, ubi quidam ejus socius omnem fere gentilium ejus

---

[1] Ms. *assumerent.*
[2] Ms. *flecterent.*
[3] Ms. *quam nostri didicerant.*

insulae multitudinem ad Mahometi pestilentem sectam traduxerat; parum enim refert apud daemonem quo errore illi involvantur, dummodo in aeternum pereant. Libertas etiam carnis et sensuum ad saracenorum dogmata carni deditos homines facile invitabat.

3466. Tentabat ille quidem saracenus in navi, quid esset, dissimulare, et si quando eleemosyna ad aliquod pium opus a vectoribus petebatur, ille inter primos elargiebatur. Sed cum P. Balthasar ex quodam lusitano quis esset, et quo tenderet, et quid [vellet] didicisset; curavit ut ex navi cum suis mercibus et armis, quae intulerat, repelleretur; et quia severe hunc abusum [Pater] reprehenderat, fidejussionem ab illo [saraceno] exegerunt, quod in Indiam rediturus esset, et non ulterius progressurus. Eo res redierat, ut etiam nautae navium lusitanorum arabes in gentilium provinciis aliquando remanerent, et multos eorum perverterent; et quidam eorum, qui in Japonem venerat et Mahometi sectam japonensibus persuadere nitebatur, inde a lusitanis retractus est, et nihil in sua praedicatione promovit: ubi tamen fidem hi homines inveniebant, summa veneratione a gentilibus colebantur.

3467. Regnum Pegu Malachae vicinum erat [1]; et regio quidem fecundissima et fertilissima erat, sed homines pessimi, mendacissimi, crudeles, et ita a verae fidei ac religionis susceptione quam maxime alieni. Mahometanis tamen in quibusdam erroribus non sunt dissimiles: suos deos mortales esse dicunt, et duo millia annorum et amplius post cujusdam obitum, alium expectabant deum nasciturum, et aliqui de transmigratione animarum in animalia fabulantur, etiam in suis diis. Decem tamen habent mandata, ex quibus tria aliquid videntur similitudinis cum nostris habere; scilicet: non furaberis res alienas, non corrumpes filiam alterius, non occides; sed hoc aliter quam nos accipiunt; quia nullum animal, ne formicam quidem, occidunt. Caetera praecepta nulla in re cum nostris conveniunt. Idolorum sacerdotes plus quam plebei in his rebus [2] aberrant, et tamen in magna veneratione habentur.

3468. Hac aestate P. Joannes de Veira cum fratre Nicolao

---

[1] Hujus regni descriptionem habes supra, t. IV, pag. 644, n. 1376, annot. 1.

[2] Ms. *in his de rebus.*

Nugnez [1], Malacham ex Malucis insulis venerunt, ut operarios aliquos ad vineam illam excolendam, quae ipsorum defectu peribat, peterent; deerat enim qui baptismum infantibus inferret, nedum qui adultis necessariam salutis doctrinam proponerent. Sed seorsum de Malucis agendum est.

DE NOSTRIS QUI IN MALUCIS INSULIS RESIDENT

3469. Inter Maluchas insulas, quae innumerabiles hoc censentur nomine, una est quam Maluchum vocant [2], sive Ternatem, uno tantum gradu a linea aequinoctiali distans, in regno cujusdam Principis, illa in regione potentissimi, quem Regem Ternatis vocant, qui lusitanis familiarem sese, et Regi Portugalliae addictum se esse ostendebat; et de secta Mahometi se male sentire interdum significabat, quam tamen sequebatur; et ne ad fidem christianorum accederet, propter perfectionem evangelicae doctrinae se excusabat, et quod durum ipsi videretur uxorum multitudinem, quam habet, dimittere; sed ambitiose et subdole haec ab eo dici verisimile est, cum christianos, cum commode et sine arbitris poterat, occideret, et suum regnum extendere diligenter niteretur.

3470. Linguam lusitanorum et intelligebat et loquebatur. Ex hujus Regis genere aliqui christianam religionem susceperant, ac praecipue Regina quaedam, valde prudens et in secta Mahometi valde olim versata, quae a P. Francisco Xavier ad Christum fuit conversa, quam secutus est filius ejus, et legitimus Regis Ternati haeres, nomine Emmanuel, qui in India mortuus est; et post ejus mortem non jure sed armis [Aërius [3], ty-

---

[1] Vide infra, n. 3493, 3495 et seq., ubi sermo de ipsis redibit.

[2] Vide supra, t. v, pag. 709, n. 1975; t. iv, pag. 668, n. 1441; t. iii, pag. 490, n. 1040; etc. ac prasertim t. i, pag. 258, 259, n. 221, annot. 2.

[3] Obscura haec et satis implexa, quae a Polanco his numeris attinguntur, intelligi poterunt, et etiam emendari, ex narratione auctorum, quos sequenti numero proferimus. Plura, volente Deo, in epistolis rerum indicarum, proxime evulgandis, enodabimus.

rannus] regnum Ternati sive Maluci sibi vindicavit, eo quod Regina praedicta christianam religionem amplexa esset [ac] suorum subditorum favore destitueretur.

3471. Soror erat Regis Tidorae, et etiam post fidem christianam susceptam, cum egrediebatur, eam timebant omnes et reverebantur. Duos habebat filios secum, etiam christianos, et lusitanis valde amicos. Domina Isabella dicebatur, et nostris, qui Maluci versabantur, crebro confitebatur, et ab eis sanctissimam Eucharistiam suscipiebat. Duae aliae sorores hujus Regis christianam etiam fidem susceperunt, et earum matres tantumdem fecissent, nisi bonorum amissionem timuissent; nam propter hujus Regis tyrannidem homines ad fidem Christi accedere valde formidabant [1].

3472. Insula Maluci, ubi arcem habebant lusitani, ambitu quinque leucarum circumscribebatur, et est ex altissimis ejus regionis terris; montes habet altissimos, in quibus cavernae quaedam sunt, quae fumum et flammas ignis et saxa, molaribus aequalia, cum horrendo strepitu contorquent, perinde atque ex tormentis bellicis valde magnis solet audiri: cinerem etiam cum fumo valde nigro ejiciunt.

3473. Sunt in hac insula aromata multa (clavum vulgo vocant) et cannae tantae magnitudinis, ut in eis aquam ad potum lusitani conservent; poma etiam aurea dulcia sunt [et] optima; colubri tantae magnitudinis reperiuntur, ut porcum et capram integram devorent; hominibus tamen non nocent, nisi fame urgeantur.

3474. Ab insula Maluci, ad bombardae jactum, est insula Tyrolae, quae suum habet Regem; sed aliae duae insulae Machuel et Matuel vicinae, etiam Regi ternatensi subjacent, et in eis ex eisdem aromatibus multum est. Septem leucis distat insula Gilioli, quae Regem habebat lusitanis valde inimicum, qui arcem quamdam octodecim annis defendit bombardis, quas a christianis abstulerat, et Bernardinus de Sosa, dux lusitanus, eam expugnavit. Itaque Rex Gilioli exutus fuit regno et captus; sed ipsemet fatebatur juste a Deo factum esse, ut propter sua

[1] Isabellae (Neachile prius vocabatur) ad Christi fidem conversionem narrat ad an. 1546, ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes*, lib. VI, n. 105. Vide etiam BARTOLI, *Dell' Asia*, lib. II, n. 10; JARRICII-MARTINEZ, *Thesaurus rerum indicarum*, t. I, pag. 196, 747, 756, 758; GUZMAN, *l. c.*, lib. II, cap. 47 et 48, edit. bilbaënsi, pag. 105-107.

peccata hac poena afficeretur; et sibi ipsi, accepto veneno, mortem conscivit; et ejus filio regnum paternum datum est.

3475. Triginta leucis Giliolo distant duae insulae, quas Mauri vocant, de quibus saepius facta est mentio [1]: ambitus majoris triginta quinque leucarum est, minoris vero septem; sed prope illas alia utraque major, ambitu scilicet centum quinquaginta leucarum est, et tractus maritimus christianis plenus est. Inde ulterius gentiles sunt ac valde barbari et crudeles: Regi Ternate subditi omnes sunt, et magnam habent varietatem linguarum, etiam in brevissimo spatio.

3476. Abundant insulae Mauri gingibere et oryza, et quodam nutrimento, quod vocant *saru,* ex quo farina et panis conficitur, et oryzae praefertur; gallinas habent magnitudine nostrarum, quas occidi non permittunt, quod magna et multa ova ad sustentationem hominum pariant.

3477. Sunt in eo mari testudines magnae, quae in arena defossa ova reponunt, et deinde tegunt, et solis calore filii ex ovis egrediuntur: accidit in aliqua testudine capta quinquaginta ova et plura in ea inveniri, quae ovis gallinarum pene sunt aequalia et earum caro vervecina videtur.

3478. Sunt et alii pisces ingentes, quos *vacas* vocant; nec aliae vaccae sunt in ea regione; et in pectore habent sua ubera: domi etiam sunt nutrimenti. In arboribus autem multi psittaci, ad omnes linguas addiscendas prompti, inveniuntur. Incolae autem hujus insulae Mauri bona habitudine sunt, et totum corpus depictum habent, prout in Africa feminae partem vultus herbis depingunt: perexiguis utuntur in navigando scaphis.

3479. Ultra hanc insulam Mauri aliae sunt insulae, quarum incolas *papuas* vocant, quarum tractus maritimus sexcentarum leucarum esse dicitur, et ad novam Hispaniam prope accedere; et nigri sunt, ut aethiopes, omnes gentiles et sub multis Regibus, ac bono ingenio praediti, et auro abundare dicuntur; et hi facile fidem susciperent, si essent operarii, qui eos instruerent ac baptizarent. [Quia vero pauci numero sumus, eo adire non possemus] quamvis ipsi id continuo peterent. Sex aut septem dierum itinere ex insula Maluci eo potest navigari. Inter Papuas et Maluchum, aliae sunt plurimae insulae variarum natio-

[1] Supra, t. I, pag. 204, n. 162; pag. 258, n. 221, annot. 2; pag. 260, n. 222; pag. 477, n. 529, et in aliis voluminibus saepe numero, praecipue vero t. II, pag. 768-772, n. 742-747.

num, et satis barbararum, sed quae facile evangelium reciperent, si eis annuntiaretur.

3480. In insula Mauri supra viginti millia christianorum esse hoc tempore putabantur; et multis nostrorum laboribus, quae ad fidem christianam pertinent, melius retinent, quam olim solebant; et nostris fidem maximam habebant, et eos reverebantur, postquam acerba quadam punitione, de qua superioribus annis egimus [1], a Deo castigati fuerunt. Quadraginta sex populos christianorum habent, alios majores, alios minores: ad septingentas familias aliqui eorum accedunt; sed eorum multitudo multo major fuisset, nisi Regum saracenorum timor et nostrorum operariorum paucitas obstitisset; nec enim alii ad eos juvandos, quod insalubris sit aër, eo se conferunt.

3481. Quamvis autem nostri diligenter loca circuirent et visitarent, aliquando infantes ante ipsorum adventum sine baptismo decedebant. Ex una parte Regi Ternatae, ex alia Regi Gilioli subditi erant; et hic posterior christianos valde aliquando persecutus est [2].

3482. Erat populus quidam trium millium familiarum, nomine Tolo [3], qui (a fide christiana recedentes ob vexationes Regis Gilioli, et eidem quaedam tributa solventes, sed judicio Dei castigati, ut diximus [4], admodum severe), ad Christum redierunt.

3483. Non omittam quod accidit duobus hominibus ex hac provincia, quo tempore fidem reliquerant. Cum enim imaginem B. Virginis Mariae cum injuria percussissent, alteri eorum manus utraque assiccata fuit, et paulatim consumpta, alter cum ad mare, ut se lavaret, [se] contulisset, piscis quidam, quem acum vocant, caput ejus penetrans, hominem occidit.

3484. Hunc ordinem in docendis hominibus nostri tenebant, (hi autem ad tempus fuerunt P. Joannes de Veyra et Nicolaus Nugnez), ut mane omnes congregarentur, antequam ad agros exirent, et tunc illis declarabantur, quae ad catechismum pertinent; et multi ex pueris satis erant instructi; et erat aliquis de-

---

[1] De his egit Polancus, supra, t. II, pag. 768-772, n. 742-747. Vide etiam Bartoli, *l. c.*, lib. VI, n. 1-3.

[2] Infra, n. 3495, alia describitur adversus christianos ab eodem Rege mota saevissima persecutio.

[3] Vide supra, t. III, pag. 490, n. 1040.

[4] Loco nuper citato, scilicet, t. II, pag. 769-771, n. 744-746.

signatus, qui absentes notaret, nec quisquam extra oppidum egredi poterat sine hujus facultate, et quo pergeret quisque, debebat ei significare.

3485. Dominicis autem diebus verbum Dei populo praedicabatur. Si quis in morbum incidebat, statim sacerdotem accersendum curabant, ut super ipsum evangelium diceret. Erga aquam etiam benedictam peculiarem devotionem gerebant.

3486. Accidit ut magna vis murium, propter peccata populi, semina etiam ipsa terrae mandata vastarent; nec ullum humanum adhiberi remedium poterat; sed sacerdos [1] ad divinum [Numen] se convertens, per campos egrediens, quibus semina committebantur, aquam benedictam sparsit; et ita omnes mures recesserunt; sed illud notatu valde dignum fuit, quod, ex agris christianorum recedentes, ad infidelium agros se contulerunt, quibus ingentia damna inferebant, adeo ut infideles de christianis valde quererentur, quod murium suorum exercitum ad eos ejecissent. Et inde orta contentio inter infideles et christianos est de Deo, utra gens, scilicet, meliorem haberet Deum, et a verbis ad arma usque res progrediebatur; sed P. Joannes Viera eos pacificare studebat, et christianis dicebat non esse de hujusmodi rebus disputandum, nec Deum omnipotentem et aeternum et immensum cum his diis gentium, quae vel statuae vel daemonia erant, esse comparandum.

3487. Tremere terra in ea regione saepe solet, et gentiles eo tempore fustibus solum caedere solent, ut terreant animas, quas sub terra esse dicunt, et hunc tremorem excitare; at christiani ad orationem se convertunt, et contra terraemotus [2] divinum auxilium implorant.

3488. Eam existimationem christiani de nostris conceperant, ut parentes, quorum filii aegrotabant, vel alii consanguinei ad nostros venirent, ut scirent, num morituri essent; et tanquam certum persuasum habebant multi, quod, si eos nostri inviserent et evangelium recitarent, sanitatem consecuturi essent.

3489. Accidit autem cum Nicolaus Nugnez, qui sacerdos non erat, quemdam christianorum locum inviseret, primores

---

[1] P. Joannes Viera sive Veyra. Rem a Polanco narratam tradit ORLANDINI, *l. c.*, lib. XVI, n. 84. Multa de hoc praeclaro viro, Joanne Veira, memoriae prodidit BARTOLI, *l. c.*, lib. VI, n. 9, 10.

[2] Ms. *et divinum auxilium*.

ad eum venirent, et peterent quid facturi essent, cum pluviae defectu seminati agri arescerent. Ille hortatus est eos ut, in unum locum convenientes, quandoquidem ecclesiam non habebant, misericordiam Domini simul implorarent; quod cum illi fuissent executi, statim divina bonitas sufficientes imbres concessit; et ita eorum fides est aucta.

3490. Senex quidam christianus ligneum idolum ab eo tempore, quo gentilis erat, domi relictum cum haberet, coram eo multa, quae comederet, proposuit, et si omnia illa comederet, tunc se illi crediturum; sed cum videret nihil idolum moveri, in terram illum dejiciens, igni dedit.

3491. Prius quam oryzam hi homines seminarent, ex qua suum panem conficiunt, ad nostros, ut eam benedicerent, afferebant; et cum ex agro eamdem oryzam provenientem, domum adferrent, ut benediceretur etiam ad nostros adferebant. Hanc enim habebant fidem, quod oryza benedicta nec in agris nec in horreis detrimentum esset passura.

3492. Cum autem aliquis christianus moriebatur, sacerdos ex nostris ei eo in populo aderat simul cum pueris; et praecedente cruce in altum elevata, et litanias decantando, cadaver ad ecclesiam comitabantur, quae consuetudo a P. Francisco Xavier fuit in eam regionem introducta.

3493. P. Alphonsus de Castro, qui, Rector Collegii Malucci institutus a P. Melchiore Nugnez, caeteris etiam nostris in illa regione Malucharum praeerat [1], misit praedictum fratrem nostrum Nicolaum Nugnez ab insula Mauri, ubi tunc erat, ad quaedam alia loca, in quibus homines baptismum postulabant, ut intelligeret quidnam eos moveret ut christiani esse vellent; num Regis timor, vel aliqua temporalis utilitas, vel quid hujusmodi ad christianam religionem poscendam urgeret, (nam multi ex hujusmodi causis moveri soliti erant); et ut, si opus esset, eos instrueret. Intellexit autem ex eis se tantum moveri, quod viderent veritatem et justitiam, quam christiani profitentur et servant; et decem totis annis, quos Nicolaus in illa regione exegerat, fatebatur se numquam homines vidisse, qui tam recto ac bono animo Christi legem reciperent; et ita eos, quae ad christianam doctrinam pertinent, edocuit, et simul cum Melchiore

[1] Confer, quae anno superiori litteris consignata sunt, t. v, pag. 708 et seq., a n. 1972.

Figaredo, qui ex fratribus laicis erat, eos cum magna consolatione baptizarunt, qui sufficienter instructi erant.

3494. Nostri, qui illis in locis versabantur, praeter victus et alia hujusmodi incommoda, in magnis periculis mortis et fere continuis versabantur; et si pericula evadebant, providentiae Dei merito adscribebant, qui pauculos operarios ad multarum animarum auxilium conservabat.

3495. Rex Gilioli, cum bellum adversus lusitanos gereret, P. Joannem de Veira cum fratre Nicolao Nugnez, qui fructum non poenitendum inter christianos illos capiebant, capere et occidere diligenter curavit; sed in exigua scapha, illis concessa, evaserunt; sed paulo post redeuntes ad suam vineam colendam, non solum ipsi persecutiones ac labores patiebantur, sed cum magno doloris sensu coram suis oculis christianos occidi a saracenis videbant, qui summa impietate interdum infantulos, a matrum [sinu] abstractos, parietibus et saxis illidebant, et eos lacerabant; cum matres aliud quod facerent non haberent, nisi cum fletibus et clamoribus divinum auxilium implorare.

3496. Consolationem tamen inter haec mala nostris praebebat constantia christianorum, quodque haec tam acerba propter Christi fidem paterentur.

3497. Cum autem P. Veira praedictus Maluchum ex his insulis Mauri venisset, ut ad praefectum arcis lusitanorum has calamitates, quas christiani a saracenis ferebant, referret; ter in hoc ipso itinere a via aberravit; et primo quidem praeter libros etiam vestem ipsam amisit. Ultimo autem in classem Regis Gilioli incidit, qui ipsum gravi odio prosequebatur; sed Deo placuit, ne ab ipso videretur: necdum enim hora martyrii subeundi accesserat.

3498. Accidit etiam aliquando ut, cum idem Pater quieti se dare vellet, nec tamen dormire posset, videret quod, qui ipsum comitabantur, de eodem occidendo agebant, et ad eos egrediens, et quid in causa esset interrogans, cur homines tam perturbati incederent; ubi se deprehensos vident, turbati etiam sunt, nec quid acturi essent constituebant. Sed ipsimet quibusdam lusitanis confessi sunt, quod a Rege Ternati missi fuerant, ut ipsum occiderent; et quod executi id non fuerant, plures quam octoginta castigari et occidi jussit.

3499. Nicolaus etiam Nugnez, cum ad christianos invisen-

dos in scapha navigaret, media nocte in mari subversa illa fuit, et natando, cum multum aquae salsae bibisset, ad littus evasit; et cum pluviae tota nocte magnae deciderent, tamen ibi diem spectare debuit. Erat ea terra hostibus vicina; sed Deo placuit, ut quidam ex insula Tidorae illac navigarent, quibus se adjunxit; sed tamen illi ipsi de eo tradendo Regi Gilioli agebant [1].

3500. Hujusmodi ergo pericula multa, praeter famem et sitim, crebro admodum patiebantur, a quibus se orationibus et sacrificiis Societatis liberari sibi persuadebant.

3501. Inter eos insulanos, qui non procul a Malucho distant, celebes sunt [2], quorum quidam Rex christianus erat, cujus erat regni titulus *Manado*. Apud hos celebes multum esse auri dicitur, et homines bona indole ab ipsa natura praeditos esse, et ad christianam religionem recipiendam valde paratos.

3502. Machaxares etiam, ubi tres erant Reges christiani, defectu operariorum perire scribebant. Xulae etiam non procul distant, qui naturae dotibus similes nostratibus esse dicuntur.

3503. In insula etiam, quae Burro [3] dicitur, major incolarum pars fidem Christi susceperat; et omnes suscepturi eam videbantur, nisi operarii defuissent. In insula Amboini P. Alphonsus de Castro, quem diximus Rectorem nostrorum Malucci constitutum, ante id tempus versatus est: ex quibus [locis] parvulos ad Christum trahere curabat, et baptismo Christo regenerabat; nam grandiores natu, scribit, vix capaces esse, ut in eis verbum Dei seminetur, quia quae carnis sunt sapiebant, non quae Dei; si tamen multi operarii et ferventes eo missi fuissent, fructum etiam sperari ex tam infructifera vinea censebat.

3504. Habet insula Amboini viginti fere leucas in circuitu: populi christianorum triginta in illa erant. Una leuca distat Amboino alia insula, quae tota christianorum est, et decem populos habet. Tertia insula praedictis adjacet, in qua tres populi christiani sunt: reliqui gentiles, et quidem anthropophagi, et mutuo alii ab aliis [devorantur: filii] parentes et alios consanguineos, qui senuerunt, in cibum petunt, vicem reddituri.

---

[1] Vide ORLANDINI, *l. c.*, lib. XVI, n. 83.

[2] Vide supra, t. I, pag. 259, n. 221, annot. 2.

[3] Supra, t. IV, pag. 668, n. 1443 et pag. 669, n. 1445 de hac insula sermo est: studium, quo ejus incolae flagrabant fidei christianae amplectendae, l udatur ibi, *l. c.*, et apud rerum indicarum scriptores, v. g. JARRICI-MARTINEZ, *l. c.*, t. I pag. 784.—Sed vide quae statim infra dicuntur, n. 3505, et BARTOLI, *l. c.*, lib. VI, n. 7.

3505. Christiani omnes numero, anno praecedente, ad decem millia ascendebant. Sed praedicto P. Alphonso valde displicebant; nam parum admodum de his, quae ad virtutem pertinent, intelligebant, cum tamen ad mala satis essent perspicaces. Et haec esse causa videbatur, quod ob timorem christiani facti erant; quidam enim lusitani, cum irruere vellent in quoddam oppidum, media ejus pars facta est christiana, ut vexationem redimerent; et cum hic populus cum illo bellum gereret, qui inferiores sibi videbantur, ut christianorum favorem et auxilium obtinerent, se ad Christi fidem sequendam offerebant; et cum non ob divinam inspirationem id facerent, aliqui baptizabantur, aliqui se abscondebant ne christiani fierent, aliqui negabant se christianos fieri velle; et ita saraceni cum gentilibus admixti vivebant in multis locis, immo [in] majori parte populorum res sic se habebat, et cum christiani essent, mores tamen gentilium et saracenorum in multis retinebant, cujusmodi est ducere uxores consanguineas, et quae, cum fratribus nupsissent, liberos ab eis non susceperant.

3506. Multi etiam uxores gentiles ducunt, et tunc non diutius durat matrimonium, quam utrique eorum placeat vel alteri; nam hic mos est inter illas gentes, ut, qui vult uxorem, cum ejus patre et consanguineis, data pecunia qua ipsam emat, rem transigat. Ipse vero socer dat filiae aliqua exigua domus suppellectilia; et si fugerit uxor ad domum patris, denuo pecunia est redimenda; si autem, quod alter alteri displiceat, matrimonium dissolvitur, maritus petit sibi reddi quae pro ea solverat; nisi id restituatur, pro ancilla manet domi, et licet ei vendere cui volet; et quo quisque honoratior est, plures habet uxores. Sive autem recedat ipsa, sive dimittatur a marito, nemo alius tali cum femina conjungi potest; et si quis id faceret, marito reddit mediam partem pecuniae, quam ipse dederat socero; et cum id duret usque ad mortem ejus, aliqui mariti ex dimissis uxoribus valde ditescunt. Ipsa vero femina nulli poenae subjacet.

3507. Aliis etiam, non magis rationi consonis, legibus [illae gentes obstrictae, sive] impeditae sunt [1]: quale est, si quis mutuo dedit pecuniam, illum sibi pignoris loco in servum

[1] Ms. *Aliae etiam ad magis rationi consonas leges impeditae sunt.*

vindicare, donec pecuniam solvat. Si quis etiam ad alterius domum se conferat, ut ibi cibum capiat, licet sit liber, ejus manet servus; et prorsus homines sunt avaritiae valde dediti, et usuras omnimodas exercent.

3508. Auguriis et superstitionibus satis obnoxii: et ex his moribus gentilicis etiam christiani non paucos retinent; timore cogendi sunt, ut aliquid boni agant.

3509. Itaque parum consolationis nostris hujusmodi christiani praebebant. Eorum autem loca procul a maris littore in editissimis et asperis locis sita sunt; et tamen cum sterilis haec vinea multis egeret cultoribus, unus tantum aut alter ex nostris eam excolebat.

3510. Inde Maluchum quindecim diebus navigatio non sine periculo absolvitur; et ita, cum ibi solus unus esset sacerdos, ut consolationem spiritualem vel alia ratione consequeretur, molestum hoc et prolixum iter Maluchum usque facere eum oportebat, et interim messis erat deserenda; et tamen id minime conveniebat; nam tantum eo in loco, ubi aliquis ex nostris versabatur, christianorum more populi vitam agebant; et cum tam multa essent loca, in multis eorum tantum unum vel alterum diem haerere poterant, dum infantes sacro baptismate abluebant.

3511. Itaque multitudo operariorum major erat necessaria, ut hi populi fructum christianis hominibus [dignum] referrent. In hac insula versabatur frater noster Antonius Fernandez, cum ad duo loca, quae aliquem postulabant a quo christiani fierent, se conferret, et naufragio extinctus est, ut anno superiori diximus [1].

3512. Salubris habetur aër illarum insularum; sed nostri in seipsis id non experiebantur; sed id forte laboribus et incommoditati victus adscribendum erat; et in causa erant, quae diximus, ut aliqui ex nostris aliquando existimare viderentur alibi cum minori labore et majori fructu nostros in vinea Domini laborare posse; nihilominus principium illud ecclesiae christianae non deserendum esse tandem statuebant, licet magna cum expensa vitae et laboris nostrorum conservari et

[1] Antonii Fernandez naufragium narrant ad annum 1554 POLANCUS, *Chronicon*, t. IV pag. 669 et 670, n. 1446; ORLANDINI, *Hist. Soc. Jes.*, p. I, lib. XIV, n. 153; BARTOLI, *l. c.*, lib. VI, n. 7

augeri oporteret. Sed majora subsidia ex India mittenda tam sociorum quam rerum corpori necessariarum, cum nostri aegrotarent, videbantur; his enim temporibus tres tantum sacerdotes et alii quinque fratres in tota illa insula Malucharum erant, et bona ex parte valetudinarii; et saltem in quavis ex his provinciis duo sacerdotes esse debere videbantur, ut alter alterius confessionem audire posset.

3513. Quidam ex his fratribus, cum per quoddam oppidum saracenorum transiret in quadam ex his insulis, totum illud ad Christi fidem adduxit, et hic populus ex majoribus erat.

3514. In alio autem minori, tantumdem fecit; sed hi sponte sua ad fidem accedebant; immo urgebant ipsum fratrem ut ipsis baptismum conferret; et aliis multis id petentibus denegavit, quia ad ipsorum instructionem commorari apud eos oportebat; et tamen ab obedientia in Indiam mittebatur, ut operariorum subsidium postularet. Affirmabat idem supra quinquaginta millia christianorum in Malucis jam esse, et quidem de Amboino et circumjacentibus insulis id intelligebat, et quos ipse in ultimis duobus locis baptizavit mille et trecenti numero erant, quorum nomina in librum redegerat [1].

3515. Fatebatur autem is, quod eo tempore, quo in remotissimis illis locis ageret, nec aliud haberet quod comederet quam ficus aridas assas, pro more illius gentis, tum consolationem spiritualem uberiorem et valetudinem etiam magis prosperam sentiebat. Hic ipse frater, a quibusdam insulae Gilioli hominibus captus, ad Regem ipsum ipsi inimicissimum deferebatur; sed cum supervenisset Rex ternatensis cum lusitanis hominibus, illi giliolenses hominem liberum reliquerunt: et ita de manibus eorum fuit liberatus.

Et haec de Malucis.

---

1 "Unus ipse [Nicolaus Nunnius] baptismo mille trecentos sua manu lustravit.„ ORLANDINI, *l. c.*, lib. XVI, n. 83.

DE NOSTRIS JAPONENSIBUS

ET PRAESERTIM

DE COLLEGIO BUNGI

3516. Anno superiori dictum est de caede Regis Amanguci, et de fratre Regis Bungi in occisi locum admissi [1]. Ad hoc usque tempus fere duo millia christianorum, opera P. Cosmi de Torres ad Dominum adducta fuerant; et quamvis inter dynastas et primores ejus regni magnae vigebant discordiae, dum alii fratrem Regis Bungi admittunt in Regem, alii id renuunt, quamvis id non mediocre impedimentum cursui evangelii praestabat; nihilominus verbum Dei et ministerium sacramentorum procedebant; donec hoc ipso anno 1556 quidam ex Principibus ejus regni cum aliis proceribus contra Regem et nobiles, qui ejus factionem sequebantur cum exercitu, Amanguccium accessit, et regionem vastare coeperunt. Fuit etiam ignis injectus in ipsam urbem, quae cum valde populosa esset (nam decem millia familiarum et eo amplius habebat) spatio unius horae tota conflagravit; et tam validum fuit incendium, ut potius punitio divina, quam aliquid ab hominibus perpetratum, videretur. Domus etiam et ecclesia nostra, in qua P. Cosmus habitabat, ab incendio immunis non fuit.

3517. Extincto autem igne, (nam domus ligneae facile tam

---

[1] Non equidem anno superiori, scilicet 1555, de caede Regis Amanguci egit Polancus; sed anno 1551, supra, t. II, pag. 415, 416, n. 506 et 507. Coorta enim populi seditione, cum Regi "videretur quod non posset manus hostis et subditi sui evadere, ne in ejus manus veniret, seipsum propriis manibus occidere decrevit, et antequam se pugione confoderet, jussit parvulum filium, quem secum eduxerat, occidi, commendavitque suis ut utriusque corpus comburerent, ut cum hostes accederent, nihil eorum invenirent; et ita effectum est... Post Ducis [sive Regis] mortem, cum primores ejus regni illud regi sine duce intelligerent, legatos ad Ducem Bungi miserunt, et ejus fratrem in Ducem Amanguchi postularunt et obtinuerunt.„ Id ipsum, ad eumdem annum 1551, refert ORLANDINI, *l. c.*, lib. XI, n. 129-133.—Quae vero de Rege Amanguci anno superiori dicuntur, ea quidem laeta sunt, et laude digna, habenturque supra, t. V, pag. 730. n. 2059.

valido incendio consumebantur), cives amangucienses intellexerunt exercitum hostium adventare, et ideo christiani aliqui convenientes judicarunt ut P. Cosmus ibi non maneret, donec tumultus hi bellici conquiescerent [1].

3518. Viginti ergo dies aut triginta post conflagrationem praedictam, cum spatio unius leucae cum dimidia castra hostes metati essent, importunis precibus christiani eumdem P. Cosmum urgebant, ut inde recederet. Constituit Bungum venire, postea Amangucium rediturus.

3519. Cum autem evulgatus fuisset ejus futurus discessus, totam illam noctem, diem profectionis praecedentem, pervigilem homines illi traduxerunt: hic confiteri volebat; ille recessum Patris spiritualis deflebat; illi comitari eumdem volebant. Eos ergo, ut optime potuit, consolatus, eisdem P. Cosmus valedixit. Magna tamen pars eorum ad duas vel tres leucas extra urbem tam multis cum lacrymis eum prosequebantur, ut bonus senex, ne ipse quidem [se] continere posset a fletibus, et potius separatio per mortem quam per recessum videbatur.

3520. Et videbantur amangucienses christiani, quae consecutura erant, persentiscere; nam tota ea provincia prope ad ruinam adducta fuit, cum calamitatibus praedictis valida fames et alii labores successerint. Valedicens tandem ultimo se comitantibus viris, feminis ac pueris, renovatis interim lacrymis ab omnibus, recessit.

3521. Magnus tamen haesit ejus cordi dolor; et memoria calamitatum ejus urbis et hominum, quos ibidem relinquebat, in morbum bonum senem adduxerunt, quo laborabat etiam eo tempore, quo P. Melchior Nugnez Bungum pervenit, a quo multum consolationis in Domino accepit.

3522. Cum igitur P. Cosmus, Amanguccio relicto, Bungum se contulisset, a P. Balthasare Gago, qui tunc ibi residebat cum fere duobus aliis millibus christianorum, hospitio receptus est [2].

3523. Erat autem Bungi Rex ille toti lusitanorum genti valde amicus, (quam ejus benevolentiam arma et alia dona a Gubernatore Indiae missa auxerant); cum [3] pervenit eo sub initium

[1] Vide BARTOLI, *l. c.*, lib. VIII, n. 6.

[2] De P. Balthasare Gago multa habet BARTOLI, *l. c.*, per totum lib. VIII, praecipue n. 1, 5, 15.

[3] Ms., *Cum mense Majo hujus anni 1556 pervenit eo sub initium Julii P. Melchior Nugnes.*

Julii P. Melchior Nugnez cum alio sacerdote et aliis tribus nostris fratribus [1]. Is ex portu Sinarum mense Junio hujus anni Japonem versus navigare coeperat; cum tamen prius quosdam lusitanos in civitate Cantone, miserrimo carcere detentos, redimi curasset; et tam tetra ac inhumana custodia tenebantur, ut nisi suis oculis ipse vidisset, nunquam fieri posse putasset, ut quisquam in tam misero vitae genere spiritum ducere posset.

3524. Accidit autem ante ejus recessum, peracto Paschate, cuidam Sinarum provinciae, cui Sanciae nomen erat, inaudita quaedam calamitas; tanta enim aquae vis e terrae visceribus eruperat, ut fere ad sexaginta leucas omnem circa regionem inundaret, et septem urbes et alia complura loca obruit, et si qui inundationem fugissent, demisso coelitus igne, consumpti fuerunt.

3525. Sed ad P. Melchioris navigationem redeundo, inter duas insulas pene certum naufragii ac vitae discrimen magno Dei beneficio evaserat; et ideo in majorem spem venerat, quod Bungi Rex ipsius opera ad religionem christianam amplectendam juvandus esset, prout ipse litteris ad Pro-regem Indiae scriptis significationem non obscuram dederat.

3526. Cum autem ad Bungi portum appropinquarent, ad quoddam oppidum appulerunt, cujus Principes a Rege Bungi defecerant. Ibi triste nuncium ab ejus oppidi incolis audivit: Bungi urbem eversam esse; Regem aufugisse; nostros occisos esse: quae res, quamvis falso nuntiata, omnes perturbavit. Bungum nihilominus perrexerunt, ubi omnes nostros incolumes, et ad littus obviam provenientes videndo, summa laetitia, perinde atque si a morte revocatos vidisset, affectus est.

3527. Refert idem P. Melchior de P. Cosmo [2], quod illis annis, quibus Amanguchi vixit, nullum carnis genus gustaverat, nec pane piscibusve recentibus; sed oryza tantummodo, japonico more decocta, quae hujusmodi est ut, nisi fame quis cogatur, parum admodum libenter eam comedat; salitisque piscibus aut oleribus vescebatur, iisque cibariis (nam alia Amangucii communia non erant) ita assueverat, ut jam carnibus sine incommodo valetudinis Bungi uti non posset.

---

[1] De navigatione ac rebus gestis P. Melchioris Nuñez fuse agit Bartoli, *l. c.*, lib. VIII, n. 10, 11, 12.

[2] De P. Cosmo de Torres.

3528. Refert etiam (quod suis ipse Cosmus litteris non attingit), labores magnos ac difficultates fortiter ab ipso fuisse Amangucii superatas; a bonzis lapidibus et sputis appetitum et contumeliose tractatum, adeo ut sine magno periculo domo pedem efferre non posset; et culpam occisi Regis, magistratuum ac nobilitatis primariae in eum [1] bonzi rejiciebant, quod religionem christianam promovendo, negligi deorum suorum cultum fecisset.

3529. In summam itaque invidiam P. Cosmum adduxerant; sed ille amanguccianam ecclesiam conservari et augeri, inter sua incommoda et aerumnas, laetissimo animo cernebat. Et fatebatur ipse Cosmus nullo unquam vitae suae tempore tantum spiritualis consolationis, quam illo, percepisse, adeo ut aciem oculorum, ex suavium lacrymarum effusione, magna ex parte ibi [eum] perdidisse P. Melchior Nugnez existimaverit.

3530. Invisit Bungi Regem P. Melchior multisque eum rationibus ad Christi religionem traducere conatus est. Sed frustra; partim quod, religione nostra suscepta, mores sibi mutandos esse intelligeret, partim quod populares suos timebat sibi adversarios fore, si Christi religionem profiteretur; partim quod in ea secta enutritus fuerat, nobilioribus japonensibus familiari, quae animum cum corpore interire, nullumque spiritum esse tenebat.

3531. Impetrare nostri voluerunt ab eo, ut cum bonzis, qui sapientiores haberentur, coram ipso et aliis Principibus disputatio a nostris de religione institueretur; nam falsitatem sectarum, quas tenebant, et veritatem christianae fidei se aperte demonstraturos pollicebantur. Promisit ille quidem facturum; sed nunquam id praestitit, quod bonzi affinitate cum proceribus regni conjuncti essent, qui nostris erant valde infensi, quod eorum fraudes et scelera populo detegerent; et ab iis gravissimas persecutiones et incommoda P. Franciscum Xavier pertulisse, (quamvis ille ea non retulerit), idem P. Melchior intellexit.

3532. Ejus etiam animi libertatem et magnitudinem [testatur] in flagitiis Regis Amangucii reprehendendis et aliorum procerum ejus regni, [quorum] minas cum praesentissimo mortis

---

[1] Ms. repetit hic *culpam*.

periculo intrepide contempsit; quae animi magnitudo etiam apud ipsos japonenses magnam illi sanctitatis existimationem conciliavit.

3533. Quo tempore fuit Bungi P. Melchior Nugnez, multi ex proceribus regni contra Regem arma susceperant, et eo occiso, alium Regem creare constituerant; et id magnum impedimentum evangelio praestabat [1]. Christiani nihilominus aut certe bona eorum pars et sacrificia Missarum et verbi Dei praedicationem frequentabant, et aliqui etiam ad Christi fidem eo tempore accesserunt, multo plures futuri, si seditiones et bella eos non retardassent.

3534. Partim ergo quod regnum illud tumultibus bellicis fervebat, partim quod continua febri P. Melchior, quamdiu Bungi fuit, laborabat, fructum exiguum suae praesentiae fore existimans, in Indiam redire et Provincialis curam exercere, (nec enim adhuc ille scire poterat successorem eo in officio sibi datum), constituit.

3535. Magnus itaque ille apparatus et fervor, quo, sua Provincia relicta, in Japonem venire voluit, facile ex itineris diuturnitate [et] exiguo successu ipsius adventus in Japonem, non a divino spiritu fuisse profectus, sed a propria voluntate et judicio, licet bono, videri posset [2].

3536. Reliquit autem P. Villelam et duos alios fratres, ut in vinea japonensi excolenda alios juvarent; et ita octo ex nostris operariis in ea regione esse coeperunt. Ipse vero P. Melchior, licet saevissime quinque dierum tempestate jactatus, in Indiam incolumis pervenit.

3537. Post legationem Pro-regis Indiae Rex Bungi dederat nostris quasdam suas domos ex lignis cedri confectas, quae inter praecipuas ejus urbis erant, simul cum vectigale annuo quinquaginta ducatorum, licet non optime id solvebatur a quodam nobili, cui Rex id injunxerat. Nostri autem sic se habebant, ut oblata admitterent, nihil tamen exigerent.

---

[1] Voluerunt quidem perduelles Regem Bungi occidere, et alium illius loco constituere; at victi superatique fuerunt. Vide infra, n. 3539. – "Hunc cursum cum teneret christiana res Bungi, repente gravis est coorta seditio. Defecere a Rege primarii nonnulli ut ei molirentur exitium, et alium in solio collocarent... Compositis deinde rebus, et pace Regem inter ac perduelles conciliata, sua Ecclesiae foecunditas rediit..." Orlandini, *l. c.*, lib. xvi, n. 86.

[2] Ms. *Magnus itaque ille apparatus et fervor... non a divino spiritu fuisse profectum, sed a propria voluntate... profectum iri videri posse.*

3538. Emerunt etiam nostri situm quemdam huic domui a Rege donatae vicinum, valde bonum et amplum, cum Regis consensu, praeter alium situm quem prius ipse Rex dederat, cum quo, qui emptus est, erat conjunctus. Ex domo autem a Rege donata ecclesiam nostri confecerunt, et tamen ejus pars ad habitationem nostrorum est conversa; ad aedificium autem ecclesiae christiani, licet in magnis laboribus constituti, subsidium attulerunt, suam nimirum operam diligenter impendendo.

3539. Primum autem Missae sacrificium in eo oblatum fuit ipso die omnium Sanctorum a P. Melchiore Nugnez, qui jam ad navem se contulerat, et inde ad hoc primum sacrum faciendum rediit, antequam ex Japone recederet; et ei sacrificio multi christiani japonenses astiterunt, et nostri sua vota Societati consueta multis cum lacrymis ac desideriis Deo serviendi emiserunt. Post recessum autem P. Melchioris quies illi provinciae restituta est; proceres enim regni, qui contra Regem tumultuabantur, cum Rege pacem et amicitiam stabilierunt; et post hujusmodi quietem multi jam ad verbum Domini audiendum accesserunt; et religionis christianae negotium bene procedebat. Itaque, Deo propitio, multi Christi militiae nomina dabant; aliquo die decem, aliquo quindecim, et plures et pauciores, christiani fiebant.

3540. Hoc tempore P. Balthasar Gagus in portum quemdam, nomine Firandum, profectus est, ubi P. Cosmus annum fere integrum exegerat, cum initio P. Franciscum Xavier, in Japonem venientem, comitaretur. Quadraginta fere ibi christiani erant, et ad ejus urbis portum multi mercatores ex tota regione Japoniae, et lusitani etiam fere singulis annis, commerciorum gratia, eo veniebant. Ibi ergo residere coepit aliquandiu P. Balthasar Gago, Patre Cosmo de Torres Bungi relicto, et aliqui etiam, non multi ad Christum ibi accedebant.

3541. Ex civitate Amanguci et alii civitatis illius proceres aliquas litteras ad P. Cosmum miserunt, mense Decembri hujus anni, quibus eum ad reditum invitabant. Cum autem ad Regem Bungi, facultatem ad recessum postulaturus, P. Cosmus ivisset (nihil enim agebant, quod cum ipso non conferrent, ut eum magis sibi devincirent, qui alioqui per suos exploratores omnia intellexisset), respondit ille nondum tempus opportunum esse ut eo nostri redirent; et se nostris significaturum, dixit,

suo tempore, vere scilicet proximo. Suspicabantur tamen nostri praeter nives, quas Rex Bungi obtendebat ad differendam profectionem, aliquid secretius esse quod Regem moveret, quod Regem non latebat, et ut tempus ipsum responsum nostris daret, expectandum esse ille responderat; et ita prorsus rei eventus comprobavit; quidam enim ex dynastis majoribus regni Amanguchi, cum exercitu Amangucium veniens, cujus domus jam reaedificatae fuerant, et totam eam urbem denuo evertit ac diripuit, et multos captivos adduxit, et Amangucci Regem (quem Regis Bungi fratrem diximus) cum suae factionis primoribus viris occidit, et regnum ipse sibi vindicavit [1].

3542. Rex itaque Bungi anno sequenti, 1557, exercitum eo misit, ut eam provinciam sibi subjiceret; domus etiam nostra, quae in ea civitate erat, ac situs, ab illo tyranno data fuit cuidam, ut aedem, quam pagodam vocant, nescio cujus idoli, conficeret; quamvis paulo post christiani amangucienses ab eo, qui Amangucium subjecerat, situm praedictum obtinuerunt, et ita P. Cosmo litteris significarunt, et aliquem ex nostris, qui ad domum illam Societati restitutam se conferret, postulabant.

3543. Ex eo situ, quem P. Balthasari Gago Bungi Rex initio dederat, P. Cosmus duo charitatis opera in posterum fieri constituit: nam pars altera in usum coemeterii ad fidelium sepulturam relicta est; in altera vero quoddam xenodochium cum Regis ac civium beneplacito et approbatione fuit confectum. Ejus autem hospitalis pars quaedam seorsum ad curandos leprosos curata fuit; nam hujusmodi hominum magnus in ea provincia proventus erat; altera vero pars ad alios morbos fuit deputata.

3544. Admiserat autem in Societatem P. Cosmus juvenem quemdam (de quo anno superiore mentio facta [2]) scilicet, Ludovicum Almeidam, qui donum curationum a Domino acceperat, et bis quotidie aegrotantes singulos curabat; et quidam japonensis juvenis, qui Societatis vota emiserat, et tanquam unus ex fratribus nostris habebatur, eodem charitatis officio fungebatur in illa et extra illam, et aliquas eleemosynas quibusdam ex aegrotantibus, qui in majori necessitate constituti erant, distri-

---

[1] Cf. ORLANDINI, *l. c.*, lib. XVI, n. 88.

[2] Vide supra, t. V, pag. 721, n. 2024; pag. 726, et 727, n. 2041-2044. BARTOLI, *l. c.*, lib. VIII, n. 6.

buebat; medicamenta etiam aegrotantibus, quod valde pauperes illi homines sint, illis nostri donabant.

3545. Modus autem, quem nostri in japoniis ad baptismum adducendis [servabant], hic erat. In primis de absurditate errorum, quos sectae illarum nationum tenent, eos admonebant. Deinde Deum fuisse hujus mundi creatorem, nec ab aeterno illum fuisse, ut ipsi opinabantur; et docebant eos Deum primum principium ac primam causam boni totius esse, cujus sola voluntate ac verbo angeli et alia invisibilia, corporeae etiam substantiae, et homo, ex spirituali et corporali constans, processerint; quodque anima humana immortalis et capax praemii et poenae juxta opera sua post mortem maneat.

3546. Deinde docentur de Adami praevaricatione contra Dei obedientiam et [de] malis inde consequentibus, et quod justitia ac misericordia Dei dedit Filium suum, ut, natura nostra adsumpta, homines sibi credentes et obedientes reconciliaret Deo; et ad hoc praedicandum, et baptizandum missos fuisse Apostolos, qui viam salutis homines docerent, quos nostri imitari studebant.

3547. Haec et hujusmodi prius intelligunt quam baptizantur; et ita, qui christianam religionem ex eis suscipiebant, constantes et boni in religione permanebant.

Et haec de nostris japonensibus sint dicta.

DE PROVINCIALI INDIAE

ET EJUS COLLATERALI

3548. Aliqua, Provinciae Indiae communiora, quae ab ipso Provinciali Gonzalvo de Silvera et ab ejus collaterali, P. Francisco Rodriguez, scribuntur, hic subdentur.

3549. Antequam nostri cum ipso Patriarcha [1] Goam pervenirent, secrete praecessit P. Gonzalvus, et jam multa nocte ad Collegium, sociis in navi relictis, venit, et tanquam peregrinum

[1] Joanne Nuñez Barreto. Vide supra n. 3341 et 3342.

postulavit se admitti. Non erat in Collegio P. Antonius de Quadros, electus Provincialis primo die hujus anni, ut in superioribus dictum est [1]; nam egressus fuerat per fluvium in occursum nostrorum, ex Portugallia venientium; et ita admissus fuit, ut nuntius domus S.ti Rochi Ulyssiponensis. Postea, cum auctoritate P. Ignatii [P. Gonzalvus de Sylveira] in Provincialem Indiae missus esset, P. Antonii de Quadros officium in administranda Provincia cessavit, cum paulo amplius quam sex menses electus a Congregatione provinciali illud gessisset; nam tantum usque ad novum Provincialem, a Generali missum, illud officium, a Provincia acceptum, continuari, juxta Litteras Apostolicas et Constitutiones nostras, debuit [2].

3550. Cum inviseret Indiae Gubernatorem [3], Goae residentem, regio modo et amanter ab eo acceptus est; et cum milites animadverterent quod apud praedictum Gubernatorem seu Pro-regem gratiam et auctoritatem haberet, supplicibus libellis suorum negotiorum eum onerabant; et eo officio, quo nostri in Portugallia minime sibi utendum esse ducebant, in India tamen, propter regionis ejus consuetudinem, recusare minime poterant; et non exigua inde commoda ad Dei obsequium et multorum aedificationem sunt consecuta; multae enim eleemosynae, a Gubernatore impetratae, indigentibus distributae sunt, paces aliquot conciliatae, odia antiqua, quae altas egerant radices, extincta; quarumdam etiam poenarum infligendarum relaxatio, quae ad animarum salutem momentum habitura videbatur, fuit obtenta.

3551. Demum Gubernator, P. Provincialis opera, multos, qui id merebantur, adjuvit, et eos beneficentia prosecutus est. Cum autem Gubernator Bazainum, ut superius diximus, proficisceretur [4], et eum Provincialis comitaretur, in D.ni Francisci Mascaregnas biremi vectus, qui amicissimus erat, quandocumque ipsi videbatur in littus egrediebatur, et quamvis provinciae saracenorum essent, aliquando in eis verbum Dei chri-

[1] Supra, t. v, pag. 666, n. 1833 et seq.—De eo multa ac praeclara scribit BARTOLI *l. c.*, lib. VII, n. 3, 45, 46, 47.

[2] Vide supra, t. v, pag. 663, n. 1826, ubi verba Pauli III, Const. LICET DEBITUM, XV Kal. Nov. 1549, afferuntur.

[3] Franciscum Barreto de Lima, cujus elogium vide apud TELLEZ, *Chronica da Companhia de Iesu*, p. II, liv. IV, cap. 32, n. 5.

[4] Supra, n. 3359. Vide etiam, quae passim de Indiae Gubernatore dicta sunt, cum ageretur DE COLLEGIO BAZAINI ET TANAA.

stianis, qui in classe veniebant, praedicabat. Cum accederent ad urbem, quae Chaul dicitur, ubi magna est civium lusitanorum multitudo, praeveniens Gubernatorem, in hospitali divertere Provincialis voluit; et quamvis religiosi ordinis S.ti Dominici, nostros hospitio excipere soliti, ipsimet [Provincialem] expectabant; [tamen], quod libenter ille in pauperum hospitali maneret, Gubernatoris adventum expectavit, et praedicti hospitalis curam accepit; et cum prandii tempore, cum ab his, qui curam hospitalis gerebant, invitaretur; maluit ipse emendicare cibum, quo usurus erat; quod ad id usque tempus facere nostri illis in locis non consueverant. Primam eleemosynam a quodam accepit lusitano: secundam a quodam bracmane, qui inter gentiles in pretio habentur. Incidens autem in illum vir quidam honoratus ut gratias ageret de quodam beneficio, quod ipsi a quodam Gubernatore impetraverat, erubuit non mediocriter cum ipsum mendicantem videret.

3552. Quidam alius civis primarius, qui sub meridiem petentem eleemosynam vidit, ad prandium eum retinere voluit; sed recusanti, aliquid in ipsius manu inclusit; erant autem duo frusta argenti. Cum autem ad hospitale rediret, tam multi jam eum sequebantur cujusvis conditionis homines, ut eorum frequentia memoriam civitatis Portus in regno Portugalliae ei renovaret. Nec satis illis erat audire quae dicebantur; sed diligenter ipsum quaerebant et documenta ad salutem et profectum spiritus pertinentia adnotabant.

3553. Septem vel octo dies ibidem sine Gubernatore versatus est, et tanta confitentium utriusque sexus hominum fuit multitudo, ut ab eis se defendere minime posset.

3554. In concionando etiam mensuram ipsi in Portugallia praescriptam a Provinciali Torrensi [1] fatetur excessisse; sed excusari se petebat, quod fami diuturnae concionandi (nec enim conciones vocabat, quas in navi veniens habuerat), et devotioni illorum civium satisfacere oportuit.

3555. Omnes ejus civitatis cives primarii urgebant Provincialem, ut nostrae Societatis domum ibi admitteret, et situm valde bonum et amplum cum ecclesia, S.to Sebastiano sacra, offerebant. Et omnes simul, et singillatim multi, de bonis suis

[1] A Provinciali Portugalliae, P. Michaële de Torres.

necessaria ad aedificium et sustentationem nostrorum offerebant; sed quia rem cum suis consultoribus non tractaverat, nihil de admittenda praedicta domo constituit. Inde Tanaam et Bazainum, ut superius diximus [1], perrexit, et demum Coccinum sub initium anni sequentis rediit.

3556. Multa commemorat de ejus provinciae opulentia, quam longe praefert ei, quam in Portugallia viderat. Curiam etiam Gubernatoris magna nobilitas et ornatissima comitabatur; et non minori splendore Gubernatorem in India quam Regem in Portugallia comitabatur: quod ille ut documentum accipiebat honoris, qui deferendus est Christi Vicario in terris, cum Gubernator, quod Regis Portugalliae personam referret, in tanta veneratione haberetur, ut ingens multitudo nobilium et militum ei officiosissime assisterent, licet quatuor et quinque horas in monasterio aliquo cum religiosis loqueretur. Confert ad id quod beneficia magna, et interdum majora quam ipse Rex, facere potest. Multis etiam in rebus eisdem caeremoniis, quo in Portugallia Regem, [eum] colunt.

3557. Admonet suis litteris P. Provincialis nullo modo in Indiam eos esse mittendos, qui in sui abnegatione parum profecisse, et imperfecti esse in Europa [2] deprehenduntur; nam experientia docuit, quod hujusmodi in India multo minus proficiunt, et insuperabiles ac innumeras occasiones ibi habent [3] scandalum praebendi et Societatis existimationem laedendi, et quodammodo evertendi [4]. Et duo genera hominum eo praecipue mittenda suggerit; alterum eorum, quos constat ad eam missionem propensos [esse] ex desiderio patiendi propter Dei gloriam; alterum eorum, qui hujus missionis obedientiam admittunt suaviter, et diuturna experientia cognitum est quod ad virtutem bene dispositi sint, et flexibiles; et qui executioni mandaturi videntur, quae bene proposuerint; et inter hos eos, qui corpore sano et bono judicio et zelo proximos juvandi praediti sunt; nam tales in christiana doctrina bene instructi, et idiomata illarum regionum assequentes, non minus praestare possunt quam boni concionatores, tam in conservandis christianis

---

[1] Supra, n 3359 et seq.
[2] Ms. iterat *esse*.
[3] Ms. *habet*.
[4] Ms. iterum repetit *habent*.

quam in aliis ad Christum adducendis. Boni etiam confessarii et lectores litterarum humaniorum et in scribendo periti, perutilem operam in India praestare possunt. Sed super omnia donum castitatis eximium, propter frequentes occasiones ruendi, necessarium est.

3558. Suggerit idem in tota Societate negotium religionis in India et nostrorum missiones orationibus et sacrificiis nostrorum Deo commendandas esse, sicut eo tempore res Germaniae Deo commendabantur, et a Januario mense usque ad medium Octobrem navigationes ab India in Portugalliam et a Portugallia in Indiam esse Deo commendandas, quia incredibile est quam varia et gravia pericula in his navigationibus accidant, immo quam multa naufragia; et facultatem a Sede Apostolica curandam videri, ut nostri confessarii plenariam indulgentiam in articulo mortis, et in ingressu maris Bonae Spei, et portus Mozambiche, et S.tae Helenae communicare possent; nam vel tempestatum vel duellorum et aliorum malorum pericula in praedictis locis gravissima sunt; gratiam absolvendi ab haeresi et legendi libros infidelium et haereticorum, etiam in vernacula eorum lingua, necessariam esse suggerit; et ad dispensandum in rigore juris positivi multis in rebus, ne propter illum debiles a fidei susceptione, ut onerosa, retrahantur; et quia Quadragesima in India in mediis aestatis fervoribus incidit, et cibaria valde debilis nutrimenti sunt, et homines eo tempore fere in bellis versantur et in mari, jejunia Quadragesimae in alia tempora magis temperata transferenda censebat, vel certe praelatorum arbitrio et confessariorum, obligationem jejunandi relinquendam videri; et aliquid ejusmodi P. Franciscum suggessisse dicit.

3559. In domibus Societatis extra Goam unum aut duos tantum sacerdotes versari cum duobus aut tribus fratribus, et interdum etiam paucioribus, cum alioqui occupationes erga externos sint pene continuae, in causa esse dicit ut disciplinam religiosam servare non possint, et ab hoc incommodo alia sequentur, cum nec clausura, nec orationis tempus, nec alia ad conservationem et profectum nostrorum necessaria possint retineri; et solos incedere nostros, dum ad omnia pietatis opera manum admovent, ob hanc paucitatem [operariorum] opus erat. Ideo has domus ad certum numerum reducendas sug-

gerit; et ut non minus quam sex aut septem [1] in quovis loco versarentur; et ad eos alendos a Rege Portugalliae hoc anno subsidium postulavit; nam in his, quae ad Societatis Institutum pertinent, valde rudes et inexercitatos nostros invenit.

3560. P. Franciscus Rodriguez suggerit ad gubernationem, si qua in parte orbis, in India insignem aliquem virum esse necessarium, cum multae et magnae difficultates ea in Provincia industriam ac prudentiam plusquam mediocrem requirant [2]. Immo et eos omnes, qui mittuntur, non ad acquirendas virtutes sed ad acquisitas exercendas, mitti oportere, ut vel soli vel cum uno socio manere et discurrere per varia loca [in] multis occasionibus labendi possint; et quam eminentiam in obedientia P. Ignatius requirebat, eamdem in castitate in India requirit.

3561. Addit quanti momenti sit Pro-regem seu Gubernatorem benevolum habere, non solum propter res temporales, in quibus, quidvis Rex injungat, [Pro-reges] quod volunt exequuntur, sed propter infidelium conversionem; [nam] in ejus potestate situm esse [dicit], si vellet, multarum provinciarum homines ad Christi fidem adducere. Quandiu in India illi manerent [3], qui ad Indiam destinati [fuerant], nimis penuriam operariorum in India sentire; sed si illi in suam Provinciam recederent, alios necessarios fore, et potissimum praefectum vel magistrum novitiorum, ut admitti et institui aliqui in India possent.

3562. Quamvis autem ipse P. Franciscus Rodriguez casibus conscientiae explicandis et responsis, quae consulentibus dari oportebat, reddendis, vacaret; negotiis Societatis operam dabat, cum, Provinciali per varia loca discurrente, stabilis ipse Goae resideret. Cum enim pedibus captus esset, et judicio et eruditione valeret, ad gubernationem et gerenda praedicta negotia, juxta instructionem in Portugallia acceptam, navabat; nam P. Antonius de Quadros, accepto successore, ministeriis

[1] Ms. *non minus sex quam septem.*

[2] Ms. *requirat.*

[3] Ms. *manebant.* Haec fortasse in hunc modum disponi possent: "Quandiu in India illi tantum versentur, qui ad Indiam destinati ex Europa sint, nimia plerumque operariorum penuria Indiam laboraturam esse: quod si ad hoc incommodum, illud accedat, quod nempe illi in suam Provinciam recesserint, tunc maximum detrimentum indicae missioni fore sine dubio subeundum: quam ob rem, ut his malis mederetur, censebat socios alios necessario ad illam missionem esse destinandos, et potissimum praefectum vel magistrum novitiorum, ut admitti et institui aliqui in India possent."

Societatis incumbebat, et philosophiam, ut diximus [1], in Collegio praelegebat.

3563. Admonet litteras rerum indicarum, in Portugallia typis traditas, in Indiam redire; et quibusdam parum aedificationis praebebat, quod aliqua in ipsis continerentur, quae non omnes vera esse existimabant, quod non declararentur quaedam circumstantiae, licet res ipsae enarrarentur: et ita, qui illis gerendis interfuerant, alium sensum accipientes, offendebantur; et quaedam potissimum, quae, ad confessiones pertinentia, narrabantur licet in universali, aliquos, ad quos pertinebant, graviter offendebant; et quidam religiosus ordinis S.ti Francisci, nostris amicus, retulit se hominem invenisse, qui librum contra has litteras composuerat, quaedam, ut falsa reprobando, sed bonus religiosus curavit, ut praedictum librum ille laceraret.

3564. Ad Portugalliam scripsit idem P. Franciscus, ut a Rege nostri peterent, ne christiani illarum regionum decimas solvere de suis bonis tenerentur; nam propter ipsorum paupertatem grave hoc jugum ipsis erat, et valde conversionem infidelium impediebat; et gentiles, eos, qui conversi fuerant, deridebant, quod, praeter jura Regi solvi consueta a gentilibus, decimas etiam solverent, quae etiam ad Regem redibant, et dicebant gentiles quod ad id facti essent christiani, ut duplici onere probarentur.

3565. Addit cantum in Collegium nostrum sic introductum fuisse, ut nulla spes esset quod removeri posset, propter populi devotionem. Sed praeter unum ex nostris sacerdotibus, qui Missam diebus dominicis et festis decantabat, reliqui cantores ex pueris erant.

